This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Tappan Presbyterian Association
LIBRARY.

Presented by HON. D. BETHUNE DUFFIELD.
From Library of Rev. Geo. Duffield, D.D.

Geo Duffield

Section
V°

BS
1430
.V46

[875]. 2232 VS

HERMANNI VENEMA

COMMENTARIUS

AD

PSALMOS

LXV — LXXXV.

QUO

SINGULORUM ARGUMENTUM, TEMPUS ET HYPOTHESIS EXPLICANDI INPRIMIS STUDIOSE INQUIRITUR, EORUMQUE PARTES CONTINUA PARAPHRASI ET SELECTIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRANTUR.

LEOVARDIÆ,
Apud H. A. DE CHALMOT, MDCCLXVI.

Gift
Tappan Pres. Ass
3-14-1932

VIRO NOBILISSIMO
ET AMPLISSIMO

D. EPONI SJUCK
A BURMANIA,
CONSULI DOCKUMANO,

ET

PRÆPOTENT. FRISIÆ ORDINUM
DEPUTATORUM COLLEGIO
ADSCRIPTO, ETC. ETC.

STIRPIS NOBILITATE NON MAGIS ILLUSTRI, QUAM EAM ILLUSTRANTI, DOTIBUS ET VIRTUTIBUS SINGULARIBUS CONSPICUO,

EXIMIO POLITICO, HISTORICO
ET POETÆ,

NEC MINUS IN RERUM DIVINARUM AC SCRIPT. S. COGNITIONE VERSATO, ERUDITORUM AC THEOLOGORUM, EO NOMINE DIGNORUM, FAUTORI.

CUJUS

CUJUS SINGULARI FAVORE ET AMICITIA PER DIMIDIUM JAM SECULUM, AB IPSA JUVENTUTE USQUE IN HOC ILLUSTRI FRISIORUM ATHENÆO, DUM UNA STUDIIS INCUMBEBAMUS, INITA, SINE ULLA INTERRUPTIONE AD HOC USQUE TEMPUS GAVISUS SUM, MEQUE CONDECORANDUM ESSE CONFIDO IN POSTERUM.

HUNC QUARTUM COMMENTARII IN PSALMOS TOMUM

IN GRATI ANIMI SIGNUM, ET SUMMÆ MEÆ ÆSTIMATIONIS AC AMICITIÆ PERPETUUM MONUMENTUM

CUM OMNIGENÆ BENEDICTIONIS DIVINÆ ADPRECATIONE,

DEDICAT

H. VENEMA.

COMMENTARIUS
AD
PSALM. LXV.

1. *Præcentori Psalmus Davidis, canticum.*
2. *Tibi æquata laus ô Deus! in Sione* sit & erit; *Tibique solvetur votum.*
3. *O audiens preces! ad Te veniet omnis caro.*
4. *Actiones iniquitatum patentiores præ me sunt: defectiones nostras tu expiabis.*
5. *Beatum! quem elegeris, & adpropinquare feceris, ut inhabitet atria tua: satiabimur bono,* seu *ubertate, domus tuæ, sancto palatiorum tuorum.*
6. *Verenda,* vel *terribiliter, in recto-rigido respondebis nobis, Deus salutis nostræ. O præsidium! comprehendens fines terræ & maris longinquos,*
7. *Firmans montes robore suo, succinctus virtute prævalente,*
8. *Compescens fragorem marium, fragorem fluctuum eorum, & æstuationem populorum.*

9. *Et timebunt incolæ finium a signis tuis;* incolas *egressum mane & vespere lætum tinnire facies.*

10. *Visitasti terram, & irrigaveris eam, multum ditaveris eam, e rivo Dei aquis pleno aptaveris frumentum ipsorum. Quia,* vel *nam, sic disposuisti eam,*

11. *Sulcos ejus irrigare, descendere facere cæsuras,* vel *aggeres ejus, tenuibus densisque pluviis undare eam facies, germini ejus benedices.*

12. *Coronasti annum bonitatis,* vel *ubertatis, tuæ; &,* vel *tunc, orbitæ tuæ stillabunt pinguedinem.*

13. *Stillabunt* pinguedine *pascua deserti, & exsultatione colles cingentur.*

14. *Vestientur regiones,* vel *montes, ovibus, & valles cooperientur tritico. Jubilabunt, etiam canent.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum præstantissimi hujus Psalmi est *tum* δοξασικὸν, seu celebratio Dei super illustrissimis potentiæ, justitiæ & bonitatis, signis & effectis in Ecclesia & mundo conspicuis; *tum* ευχαριστικὸν, seu gratiarum actio pro insignibus beneficiis in Ecclesiam & mundum collatis ac conferendis; simul & Tsionitarum, & omnium hominum, ad Deum laudandum excitatio, quæ de prædictione aliquid trahit, quatenus, tale quid in Ecclesia & orbe futurum esse, insinuatur. Quæ signa & beneficia recensentur partim *spiritualia*, quibus populus Dei in Ecclesia gaudet, in remissione peccatorum, & omne genus bonis, quæ hominem beatum reddunt, sita, partim *corporalia*, hominibus per orbem in genere, & populo Dei in

specie

ſpecie concedi ſolita, quibus ſocietates conſervantur, & pacantur, & terra fœcundatur, ut omnia ad hominum ſuſtentationem & delectationem abundantiſſime ſuppetant. Argumentum itaque eſt generale, omnibus temporibus congruum, in ſpecie lætis & proſperis, quibus Deus aliqua ejusmodi ſpecimina repræſentat. Quare in *characteres* & verum argumenti conſpectum inquirere, opus non eſt.

§. II. De *tempore* itaque & *occaſione* Pſ. compoſiti a Davide, pro autore habendo ſecundum inſcriptionem, nihil certi conſtat. Inſcriptio Pſ. in verſione Vulg. & nonnullis editionibus LXX. Int. habet, *canticum Jeremiæ & Ezechielis populo transmigrationis cum inciperent exire*, nimirum ex Babylonico exilio: ſed nullius eſt autoritatis, nec his prophetis, ante mortuis, convenit, nullum quoque indicium hic occurrit exſilii, aut liberationis; ne dicam, *Davidi* Pſ. adtribui in titulo, a quo non eſt ulla discedendi ratio. Forte inſcriptio inde orta eſt, quod traditio aliqua habuerit, hunc Pſ. fuiſſe ab illis prophetis populo commendatum, ut tempore liberationis iſtius caneretur, ad fidem & ſpem ejus corroborandam. Sed de eo nihil adfirmari poteſt. Rectius longe illi inſtituerunt, qui, finita plaga ſterilitatis terræ & famis cauſa Gibeonitarum, a Saulo vexatorum & expulſorum, nec a *Davide vindicatorum*, inflicta, 2 Sam. XXI. Pſ. volunt compoſitum eſſe; licet *male adjungant* judicium *peſtis*, 2 Sam. XXIV. tanquam ejusdem fere temporis; cum illæ plagæ longo temporis intervallo fuerint disjunctæ, de quo hic non eſt disputandi locus. Ne minimum quoque hic occurrit *peſtis* indicium, aliqua *famis*, & cauſæ Gibeonitarum ſeſe videntur offerre; maxime in fuſiore deſcriptione fertilitatis terræ, tanquam inſignis beneficii; quo digitus ad præcedentem ſterilitatem videtur intentus; quemadmodum verſ. 8. adludi cenſeri poteſt ad motus populorum vicinorum contra Israelem, tempore Davidis ſedatos; quod haud diu ante ſterilitatem & famem illam, ex mea opinione, contigit. Utique hic ipſe caſus, quo Deus Gibeonitas, vindictam a

Deo petentes & consecutos, exaudivit, *occasionem* dare potuit sese in laudes Dei effundendi, tanquam qui extraneorum quoque preces audiat, vers. 3. & Gentium quoque curam habeat: nec non peccata populi, quæ ipsi causa Gibeonitarum incumbebant, remittat; & terræ Israeliticæ, per sterilitatem modo adflictæ, luculenter succurrat, vers. 10. Sed nihil de his omnibus adfirmaverim; nec ad intellectum Ps. multum facit, *tempus* & *occasionem* præcise scivisse, cum argumentum ejus sit generale, ut modo vidimus.

§. III. *Scopus* est, formulam Deum laudandi tanquam unicum & liberalissimum omnium bonorum, in Ecclesia & mundo, autorem, populo in manus tradere; & omnibus in sancto hoc opere præire, omnesque ad id excitare; præterea spem Ecclesiæ de nomine Dei per totum orbem aliquando celebrando confirmare. Excitantur enim non simpliciter homines qualescunque per orbem ad Deum laudandum, sed illud futurum aliquando esse insinuatur, ut verba fut. temp., quibus utitur poëta, haud obscure indicant. Unde etiam de *usu* Ps., & publico & privato, facile colligitur, per omnia tempora. *Publico* usui non tantum, sed & *privato* fuisse dicatum, ex inscriptione colligi potest. *Præcentori Psalmus Davidis*, non simpliciter habetur, sed & שיר *canticum* additur; ut ab unoquoque & ubique canendum esse indicaretur. Alia enim ratio hujus vocis additæ non suppetit aptior.

§. IV. Ad *structuram* Ps. pertinet, quod continuum sit ad Deum adloquium, ne quidem vers. 7. interruptum, ut suo loco patebit: *stylus* sit facilis & emphaticus, simul elegantibus figuris interstinctus: *ordo* denique, quo decurrit, naturalis. Constat enim Ps. ex *propositione* & ejus deductione, ac demonstratione; quæ duæ *generales* partes sunt, in quas dividitur. I. *Prior* occurrit, vers. 2 & 3. qua dicuntur in Tsione laudes canendæ, & vota solvenda, totus vero orbis eum adoraturus. II. *Posterius materiam* & *rationem* laudationis exhibet; & opera ac beneficia Dei recensetur in Eccle-

siam

ſiam & mundum conferenda; in *eam* verſ. 4 & 5. in *hunc*, verſ. 14. De quo poſtea diſtinctius.

ANACRISIS.

§. V. Ad *hypotheſin* Pſ. exponendi *tria* pertinent *obſervanda*, quæ Interpreti ſemper ob oculos verſari debent. 1. *Primum* eſt, perpetuam fieri adluſionem ad felix illud tempus, quo Pſ. compoſitus eſt; cujus lineæ hic ducuntur. Quod tempus ſupra definivi. 2. *Secundum* eſt, opera & beneficia Dei, cum Eccleſiæ, tum mundi, reſpectu, quæ hic memorantur, & laudationis Dei per orbem materiam conſtituunt, generalia eſſe, & ſecundum litteram intelligenda, ſpiritualia & corporalia, quæ Deus, tanquam populi ſui Deus fœderatus, & mundi rector æquus & benevolus, variis vicibus præſtat, & quorum reſpectu per totum orbem adorari, coli & celebrari, meretur, ac debet. 3. *Tertium* eſt, felicia ſub Meſſia depingi tempora, quibus Eccleſia per orbem foret diffuſa, & pax, ac omnium bonorum, ſpiritualium & corporalium, abundantia conſpiceretur in orbe, ac Deus *in lætitia* ubique celebraretur cum gratiarum actione. Quem conſpectum *propheticum phraſes*, vera ſua emphaſi ſumtæ, facile exhibent, & ſequentes duo Pſ., huic propterea ſubjuncti, confirmant; ut ſuo tempore patebit. Quæ felicia tempora ſubinde quidem experta eſt Eccleſia Chriſti, minore majoreve gradu; ſed adhuc exſpectat, & ſub finem ſeculorum vera ſua emphaſi, ſecundum conſtantem verbi prophetici doctrinam, experietur.

EXPLICATIO.

§. VI. *Propoſitio*, qua Deum in Tſione a Tſionitis, & omnibus per orbem hominibus, laudari debere, & laudandum

esse, ac adorandum, declaratur, ita habet vers. 2, 3. *Tibi æquata laus, o Deus! in Tsione* sit et erit; *tibi solvetur votum. O audiens preces! ad te veniet omnis caro.* h. e. Tibi congrua et perennis laudatio ac celebratio sit eritque in Tsione! o Deus! votaque quæcunque concepta ibi solvantur, solventurque: quin, cum tua sit laudabilis adfectio audire preces, et iis adnuere, a quibuscunque etiam fiant, modo pie et debite fusæ, veniant, venientque ad Te in Tsione omnes per orbem homines, qui votorum cupiunt fieri compotes, ut te ibi adorent ac invocent. Præsupponitur, Tsionem esse habitaculum Dei veri, et sedem religionis; quod expressius adfirmabitur, si *in Tsione* quoque cum *Deo* connectatur; quod potest; cum æque ad Deum ac ad lautionem Dei referri possit, ut recte Gejerus. Quod si LXX. Interprerum editioni, Ald. & Compl., legerunt etiam Eusebius et Theodoretus, ac Vulg. versioni, quæ habent, εὐχὴ ἐν Ἱερουσαλὴμ, *votum in Jerusalem*, aliquid tribuendum foret, nomen שלם *Salem* per verbum ישלם absorptum fuisse, statuerem, uti *Tsion* et *Salem* pro Hierosolyma conjunguntur, Ps. LXXVI: 3. Sicut Tsion, proprie et litteraliter dicta, tempore Davidis jam talis fuit, cum arca in eum montem est translata, quod jam acciderat, et postea semper, durante œconom. V. mansit; sed sensu spirituali Ecclesia Christiana, in specie originalis, primæva et Apostolica, facta est, et manet in perpetuum. Adfirmatur nunc, Deum esse decenter et perpetuo ibi laudandum ac colendum a Tsionitis non tantum originariis, sed et omnibus per orbem hominibus, sese eo conferentibus. Prius vers. 2, posterius vers. 3. traditur. *Prius* nihil habet difficilis, nisi in voce דמיה, quæ varie redditur et exponitur: mihi videtur laudationem denotare Deo congruam, et perennem; quod sicut huc unice quadrat, ita vocis potestati apte respondet. Radices enim דום, דמה, et דמם, quæ sororiæ sunt, primariam habent significationem in *aequatione liniendo* facta, seu linitione in æquum et planum; unde dicunt *aequari, ex-*

planari;

planari; et inter alia fluxit usus 1. effigiandi, adsimilandi, 2. perennandi, seu æquo in statu permanendi; sicut apud Arab. *adfigi*, compingi firmiter; & tenacissimam immobilitatem signat, etiam in Script. *Laudatio* Dei itaque *æquata* est *cum* Deo congrua, & ei respondens, *tum* perennis. Quod huc recte convenit. *Posterius* nihil habet, quod moram injicit; modo notetur 1. Deum adpellari *audientem preces*, quatenus, sine discrimine personarum, quorumcunque preces, modo pie fusas, exaudit; Judæorum non tantum, sed & gentium; ut est Act. x: 34, 35. Quam sensus amplitudinem & phrasis, quæ generalis est, & sequens membrum clare adfirmat. Sequitur enim, tanquam ejus consequens, *omnem carnem ad eum venturam*. 2. *Venire ad Deum*, scilicet, ut adoret, invocet & eum colat, non simpliciter dicere *ad Deum accedere*, sed *Tsionem* venire ad Deum adorandum: modo enim dictum erat, Deum in Tsione laudandum esse; quo itaque referendum etiam est, *venire ad Deum*; quare etiam non ש sed ע habetur, proprie *usque ad Deum*; seu ad locum habitationis Dei ad Deum adorandum. Sicut proselyti & gentiles Deo Hierosolymis supplicare solebant, seu animo saltem eo verso; ita tempore Messiæ Deum in Ecclesia Apostolica habitantem, & in communione ejus. Conf. Jes. II. LXVI: 23. *& alibi sæpe*. Sensus itaque est, Deum ea ratione in Tsione laudari ac coli debere, *coli* ex parte, & celebrandum esse deinceps magis a Judæis & Gentibus per totam terram.

§. VII. In *propositionis* deductione & confirmatione recensentur varia justitiæ & bonitatis Dei signa & effecta, & illustria beneficia, quæ omnes ad Deum laudandum excitare debent, & excitabunt reapse; א. Ecclesiæ Tsioneæ; ב. mundi respectu. א. *Tria* memorantur, quoad Ecclesiam Tsioneam, vers. 4—6. in priore membro, α. *Primum* & capitale, ac omnium reliquorum fons, est peccatorum, cum prævaluerint, gratuita remissio, vers. 4. his verbis: *Actiones iniquitatum valentiores præ me sunt: defectiones nostras*

ſtras tu expiabis, h. e. Iniquitates, actionem judicialem, longe validiorem quam ut refutari poſſit, cum contra me inſtituerint, & vindictam poſtulaverint, quam effugere per me non poſſum; tu, o Deus! defectiones & delicta noſtra, ſumtoredemtionis pretio, condonabis, nosque ab eorum effectis liberabis. Prius membrum cum in præt. occurrat, & poſterius in fut.; oportet prius habeat conſpectum antecedentis, quod hic ponitur, ſive jam adſit, ſive futurum ſit: adeoque ſenſus eſt, quem in paraphraſi expreſſi: quum, vel quando prævaluerunt — *tunc* tu condonabis. Præterea voces, *iniquitates*, *defectiones*, elegantiæ cauſa diviſæ, ſecum ſunt connectendæ, acſi legeretur, *actiones iniquitatum* & *defectionum* mearum & noſtrarum valentiores ſunt me & nobis &c. *Iniquitates & defectiones* in peccatis deſcribendis & adgravandis ſæpe conjunguntur: uti notum eſt. Denique cum in priore membro dicat מני *præ me* in ſing., & in poſteriore *defectiones noſtras* in plur. memoret; rurſus elegantiæ orationis id tribuendum, & ita eſt accipiendum, acſi haberetur; *iniquitatum* & *defectionum*, mearum & noſtrarum. Non itaque neceſſe eſt ut pro מני legatur מנו vel ממנו, *præ nobis*, uti LXX. acceperunt, repugnantibus reliquis verſionibus antiquis. Voces & phraſes nihil habent, quod noſtram requirit operam, niſi *prima* דברי, quam *actiones* judiciales verti. Interpretes paſſim, eam vocem redundare, putant, & vertunt *iniquitates*. Sed loca, quæ adfert Gejerus ad illud illuſtrandum, non ſufficiunt, de quo hic plura non dicam; & vox דבר hic exſerit uſum forenſem & judicialem, quo *actionem* denotat in judicio contra aliquem inſtitutam, ac agitatam: ut Pſ. CXII: 5. Jer. XXXVIII: 5. & verbum דבר frequenter; de quo alibi ſæpe dixi, ut ad Pſ. XXXVII: 30. L: 1—7. LI: 6. & ad Jer. variis in locis. *Actiones iniquitatum* itaque ſunt, quas iniquitates, a nobis perpetratæ, inſtituunt contra nos in judicio, ut condemnemur & puniamur. Quem conſpectum, per fictionem perſonæ, *peccata* recte gerunt, & in negotio *juſtificationis*

nis noſtræ coram Deo, quod ad verum ejus conſpectum multum facit, omnino habent, quare *peccatum condemnari* dicitur per juſtificationem, Rom. VIII: 3. *Actiones* autem iniquitatum dicuntur *prævalere præ nobis*, quatenus valentiores & fortiores ſunt, quam ut aut negare aut refutare eas poſſimus, nosque poſtulationi pœnarum, quam intendit actio peccati, ſubducere: adeo ut nullum ſuperſit refugium, quam ad clementiam & gratiam Dei judicis. Conf. Pſ. CXLIII: 2. CXXX: 3, 4. Verbum גבר genuina ſua notione denotat vim, ſeu virtutem *prævalentem*, *victricem* & *victorioſam*.

§. VIII. Videamus nunc, quid ſibi hæc verba velint, et quo tendant. Secundum hypotheſin, in anacriſi jactam, David 1. inſinuatum voluit, ſe & populum, gravi reatu obſtrictum, ac a Deo punitum, cum peccato, vindictam exigenti, ſuccumberent, remiſſionem peccatorum eſſe conſecutum, &, peccato expiato, a judicio famis, ipſi inflicto, liberatum: uti ex 2 Sam. XXI. conſtat: 2. generalem veritatem & doctrinam de remiſſione peccatorum, quæ in Eccleſia Tſionea conceditur, tradit; quæ habet, peccata, quæ nos reatui ſubjiciunt, non niſi a Deo remitti, & hoc beneficium concedi omnibus pœnitentibus & credentibus, ſeu veris Tſionitis. Quod eſt facillimum. 3. Denique prophetice, *cum veram peccatorum* expiationem ſuo tempore a Meſſia faciendam, quum peccata maxime per mundum & Eccleſiam invaluerunt, Dan. IX., repræſentat, tanquam omnium bonorum fontem, *tum* etiam Deum, prædicit, continuo Eccleſiæ, ſi peccatis fuerit inundata, & peſſum videretur itura, gratia ſua adfuturum & peccata remiſſurum, eorumque effecta ablaturum eſſe. Conf. Jeſ. LIX: 20. & alia in loca.

§. IX. β. *Secundum* bonum eſt liberum veræ religionis exercitium in Tſione, & bonorum communionis Dei participatio ad ſatietatem usque, verſ. 5. *Beatum! quem elegeris & adpropinquare feceris, ut inhabitet atria tua: ſatiabimur bono domus tuæ, ſancto palatiorum tuorum.* h. e. Cum feli-

tem & beatum prædicare fas sit, qualiscunque sit, vel Sacerdos & Levita, vel quivis alius, cujuscunque nationis & ordinis, quem tu e mundo selegeris, & cui jus ac potestatem, occasionemque, dederis, ut atria tua inhabitet, te ibi colendo, & coram fruendo; nosque inter eos simus, quibus hæc felicitas, partim contigit, partim concedetur amplius; jure & nos beatos pronunciamus, *cum bono domus tuæ, & sancto palatiorum tuorum*, seu omnigena benedictione, ex cultu & præsentia tua oriunda, simus *saturandi*, seu ad plenam animi & desideriorum satisfactionem explendi. Verba continent *thesin*, & ejus deductionem; *thesis* seu propositio est, *felicem esse eum, quicunque sit, quem Deus elegerit & adpropinquare fecerit, ut inhabitet atria ejus.* Quæ verba nihil habent inpediti. Quoad structuram orationis, duplex hic est notanda ellipsis, *altera* pronominis אשר *quem* in principio post אשרי, ut plene sit, *beatum, quem elegeris*, quæ, licet satis frequens sit, hic rectius statuitur omissa propter vocem earundem litterarum, quæ præcessit, *altera* vero particulæ conjunctivæ ו, *&*, pro *ut*, in verbo ישכן *habitabit*, pro *& habitabit*, quod est, *ut* habitet, nam eum usum finalem sæpe præfert ו, *&*. Quod vero ad sensum adtinet 1. *inhabitare atria Dei* est in domo cultus Dei adesse frequentem, & actuosum; omnes cultus Dei partes, in meditationibus piis, precibus, hymnis, & cujuscunque generis oblationibus, secundum præscriptum Dei, continuo & pie obeundo & explendo. Quod non est difficile. Conf. Ps. XXVII: 4. & LXXXIV: 5. & ibi dicta. 2. *Eligere Dei & adpropinquare facere*, nihil aliud significat, ac jus, potestatem & occasionem dare id faciendi. 3. Extenditur illud privilegium ad *unumquemque;* proprie pertinet ad Tribum Leviticam, adeoque Sacerdotes & Levitas, quibus verba etiam proxime conveniunt, ut notum est, sed hic latius ad qualescunque porrigitur, qui suo etiam modo dici possunt *domum Dei inhabitare;* uti liquet ex Ps. modo citatis: sed simul innuitur, eos in consortium personarum sacrarum

ea

ea ratione venire; imo ſenſu ſublimiore, de quo mox, eos veros, ſed ſpirituales, fore ſacerdotes, ut ſub N. T. Licet vero qualitates eorum præcedentes, quos Deus *eligit & adducit*, non memorentur, res ipſa tamen requirit, eos hic intelligi, qui cum Davide Pſ. XXVII. dicere poſſunt, *ſe id unum petere & quærere.* Quod verbo tetigiſſe ſufficerit. 4. *Felicitas* vero, quæ hic memoratur, intelligitur quæcunque & qualiscunque, ac ſumma. Quæ mox in *declaratione* explicatius traditur, cum ſubjungitur, eum *ſatiendum eſſe bona domus Dei ac ſancto palatiorum ejus*: ſic enim reſte vertitur *vrv*, ut ſit *boni*, modo memorati, accuratior demonſtratio, ſeu reſtrictio. *Bonum domus Dei* enim per epitheton *ſancti* definitur, *cum* ne illud ad eſum & potum ſimpliciter reſtringeretur, *tum*, ut ſingulare, nec omnibus commune, eſſe bonum, quin *divinum* & ſummum eſſe, declaretur. *Bonum* itaque *domus Dei, & ſanctum palatiorum, ſeu palatii*, *vrv* ἐνωῶ ſic dicti, *ejus*, ſive *cœlorum*, eſt præſtantiſſima illa & ſingularis benedictio, qua Deus genuinos ſuos cultores proſequitur, cum animæ tum corporis reſpectu, in hoc non tantum, ſed & futuro ſeculo. Alias adpellatur, *amœnitatem Dei videre, & bonitatem ejus*, Pſ. XXVII. 4. 13. *pinguedine domus ejus irrigari, & torrente deliciarum ejus poteri*, Pſ. XXXVI. 9. ubi vid. dicta. Alluditur quidem ad *oblationes* quascunque *Deo ſacratas*, de quibus quoque vescebantur personæ sacræ; sed in genere quamvis *benedictionem*, in primis ſpiritualem & cœleſtem, exhibent, quæ deſideriis noſtris rationalibus ſatisfacit: ut ad l. c. expoſui. Quod magis elucesset, ſi per *palatia* Dei, non tabernaculum, modo *domum* Dei dictum, ſed *cœlum* intelligamus, convenienter ſtylo Davidis: de quo alibi [a], egi, quod alias *palatium ſanctitatis* Dei adpellatur: quod & hic tacite *per ſanctum palatiorum tuorum* inſinuatur. *Sanctum* enim palatiorum Dei eſt, quod ex palatiis *ſanctitatis* Dei datur, & eorum naturæ convenit.

[a] Ad Pſ. V: 9. & XXVII.

§. X. Peculiarem meretur animadverſionem, quod non dicat, ut nexus ſermonis poſtulare videbatur, *ſaturabitur*, ſcilicet is, *quem elegeris* &c. ſed in prima perſ. plur. *ſaturabimur*. Quod commodius expediri non poſſe videtur, quam per reticentiam apodoſios ſeu redditionis, & adplicationis, quæ addita orationem reddet ſatis concinnam; hac ratione: *beatum unum quemque, quem elegeris*, ——— beatos itaque nos, quos elegiſti ——— *ſaturabimur*. Scilicet uti nos, ita quicunque alius, quem adſumſeris, ut nobiscum domum tuam inhabitet. *Propoſitio* generalis eſt, ſed in ejus explicatione, ſeu *beatitatis* demonſtratione, flectit ſermonem ad ſe & ſocios, et in prima perſona loquitur; hac utique ſub hypotheſi, quod ipſi inter eos ſint, quos Deus *elegerit*, & *adpropinquare fecerit*. Propoſitionem vero generalem fecit, ut latius ad quoscunque, quibus Deus hoc privilegium, quo ipſe nunc cum ſuis fruebatur, concederet, extenderet; et ſenſum redderet ampliorem. Inſinuat itaque David, ſe votorum ex parte factum eſſe compotem, et, quod ſæpe in exſilio experierat, nunc domum Dei in Tſione collocatam in pace et libertate adire poſſe, ac benedictione cultorum Dei frui. Significat vero, alios quoscunque ad hanc felicitatem eſſe deinceps adducendos, ſicut nunc Gibeonitis rurſus licebat, ita et poſtea multos alios hac prærogativa beandos eſſe; ita ut, quod ſupra dixerat, *omnis caro* ad Deum in Tſionem veniret; denique felicia ea tempora adfulſura, quibus Eccleſia Dei pomœria per orbem extenderet, et bona majore emphaſi, *ſancta* & *ſpiritualia*, dispenſarentur, omnesque, qui eorum participes fierent, *ſacerdotes* forent; ad quos, ut ſupra dixi, phraſes proprie pertinent.

§. XI. γ. *Tertium* bonum in Tſionem conferendum, in eo ponitur, quod Deus ſecundum vota ejus cauſam ejus contra hoſtes fortiter, et cum ſumma majeſtatis demonſtratione, ageret; eos ſubigendo, & Tſionem omni felicitate cumulando, verſ. 6. his verbis: *verenda*, vel terribiliter, in

in recto-rigido respondebis nobis, Deus ſalutis noſtræ, h. e. Sicut peccata noſtra condonabis, & nos te libere ac multiplici cum benedictione colere facies; ita remp. noſtram fortiter contra hoſtes tueberis, & nobis juſtitiam terribilibus cum ſignis facies, noſtraque vota abundanter implebis. Phraſes ſunt ſelectæ, & emphaticæ, paucis illuſtrandæ. Vox נוראות, proprie *terribilia*, hic adverbialiter occurrit, & *terribiliter* vertenda; & ſedem habet in *vibratione*, ac *coruscatione*, unde ad *timorem* tranſiit, & concuſſionem animi ac corporis; adeoque *terribiliter* respondere eſt cum magna vibratione coruscante, quæ reverentiam his, & timorem ac horrorem concutientem incutit aliis. De quo dixi ad Pſ. XLV: 5. Additur בצדק, proprie in *recto-rigido*, dein in ſtrenuitate & vigore inflexili, nec non in *veritate* & *juſtitia*; adeoque invincibiliter, ſecundum promiſſa Dei, et convenienter *juſtitiæ*, veraciter et *juſte* respondere. Sed quid ſibi vult, cum dicunt, *respondebis nobis? nobis* ſcilicet Tſionitis, qui populum tuum conſtituimus, et te rite colimus; *nobis* præterea cum hoſtibus contendentibus, qui nobis controverſiam movent, et male volunt, *nobis* denique petentibus et quærentibus ſtabilitatem reip. et Eccleſiae, ac omnigenam felicitatem & ſalutem; talibus *nobis respondebis*, dicit, h. e. in favorem & gratiam noſtram, & ſecundum vota noſtra; adeoque cauſam *noſtram* agendo, & decidendo ſecundum nos, & deſideriis noſtris ſatisfaciendo; eaque ratione nos firmando, & felices reddendo, & adverſarios noſtros confundendo, ac ſubigendo. Quæ omnia verbo *respondendi* recte cenſentur comprehenſa: *respondet* doctor & judex controverſiarum, cum eas decidit, & finit, uti Pſ. XLV: 5. *responde recto-rigidum*; vindex & omniſufficiens, cum ſuos liberat & omnibus adfluere facit bonis: quam ſignificationem præfert ענה Hoſ. II: 23. Eccleſ. X: 19. Jeſ. XLI: 17. & alibi; Dicit quoque radix proprie *fluere*, *adfluere*, *adfluere facere*; unde reliquæ notiones fluxerunt, *respondendi*, *ſuccurrendi*, etiam *depreſſum faciendi*, etc. Quo itidem facit

est titulus *Dei salutis nostræ*, quo Deum ornant; ut facile intelligitur. Ceterum, sicut David ad statum reip. præsentem adludit, quo Deus in hostibus subigendis & rep. fortunanda per Davidem *terribiliter in recto rigido respondarat*, ita spem suam testificatur non tantum, & vota sua exprimit, Deum in posterum eadem ratione cum populo identidem acturum esse; sed & prædicit illud futurum esse. Quod populus cum Judæus tum Christianus etiam sæpe expertus est: uti satis notum est. Loquitur autem in genere, & eousque, quo dixi, exsendi potest.

§. XII. 2. *Mundi* respectu *duo* imprimis recenset illustriora potentiæ, justitiæ & bonitatis, Dei signa & effecta, quæ sicut materiam Deum timendi & laudandi præberent ac rationes, ita etiam celebrarentur per orbem: *prius* est, quo Deus montes format, & motus turbidos ac sonoros marium ac populorum compescit, omniaque serena reddit in orbe & tranquilla; *posterius* est, quo terram reddit fertilem, & omnia ad vitæ sustentationem abundanter suppeditat. *Prius* vers. 6—9. *Posterius* vers. 10—14. *Prius*, his verbis: vers. 6—9. *O præsidium! comprehendens fines terræ & maris longinquos, firmans montes robore suo, succinctus virtute prævalente, compescens fragorem marium, fragorem fluctuum eorum, & æstuationem populorum, & timebunt incolæ finium a signis tuis*, incolas *egressuum mane, & vesperæ* lætum *timire facies*, h. e. o Deus, locus præsidii & securitatis totius universi! qui manu continet & mensurat fines globi terraquei, quam longinquos, & late extensos; qui montes robore suo firmat, & stabiles reddit, immenso succinctus robore, heros invincibilis, qui, sicut marium fluctus sonoros & terribiles, ita æstuantes populorum, omnia susque deque vertentium, motus compescit, & sedat; incolæ *finium*, seu septentrionalis ac australis plagæ, nec non *egressus mane ac vesperæ*, seu orientis & occidentis, potentiæ, justitiæ ac bonitatis tuæ signa advertentes, sicut te metuendi & laudandi habebunt abundantissimam materiam, ita quoque te

aliquando

aliquando metuent, & celebrabunt. *Tres* sunt pericopæ partes, quarum in *prima*. *a*. Deum compellat aptissimo epitheto, sermone ad eum verso, vers. 6. *præsidium*, h. e. ô præsidium! & locus securitatis totius universi, in quo cuncta subsistunt, & secure quiescunt, qui omnia tutatur, conservat & dirigit. Vocabulum מכון per se stat, & tanquam epitheton, a quo Deus describitur, considerandum, & latissime ad totum universum extendendum est; uti vers. 3. habuimus, quo Deus ea ratione adpellatus est *audiens preces*. Forma vocis nos ducit ad cogitandum de *loco* securitatis, ac deoque dicit *præsidium*, ut Jer. XVII: 7. Prov. XIV: 26. יש מכון *præsidium refugii*, Jer. XLVIII: 13. vel, quod eodem redit, *securitatem*, & quidem summam, ut מכון *præpingue*, מכון *præmolle butyrum*, & alia. Sic Prov. XXI: 22. מעוז מבטחה *asylum summæ securitatis*, Jes. XXXII: 18. *mansiones* מכוני *compiandissimæ securitatis*. Significatur itaque, Deum esse ipsissimam *securitatem* & certissimum *præsidium*, sive agnoscatur ab hominibus, & ei fidatur, sive non; esse autem talem in genere, adeoque *totius universi*, quatenus omnia in *ipso subsistunt*, Col. I. & ipse *omnia fert verbo potentiæ suæ*, Heb. I. *in ipso sumus & movemur*, Act. XVII. Cujus respectu etiam petra *seculorum* vocatur, Jes. XXVI: 4. etc.

§. XIII. *β*. In *secunda* parte pleniorem dat tituli hujus descriptionem, nonnulla *potentissimæ hujus* curæ, qua se præsidium & securitatem universi præstat, proferens, vers. 6—8. Quorum *α*. *primum* est, Deum continere & mensurare fines orbis terraquei, quam longissime etiam distantes, vers. 6. *comprehendens fines terræ & maris longinquos*, vel *qui comprehendit* fines etc. prout יא pro præt. sumatur aut partic., quod utrumque potest & perinde est: sensus est, Deum orbem terrestrem sua potentia & cura, usque ad fines ejus latissime a se invicem dissitos, adeoque totum orbem, quam late patet, in omnibus suis partibus, conservare, & dirigere. Vocabulum itaque יא non est nomen aut particula, sed aut universitatem denotans, ut accipi solet, & cum

fines

fines terræ conſtrui; hoc ſenſu, quod Deus ſit *fiducia omnium finium terræ;* ſed verbum eſt præt. vel particip., a radice כול proprie *continere*, intra ſe *convolvere*, inde *menſurare*, & in כלכל *ſuſtentare*, *moderari*. Ita noſtrum כל occurrit, Jeſ. XL: 12. Jer. XVII: 9. ubi מכל eſt pro מי כל *quis capit*, *menſurat* cor; ut ibi vidimus, nec non c. XXXI: 40. Quæ interpretatio, ſicut loco eſt aptiſſima, ita vulgata habet, quod offendit, inprimis in phraſi *omnium finium*. *Fines* autem terræ ac *longinqui* cohærent, & *terra ac mare* diſtincte tanquam partes globi terreſtris memorantur. *b. Secundum* eſt, Deum *firmare montes robore ſuo*, verſ. 7. Quod in ſpecie additur, quia ſunt roboris Dei luculenta ſpecimina *montes*, non niſi robore Dei ſubſiſtentes; & præterea regnorum potentium in terra emblemata; quæ per Deum quoque tantum ſubſiſtunt: quod utrumque hic locum habere poteſt; ſicut mox *marium & populorum* motus conjunguntur. Transitus a perſona ſecunda ad *tertiam* in voce *robore ſuo*, nihil habet inſoliti: uti conſtat, & ſatis nôtatum eſt. *c. Tertium* eſt, Deum, tanquam fortiſſimum heroa, motus quoscunque, & marium & populorum, compescere, verſ. 7, 8. *Succinctus virtute prævalente, ſedans fragores marium, fragores fluctuum eorum & æſtuationem populorum.* Voces, *ſuccinctus robore*, licet cum præced. quoque cohæreant, directe tamen ad ſeq. pertinent, quibus Deus heroicum ſuum robur præcipue demonſtrat in compescendis motibus ſtreperis & aeſtuantibus, ſicut aquarum, ita populorum, tanquam *heros fortiſſimus;* qualem voces, *ſuccinctus robore*, proprie depingunt. Radix אזר, cui respondet זור & זרר, primariam notionem habet in *torſione*, et tali quidem, qua quid *nectitur* ac *ſubſtringitur*, unde אזר *torſit cum nexu*, vel nexuit cum torſione; et אזור *cingulum* tortum, et ſubſtringens. *Tortus* vero in *robore* eſt ipſo robore, loco cinguli, ſubſtrictus et contortus, adeoque robuſtiſſimus heros, qui *robur* in ſe habet, et eo cinctus eſt. Qua talis compescit *motus marium & populorum*, eorum *ſtreperos*, horum *æſtuantes*, utrorumque

que vehementiſſimos, et terribiles; qui apte connectuntur, cum populorum motus bellici & tumultuoſi emblemate motuum fluctuum marium ſoleant, & apte poſſint, depingi: qua ratione etiam hic conjunguntur, ut ſenſus litteralis & emblematicus locum inveniat. Per *maria* vero gentes, & per *populos* Judæos intelligere, precarium eſt. Verbum vero שׁאה & השׁאה, recte vertitur, *compescuit*, *ſedavit*, a propria notione *mulcendi*, & leni manu tactuve tractandi, unde & *celebrandi & compescendi* ortæ ſunt metaphoræ. De quo vid. Cl. Schultens *a*. De vocibus שׁאון fragore, ſtrepitu, & המון proprie *æſtuatione*, alibi ſæpe diximus, nec habent multum obſcuri.

§. XIV. *γ*. *Tertia* pericopæ pars comprehendit celebrationem Dei, cum ejus timore conjunctam, per totum orbem faciendam, ex conſideratione horum ſpeciminum potentiæ & aliarum virtutum Dei, verſ. 9. *Et*, vel itaque, *timebunt incolæ finium præ ſignis tuis, egreſſuum mane & veſperæ*, ſcilicet incolas, *tinnulum ſonare facies*. h. e. Cum tot tantaque providentiæ tuæ ſpecimina in toto orbe conſpicua ſint, oportet, ut homines per totum orbem, quam late patet, ſecundum quatuor ejus plagas, te revereantur, timeant & laudent; quod etiam ſuo tempore, regno tuo per orbem diffuſo, facient. Membra verſus duo ſunt, elegantiæ cauſa, *ut* ſæpe alias fit, diviſa, & hac ratione ordinanda. Timendi *te & laudandi materiam præbebis*, *timebunt* etiam te & laudabunt, propter ſigna tua illuſtria, *incolæ finium & egreſſuum mane ac veſperæ*, ſeu Septentrionales & Auſtrales, ac Orientales & Occidentales. In priore membro habetur, *timebunt*, in poſteriore, *celebrare facies;* ſed utrumque in utroque membro intelligendum eſt: ut *timebunt* ſit, timere facies & timebunt, *& tinnire facies* ſit, & facies, & facient. Vox *incolæ*, in priore membro expreſſa, ſupplenda eſt in poſteriore; denique *incolæ finium* ſunt, qui utrumque polum, ſeptentrionem ac auſtrum verſus, incolunt, & *incolæ egreſſuum mane* ſunt Orientales & inco-

a Defect. §. 106.

læ *vesperæ* occidentales; *egreſſus enim mane*, ſeu matutini temporis, ad auroræ et ſolis exortum nos ducunt, מזרח enim de ortu ſolis et auroræ dicitur Pſ. XIX: 7. Hoſ. IV: 4. nec cum *vespera* conjungi poteſt, cum non ערב ſed בוא & מבוא de occaſu adhibeatur; adeoque & ante ערב *vesperam* ſupplendi ſunt *incolæ*, ac *occidentales* intelligendi. De hisce autem *insulis & finium terræ*, & *ortus ac occaſus*, cum habetur, Deum eos *timere* ac laudare facturum eſſe, eosque ſimul metuituros ac laudaturos eſſe, *tria* potiſſimum inculcantur; 1. Deum iis abundantiſſimam hoc faciendi praebiturum eſſe materiam, et eos ad id multis modis eſſe excitaturum per illuſtria ea providentiae ſuae *ſigna*, modo memorata; 2. Eos per totum orbem ad id eſſe obligatos, &, ſi recte adverterent, ac ratiocinarentur, illud non poſſe non praeſtare. 3. Denique, eos aliquando tam efficaciter ad id eſſe a Deo excitandos, ut reapſe per totum orbem eo functuri ſint officio, Deum *timentes*, & *laudantes*, tanquam potentiſſimum, juſtiſſimum & optimum, mundi rectorem, & ſospitatorem, *præſidii & ſecuritatis* titulo unice dignum. Conferatur inſigne vaticinium myſtice intellectum, Jeſ. XLIII: 5, 6. *ab oriente adducam ſemen tuum, & ex occidente colligam te: dicens ſeptentrioni, cedo, & auſtro, ne cohibe, adduc filios meos e longinquo, & filias meas ab extremo terræ;* ubi *fines terræ* etiam ſeptentrioni & auſtro, ut hic, tribuuntur, et ab ortu et occaſu diſtinguuntur.

§. XV. Sed quorſum haec magnifica Dei potentiſſimi rectoris univerſi deſcriptio tendit? et quare in eam ſeſe hic effundit poeta? eo, ni fallor, collineat, ut 1. Deum, cui in Tſione laudes dantur, eſſe ſolum verum Deum, oppoſite ad Deos fictitios gentium, ſolum dignum, qui colatur, et cui fidatur, beatum ergo eſſe populum, cujus Deus eſt, declararet, et in animos populi, nimium ad idololatriam proni, defigeret. Conf. Pſ. XXXIII: 6. et ſaepe alibi. 2. Populos per orbem omnes, licet revelatione peculiari carentes, ſufficientem in operibus Dei habere rationem et occaſionem ipſum

ipſum cognoscendi, metuendi & celebrandi, in omnium oculos ingereret, cum ſeſe iis per opera creationis et providentiae manifeſtaverit, ita ut inexcuſabiles ſint, ſi eum non glorificent, Rom. 1: 20. 3. Talem ſeſe in praeſentia exhibuiſſe populo ſuo, & mox majore gradu praeſtiturum, ut ſub Salomone fecit, firmando regnum ejus, & motus populorum hoſtilium compescendo, exponeret, ut populi omnes, ad quorum notitiam haec venirent, inde occaſionem haberent Deum Israelis agnoscendi et metuendi. Adluditur enim, ut ſupra quoque obſervavi, ad felicia & pacata populi Dei tempora, quibus Deus ſeſe coram oculis totius terrae demonſtraverat potentiſſimum, juſtiſſimum, & optimum rectorem Univerſi, & populi ſui ſervatorem. 4. Denique ob oculos poneret, Deum, qua talem, aliquando per orbem eſſe agnoscendum et celebrandum, partim ſub V. partim ſub N. Oeconomia; in primis, cum Deus orbem pacaſſet, &, motibus omnibus ſedatis, tranquilla & pacifica illa tempora, a Deo ſaepe promiſſa, repraeſentaret, ac adduceret; quorum illuſtriſſimum emblema ante fores erat ſub Salomone: ad quae digitus omnino intenditur. Conf. Pſ. LXXII.

§. XVI. *Poſterius* bonitatis & omniſufficientiae ſignum et effectum, *quo incolae terrae excitantur* ad *grata jubila* in honorem Dei, in terrae fecundatione, & omnium bonorum terrae abundantia ſitum, eodem modo & ordine deſcribitur, verſ. 10—14. ut *a.* ipſum beneficium vivis coloribus depingatur, verſ. 10—14. *b.* celebratio Dei, inde oriunda, ſubjungatur, duobus ultimis verbis, verſ. 14. Hac enim ratione connectenda eſt oratio, ut ſequentia docebunt. *a.* Beneficium duobus articulis, per modum gradationis, deſcribitur; quorum *a. prior* fecunditatem terrae ordinariam & ſufficientem exhibet, verſ. 10, 11. *b. poſterior* extraordinariam & ſummam, verſ. 12—14. Quae diviſio pericopae, ſicut ex ipſis verbis ſeſe offert, ita ſermonem liberat a minus neceſſaria repetitione. *a. Prior* articulus, his verbis com-

 prehenſus

prehenſus eſt, verſ. 10, 11. *Viſitaſti terram, & irrigaveris eam multum, ditaveris eam e rivo Dei pleno aquis, aptaveris frumentum ipſorum. Quia*, vel nam, *ſic diſpoſuiſti eam; ſulcos ejus irrigare, deſcendere facere cæſuras*, vel *aggeres, ejus, tenuibus denſisque pluviis undare eam facies, germini ejus benedices*, h. e. Cum terram frugiferam favore tuo viſitas, vel ſtatim ac illud feceris, eam multum irrigabis, aqua, ex nubibus cœleſtibus, aqua plenis, eam copioſe replendo, et frugiferam faciendo, parabis cujuscunque generis fruges, in uſum hominum, qui terram quaquaverſum incolunt. Ea enim ratione inſtruxiſti terram, & aptabis in perpetuum; ut ſulci ejus irrigentur, & glebæ turmatim diſpoſitæ per arationem deprimantur & penetrentur, ac pluvia guttatim uberrime fluente terram undare facias, ejusque graminibus benedicas, & ea ad maturitatem adducas. Verba continent 1. fertilitatis terræ per abundantem pluviam deſcriptionem, verſ. 10. 2. ejus illuſtrationem ex terræ diſpoſitione, a Deo in creatione facta, verſ. 10 fin. & 11. 1. In *priore* parte præmittitur *viſitatio terræ* a Deo, tanquam antecedens, & inde, tanquam conſequens, derivatur terræ fructificatio per pluviam cœleſtem. *Viſitatio terræ a Deo* itaque hic memoratur tanquam antecedens, & cauſa originalis fructificationis, quæ mox ſubjungitur; eamque ob rationem in præt. occurrit, *viſitaſti terram*, h. e. *ſi*, vel *cum*, id feceris. Quæ ſatis apta eſt ratio formæ præt., qua utitur poeta; cum mox in fut. loquatur. *Viſitare* autem *terram*, quid ſit, non eſt in obſcuro. Denotat hic actuoſam & benevolam Dei curam, qua, terræ q. ſeſe intime adjungendo, ei proſpicit, eamque fœcundat, ſicut maritus dicitur *viſitare* uxorem; Jud. xv: 1. & Deus Saram *viſitare* eo ſenſu, Gen. xxi: 1. Hac ratione cum Deus ſeſe terræ adplicat, eam curat, & faventem adfectum ſuum ei præſtat, ſequitur ejus *fructificatio*, his verbis deſcripta: *& irrigabis eam multum, ditabis eam e rivo Dei, pleno aquis*, h. e. pluviam e nubibus abunde & tempeſtive emittendo in terram, eam copioſe irrigabis.

rigabis. Quæ verba ita cohærent, ut posterius membrum sit prioris explicatio, seu modum tradat, quo terra irrigatur, per pluviam cœlestem. Interpretes hic varie instituunt, sed ex nostra hypothesi cuncta sunt plana & facilia. Prius *visitationis* Dei effectum est terræ abundans *irrigatio*, quæ *a.* proponitur verbo *irrigabis eam* per conjunctivum, & connexo cum visitatione Dei, ut, immediatum vel proximum ejus consequens esse, indicaretur, sive *itaque*, sive *tunc* vertatur, aut *statim*, qui usus satis noti sunt. Radix רוה, cui respondet רוי, proprie est *discurrere*, unde varii usus fluxerunt, quos nunc mitto, sed inter eos est *exundandi*; quatenus *discurrendi*, & semet identidem impellendi, potestas adplicatur *aquis undantibus*, uti apud Arab. *a*, & ita Joel. II: 24. Denotat itaque *exundare* facis in Pih., ut hic, quod vers. 11. רויה adpellatur; de quo mox. *Modum* irrigationis, quæ terram facit exundantem, *b.* hæc verba, quæ propterea sine copula subjunguntur, exponunt: *ditabis eam, rivo Dei pleno aquis. Ditare terram* adpellat variationis ergo, & ut irrigationis bonum effectum designaret, quo terra redditur frugifera, seu apta quæ ex divite penu proferat fruges; quod modo *inundare* facere dixerat. Addit *medium* hujus exundationis frugiferæ, quum dicit, *rivo Dei aquarum pleno*, per ellipsin particulæ *ex* vel *a. Rivus Dei* itaque nubes sunt, quæ aquis repletæ eas instar *rivi* in terram emittunt; adpellat *rivum Dei*, ut a terrestribus, & ab hominibus factis, distingueret: idem itaque est ac *rivus cœlestis*, a Deo factus, Catarractæ *cœli*, Mal. III: 10. *Aquis plenum* adpellat, ut terræ exundationis, inde oriundæ, ratio detur: *aqua* enim *plenæ* nubes effectum illum tantum præstant Eccles. XI: 3. oppositе ad νεφέλας ἀνύδρους *nubes aqua carentes* Judæ vers. 12. Quo cum nihil sit facilius, Interpretes, qui hic mirifice ludunt, suo loco lubens relinquo. Sequitur denique, *aptabis frumentum ipsorum*; ultimum visitationis Dei effectum, ex terræ irrigatione proxi-

a Schultens clav. p. 311.

me oriundum. *Frumentum* hic late denotat quascunque fruges terræ, quæ tribulis excutiuntur, & hominibus præbent alimenta: *frumenta eorum* cum adpellat, manifeste respicit ad *incolas finium*, & *ortus ac occasus*, modo memoratos, adeoque non Cananææ tantum, ut volunt multi, sed totius orbis. *Præparare* denique frumentum est, efficere ut frumentum sit maturum, & aptum. Quod non est difficile.

§. XVII. 2. Illustrat dicta ex terræ dispositione, a Deo in creatione facta, & continuo conservata, in eo sita, quod, terra per arationem parata, pluvia opus sit ad ejus fructificationem, his verbis: vers. 10. fin. & 11. *Quia sic aptasti eam in perpetuum; irrigando sulcos ejus, descendere faciendo cæsuras*, vel *aggeres*, *ejus; guttis uberrimis eam undare facies, germini ejus benedices.* Connectenda sunt hæc verba, per pravam versuum divisionem avulsa, & rationem dant, quare terra e rivo Dei irrigata fruges proferat, quæ repetitur a terræ prima dispositione in creatione, quæ continuo a Deo conservatur; per quam est, quod terra, per arationem præparata, & seminata, opus habeat irrigatione sulcorum & aggerum per pluviam spissam, qua undans benedictionem accipit. Ex qua hypothesi sicut usitatus vocula כי *quia* usus retinetur, ita sensus ab ingrata repetitione liberatur. Relegamus nunc verba, &, ubi opus fuerit, illustremus. *Quia sic aptasti eam* firmiter & in perpetuum, (quam emphasin habet חכין, & forma fut. תכינה *aptabis eam.*) *Sulcos ejus irrigare, descendere facere aggeres ejus, guttis frequentibus undare facies eam*, (h. e. vel, irrigando & descendere faciendo undare facies guttis, vel, irrigabis, descendere facies, quin undare facies, pluvia uberrima guttatim sparsa. Utrumque admittit forma infinit. verborum רוה & נחת; uti notum est. Irrigationi & depressioni sulcorum & aggerum additur *undatio* per aquas, ut indicaretur, per pluviam id fieri, & quidem ad undationem usque. Verba exponunt modum fructificationis terræ secundum dispositionem terræ, a Deo

a Deo factam; seu explicant, in quo sita sit illa dispositio terræ ad fruges proferendas. Memorat *sulcos & aggeres*, ut arationem & præparationem terræ, opera hominum faciendam, tanquam necessariam, insinuaret. Vox תלם est *sulcus*, seu ipsa sulcatio & præscissio terræ ad sementem faciendam, seu prima *aratio*, a propria *frangendi* potestate, quam radex Arab. ثلم adfert, uti jam notavit Simon [a] post Clodium [b]: altera vero vox גדוד exprimit vel repetitam, seu iteratam & tertiatam, arationem, a גדד *incidit*, *insecuit* altius, sicut utriusque quoque arationis mentio fit, Hos. x: 11. & Job. xxxix: 13. ubi vid. Cl. Schultens, vel aggeres, porcas dictos, inter sulcos prominentes, & *turmatim* digestos, ac abscissos; sicut גדוד *globum* militarem a reliquis *resectum*, & *acie secante* præditum, designat: de quo alibi [c] monui. *Irrigationi* sulcorum, quæ nihil habet difficilis, addit *cæsurarum descensionem* verbo נחת expressam; cujus non ita manifesta est significatio hoc in loco. Admitti posset, quod dedit Cl. Schultens ad Prov. xvii: 10. qui vertit, *descendere fac*, *altius imprime sulcos ejus*; nisi quod in infinit. potius reddiderim, *altius imprimere sulcos ejus*. Verbum נחת proprie est, *profundius cavari*; unde *sculpendi*, *insculpendi* potestas apud Arab., inde *descendere*, altius penetrare, *ductis* q. sulcis. *Arationi* adtributum verbum notabit altos & profundiores *sulcos ductos* & impressos; ut in *aratione* iterum iterumque repetita: *altius* itaque *descendere* facere sulcos, & profundiores ducere significabit: & sensus erit, *sulcos* rigandos esse, eosque altius esse ducendos, ad terram reddendam aptiorem; adeo ut *duo* indicentur, & sulcorum irrigatio, & eorum irrigatorum profundior ductio ac impressio: Sed ne sic sensus oritur perspicuus; quare potius in נחת respici putaverim ad *pluviam* altius descendentem & penetrantem in *arationem*; per ellipsin ב ante גדודה; ut sit: *sulcos vel aggeres ejus irrigare*, *descendere facere*

[a] In Lex. [b] Lex. Selecto. [c] Ad Gen. xxix. §. 157.

facere altius in cæſuras ejus, ſcilicet *pluviam*, cœlitus demiſſam, ut ex ſeq. patet: ita נחת *deſcenſus menſæ*, Job. xxxvi: 16. eſt, quod in menſam e cœlo ipſo demittitur q., omni benedictione cumulatum; ut exponit Cl. Schultens. Additur adhuc, *pluviis undare faties eam*, cum ad irrigationis modum per *pluviam* definiendam, tum ad irrigationis abundantiam demonſtrandam. Vox רביב denotat *craſſiorem & ſpiſſiorem* pluviam, a רבב, cujus poteſtas eſt in *concrescendo*, & ſpiſſum ac denſum denotat, ut obſervavi ad Deut. xxxii. ſic & רוה notat *abundantiam & adfluentiam* bonorum; & רבים *divites*, *opulentos*. Verbum vero מוג proprie eſt non *liquifieri*, ſed *undare*, *fluctuare vehementius* [a]. Quod modo dictum erat, *ditare e rivo Dei pleno aquis*. Ultimæ voces, *germini ejus benedices*, quæ ultimum irrigationis terræ effectum continent, nihil habent difficilis, quare nihil addo, niſi hoc unum, reſpici in hoc verbo ſimul ad abundantiſſimam pluviam, nomine ברכה *benedictionis* ſubinde inſignitam: de quo alibi [b] expoſui.

§. XVIII. *b*. Poſterior articulus extraordinariam omnium rerum optimarum abundantiam ſummam complectitur, eleganter depictam, verſ. 12—14. his verbis: *Coronaſti annum bonitatis*, vel *ubertatis*, *tuæ; & orbitæ tuæ ſtillabunt pinguedinem. Stillabunt* (pinguedine) *paſcua deſerti, & exſultatione colles cingentur. Veſtientur regiones ovibus, & valles operient ſe tritico.* h. e. *Si*, vel *cum*, annum uberrimæ tuæ bonitatis, glorioſe & copioſe repletum, oriri feceris; cœleſtes tuæ orbitæ, quas ſoles incedere in nubibus, ipſam *pinguedinem* quaſi, loco pluviæ, leniter & copioſe in terram emittent, adeo ut pascua deſerti, colles, planities, ſeu montes, & valles, *partim* ſumma ubertate graminum, & quorumvis optimorum fructuum, adfluxura ſint, *partim* quorumvis gregum copia abundatura. *Antecedens* eſt *anni ubertatis Dei coronatio*; ideo in præt. occurrens, ut verſ. 10. *viſitatio*

[a] Vid. Schultens clav. p. 198, 234. & Lette ad Ex. xv. p. 232.
[b] Ad Mal. iii: 10.

viſitatio terræ. Phraſis vero ſelecta eſt, & emphatica; quæ tempus ſummæ prosperitatis, & omnium bonorum copiæ, de ſingulari Dei bonitate teſtantis, vivis depingit coloribus. Annum bonitatis *coronare* eſt ad ſummum gradum, & cumulum cum bonorum, tum lætitiæ & gloriæ, adducere. *Coronare* eſt complere, glorioſum & lætum facere: *annus bonitatis* Dei eſt tempus, quo ſummam ſuam bonitatem demonſtrat; *qui coronatur*, quum bonitatis effecta ſummo gradu repræſentantur, & magnam adferunt gloriam ac lætitiam. Tale tempus cum adluxerit, nubes q. pinguedinem ſtillant, & terræ omnes partes uberrime replentur. Proximum itaque conſequens, medium cauſale felicitatis ſequentis, eſt, quo *orbitæ Dei ſtillant pinguedinem*, h. e. omnis abundantia optimarum rerum e cœlo demittitur. *Orbitae* Dei ſunt nubes, antea *rivus* Dei adpellatæ, conf. Pſ. CIV: 3. nunc *orbitae*, quas Deus ipſe cenſetur incedere; & unde, loco pluviæ ex rivo Dei, fluit *ipſa pinguedo*, ſeu dulciſſimorum & optimorum bonorum ſumma copia.

§. XIX. Abundantia terræ, cunctarumque ejus partium, reſpectu gregum & frugum optimarum, ultimum conſequens, ex *ſtillatione pinguedinis*, modo memorata, oriundum, his verbis deſcribitur: verſ. 12, 13. *ſtillabunt pascua deſerti, exſultatione cingentur colles; veſtientur ovibus regiones*, vel *montes*, & *valles cooperientur tritico*. Quæ verba mihi elegantiæ ergo videntur diviſa, ut ſæpe in ſtylo poetico obtinet, & ordinanda, acſi una ſerie haberent; pascua deſerti, colles, planities, vel montes & valles, ſtillabunt, exſultatione cingentur, gregibus veſtientur, & tritico cooperientur. Verba enim, *ſtillabunt*, *cingentur*, *veſtientur* & *operientur*, ad omnes terræ partes recte adplicantur, eisque conveniunt, & greges ac fruges æque montibus acvallibus congruunt. Memorantur variæ & præcipuæ terræ partes, gregibus alendis, & frugibus producendis, aptæ; *pascua deſerti*, ſunt loca graminoſa, pecoribus inſervientia: quæ מדבר ſtylo Script. adpellantur, q. d. locum patens, paſtui aptum, ubi pecora poſſunt agi.

Quod a Doctis *a* abunde demonſtratum, & ex ipſa verbi רבר poteſtate, quæ in ſerie & ductu rerum ſe invicem ſequentium ſita eſt, facile eruitur. Quare *pascua* ei recte adjunguntur, quae voce נאות exprimuntur, uti habuimus Pſ. XXIII: 2. & Jer. IX: 6. *Colles & valles* cum explicatione non indigeant, de voce גבעות aliquid eſt dicendum. Sunt, qui *arietes* intelligunt, & *induere oves*, de eorum cum ovibus congreſſu ad fœtificationem interpretantur. Quod maxime exornavit Cl. Schultens *b*: ſed *duo* maxime obſtant; *alterum*, quod illud minus ad rem hic faciat, ubi de ſumma ubertate omnium rerum agitur; non itaque *arietum* cum *ovibus* congreſſus tam, quam gregum magna copia expreſſe debuiſſet memorari; *alterum*, quod ſeq. membrum, *operientur valles tritico*, exigat, ſimiliter capiendum eſſe antecedens membrum; adeoque גבעות notare *locum*, & ſenſum eſſe, *eum eſſe veſtiendum* ovibus, vel gregibus. Nec tamen in facili eſt, vocis גבעות notionem ad *locum* aliquem deſignandum transferre. Vulgo *pascua* intelligunter, ſed ſine ſolido fundamento; nec ad rem hoc loco, cum modo נאות jam fuerint memorata. Mihi, ſi vox retinenda ſit, nihil videtur aptius, quam ut in genere *regiones* intelligantur, alias dictæ נכבות pro גבעות, proprie loca *orbiculata*, a כור *gyravit*, *orbiculavit*, inde *vicus*, *urbes*, a forma rotunda, ac *regiones* tandem *late patentes*: de quo vid. Rev. Hackman. *c*. Sic Jeſ. XXX: 23. *pascent pecora tua illo tempore* כר נרחב *in regione late extenſa*. Qualis fuit, ex gr. in Cananæa regio *Saron*, שרון pro ישרון *planities magna*, pascua valde & gregibus celebratiſſima *d*. Quod ſi minus ſufficiat, nihil ſuppetit, quam ut pro גבעות legatur cum Meibomio, cui, licet non nominato, adſtipulatur nuperus Criticus Haubigant, הרים *montes*; notiſſima ovium & caprarum loca, uti Bochartus *e* oſtendit, & montes Baſan & Carmel in Cananæa, aliique comprobant. Commendat inſuper oppoſitio *vallium*

a Vid. Cl. Haſæus Bibl. Brem. cl. 1. faſc. 2. *b* Anim. adh. l. *c* Anim. p. 156. *d* Vid. Bochart. H. p. 1. l. II. c. 48. *e* Ibid c. 46.

vallium in membro ſeq., ſicut verſ. 13. *pascua deſerti & colles*, ita hic *montes & valles*, recte junguntur.

§. XX. De omnibus hisce locis ſequentia prædicantur. 1. *ſtillabunt*, nimirum *adipe* ex orbitis Dei defluente; quæ vox ex præced. facile ſuppletur. Indicatur, *pascua* fore copioſa, & pinguia, quæ oves reddunt *pingues*, *& agros* fertiles, qui pingues proferunt fruges, *triticum*, ut mox occurrit, & alios fructus delicatos, etiam *mel & muſtum*: ut eſt Joel. IV: 18. Am. IX. & alibi. 2. *exſultatione*, vel choreis, *cingentur*, cum pecorum, ibi exſultantium præ lascivia, reſpectu, tum *ſegetum* ridentium & ſe agitantium. Ducit quoque verbum *cingi* ad ſummam copiam pecorum & frugum ſe invicem prementium, & arcte adhærentium. Radix חגר originem habet in *arctatione*, undique *adſtricta*, unde *arctare* lumbos pro arctiore vinculo ſubſtringere circumquaque, & חגור pro *cingulo*. 3. *Veſtiri & operiri* de montibus & vallibus reſpectu *ovium & tritici*, ſummam quoque & lætiſſimam copiam gregum & frugum denotat; ut facile patet, & ſatis tritum eſt, etiam apud Gr. & Lat. a.

§. XXI. β. Beneficio, bonitatis Dei luculento ſpecimine & effecto, duobus articulis, per gradationem, deſcripto, ſubjungitur verſ. 14. *jubilabunt*, *etiam canent*: h. e. *clangent non* tantum, ut in victoria & *triumpho*, voce & buccina, *ſed & canticis*, *rite diſpoſitis*, Deum celebrabunt. *Prius* inconditum denotat clamorem & ſonum, ex lætitia ortum; ſed poſterius arte compoſitum, & rationalem magis cantum, in laudes Dei exprimit: quod itaque, tanquam majus quid Deo & homini convenientius, recte ſubjungitur, per גם *etiam*: quæ particula vim ſuam retinet, non nude connectendi, ut putatur, ſed & exaggerandi. *Prius* quoque verbum apte ad lætitiæ ſigna in genere refertur, & *poſterius* in ſpecie ad *laudes Dei*, per cantum & pſalmodiam celebrari ſolitas: quod, quia *priore* majus eſt & excellentius, ac pietatis & gratitudinis indicium, recte habet גם *etiam*,

a Vid. la Cerda ad Virg. G. II. p. 322.

præfixum: quod Clericus etiam vidit, qui ſupplevit *Deum* canent. Sed quinam ſunt, qui *jubilarent & canerent*? Communis fere hypotheſis eſt, terram ejusque fruges & animantia excitari ad jubila & cantica, ſive per *perſonæ fictionem*, ſive quod materiam jubilandi & canendi præbitura ſint hominibus: ſed longe rectius de *incolis terræ*, verſ. 9. memoratis, hic cogitatur, 1. quia iis magis conveniunt, & *cantare* proprium eſt. 2. quia de *exſultatione* collium, vallium & pascuorum, jam actum erat, verſ. 13. 3. quia pericopa eodem modo finitur, quo præcedens verſ. 6—9. ubi *incolæ finium terræ* dicti fuerunt timere ac lætum canere; adeoque & hic *incolæ* illi ſunt mente intelligendi. Quod recte vidit Meibomius, ſed male ſupplevit & addidit, tanquam excidiſſet, *omnes timentes Jehovæ*, quod ſupervaneum eſt & arbitrarium.

§. XXII. Ceterum cum *eodem* hæc pericopa manifeſte tendat, quo ſuperior, *ſcopo* ejus explicando non neceſſe habeo inmorari. Alluditur ad fertilitatem terræ, quæ ejus ſterilitatem exceperat, tempore compoſiti Pſ., ſed indicatur ſimul, 1. Deum ſe non *relinquere inteſtatum* incolis terræ *benefacientem, cœlitus dantem pluvias & tempora frugifera, ac animos alimento & lætitia replentem*, Act. XIV: 17. 2. orbem ſuo tempore in gratia viſitaturum, & omnis generis benedictionibus, corporalibus non tantum, ſed & Spiritualibus, eſſe repleturum, cum *annus bonitatis ac complacentiæ* Dei adluxerit, & terra ſit ornanda hominibus, qui fidei & pietatis fructus ſint daturi ad laudes Dei: vid. Jeſ. XXX: 23. & quæ ibi adtulit Cl. Vitringa, nec non Coccejus ad noſtrum Pſ. Nobis illud tetigiſſe ſuffecerit.

PSALM.

PSALM. LXVI.

1. *Præcentori canticum, Pſalmus. Jubilate Deo tota terra;*
2. *Pſallite gloriam nominis ejus, ponite gloriam coruscæ eminentiæ ejus.*
3. *Dicite Deo: quam verendus es operibus tuis in ſpiſſitate roboris tui! abnegabunt ſe Tibi hoſtes tui.*
4. *Tota terra adorabunt te, & cantabunt Tibi, cantabunt nomen tuum.* Sela!
5. *Ite & videte molimina Dei, verendi arduo opere, coram filiis hominum.*
6. *Convertit mare in ſiccum, fluvium tranſibunt pede, ibi lætabimur in ipſo.*
7. *Qui robore ſuo dominatur in perpetuum, gentes ſpeculabitur, refractarias illas, ne extollant ſe.*
8. Benedicite populi *Deo noſtro, & audiri facite vocem laudis ejus.*
9. *Qui inpreſſit animam noſtram in coagmentationes, nec tradidit pedem noſtrum lapſui.*
10. *Quia probaſti nos, o Deus! conflaſti nos, ſicut conflare argentum* quis ſolet, vel *ſecundum conflationem argenti.*
11. *Intrare nos feciſti in arcem* tanquam rete, *inpreſſiſti preſſuram arctiſſimam in lumbos noſtros.*
12. *Inequitare feciſti hominem capiti noſtro, & emicare nos feciſti in irrigationem,* vel *recreationem.*
13. *Intrabo domum tuam per adſcenſiones, ſolvam tibi vota mea.*

14. *Quæ ruperunt labia mea, & os meum pronunciavit, cum mihi erat anguſtum.*
15. *Holocauſta medullata offeram Tibi cum nidore arietum, faciam boves cum hircis.* Sela!
16. *Ite,* vel *agite, audite & narrabo, o omnes timentes Dei! quod animæ,* vel *vitæ, meæ fecit.*
17. *Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltatio eſt ſub lingua mea.*
18. *Inanitatem ſi vidi in corde meo, non audiret Deus.*
19. *Profecto exaudivit Deus, adtendit vocem precationis meæ.*
20. *Benedictus ſit Deus! qui non removit precationem meam a ſe, & benignitatem ſuam a me.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pſ. eſt publica nominis Dei, ſummopere nunc glorificati, celebratio, cum gratiarum actione, ſolenniter facienda, conjuncta, quam illuſtris aliquis vir, hic loquens, faceret pro populo & ſe ipſo, & ad quam omnes excitat terræ populos, ſuper miraculoſa plane liberatione ex ſummis & inſuperabilibus anguſtiis, ex hoſtium invaſione partim, partim aliunde ortis, in quas populus cum ipſo, dein ipſe ſolus, erat conjectus; quæ tanta habuit potentiæ Jehovæ, ejusque bonitatis erga populum ſuum, ſigna, ut per orbem percrebreſceret, & omnes populi excitari potuerint ad nomen Jehovæ publice celebrandum. Incipit mox ab excitatione totius terræ ad Jehovam, Deum Israelis celebrandum, formula quoque incolis terræ, qua id facerent, præſcripta: ad quod ut permoverentur, ipſos vocat ad contemplationem mirabilium Dei moliminum, nunc

in

in gratiam populi Dei patratorum, haud abſimilium antiquis illis miraculoſis liberationibus, quum mare Rubrum, & Jordanem exſiccatum tranſierunt. Quo facto, eos ad Deo Israelis benedicendum incitat, ratione petita a miraculoſa liberatione a morte & ruina, populo Dei nunc conceſſa. Quando, periculi, in quo fuerant ipſe & populus, deſcriptione facta, & liberatione memorata, ſe paratum profitetur ad Deum in Templo publice celebrandum, & vota, in anguſtiis concepta, ſolvenda. Denique ſeſe vertit ad ſingularem ſuam liberationem piis enarrandam, in ſignum pietatis ſuæ, & ad piorum omnium conſolationem in ſimili caſu; & deſinit in ſolenni benedictione Dei ſuper exauditione precum ſuarum.

§. II. De cujus argumenti conſpectu, characteribus perſonæ loquentis, ſtatus populi ac temporis, ut recte judicetur, ſequentia ſunt ad animum revocanda. 1. *Primum* eſt, loquentem eſſe ſicut pietate, ita dignitate, illuſtrem. De *pietate* facile conſtat, ſed & ipſe ejus indicium profert, verſ. 18. *Dignitas* ejus vel ex eo elucescit, quod totius populi perſonam gerat, & ejus nomine loquatur & agat; beneficium populo conceſſum ipſe in ſing. num. dicit ſe celebraturum in Templo, verſ. 13, 14. 2. *Secundum* eſt, *duplex beneficium* Dei memorari, tanquam materiam celebrationis Dei, *alterum*, *quod cum* populo habebat commune, *alterum*, quod ipſi privum erat, & ad preces ejus pias in ipſum collatum. Cujus utriusque indicium eſt, non tantum in eo, quod ſi unum & idem foret verſ. 9 & 16. memoratum, repetitio ſupervacanea ſit habenda, ſed in primis, quod verſ. 9. populum ſibi adjungat, in plur. loquens; deinceps vero verſ. 16. de ſe ſolo in ſing. loquatur. 3. *Tertium* eſt, quod *ſtatus*, unde cum populo vindicatus erat, fuerit *a.* ſumme *periculoſus*, a ruina populi proximus, verſ. 8—11, 12. *b. contumelioſus*, cum publicis conviciis conjunctus, verſ. 12. *c. ineluctabilis*, qui populum cum ipſo in ſummas conjecerat anguſtias, verſ. 11. *d.* ab hoſtium ſuper-

ſuperborum invaſione ortus, verſ. 6, 7. & inprimis 12. *e.* qui ſpeciem *probationis* divinæ prætulit, verſ. 10. ſalva tamen adhuc metropoli & arce, ſalvo Templo & cultus ſacri exercitio. Quod verſ. 11, & 13. innuitur. In voce מצוד ad *arcem* Davidis, Tſionem, adluditur, & nihil de Templo profanato, aut cultu ceſſante, habetur, contra, manſiſſe utrumque integrum, ſupponitur verſ. 13. 4. *Quartum* eſt, liberationem plane miraculoſam fuiſſe; ſimilem illi, qua per mare rubrum ſiccatum, & Jordanem tranſierunt olim; verſ. 6. in qua ſingulare & arduum Dei molimen fuit conſpicuum, verſ. 6. quæque ulteriorem hoſtilium regnorum depreſſionem præfiguravit, verſ. 6, & 7. 5. *Quintum* eſt, celeberrimam fuiſſe liberationem, quæ per orbem perſonuit, & Deum Israelis valde exaltavit cum populo ejus inter Gentes. Quod adhortatio ad Deum Israelis celebrandum, gentibus per orbem imperata, manifeſte pro hypotheſi habet.

§. III. Hæc, quæ adtuli, qui adverterit, nullo negotio perſpexerit, Pſalmum 1. tempore Davidis non fuiſſe compoſitum, cum ejus tempore ejusmodi calamitas & periculum populo Israelis non contigerit, nec talis conceſſa fuerit liberatio, quæ ſine ope humana a Deo miraculoſe eſt procurata: nec tamen ullo indicio conſtat, de iis rebus hic prophetice agi; contra, & ſtatus populi, & ejus liberatio, tanquam præſens ob oculos ponitur. Fruſtra itaque ſunt, qui aut Davidem pro autore habent, cujus nomen non fuiſſet ſilentio involutum, aut ad tempus Davidis adplicant; quod demonſtrare nequeunt, argumento Pſ. congruum. 2. Nullum tempus, durante œconomia V., adcommodatius occurrere eo, quo Hieroſolyma eſt a Senacheribo tentata, & miraculoſe liberata, Hizkias ipſe e gravi morbo mirabiliter eſt ſanatus. Quadrant quidem multa in tempora Epiphanica ac Maccabaica, ad quæ aliquando retuli canticum; ſed alia obſtant, in primus *ſecundum* & *quartum* criterium; nec omnia, quæ ad ſtatum periculoſum populi definiendum adduxi, in illud conveniunt, ut quod de Templo, Hieroſolyma

ſolyma & cultu ſacro ſalvis dixi. Tempori Hizkiæ cuncta criteria tam exacte respondent, ut, tunc factum eſſe canticum, nullus dubitaverim, ſive ab Hiskia ipſo, aut alio poeta ſacro: quemadmodum ſimilia cantica alia tunc ſunt ad miraculoſum illum eventum celebrandum compoſita, ut ex. gr. XLVI. & CXXXIV. quod alibi demonſtravimus. In hac itaque hypotheſi acquiescimus; & Pſ. cenſemus factum poſt liberationem populi ab Aſſyrio, & Hizkiæ a morbo. Quæ utraque hic, tanquam facta, celebrantur.

§. IV. *Scopus* cantici eſt, 1. gloriam nominis Dei, ſeu potentiæ, juſtitiæ & gratiæ, in Aſſyrio mirabiliter proſtrato, & Hizkia quoque ſanato, conſpicuam, cum gratiarum actione publice celebrare; & ad illud faciendum omnes alios excitare. 2. illuſtriſſimi hujus eventus verum conſpectum & uſum tradere; quatenus α. providentiæ Dei, qua mundum gubernat, & populum ſuum curat, illuſtre ſpecimen erat, quo Israelitæ convinci, & ad Deo fidendum, eumque colendum, permoveri poterant. Quo etiam oculo conſideratur, Jeſ. XXX & XXXI. β. Signum & pignus erat deſtructionis regnorum hoſtilium, & populi Dei continuæ conſervationis ac liberationis; quo verſ. 3 & 7. digitus haud obſcure intenditur, & Jeſ. XIV: 24—26. clare indicatur. γ. *materiam & rationem* præberet Gentibus per orbem Deum Israelis reverendi & celebrandi. *Quo* tendit prima pars Pſ. verſ. 1—8. & Pſ. XLVI: 11. diſerte traditur. δ. Denique tanquam in emblemate et typo exhibeat liberationem Eccleſiæ Chriſti ab hoſtibus carnalibus et ſpiritualibus, nec non inde ortam Gentium converſionem, et nominis Dei per orbem celebrationem. De quo vid. Cl. Vitringa ad Jeſ. XIV et XXXII. Quod prima Pſ. pars, modo citata, omnino quoque innuit.

§. V. Ex quibus cum de *uſu* Pſ. facile conſtat, digniſſimum etiam eſſe, qui *Præcentori* inter ſacra canendus traderetur, ſicut inſcriptio habet; ad *ſtructuram* ejus, et *partes* pergo. Ad *ſtructuram* pertinet, ſermonem *primo* ad popu-

los terræ dirigi, qui ad Deum Israelis super hoc mirabili opere laudandum, et celebrandum, excitantur, *dein* ad Deum ipsum, cui gratum animum, omni modo demonstrandum, pro tanto beneficio, quod fusius describit, promittit et testificatur; *denique* ad pios et timentes Jehovæ, quibus peculiarem suam liberationem, ad ipsorum instructionem, enarrat. *Stylus* nihil habet singularis, facilis est, sed adfectuosus et emphaticus. *Partes* Ps. sunt *generales* duæ; quarum *prior* de beneficio liberationis, populo mirabiliter concesso, a gentibus celebrando, et a populo Dei grate agnoscendo, agit vers. 1—15. *posterior* privam liberationem, in miraculosa sanatione sitam, commemorat, tanquam pietatis ejus fructum et signum vers. 16—20. Cujus utriusque partis membra in seq. exhibebo.

ANACRISIS.

§. VI. Interpretes quidem valde secum in hypothesi Ps. exponendi dissentiunt, dum alii ad Davidem adplicant, alii generale volunt ejus esse argumentum, quo populi terræ excitantur ad Jehovam ob præclara ejus opera celebrandum, alii ad Judæorum ex Aegyptiaca servitute, aut Babylonico, vel præsente exilio Romano, liberationem, alii ad Ecclesiam Christi referunt, vel in principio euangelii, vel quando ab adversitatibus et hostibus liberata est, ne alios memorem. Sed omnes errarunt in tempore compositi Ps. definiendo; quod si nobiscum rite fixissent, in hypothesi Ps. non potuissent hærere. Explicandus itaque est de mirabili liberatione, populo et Hizkiæ concessa tempore Senacheribi, et ad eam adplicanda est, in vero suo conspectu, supra memorato, consideratam. Quæ hypothesis, sicut sponte sua, admisso modo tempore facti Ps., sese commendat, ita firmatur, quod nullum tempus sit Ecclesiæ Judaicæ, cui æque conveniat; ad Ecclesiam Christi nulla sit ratio eum directe

recte adplicandi, contra sit, quæ impediat, ut quod de cultu Levitico in Templo occurrit, vers. 14. ne alia memorem.

EXPOSITIO.

§. VII. In *priore* parte *generali* a. populi terræ excitantur ad Deum Israelis laudandum ob præclara ejus facinora, in superbis hostibus reprimendis, & populo Dei liberando, vers. 1—9. 2. autor Ps. fatis paratum profitetur ad Deo gratias publice agendas pro miraculosa liberatione ex statu summe adflicto & desperabundo per hostis superbi & truculenti invasionem; vers. 9—15. 2. In sermone exhortatorio ad populos terræ, eos adhortatur *a.* ad Deum celebrandum vers. 1—7. *β.* ad ei benedicendum, vers. 8. *a.* In priore parte *a.* excitantur populi ad Deum extollendum, vers. 1—4. *b.* Invitantur ad mirabilia Dei opera, in gratiam populi sui facta, consideranda, ut inde ad Deum laudandum permoveantur, vers. 5—7. *a.* In sermone exhortatorio 1. excitantur simpliciter vers. 1, 2. 2. formula carminis in laudem Dei in ore traditur, vers. 3, 4.

§. VIII. 1. *Simplex* excitatio ita sonat, vers. 1, 2. *Jubilate Deo tota terra; psallite gloriam nominis ejus; ponite gloriam celebritatem ejus*, h. e. vos totius orbis, quam late patet, incolæ, sicut rationem habetis & materiam Deo jubilandi, & nomen ejus glorificatum carmine celebrandi, ita fas est, ut faciatis, uti facietis aliquando. Sermo vertitur ad *totam terram*, seu incolas, quare cum verbo plurali num. construitur, non *Judæam* aut Chananæam, sed & *totum orbem*, uti amplitudo phrasios indicat, & sequentia requirunt, ubi *populi* adpellantur vers. 8., & loquentes, qui Judæi sunt, ab iis distinguuntur. *Sermo* vero est adhortatorius, quo excitantur ad Deum glorificandum, ut significetur, eos rationem habere & materiam hoc agendi, eorum

esse officium quoque, cum Deus Israelis sese tam illustrissimo modo conspicuum reddidit, & celebrem coram toto mundo, hostes tam mirabiliter prosternendo, & populum suum vindicando: denique insinuatur, multos id facturos esse, & hoc tempore, & deinceps; quum Deus sese in hostibus delendis, & populo salvando, glorioſum majore emphasi sit inter Gentes manifestaturus; ut sub Messia factum, & per hoc Dei facinus expictum est. Hoc scopo hortatur poeta populos terræ, ut *Deo jubilent*, (in signum victoriæ de hostibus reportatæ & triumphi,) *nominis ejus gloriam psallant*, (nomen ejus hinc valde exaltatum ac glorificatum psalmis celebrent. Vid. Ps. XXIX: 2.) *ponant gloriam celebritatem ejus* (vel, *dent gloriam celebritati ejus*, eam confitendo & extollendo, ut Jos. VII: 19, vel *ponant gloriam ad laudem ejus*, monumentum gloriæ ejus erigendo, & dedicando, in perpetuam Dei laudem. Verbum enim שום *ponere* subinde pro erigere, dedicare, monumentum sumitur: ut alibi observavimus ad Ps. L: 23. Jer. XI: 13. XXXI: 22. XXXII: 20. Interpretes varie instituunt, quos suo loco relinquo. Gejerus ad constructionem verbi שום *ponere* cum duobus accus. adtendens, vertit *ponite gloriam laudem ejus*, & interpretatur, *efficite, ut gloria*, seu glorioſissima, *sit laus ejus*. Qui minime facilis & elegans est sensus. Syrus reddidit: *canite honori laudis ejus*; qui legisse videtur שירו pro שימו, & קבוד pro כבוד in statu constructo: quæ non est spernenda lectio, *cum* quod titulo שיר מזמור respondeat; *tum* quod sensum egregium fundat, modo תהלה sumatur pro *splendore ex alto radiante*, & potentia Dei eminente ac coruscante: quæ propria est vocis notio, in *vibratione coruscante* sita *a*. Sed, ea notione admissa, recte quoque verbum שום *ponere* vel dedicare retinetur, ut sit, Deo ponere, vel dedicare gloriam eminentis ac coruscantis majestatis, uti modo, *gloriam nominis ejus* canere. In quo potius

a Vid. ad Ps. X: 3.

potius acquiesco, etiam quia in cantico Mosis Ex. XV: 11. *verendus* celebratur נורא *corusca* majestate.

§. IX. 2. Formula hymni in laudem Dei, ad quod officium populos excitaverat, quam iis præscribit, ita habet vers. 3, 4. *Dicite Deo: quam verendus es operibus tuis, in spissitate roboris tui abnegabunt se tibi hostes tui. Tota terra adorabunt te, & cantabunt tibi, cantabunt nomen tuum. Sela!* h. e. Hæc esto summa carminis, quod vobis modo canendum injunxi. Verendus & terribilis es, o Deus! summopere, & plusquam exprimi potest, in *operibus* tuis magnificis, quæ de summa & invincibili tua potentia testantur, quorum illustrissimum dedisti specimen, in hostibus populi tui prosternendis, & populo tuo vindicando: adeo ut hostes tui sese ad te convertere, seu majestatem tuam submisse, & cum abnegatione sui, revereri ac adorare, imo tota terra, seu orbis incolæ quaquaversum, coram te se incurvare, nomenque tuum magnificum in laudes tuas celebrare debeant; uti facient aliquando. Relegamus verba, & explicemus. *Dicite*, (scilicet cantando; quem usum verbum אמר subinde habet, de quo ad Ps. XXXV: 10. dixi, & alibi ad Ps. CXVIII. & Jer. XXXIII: 11. Mal. I: 5.) *Deo*, (non *de* Deo, ut alii, sed *Deo ipsi;* in ejus laudes, & animis ad Deum elevatis, ut mox vers. 4. *canite ipsi;* &, quod recte advertit Gejerus, sermo ad Deum vertitur in seq. Præterea Deo *nostro;* ut vers. 8. *benedicite populi Deo nostro:* absolute *Deus* adpellatur, quia, solus verus erat Deus,) *quam verendus operibus tuis in spissitate potentiæ tuæ*, (cohærent enim hæc verba, & ita, ut feci, vertenda sunt; כ per ellipsin in מעשיך intellecta ex sequentibus: ubi expresse occurrit. Littera illa subinde in prima voce reticetur, & in sequente exprimitur: ut observavi ad Mal. *a*. Alias reddi solet: *verendum*, pro *verenda opera tua*, *in multitudine*, seu propter eam, *potentiæ tuæ tibi mentientur hostes;* sed rectius נורא ad Deum refertur, ut mox vers. 6. & alibi Ps. LXVIII: 36. LXXVI. 8, 13. LXXXIX: 8.

a c. 11, §. 86.

Ex. xv: 11. & aliis in locis, ut recte notavit Gejerus, & *verendus* vertitur, proprie, *cui admiscitur* corpore vibrato; si ad primigeniam potestatem radicis ערץ *vibrari, tremulo q. motu agitari*, adtendas: cui apte respondet, quod sequitur, *se tibi abnegabunt hostes;* de quo mox. Praeterea sequentes voces, *in spissitate roboris tui*, construendae sunt, ut dixi, & sensus est, Deum esse tremendum *in operibus ejus, ac spissa potentia* per ea manifestata. Phrasis *in operibus in abundantia potentiae*, dicit, in operibus, quae de multa & summa potentia testantur: עב proprie *spissum* ac *densum concretum* denotat, inde multitudinem, copiam & abundantiam, uti *densum* Lat., *tenui* & *raro* oppositum, עז vero *valur invictum*, & omnia superans. Cujus respectu *verendus* recte adpellatur, ut facile patet, & quidem *summe verendus*; quod particula מה *quam verendus es*, indicat; praeterea gentibus, quae talis, injungitur *celebrandus*, quia illustrissimum dederat potentiae suae specimen in opere magnifico, quo Assyrios deleverat, & Judaeos liberaverat. Quo hic primo loco respicitur; de quo ad vers. 5tum.)

§. X. *Abnegabunt se tibi hostes tui*, (scilicet, Assyrii superstites, & alii qualescunque populi vicini, populo Dei hostiles, hoc potentiae tuae specimine absterriti, se tibi submittent, cupiditatibus suis renunciantes in gratiam tuam, sive vere, sive ficte & ex metu; quod verbo כחש non definitur. Phrasis, *negare Deo*, id enim כחש denotat, sensum etiam habet reciprocum, dicitque, *negare se Deo*, h. e. se abnegare in gratiam Dei; seu commoda sua Dei voluntati subjicere, sive vere, sive ficte; non enim *mentiri* dicit, ut putatur, sed *negare*, abnegare: de quo egi ad Ps. xviii: 45. & lxxxi: 16. Factum id est tempore Hizkiae; ut ex historia constat, 2 Chron. xxxii: 22, 23. fieri deberet ab omnibus; & fieret etiam aliquando. Quae omnia hic involuta sunt verbo fut. temp.) *Tota terra adorabunt te*, & *psallent nomen tuum*. (Quae eodem modo, quo superiora, intelligenda sunt, nec aliquid habent difficilis; tantum not. differentia

rentia inter *psallere tibi*, & *psallere nomen tuum*: prius est in laudem tuam, posterius materiam & argumentum psallendi, *nomen* scilicet Dei, comprehendit. Vid Ps. XLVII: 7.

§. XI. *b.* Ad hoc officium Deum Israelis celebrandi ut & sentirent obligatos, & magis excitarentur populi terræ, eos vocat ad contemplandum, ac prudenti animo considerandum in vero suo conspectu & consequentibus, *molimina* Dei ardua & mirabilia, in gratiam populi Dei nunc facta, vers. 5—7. quemadmodum Ps. XLVI: 9. quoque fit. Continet autem pericopa *a.* propositionem, vers. 5. *β.* ejus deductionem vers. 6, 7. *a.* Propositio, vers. 5. ita habet: *ite & videte molimina Dei verendi ardua opera, coram filiis hominum*, h. e. agite, ad animum revocate, & adtente in omni complexu suo considerate stupenda Dei, qui verendus & terribilis est in opere suo, molimina in conspectu totius terræ nunc facta. Respicitur manifeste ad opera Dei nunc effecta, in Assyriis prosternendis, ac populo Dei liberando: erant enim posita, ut *sent* & *viderent* ea, & eo quidem scopo, ut inde ad Deum celebrandum excitentur. Adpellantur מפעלות *molimina* Dei, h. e., vi & usu vocis, ardua, illustria & potentissima, facinora, de Dei majestate ac potentia testantia; qualia nunc ediderat in Assyriis delendis: Deum vero ipsum dicit esse נורא עלילה *verendum*, terribilem in opere arduo & magnifico, ut Deum, tanquam objectum metus & reverentiæ, ulterius ipsis ob oculos ponerat, & Deum, qua talem, nunc sese præstitisse inculcaret. Pertinent vero eæ voces ad *Deum*, quocum conferendæ sunt, ut in versione expressi. De voce עלילה, quæ ardua dicit facinora, repetitis vicibus velati exercitata, vid. Cl. Schultens *a*, ubi fuse de hac radice agit. Denique ultimæ voces, בני אדם, conjungendæ sunt cum primo membro, *videte molimina Dei*, intermediæ enim epitheton Dei, ut dixi, continent, & vertendæ sunt *coram filiis hominum*, ut ב fit pro מן; quæ vox מ facilius subintelligitur, quod per

a Orig. l. 1, c. 6.

per ſimilem כִּי, quæ ſequitur, fuit abſorpta. Sed ſubinde לִפְנֵי quoque abſolute pro *coram* ſumitur *). Indicatur, opera illa Dei fuiſſe *publica*, adeoque illuſtria, ut lucem quaquaverſum ſparſerint in oculos hominum.

§. XII. β. In *propoſitionis* deductione traditur illuſtris hujus moliminis verus conſpectus, in eo ſitus, quod antiquis Dei moliminibus, quibus populus ab Aegyptiorum oppreſſione vindicatus, et in Cananææ poſſeſſionem miraculoſe immiſſus erat, respondeat, & hoſtilium populorum ſubjectionem, ac populi ſtabilem felicitatem prænunciet, & tanquam in emblemate exhibeat. De quo conſpectu ſupra dixi. Huc exiſtimem tendere verba verſ. 6, 7. *Convertit mare in ſiccum, fluvium transibunt pede, ibi lætabimur in ipſo. Qui robore ſuo dominatur in perpetuum, gentes ſpeculabitur, refractarias illas, ne extollant ſe*, h. e. ſicut molimen Dei, nunc præſtitum, antiquo illi, quo populum per mare rubrum & Jordanem miraculoſe duxit, & hoſtes, tanquam potentiſſimus Dominus, adſpectu ſuo terruit ac protrivit, ſimillimum eſt, ita, cum dominator potentiſſimus ſit in æternum, haud abſimiliter populum ſuum potenter in poſterum vindicabit, & gentes refractarias, ne ſe extollant ſuperbe & hoſtiliter, reprimet. Verba arctificioſe & concinne ita ſunt compoſita, ut de præterito ſimul & futuro accipi debeant: alia enim in præt. occurrunt, alia in fut., ut de utroque tempore cogitaremus; adeoque præſens Dei molimen repræſentaretur, tanquam præterito ſimile, & futuri præludium. Conjungenda itaque ſunt præt. & fut., & verba ad utrumque tempus referenda, ut *vertit mare in ſiccum*, ſit, vertit, & vertet; *tranſibunt fluvium*, ſit transierunt & transibunt: quo etiam facit epitheton Dei, quod inſeritur, quo *dominator potentisſimus* adpellatur *in æternum*. Ceterum verſus ita ſunt diſpoſiti, ut *ſextus* contineat beneficium in populum Dei collatum, verſ. *ſeptimus* vindictam ab hoſtibus ſumtam. Relegamus, his præmiſſis, verba. *Convertit*

*) Nold. part. p. 551.

vertit mare in ſiccum, fluvium tranſibunt pede, ibi lætabimur in ipſo, h. e. mare & fluvium exſiccavit in gratiam populi ſui, tranſierunt per mare & fluvium pede ſuo, & ibi lætati ſumus, vel, *nos illi, qui tranſierunt, lætati ſumus.* Respici ad miraculoſam exſiccationem maris rubri, & Jordanis, populique per utrumque tranſitum, facile in oculos incurrit, & obſervatum jam eſt. Sed, præterquam quod præt. & fut. tempora misceantur, uti modo notavi, *duo*, minus etiam trita, adhuc obſervanda ſunt. 1. *Alterum* eſt, voces, elegantiæ cauſa diviſas, hac ratione eſſe concinnandas, acſi legeretur, *convertit mare & fluvium in ſiccum, tranſierunt per utrumque, ibi lætati ſumus.* Exſiccatio enim, ut & *tranſitus*, æque mari ac fluvio competit. 2. *Alterum* eſt, mutationem perſonæ tertiæ, *tranſibunt*, in primam, *lætabimur*, ex ſuppleto שׁם in *tranſibunt* eſſe explicandam; ut oratio plena ſit, *nos illi, qui tranſibunt, lætabimur.* Quales mutationes perſonarum, ea ratione explicandæ, ſatis frequentes ſunt. Habuimus exempla, Pſ. LX: 10, & LXII: 5. & alibi.

§. XII. Judicium Dei in populos improbos & hoſtiles, his verbis effertur, verſ. 7. *Dominator in robore in ſeculum: oculi ejus gentes ſpeculabuntur, refractarias illas, ne efferant ſe.* Reſpicitur quoque ad Aegyptios & Cananæos, oculo Dei minace in eos conjecto perterritos & proſtratos: quod de Aegyptiis, mari rubro immerſis, diſerte habetur Ex. XIV: 24. & de Cananæis inſinuatur, Joſ. X: 10. Ad ſtructuræ & verborum intellectum not. eſt. 1. In primo membro ſubintelligendum eſſe שׁר *qui*, cui reſpondet relativum *ejus* in phraſi, *oculi ejus;* ut ſermo hac ratione digeratur: *Ejus, qui dominatur —— oculi ——.* 2. Epitheton Dei, quo *dominator* adpellatur *in robore in ſeculum*, (id enim עולם pro לעולם hic denotat, ut notum eſt,) hic inſeritur, ut, quod Deus olim fecit, & nunc facere potuiſſe, ut fecit, & in poſterum facturum, cum ſit dominator potentiſſimus in perpetuum, ſignificaretur. Vocabula ſunt valde emphatica, משל in origine eſt, *preſſit, premente manu* tracta-

vit, unde inter alia ad *dominium* tranſſit ἀντοκρατορικὸν, & omnia penetrans; de quo vid Cl. Schultens *a*, ſic Pſ. CIII: 19. *regnum ejus* בכל משלה *in omnia vim inhibet effectricem illam.* Additur, emphaſios augendæ ergo, בגבורתו *in robore ſuo*, proprie vi prævalente, victrice & victorioſa. 2. Verbum יצה proprie eſt ἀνγάζειν *ſplendere*, & metonymice *oculo ſplendido luſtrare*, nitidiſſima acie inſpectare, adeoque *ſpeculari*, æque in bonum ac malum, ut Prov. XV: 3. *omni in loco oculi Jehovæ, ſpeculatores bonorum & malorum.* Hic in malum ſumitur, dicitque, e ſpecula captare, & ita alicui ex alto imminere: Pſ. XXXVII: 22. *ſpeculatorem agit improbus juſto*, & Job XV: 22. *captatus ille e ſpecula ad gladium*, h. e. *deſtrictus enſis ſuper impia cervice velut e ſpecula Dei imminet b.* Sed reſpicitur hic ſimul ad Dei ſpeculationem e columna nubis & ignis in exercitum Pharaonis in mari rubro, Exod. XIV: 24. ut modo notavi, & ſeſe facile commendat. 3. Epitheton המורים *refractarios illos* conſtruendum eſt cum עים *populis gentilibus*, quorum mentio modo erat facta, & eorum characteres ducit, quibus Deus acribus ſuis oculis ex alto imminet: ſicut olim fecit Aegyptiis, ita nunc in poſterum: quibus hoc epitheton apte convenit. Radix proprietatem habet in *ſciſſione*, ſeu ſiſſione cum acri ſonitu; & ex ſono ficta eſt. Hinc ad *refractarium*, protervum & contumacem, tranſiit מרה Deut. XXI: 18. qui ſanctiſſima vincula violenter perfringit, ut Pſ. II., & ſeſe Deo ac populo ejus præſtat protervum ac pervicacem; qualis olim fuit Aegyptius, nunc *Aſſyrius:* deinceps Syri, Judæi & gentiles Pſ. II. Denique 4. *ſcopus* ſpeculationis Dei in gentes protervas memoratur, his verbis: *ne efferant ſe;* ut reddi debent, ſcilicet ſuperbe & inſolenter agendo contra Deum & homines: uti Pharao & Senacheribus, aliique fecerunt: quod nemini non conſtat.

§. XIII. β. Alterum officium, quod gentibus injungit una cum ejus ratione, his verbis profertur; verſ. 8, 9. *Benedicite populi Deo noſtro, & audiri facite vocem laudis*

a Ad Prov. I: 1. *b* Id. ib. & c. XXVI: 23. *ejus:*

ejus: *qui inpreſſit animam noſtram in coagmentationes, nec tradidit pedem noſtrum lapſui*, h. e. laudationi & celebrationi Dei, quam vobis præcepi, adjungite ſubmiſſam reverentiam, & gratiarum actionem, omnibus modis & ſignis demonſtratam, propterea quod nos a morte & lapſu liberavit, & vitam noſtram reddidit firmam & felicem. Adloquitur non Judæos, ut nonnulli putant, ſed Gentiles, uti ſupra, ſe enim & populum Dei ab iis diſtinguit, cum *Deum noſtrum* dicit, quem a populis vult honorari. Injungit ipſis *benedictionem* Dei, & laudis ejus publicum præconium; adeoque ſubmiſſam adorationem, venerationem, & gratiarum actionem, omnibus ſignis, in ſpecie donis & muneribus, Deo oblatis demonſtratam. Radix ברך proprie dicit *plicare*; unde ad *genu* maxime plicatile ductum cum nova virtute *genuplicandi*, inde pro *reverentia* ſeu adoratione, in genu flexione demonſtrata, nec non fauſta comprecatione & benedictione, ſive *ore*, ſive donis & muneribus, quæ nomine ברכה veniunt, &c. Quo officio ut gentes defungantur vult, ut olim regina Sabæa, 1 Reg. x. & Hiram rex Tyriorum, Salomone rege facto, fecerunt; & populi vicini quoque tempore Hiskiæ, 2 Chron. xxxii: 23. facerent etiam poſtea, maxime ſub Meſſia. Rationem moventem adhortationis derivat a *miraculoſa* liberatione, populo Dei conceſſa, his verbis: *qui inpreſſit animam noſtram in coagmentationes vitales*, (h. e. vitam noſtram, & reip. noſtræ, conſervavit non tantum, ſed & firmam reddidit, ac prosperam. Selecta eſt & emphatica locutio, non niſi ex vocabulorum vera emphaſi intelligenda. *Anima* eſt *vita*, uti notum, verbum שים eſt *ponere*, *imponere*, & *inprimere*, vox מיסרת ſignificat proprie *coagmentationes*, *compactiones* in unum; adeoque illas facultates & virtutes, quibus natura continetur, & firma redditur. Sic Job x: 1. *dirupta crepat anima mea in coagmentationibus meis*, h. e. onere mihi incumbente gravor, ut diffiliam, absque ut exſpirare queam propter *coagmentationes vitæ* firmatas,) *nec permiſit*, aut tradidit, *nutationi*,

aut lapſui, *pedem noſtrum*, (tantum abeſt, ut nos perire ſiverit, ut firmaverit nos. Quæ nihil habent difficilis.)

§. XIV. 2. Flectit dein ſermonem ad ſe ipſum, & firmum ſuum propoſitum, nunc exſequendum, declarat, Deum pro beneficio liberationis, ſibi & populo conceſſo, publice celebrandi per ſacrificia legitima, verſ. 10—15. In qua pericopa *α.* beneficium recenſetur, verſ. 10—12, *β.* cultus Deo propterea deferendus, verſ. 13—15. *α.* In benificio explicando *a.* ſtatum adflictum prolixe & emphatice proponit verſ. 10—12. *b.* ipſam liberationem memorat, verſ. 12. in fin. *a.* In ſtatu adflicto repræſentando hoc ordine verſatur, ut 1. verum ejus conſpectum tradat, verſ. 10. 2. ipſam adflictionem vivide depingat, verſ. 11, 12. 3. omnia ſummatim recolligat, verſ. 12. in ſecundo ejus membro. 1. Verum conſpectum & ſcopum præmittit, ut de gravi adflictione populi ſanum feratur judicium, his verbis: verſ. 10. *Quia probaſti nos, o Deus! conflaſti nos ſicut conflare argentum*, ſeu ſicut conflare ſolet, aut conflat conflator ſive aurifex, ſubintellecto צורף, aut quis alius. Ita enim infinit. צרף recte reſolvitur; ut ab aliis, & Gatakero, jam eſt obſervatum. Poſſet etiam infinit. pro *nomine verbali* ſumi, ut paſſim apud Arab., & verti, *ſecundum conflationem.* Sermo vertitur ad Deum, cui ſeſe directe ad grati animi teſtificationem obſtringit. Incipit autem ſermo cum כי *quia*, quæ particula cum verſ. 13. *intrabo domum tuam cum holocauſto*, &c. connectenda eſt, ut ratio detur, quare Deum publico hocce cultu honoraret; *quia* Deus populum ex ſumma adflictione liberaverat: ut in fin. verſ. 12. habetur: quo illud כי *quia* directe pertinet. Non enim gratias agere vult, quod Deus populum anguſtiis adfecerat, ſed quod anguſtiis preſſum eduxerat in ſtatum liberum & prosperum: ut ſenſus ſit: *quia cum nos probaveris;* &c. *eduxiſti nos*, ſicut Jeſ. XII: 1. *Celebro te, Jehova, quia iratus fuiſti mihi, reſedit naſus tuus, & conſolatus es me*, h. e. *quia, cum iratus fueris, reſedit*, &c. ubi Vid. Cl. Vitringa,

tringa, qui locum Matth. XI: 25. apte contulit. Addo Rom. VI: 17. *Grates Deo: quod fuiſtis ſervi peccati, obedivisſtis autem* &c. pro, *quod, cum fueritis ſervi, obediiſtis*, nec non Pſ. LXXI: 20. Tradit autem, ut dixi, hoc verſu verum conſpectum & ſcopum adflictionis, in eo ſitum, quod populus Judæus reſpectu fidei & ſpei ac fiduciæ ſuæ in Jehovam fuerit exploratus, ſimul a *ſcoriis*, ſeu peccatis & peccatoribus, qui detecti & proſtituti ſunt, *purgatus* quodammodo. Eo collineavit adflictio Aſſyriaca ſub Senacheribo, eaque ratione fuit inſtituta, ut eum finem producere apta fuerit, cum populus ſub pio rege in tantas fuerit conjectus calamitates, & Jehova publice fuerit diffamatus ab Aſſyrio, populus etiam omni modo per eum excitatus ad Deum verum deſerendum per minas & promiſſa, ſimul actum videretur de rep., ſola Hieroſolyma ſuperſtite, & arctiſſime obſeſſa: quæ graviſſima erat *tentatio:* habuit quoque hæc adflictio ex parte hunc effectum; perſtitit populus in fide & religione Dei, et liberatus mirabiliter magis eſt confirmatus, ſimul ab occulta idololatria, et vana in hominibus fiducia, aliisque peccatis purgatus. De quo egregius exſtat locus, Jeſ. XXXI: 6, 7. de hoc eodem tempore et caſu agens; *revertimini pro eo ac profundam fecerunt receſſionem filii Israelis. Quia illo die ſpernet quisque idola ſua argentea & idola ſua aurea, quæ manus veſtræ vobis fecerunt, peccatum.* Ubi in ſeq. etiam de reformatione Eccleſiæ, inde orta, et impiorum confuſione, agitur. De quibus omnibus legendus eſt Cl. Vitringa ad l. c. Solet quoque emblema *conflationis* ad populum Judæum adplicari in exilio Babylonico, Jeſ. I: 25. XLVIII: 10. In phraſibus nihil eſt difficilis, utique quod noſtra indiget opera.

§. XV. 2. Statum adflictionis et angu[illegible]iarum per hoſtem his verbis depingit, verſ. 11. *Intrare nos feciſti in arcem tanquam rete, impreſſiſti preſſuram arctisſimam in lumbos noſtros; inequitare feciſti hominem capiti noſtro*, h. e. de loco munitiſſimo noſtro feciſti rete, quo arctiſſime ſu-

mus conſtricti, et coarctati, ut nullum ſupereſſet effugium; nosque inſuper tradidiſti publicæ, et ignominioſæ, inſultationi hominis, per ſe imbecillis, qui nobiliſſimæ noſtræ parti, Deo et religioni ac liberati et ſaluti noſtræ, acerbe conviciatus eſt, nosque tanquam viliſſima jumenta tractavit. Quæ quam aptiſſime in adflictionem Aſſyriacam per Senacheribum quadrent, facile intelligitur. Conf. Jeſ. XXXVII: 13. ubi Hiskias eodem fere modo hac de re loquitur. Percurramus verba, & iis lucem fœneremur. *Adduxiſti nos*, (intrare nos feciſti, quod eſt בוא *introire*, oppoſite ad foras, Hoſ. VII: 2. Pſ. XXVI: 4.) *in munitionem tanquam rete*, (in arcem noſtram, alias munitiſſimam, nos concluſiſti, tanquam in *rete*; ut nullus pateat exitus. Hieroſolymæ arctiſſima obſidio depingitur, quæ populum tanquam *rete* tenuit concluſum, præ hoſte, undiquaque premente. Exſerit enim מצודה duplicem ſuam vim, & *arcis* & *laquei*. Radices צוד & צור ejusdem ſunt originis, in *unco*, *aduncо*, *recurvo ad unguem*; unde צוד *venari*, Lat. *inuncare*, q. d. unco adacto capere, ſeu piscem, ſeu feram, מצד vero transiit ad cacucumina montium, rupium, *unca aduncа*, prærupta, & ita inacceſſa: adeoque מצודה, quæ a צור æque ac מצד derivari poteſt, & *arcem* præruptam, & *rete* venatorium denotat. Quæ utraque ſignificatio hic locum habet, & ſtudio captata eſt hæc ambiguitas, ut de *arce* nunc in *rete* commutata cogitaremus. Quod in rem præſentem eſt aptiſſimum. Indicatur enim hac voce, Judæos arcem ſuam nunc tenuiſſe tanquam *rete*, quo concluſi ſunt ab hoſte: uti tempore Senacheribi & Hiskiæ factum eſt. Accedit, Tſionem κατ' ἐξοχήν adpellari ſolere מצודה *munitionem*, *arcem*. Comparatio cum *rete* etiam de hoc caſu adhibetur, Pſ. CXXIV: 7.) *impreſſiſti preſſuram in lumbos noſtros*, (feciſti, ut preſſura noſtros lumbos arctiſſime ſtrinxerit, adeo ut inſtar feræ coarctatæ & conſtrictæ nusquam exitus pateret. Radix עוק, cui respondet צוק, adfert gravem & arctam preſſuram, ad eliſionem usque. Sic Hoſ. I: 15. Jeſ. XXXVII: 3. יום צרה *diem arctationis ſtringentis* adpellat; & comparat

comparat cum *parturiente*, vi nitendi carente, quæ est *lumborum* arctissima constrictio,) *inequitare fecisti hominem capiti nostro*, insultare fecisti hostem metropoli, & prærogativæ, nostræ, qua populus tuus peculiaris sumus, simul vitæ & libertati nostræ. Qui est *capitis* emblematicus conspectus. *Inequitare capiti* est, *tum* ei imminere, & potestati suæ subjectum censere, *tum* insultare alicui, sicut pro *contumelia* quoque usurpatur apud Lat., ut *inequitare philosophiæ* apud Macrobium, quod jam adtulit Clericus, tum denique *se insolenter jactare*, uti apud Cic. [a] *jactabit se & in his equitabit equuleis*, & Horat. [b]. *Vectabor humeris tunc ego inimicis eques. Meæque terra cedet insolentiæ.* De qua *insultatione* & insectatione contumeliosa per Senacheribum & Rabsacen satis constat ex historia. Epitheton אנוש *hominis* eandem hic emphasia habet, quam Ps. IX: 21. X: 18. & ibi exposui. Chald. vertens מרי מוחיתא *dominum increpationis*, rem expressit, & tyrannum, durumve dominum, intellexit; non aliter legit, multo minus עגוש, uti putat & præfert Haubigant, *exactorem* reddens; quod æque ab Hebr. עגש ac Chald. זוף, vel נזף abhorret. Exactor Hebr. est גנש, & עגש proprie *torquere* adhibita violentia, *extorquere*, inde *mulctare* denotat, Chald. זוף est *mutuo accipere*, נזף vero *increpare*, cui hic locus dandus est. Quod vero addit Criticus, *imponere hominem super capita nostra*, *quid significet*, *nec ullo exemplo docemur*, *nec intelligimus*, ex modo dictis facile solvitur.

§. XVI. 3. Sequitur summaria omnium repetitio & conclusio, his verbis: vers. 12, *intravimus ignem & aquas*, h. e. in summum venimus & præsentissimum Reip., Ecclesiæ & vitæ, discrimen; probati sumus per tentationem & adflictionem, instar *ignis*, & ab exercitibus hostilibus invasi sumus, ac prope absorpti, instar *aquarum*. Quæ omnia per Senacheribum evenerunt Judæis sub Hiskia: ut modo vidimus. Phrasis vero *generalem* habet & *specialem* intellectum; in genere summum

[a] In Verr. l. IV. c. 20. [b] Epod. XVII, vers. 74.

ſummum periculum exprimit, ſed in ſpecie duplicis generis adflictionem, & fidei ac religionis reſpectu per adflictionem urentem & explorantem, & reip. ac civitatis per hoſtiles invaſiones; *prior* per *ignem*, *poſterior* per *aquam* depingitur; ſicut etiam fit Jeſ. XLIII: 2. ubi vid. Cl. Vitringa; qui nobis nihil reliquit hac parte obſervandum, niſi hoc unum, in *igni* reſpici ad *probationem & explorationem conflantem*, verſ. 10. memoratam, et aquarum inundationem quoque huic caſui adplicari Jeſ. VIII: 7, 8. & Pſ. CXXIV.

§. XVII. *b.* Ipſa liberatio, quæ ſubjungitur, his paucis verbis comprehenſa eſt; *& eduxiſti nos*, (emicare nos feciſti; ſecundum propriam verbi יצא *emicuit ignis* poteſtatem, & uſum peculiarem de *exitu* in libertatem & felicitatem, Ex. XII: 31. 2 Reg. X: 25. Ez. XV: 7. Quo etiam facit uſus, quo *lætitiam & pompam* adfert Ex. XV: 20. Jud. XI: 31, 34. Quod utrumque hic locum habet, ut & Mich. IV: 10. ubi de hac eadem re agitur,) לרויה *in irrigationem*, ſtatum jucundum et abundantem, oppoſite ad *ignem* urentem, et *aquas* inundantes. Vox teritur in irriguo et potu expleto: ſed Græci verterunt εἰς ἀναψυχήν, ἀνάπαυσιν, παρεμυθίαν, vel ἐυρυχωρίαν. Videntur legiſſe לרוחה, uti quoque Chald. et Syr. Quod ſpernendum non eſt. Radix רוח teritur, a vento רוח arrepta anſa, in flando, perflando, unde ad *laxa* ſpatia, q. d. *perflabilia*, ad recreationem, et reſpirationem, transfertur. Opponitur itaque *anguſtiis*, modo memoratis. Nihil definio.)

§. XVIII. β. Beneficio deſcripto, gratitudinem ſuam, publice in Templo, per cultum lege præſcriptum, demonſtrandam, apte ſubjungit, verſ. 13—15. *Intrabo domum tuam per adſcenſiones; ſolvam tibi vota mea, quæ ruperunt labia mea & pronunciavit os meum, cum mihi erat anguſtum. Holocauſta medullata offeram tibi cum nidore arietum; faciam bŏves cum bircis. Selah!* h. e. magna cum pompa, ut gratum meum animum demonſtrem, et vota mea, in anguſtia ſolenniter nuncupata, exſolvam, intrabo domum tuam,

ſibi

& optima quævis ſacrificia tibi offeram. Beneficium licet ſibi & populo conceſſum in plur. memoraſſet, de ſe tamen in ſing. loquitur, qui vota ſolenniter ſolveret, non tam quod de populo hac parte minus bene ſentiret, quam quod ipſe, tanquam rex & ductor, præiret, & pompam duceret: quod in Hiskiam recte convenit. Nec de qualicunque oblatione, quotidie facienda, hic agit, ſed ſolenni, pompatica, feſtiva, mox poſt miraculoſam liberationem, in ejus ſignum, inſtituenda. Quo ſicut votorum nuncupatorum ſolutio, & optimarum victimarum mentio nos ducit, ita phraſis, *intrabo domum tuam per adſcenſiones*, manifeſte tendit. *Intrare* enim eſt pompatice, & ſplendide, ut in feſtis & lætis diebus, domum Dei adire; ut Pſ. CXVIII: 19. *aperite mihi portas juſtitiæ, intrabo per eas, laudabo Jah*, nec non Pſ. XXIV: 7, 9. & alibi. Intrare vero בעלות eſt *adſcenſionibus* glorioſis, & pompaticis per regias illas adſcenſiones adſcendere in Templum. Respicitur ad עלות *adſcenſiones* Salomonis in Templum, 1 Reg. XI: 5. & alibi memoratas: occurrit etiam vox עלות eo ſenſu, Ez. XL: 26. alias מעלות adpellantur *gradus*, quibus adſcenditur: ſed ſimul pompaticus, & glorioſus ac lætus, adſcenſus in Templum hac voce ſignificatur; quemadmodum titulus *Pſalmorum* המעלות etiam involvit. *Vidiſſe* videtur hunc ſenſum Syr., qui vertit: *veniam ad domum tuam cum decore.* Interpretes communiter alias reddiderunt *cum holocauſtis*; quod ferri nequit, *cum* quod emphaſi careat, *venire* in domum Dei *cum holocauſtis*, quæ non adducebantur ab offerentibus, ſed ibi tantum offerebantur, *tum* quod mox demum oblatio holocauſtorum memoretur. Reliqua vix noſtra indigent opera. Tantum not. 1. verba verſ. 14. ita eſſe intelligenda, acſi legeretur, *quæ labiis meis effractis pronunciavit os meum.* Verba, *aperuerunt labia, & prolocutum eſt os meum*, ita cohærent, ut prius modum poſterioris declaret; quod ſatis eſt uſitatum. *Labiorum apertorum* fit expreſſa mentio, ut *vota* indicaretur fuiſſe nuncupata magno cum impetu animi, & in ſtatu

neceſſitatis ac anguſtiarum; ita ut *labia* q. fuerint *perfracta*, & late aperta. Radix enim נתס complectitur poteſtatem aliquid *aperiendi violentius*, ut ſit, *patefacere* cum *effractione*, quod Lat. dicitur, *rumpere labia*. 2. Vox משח non dicit hoc loco *fuffitum*, ſed *nidorem*, ſeu carnis adipoſæ ſtillationem, cum *arietibus* adplicetur: quem uſum alibi habet. De quo dixi ad Mal. I: 11, & ex primigenia verbi שח poteſtate *ſtillandi*, *guttatim fluendi*, illuſtravi. 3. Tralaticium eſt, verbo עשׂי *facere* exprimi oblationem, uti quoque Ex. XXIX: 39. Ez. XLVI: 2. & alibi, Gr. quoque ποιῶν ῥέζειν, & Lat. *facere* a. Ceterum de ſolenni hac Hizkiæ adſcenſione ad domum Jehovæ ſermo quoque fit Jeſ. XXXVIII: 22.

§. XIX. *Poſteriore* Pſ. parte liberationi publicæ & communi adjungit privatam, quæ ſibi ſpeciatim, & eo ipſo tempore, contigerat, quam itaque apte ſuperiori adnectit, & eo ſcopo memorat, ut pietatis veræ & ſinceræ fructus demonſtretur in uſum piorum, qui inde diſcere poſſent, Deo in omnibus fidendum eſſe, & pietati ſevere incumbendum ac conſtanter. Qui verus conſpectus & ſcopus eſt pericopæ, verſ. 16—20. Cujus ſunt ſequentes partes. א. In *prima* omnes timentes Jehovæ convocat, ut beneficii Dei, in ſe collati, commemorationem audiant, verſ. 16. *Ite*, vel agite, *audite*, & *narrabo*, *o omnes timentes Dei! quod animæ meæ fecit*, h. e. Vos omnes, qui Dei eſtis amantes & reverentes, qualescunque ſitis, & ubicunque, ad me accedite, & audite me diſtincte & ordine narrantem ingens illud Dei beneficium, quo *animæ* ſeu vitæ meæ conſervandæ, & reſtituendæ, ſuccurrit mirabiliter. Loquitur in ſing. perſ. de *ſe*, adeoque de bono ſibi ſpeciatim facto, cum ſupra in plur. de bono communi fuiſſet locutus; agit de bono in *animam* ſuam collato, adeoque *vitæ* ſuæ, quæ per animam intelligi ſolet, reſpectu, quo ea fuit reſtituta. Indicat autem,

a Vid. la Cerda ad Virg. ecl. III. p. 60. & Joh. Bochius ad h. l. & Caſaub. ad Athen. l. XIV. c. 23.

tem, singulare fuisse & miraculosum, quod sibi hac parte concessum erat; dignum quippe, quod ad omnium notitiam perveniat. Denique *pietatis* & reverentiæ Dei fructum & remunerationem in eo conspici innuit; adeo ut *reverentes* Dei illud maxime audire, & ad animum revocare, deberent. Quæ omnia quam apte in Hizkiam, miraculose sanatum, conveniant, ut demonstrem, opus non est. Interpretes, qui in hac pericopa rem acu non tetigerunt, lubens mitto.

§. XX. 3. Secunda pars continet mutationem status, quo de clamante factus est glorificans & exaltans Deum, adeoque sibi precanti beneficium esse concessum indicat, vers. 17. *Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltatio est sub lingua mea*, h. e. Deum in angustiis meis invocavi ardenter, & nunc indesinenter, ac cum delectatione, ipsum exalto, ac celebro. Indicat Deum *precibus* suis tantum tribuisse, ut se liberaverit, & materiam in Deo gloriandi, eumque laudandi, præbuerit, denique se ad Deum propterea glorificandum paratum esse, adeoque pios ad se accedere debere, ut beneficium Dei enarraturos audiant. Hac ratione oratio cohæret, & hic verborum sensus est & scopus. *Prius* membrum, *ad ipsum ore meo clamavi*, pertinet ad statum angustiarum præteritum, & preces ejus in eo officium, quo opem Dei ardenter imploravit. Nec otiosum est, quod expresse addat, *ore meo*; significat enim se non tantum corde, & gemitibus occultis, sed & clara voce id fecisse, imo magna cum fiducia, *ore aperto*, quod ejus est indicium. Hizkiam autem id peregisse tempore morbi, notum est, vid. Jes. XXXVIII 2. 3. 14. *Posterius* vero membrum ad præsentem ejus statum pertinet, & propositum Dei celebrandi pro beneficio concesso repræsentat, his verbis: *& exaltatio sub lingua mea*, h. e. et nunc exaltatio Dei, meique status gloriosi enarratio, indesinenter & tanquam viva vena ex ore meo magna cum delectatione erumpit. Opponitur hæc exaltatio *sub lingua clamori* modo memorato, adeoque, & hic est

pro *at*, *ſed*, & ſubintelligitur עתה *nunc*. Vox רומם, non enim verbum, ſed nomen eſt, cujus plur. רוממות *exaltationes* occurrit, Pſ. CXLIX: 6., abſolute poſita & ad loquentem & ad Deum referri poteſt, hic recte ad utrumque; ut ſit, *exaltatio mea* ad Dei gloriam, adeoque quæ Dei eſt exaltatio: ſic רוממות אל *exaltationes Dei in gutture ipſorum*, Pſ. l. c. Chald. itaque recte per *laudem Dei* vertit. Hæc exaltatio dicitur *ſub lingua eſſe*, ut ſignificetur, eam palato eſſe dulcem, ſeu animo gratam, nec non indeſinente vena ex ore erumpere *a*. Videtur enim locutio eſſe formularia, qua *ſub lingua* eſſe dicitur verbum, quod viva vena inde erumpit indeſinenter. Vicina eſt phraſis, Pſ. CXLIX. 6. *exaltationes Dei in gutture ipſorum*, adeoque *ſub lingua*. In quo ſi acquiesci nequeat, nihil ſupereſt, quam ut תחת pro tert. fut. fœm. verbi חות, vel חית habeatur & vertatur; *exaltationem*, vel exaltatione, *clanget lingua mea*. Radix, Arab. nota, denotat *clanxit*, & de ſtrepero ſonitu alarum, in ſpecie aquilæ, adhibetur, in prædam irruentis, unde *iiminere*, in prædam impetuoſe ruere, dicit, & in ipſis reliquiis linguæ Biblicis reperitur, Hab. II: 17. uti obſervavit Cl. Schultens *b*. Ceterum conf. de Hizkia ſanato Jeſ. XXXVIII: 19, 20.

§. XXI. 2. *Tertia* pars exauditionem precum pro liberatione repræſentat tanquam *pietatis* fructum, eo ſcopo, ut pii & timentes Dei in pietatis ſtudio confirmarentur, & ſpe ac fiducia replerentur, verſ. 18, 19. *Inanitatem ſi vidi in corde meo, non audiret Deus; profecto audivit Deus, adtendit vocem precationis meæ*, h. e. cum Deus me clamantem exaudiverit, & tam glorioſe liberaverit, pietas mea ſicut clare eluxit, ita pietati illuſtre dedit teſtimonium ad piorum inſtructionem & conſolationem. Eſt enim indubium, Deum me non exauditurum fuiſſe, ſi inanitatem aut iniquitatem in animo meo deprehendiſſem, aut foviſſem. Nihil hic notandum ſupereſt, cum ex dictis ſenſus, ejusque veritas, facile patescat, præter ſingularem phraſin, *ſi vidi inanitatem* aut *iniquitatem in corde meo*. Vox און, cujus primaria notio

a Conf. ad Pſ. X: 7. *b* Gr. p. 427.

notio eſt *vacuitatis*, *inanitatis*, & tranſitive, *inanem* reddentis, & exhaurientis, denotat & vacuitatem boni & ſcelus, quo alius omni bono privatur *a*. Utrumque hic locum invenire poteſt, ut ſignificetur, nec boni moralis vacuitatem, nec flagitium, alios exhauriens, crucians, in *corde* ejus fuiſſe, adeo ut nec patraverit, nec propoſitum faciendi habeat, ſed purus ſit *manibus* & *corde*, Pſ. XXIV. Singulare eſt, quod non dixit, *Deum non vidiſſe tale quid in corde ſuo*, ſed, *ſe non vidiſſe*. Inanitatem, inquit, *ſi vidi in corde meo*. Videtur provocare ad bonam conſcientiam, qua nixus ad Deum clamavit, & ejus etiam teſtimonium a Deo accepiſſe indicatum velle; ut ſenſus ſit, *ſi vidiſſem tale quid in corde meo*, ſi mihi ejusmodi ſceleris patrati, aut propoſiti, conſcius fuiſſem, ad Deum cum fiducia non auſus fuiſſem clamare; & ſi fuiſſem, a Deo non fuiſſem exauditus: feci vero, & Deus adnuit, indicio puritatis & innocentiæ meæ manifeſto.

§. XXII. ר. Finit tandem, & aptiſſime, in *benedictione Dei*, verſ. 20. *Benedictus* ſit *Deus*, *qui non removit precationem meam* a ſe, *& benignitatem ſuam a me*, h. e. Laudes ſint Deo & grates, qui a facie ſua non repulit preces meas, nec a facie mea, aut a mecum, gratiam & benignitatem ſuam, ſed me precantem exaudivit, & liberationem gratuitam conceſſit. *Nihil hic obſcuri*; modo notetur ellipſis in priore membro vocis מאתו *a ſe*, aut ſimilis; quæ requiritur, ut utrumque membrum cum verbo הסיר *removit* rite conſtruatur.

a Vid. ad Pſ. X. 7.

PSALM.

PSALM. LXVII.

1. *Præfecto pulſatilium Pſalmus canticum.*
2. *Deus gratiam nobis faciet, & benedicet nobis: ſplendere faciet vultum ſuum nobiscum,* Sela!
3. *Ad cognoscere in terra viam tuam, inter omnes gentes ſalutem tuam,*
4. *Celebrabunt Te populi o Deus! celebrabunt Te populi omnes.*
5. *Lætabuntur & tinnient nationes, quia, & quando, judicabis populos in æquitate, & nationes in terra dirriges.* Sela!
6. *Celebrabunt Te, o Deus! populi, celebrabunt Te populi omnes.*
7. *Terra dedit proventum ſuum, benedicet nobis Deus, Deus noſter.*
8. *Benedicet nobis Deus, & timebunt ipſum omnes fines terræ.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum brevis quidem, ſed præclari, & profundi ſenſus, cantici eſt votum propheticum, ardente cum adfectu & certa fiducia prolatum a populo Judæo, ſeu piis de eo, pro gratuita Dei benedictione, & faciei ejus illuſtratione

tione ſuper populo, nec non pro omnium per orbem populorum illuminatione ad cognitionem viæ Dei & ſalutis ejus, ac lætitia ſuper æquo & benevolo Dei regimine, & quiete ac prosperitate orbi conceſſa, indeque oriunda publica Dei per orbem celebratione & gratiarum actione; *votum* vero propheticum ex ſingulari fertilitate terræ, qua populus Judæus mactatus erat, eductum, & promiſſo benedictionis populi, a Deo ſolenniter facto, firmatum. Incipit poeta a voto benedictionis Dei ſuper populo Dei, ſermone de Deo in tertia perſona prolato. Dein ſeſe ad Deum vertit, & ipſum adlocutus vota, ſpiritu prophetico ductus, expromit pro celebratione Dei per orbem ab omnibus populis ſuper cognitione viæ Dei & ſalutis, nec non æqua gubernatione & prosperitate, cum orbe communicata. Denique *occaſionem* hujus voti exponit, in mirabili terræ Judææ fertilitate, & promiſſa benedictione, ſitam, & in voto benedictionis repetito, ac reverentiæ & timoris Dei per orbem, aptiſſime finit.

§. II. Verum loquentium, eorumque ſtatus, conſpectum ſequentes pandunt characteres, in Pſ., adtente conſiderato, obvii. 1. *Primus* eſt, loquentes eſſe Judæos; quia ſe a gentibus manifeſte diſtinguunt, & in voto pro ſe concepto respiciunt ad ſacerdotalem benedictionem, qua nomen Dei poni ſolebat ſuper Israele, Num. VI: 24. 2. *Secundus* eſt, populo ſingulare beneficium ſalutis fuiſſe conceſſum, & in læta ac prospera conditione, cum æquâ regiminis forma fuiſſe conſtitutum. Cujus indicium eſt *cum* in mentione viæ Dei, & ejus ſalutis, quæ Gentibus notificata materiam celebrationis Dei præberet, & rationem moventem, verſ. 3, 4. *tum* in commemoratione æquæ Dei gubernationis & tranquillitatis ac felicitatis, cujus & gentes per orbem forent participes, verſ. 5. Gentes quidem introducit ſuper ea re, tanquam bono ſuo, lætaturas, ſed, populum Dei nunc ejusmodi bono gaudere, innuit, & inde occaſionem repetit, de gentibus illud prædicendi; ſeu digitum ad populi Dei ſimilem

milem ſtatum præſentem intendit: de quo poſtea. 3. *Tertius* eſt, probe advertendus, ſingularem terræ fertilitatem populo hoc tempore fuiſſe conceſſam, cum promiſſo benedictionis, quæ pro ſigno & pignore felicitatis, quam hic vovent, & ſibi promittunt, haberi debeat, & poſſit, verſ. 7. Hoc enim ſcopo memorant *proventum terræ uberem*, tanquam jam factum: cujus alia reddi nequit ratio aptior, ut poſtea videbimus; & *benedictionem* ſuam futuram proferunt tanquam promiſſam, in qua fundant mox votum pro ea verſ. 8. Qua ratione repetitio benedictionis recte exponitur.

§. III. Ex quibus criteriis ſi de *tempore* & *occaſione* Pſ. ſit judicandum, uti oportet, cum de *autore* & *tempore* nihil ſit adnotatum, nullum ſe nobis aptius & adcommodatius offert, quam quo, Aſſyrio miraculoſe proſtrato, & populo Judæo liberato, resp. Judaica inſigniter eſt inſtaurata, reformata & prosperrima facta, adeo ut a populis quaquaverſum etiam fuerit honorata, & in laudes Dei celebrata. Quam hypotheſin præterea commendat arcta cum ſuperiore Pſ. conjunctio, & ſimilium odarum, XLVI, LXXVI, LXXXVII, & aliarum, hujus quoque temporis, collatio: ſed ingens ei accedit momentum ex *tertio* charactere; huic tempori eo, quo hic venit, conſpectu unice proprio; cum ſignum liberandi populi, & prosperitate mactandi, fuerit hoc ipſum a Deo per prophetam datum, Jeſ. XXXVII: 30. *Et hoc tibi erit ſignum: comedite hoc anno ſponte natum, & anno altero ſponte renatum: anno autem tertio ſerite & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.* Hoc ſignum grati agnoscunt & celebrant repræſentatum, cum dicunt in præt. verſ. 7. *terra dedit proventum ſuum.* Accedit ibid., cum additur, *benedicet nobis Deus, Deus noſter*, respici ad promiſſum, quod apud Jeſ. l. c. ſequitur: *& perget reſiduum Judæ, quod reliquum factum fuerit, radices mittere deorſum & fructus facere ſurſum.* De quo deinceps. Hoc criterium inprimis fecit, quominus de tempore Salomonis, aut Joh. Hyrcani

Hyrcani Maccabæi, quod utrumque in argumentum Pſ. ceteroquin non male quadraret, cogitandum eſſe cenſeam. *Pſalmum* itaque exiſtimaverim compoſitum poſt remp. liberatam, & in meliorem formam redditam ſub Hizkia, cum terra, per Aſſyrium deſolata, & ipſo illo anno ſponte produxiſſet fructus, & anno ſeq., ſive Sabbatico, denuo; denique anno tertio ſata & culta uberrimos dederat fructus; *ſignum* itaque, a Deo poſitum, implementum eſſet nactum; quo verſ. 7., ut dixi, reſpicitur. Quod ipſum tempus *occaſionem* præbuit aptiſſimam *canticum* canendi, quo votum ſuum pro *benedictionis* uberiore implemento, & Gentium ad Deum converſione, expromant.

§. IV. *Scopus* Pſ. eſt, ut ex dictis facile patet, 1. populo liberato & inſtaurato formulam in manus tradere, qua vota ſua pro reip. & Eccleſiæ conſervatione, multiplicatione, proſperitate, & celebratione Dei inter gentes, ſuo tempore futura, exponat, 2. pios in hac fide & ſpe confirmare, & 3. regni Dei per orbem propagationem, ſecuturis temporibus, poſt exſilium Babylonicum, & calamitatem Epiphanicam, inprimis ſub Meſſia, futuram, prophetice repræſentare; cujus eventus emblema & typus erat in mirabili Judæorum liberatione ab Aſſyriis, & rerum felici inſtauratione ſub Hizkia, uti ad Pſ. præcedentem vidimus. Ex quo de *uſu* Pſ. per omnia tempora facile conſtat; ſimul quam dignus ſit, qui *præcentori*, ſeu *præfecto pulſatilium*, quæ vocis נגינת ſignificatio eſt, de quo ad Pſ. IV. dixi, commendetur.

§. V. In Pſ. *ſtructura* nihil ſingulare eſt, niſi quod in *principio* & *fine*, quo vota exponuntur pro populi Judæi felicitate, ſermo fiat de Deo, ſed *intermedia*, quæ ad celebrationem Dei per orbem inter omnes populos pertinent, per adloquium ad Deum proferantur; cujus diverſitatis alia mihi non patet ratio, quam quod *intermedia* conſpectum ferant rationum moventium, quibus Deum ad vota ſua complenda excitent: quæ rectius per ſermonem ad Deum proferun-

feruntur. Facit præterea ad elegantiam carminis ejusmodi perſonarum mutatio, & ſatis frequens eſt *Stylus* autem eſt planus & facilis; ſed verbis fut. temporis concinnatus, quæ vota & prædictiones continent, ſeu, ut ſupra dixi, *vota prophetica*. *Partes* vero Pſ. *tres* ſunt. I. *Prima* continet votum propheticum, pro gratia, benedictione, & illuminatione vultus Dei ſuper populo Judæo, verſ. 2. II. *Secunda* ſimilia vota comprehendit pro celebratione Dei a Gentibus per totum orbem, una cum ejus materia & ratione movente, duobus *articulis* propoſita, verſ. 3—6. III. *Tertia* votum pro benedictione populi repetit, una cum ejus *fundamento*, cui votum erat innixum, & *ſcopo*, ut gentes quoque Deum timerent, verſ. 7, 8.

ANACRISIS.

§. VI. Communior eſt Interpretum hypotheſis, agi hic de ſalute & benedictione per Meſſiam adducenda, converſione Gentium ad fidem, & fructibus ſpiritualibus ſub regno Meſſiae, ſive in genere, ſive in ſpecie, aut in principio, aut fini regni Meſſiae, aut etiam per varia Eccleſiæ fata; ita ut verſ. 2 & 3. votum contineant eorum, qui conſolationem Israelis exſpectabant proxime ante Meſſiam manifeſtatum; dein verſ. 4. converſio gentium per tria prima Secula exhibeatur; verſ. 5*to* ſtatus Eccleſiae in Romano orbe jam dominantis ſub Conſtantino M. & ſucceſſoribus: reliquarum vero gentium converſio, ſec. VIII. & ſeq. verſ. 6. Eccleſiae denique reformatio, verſ. 7., & gentium ac Judaeorum plenaria & ultima converſio, cum ſtatu regni Chriſti glorioſo, in terra verſ. 8. Quae ultima hypotheſis, nescio, num ab aliquo propoſita, ut ut ingenioſa, tota eſt arbitraria, & fundamento deſtituta. Quod vero ad reliqua adtinet, ad regnum Meſſiae per orbem ultimo reſpici, omnino etiam putem; ſed nec omnia eo refero, nec directe & primo ſenſu.

ſu. Noſtra itaque cogitata huc redeunt. α. Praeſens tempus liberatae, & glorioſe inſtauratae, ac florentis, reip. Jud. ſub Hiskia, poſt Aſſyrios proſtratos, in ſignum deſtructionis regni Aſſyriaci brevi ſecuturae, primo & directo ſenſu intenditur, & ei Pſ. adplicandus eſt; quatenus votum continet pro prosperitatis continuatione & amplificatione, & populorum per orbem illuminatione, qua Deum Israelis agnoscant, & celebrent, tanquam ſalutis & liberationis populi Judaei autorem, & populorum per orbem liberatorem ab oppreſſione Aſſyriaca; nec non juſtum & aequum judicem & rectorem mundi. Cum Pſ. eo tempore, ut modo vidimus, ſit compoſitus, & ea, quae hic voventur, ab eo tempore fuerint in Israele & orbe aliqua ratione conſpicua; fieri non poteſt, quin hoc ipſum tempus fuerit poetae obſervatum: quod ex aliis Pſ. ac prophetiis, ad hoc tempus pertinentibus, ſupra citatis, ulterius confirmatur. β. Deinde, cum tempora Hizkiae & Maccabæorum, inprimis Joh. Hircani, multa ſecum habeant communia, & haec ipſa, quae hic voventur, majore gradu locum habuerint, poetam exiſtimaverim ea ratione fuiſſe a Spiritu ductum, ut reip. Maccabaicae lineas una duxerit; adeoque vota, hic concepta, habenda quoque eſſe pro votis Judæorum *ejus temporis*. Quae hypotheſis ex aliis Pſ. & prophetiis, quibus tempora *Hizkiae & Maccabaica* ſimul deſcribuntur; haud exiguum robur acquirit. De quo plura dicam ad Pſ. LXXXVII. γ. Denique, cum tempora Hizkiae & Maccabaica geſſerint emblema regni Meſſiae, & hoc cum Maccabaicis temporibus arcte fuerit connexum, de quo in Diſſ. ad Danielem fuſius diſſerui; cuncta etiam, quae in hoc Pſ. occurrunt, verum ſuum implementum in regno Meſſiae habuerint; ultimo, ſed praecipue intento, ſenſu Pſ. eo referendum eſſe, omnino ſtatuendum eſt. Phraſibus enim nullo modo ſatisfieret, niſi ad tempora Meſſiae respiceretur; ut facile patet.

EXPLICATIO.

§. VII. *Prima* Pſ. pars, quæ votum propheticum pro ſalute & felicitate populi Judæi continet, his verbis verſ. 2. proponitur: *Deus gratiam nobis faciet, & benedicet nobis; ſplendere faciet vultum ſuum nobiscum*, h. e. faciat Deus, quod ardens noſtrum votum eſt, faciet, quæ certa noſtra eſt exſpectatio, ut tenerrimi ejus erga nos adfectus ſigna & effecta in nobis omni genere bonorum cumulandis, in ſpecie ſe benevolum & glorioſum in medio noſtrum præſtando ad noſtram inſtructionem, ſanctificationem & conſolationem, inter nos exſtent, & abundent. Verba fut. temp. votivam exprimere adprecationem, ſatis obſervatum eſt, ſed addo, cum fiducia fuſam, & prædictionis ſimul conſpectum ferre; adeoque, *votum propheticum.* Cohærent autem ea ratione, ut *duo* prima, ſecum connexa per copulativum ו &, ſignificent generalem favoris & adfectus Dei demonſtrationem per omne genus bona de eo teſtantia; *ultimum* vero ſpeciale favoris Dei ſignum & effectum in medio populi, ad ejus glorioſam & ſalutarem illuminationem & beatitatem comprehendat. *Gratiam facere & benedicere*, eſt ex intimo adfectu benevolo & gratuito quævis bona conferre. Verbi חנן, ut ſæpe alias obſervavimus, primaria ſignificatio ſita eſt in *ſtridulo* ſono gutturis, quem animalia edunt, quum tenerrimum adfectum erga fœtus ſuos demonſtrant, unde transfertur ad *pietatem maternam*, & intimam teneritudinem τῆς σόργης. Alterum verbum ברך *benedicere*, & fauſta quævis adprecari, & conferre, denotat; uti notum eſt. *Tenerrimum* itaque *adfectum* demonſtrare, & *benedicere*, eſt ex tali animo quævis bona & felicia alicui adferre, ſive Spiritualia & æterna, ſive temporalia & corporea, majore minoreve emphaſi pro ratione circumſtantiarum. Sed in ſpecie additur, *lucere facias*, & facies, *vultum tuum nobiscum*, quod eſt, favorabilem & glorioſum te in medio noſtrum exhibeas ad noſtram illuminationem, & ſalutem.

ſalutem. Quo indicatur *cum* præſentia Dei gratioſa & glorioſa apud populum, quare non *ſuper nobis*, ut alias, ſed *cum nobis*, dicitur, *tum* ejus effectum ad populi illuſtrationem glorioſam & ſalutarem, ex vultu Dei lucido oriundam. Vid. ad Pſ. IV: 7. & alibi ſæpe, ut XXXI: 17. Num. VI: 25, 26. Vovent itaque, & futurum prædicunt, ut Deus in genere favorem ſuum erga populum Judæum in medio populi, tanquam rex ejus & objectum cultus, reddat ſtabilem & glorioſam, quamvis proſperitatem, pacem, & bonorum quorum vis abundantiam in populum conferat, legis & viæ ſalutis notitia imbuat, ſanctificet, ut in viis Dei ambulet, conſoletur, ac lætificet, ſed in ſpecie, ſe in Meſſia præſentem fiſtat inter Judæos *benedictione*, Abrahæ promiſſa, qua in ſemine ejus ſibi benedicerent gentes, populum beet, eamque impleat, & bona puræ gratiæ, ac ſalutis, in communione Dei, bona Spiritus S., ad illuminationem, ſanctificationem & conſolationem, in hac & futura vita repræſentet. Quam ſenſus amplitudinem verba omnino continent, & vota piorum ſub V. Oeconomia admittunt. De quo plura non neceſſe eſt dicere.

§. VIII. *Secunda* pars, votum propheticum pro celebratione Dei a populis terræ complexa, *duobus* ex articulis conſtat, qui duplicem continent celebrationis materiam & rationem. *Prior*, qua ratio celebrationis a cognitione viæ & ſalutis Dei inter gentes repetitur, ita habet verſ. 3, 4. *Ad cognoscere in terra viam tuam, inter omnes gentes ſalutem tuam, celebrabunt te populi, o Deus! celebrabunt te populi omnes*, h. e. quum viam ſalutis tuæ cognoverint gentes in terra, propterea celebrent te, & celebrabunt populi, imo populi omnes. Quæ verba comprehendunt *tempus* & *rationem* celebrandi Deum per totum orbem, & celebrationem ipſam, a populis terræ inſtituendam: prius verſ. 3. poſterius, verſ. 4. Hac enim ratione ſermo cohæret, opinor. De quo ut conſtet, adtendendus eſt uſus particulæ ל in יִדְעוּ, quo & *tempus* rei ingruentis denotat, ſive *quum*, *quando*, ſive *poſtquam* vertatur, & rationem ac cauſam; ſive *de* red-

datur, ſive *propter*. De quo vario voculæ ל uſus ſatis conſtat. Vovent itaque, ſimul imperant & prænunciant, quam ſenſus amplitudinem admittit verbum fut. temp. *celebrabunt*, ut omnes terrae populi Deo confiteantur, & laudes dent, cum gratiarum actione, *ſuper cognitione viæ*, & ſalutis Dei inter gentes per totam terram, quo tempore ea Gentibus fuerit facta. Voces vero verſ. 3. elegantiae cauſa diviſae ſecum ſunt hac ratione conſtruendae; acſi legeretur uno tenore: *quum & quia cognoverint in omnibus gentibus in terra viam ſalutis tuæ. Via Dei & ſalus Dei*, eſt via ſalutis Dei, ſeu modus & ratio, qua Deus ſalutem praeſtat, & praebet hominibus; quae via *cognoscitur*, quum manifeſtata intelligitur, & fide adſumitur. Sed quaenam eſt illa *via & ſalus Dei*, ſeu *via ſalutis* Dei? quam ipſe in ſalvando tenet, & homines ad ſalutem obſervant, & ambulant; utroque enim modo, & active & paſſive, ſumi debet *via Dei*. Respicitur quidem ad ſtatum liberationis, & prosperitatis, in quo Judaeorum resp. & Eccleſia hoc tempore ſub Hizkia erat collocata, & conſtitueretur deinceps; cujus cauſa celebrandus foret a gentibus, ut Pſ. LXVI: 8, 9. vidimus: ſed ulterius ſeſe omnino porrigit ad modum ſalutis verae & aeternae conſequendae; ut facile patet: cujus *cognitio* totum orbem aliquando pervaderet; ſicut factum eſſe, novimus; exiliore ſenſu ſub Oeconom. V., maxime a temporibus Maccabaicis, ſed majore & vera ſua emphaſi ſub Meſſia, maxime ſub finem ſeculorum. Quod notum eſſe praeſuppono. Ceterum cum vovent, ut Deus tum, & propterea, celebretur inter gentes, ſimul vovent, ut *cognitio viæ & ſalutis* Dei omnibus terrae populis innotescat: acſi dixiſſent: *cognoscant* per terram gentes *viam Dei & ſalutem* ejus, & tum ac ideo eum celebrent: quemadmodum, verſ. 5. mox loquuntur. Hac ratione licet verſ. 3*tius* recte accipiatur, & cum ſeq. connectatur, etiam omnino conſtrui debeat; trahit tamen aliquid de ambiguo, & ita ordinatus eſt, ut cum praeced. etiam connecti poſſit, & *ſpopum*,

eventum

eventum ac *terminum*, comprehendat praecedentis voti populi pro gratia & benedictione Dei ſuper ſe; hac ratione; *gratiam nobis faciat Deus* &c. לדעת *ad cognoscere* &c. h. e. eo ſcopo, eoque cum eventu, ut *cognoscatur* &c. etiam eousque, ſeu ad illud tempus usque, donec *cognitione viæ* illuſtretur mundus. Vovent itaque, ut benedictio Dei ſuper Israele ſit, eo fini & eo eventu, & eousque, *ut*, & *donec*, cognoscant gentes per terram *viam ſalutis Dei*; quae cognitio per Eccleſiam Judaicam communicaretur cum gentibus, & ad eas transferretur, ſicut in *ſemine Abrahæ gentes benedicerentur*, *Lex ex Tſione exiret* in orbem univerſum; & quae plura ſunt ſimilia, ubique obvia; eventus quoque comprobavit, & comprobabit magis usque ad finem ſeculorum. Statuamus itaque, poetam ſermonem ita concinnaſſe, ut proprie quidem cum ſeq. cohaereat verſus 3. quare *Selah* etiam inſertum eſt, quo ſermo ſolet claudi, ſed ſeſe ad præced. quoque extendat; ut expoſui.

§. IX. *Poſterior* articulus, qui rationem celebrationis Dei, inter gentes faciendæ, repetit ab æqua gubernatione & ductione, qua populi terræ gauderent, & ſuper qua lætarentur, his verbis exhibetur, verſ. 5, 6. *Lætabuntur & tinnient nationes, quia*, & quando, *judicabis populos in æquitate, & nationes in terra diriges eas*; *Celebrabunt te, o Deus! populi, celebrabunt te populi omnes.* Cohærent omnino hi verſus, ut duo præcedentes, & populos orbis excitant ad Deum laudandum, uti facient; nova ratione producta, quod materiam laetandi ſint habituri, in aequa Dei gubernatione & directione ſitam, cujus primordia & praeludia nunc jam erant inter Judaeos, & populos vicinos, conſpicua. Verba verſ. 5., quae rationem celebrationis Dei a populis terrae repraeſentant, elegantiae rurſus cauſa diviſa, ita ſunt ordinanda, acſi legeretur: *lætabuntur & tinnient populi & nationes, quia judicabis populos & nationes æquiſſime, et in terra diriges eos.* Conjunxit poeta *judicabis et populos*, nec non *nationes et diriges eas*; ſed utrumque verbum ad populos & nationes

tiones aeque pertinet. *Lætabuntur*, dicit, ut relegamus & illuſtremus, (laetitiam externo ſono & geſtu demonſtrabunt; verbum enim רנן proprie *tinnulum* vel *tremulum* ſonum exprimit, & inde fictum eſt, ut ſaepe alias notavi; adeoque laetitiam externis ſignis, ſeu tinnula voce & cantu, expreſſam ſignat. Verti autem debet in fut., & ſignificat, eos materiam talis laetitiae habituros, & quoque laetaturos eſſe,) *quia* (ſcilicet, *quia* & *quando*; quem utrumque ſignificatum habet כי, & hic admittere licet; cum & *ratio* laetitiae detur, & *tempus* finiatur, quo id fieret,) *judicabis populos rectitudine*, (h. e. in aequitate, ſeu aequiſſime; ſecundum regulam juſtitiae et aequitatis *judicabis*, h. e. gubernabis, leges ferendo, ſecundum eas judicando, vindicando, et tractando. Verbum שפט late ſeſe ad totam gubernationem, et omnes ejus partes, extendit, uti jam obſervatum eſt,) *& nationes diriges eas*, (pro *diriges nationes*; ſecundum ſtylum Hebr., quo affixum abundat, quod tralaticium eſt. Radix נחה ſedem habet *in tenſione directa*, unde recte vertitur, *dirigere*, ſive in Kal, *præmonſtravit viam*, ſive in Hiph. *dirigere fecit*, ſive tenſim et directim procedere fecit; eſt praeterea verbum paſtoritium, praeſertim in numeroſis gregibus. Significatur, Deum populos recta et aequabili via ducturum inſtar paſtoris, ut laete, jucunde, et copioſe agant &c. Conf. Pſ. XXIII: 3. Quaeritur, quo tendat poeta? respicit quidem ad felicem ſtatum, quo Judaei et reliqui populi gauderent poſt tyrannidem Aſſyriacam e medio ſublatam, in ſignum cujuscunque tyrannidis ſuo tempore deſtruendæ, quemadmodum Jeſ. XXXII: 1. praedictum erat, et alibi; dubium tamen non eſt, quin oculos præcipue habuerit intentos in Meſſiæ tempus, quo populi, ipſi ſubjecti per orbem, æquiſſime gubernarentur, et regia via ducerentur: quemadmodum ubique in verbo prophetico occurrit, Pſ. LXXII. Jeſ. II: XI. Mich. IV. & alibi.

§. X. *Tertia*

§. X. *Tertia* Pſ. pars, quae votum pro benedictione populi Judæi repetit, cum inſigni variatione, reſpectu ejus occaſionis & fundamenti, nec non ſcopi & eventus, ita habet, verſ. 7, 8. *Terra dedit proventum ſuum, benedicet nobis Deus, Deus noſter. Benedicet nobis Deus, & timebunt ipſum omnes fines terræ.* Quæ verba, in quibus Interpretes minus feliciter verſati ſunt, α. occaſionem & fundamentum voti repræſentant verſ. 7. *Terra dedit proventum ſuum, benedicet nobis Deus, Deus noſter;* prius membrum in præt., poſterius occurrit in fut: quia *prius* respicit ad id, quod jam factum erat, & *poſterius* ad promiſſum, deinceps inplendum. *Prius* pertinet ad ſignum liberationis & prosperitatis, quod Deus per Prophetam dederat Hizkiæ, cum a Senacheribo infeſtaretur, Jeſ. XXXVII: 30. ut ſupra vidimus, & eo tendit, ut, *ſignum* illud eſſe impletum, ſignificaretur. Hac ratione ſi verba capiantur, & eo conſpectu; quam apte huc quadrent, & quo collineent, facile patet: *occaſionem* enim & fundamentum voti, quod mox ſequitur, continent, quia Deus *ſignum* illud, Hizkiæ datum, repræſentaverat, cum fiducia poterant *ſibi benedictionem* Dei vovere, & promittere. Nec caret emphaſi, *terra dedit proventum ſuum: cum* quod *ſpontaneus proventus*, ſine opera hominum, indicetur, *tum* quod uberrimus & lætus proventus, una cum *pace* terræ, hoſtibus non amplius turbantibus, exprimatur. Interpretes ſe extricare non potuerunt, niſi ad ſenſum emblematicum & myſticum confugiendo; cujus nullum eſt indicium, quia *ſcopum* verborum non penetrarunt. *Poſterius*, in fut. expreſſum, *benedicet nobis Deus, Deus noſter*, referendum eſt ad promiſſum, a Deo per Jeſaiam & tunc factum Hizkiæ Jeſ. XXXVII: 31. *Et perget reſiduum Judæ, quod reliquum factum fuerit, radices mittere deorſum, & fructum facere ſurſum.* Quibus cum multiplicatio populi, tum ejus prosperitas comprehenditur. Quo noſtra quoque verba manifeſte pertinent, cum *benedictionis* nomine utrumque ſoleat venire, uti notum eſt. Retineri itaque debet ſignificatio fut.

temp., & eo accipi, quo dixi, ſenſu & ſcopo, ut *fundamentum* voti, quod mox ſequitur, conſtituat.

§. XI. β. Votum vero ipſum, *benedicet nobis Deus*, pro benedicat, & benedicet, ſcilicet ſicut promiſit, & cujus ſignum dedit in ubere proventu terræ, cum nihil habeat difficilis, ſupra jam expoſitum, ad ejus *ſcopum* & *eventum* pergo, qui γ. his verbis continetur, *& timebunt ipſum omnes fines terræ*, h. e. ut timeant, ſicut facient; ipſum reverendo, colendo, & ejus judiciorum metu a populo Dei vexando abſtinendo; *omnes fines terræ*, ſeu populi quaquaverſum, Conf. Pſ. LXIV: 10. & alibi ſæpe. Etenim eo tendit votum *benedictionis Dei*; ut tanquam antecedens *timoris* Dei inter gentes conſideretur: ſed et ſeſe latius extendit ad *benedictionem*, Abrahamo promiſſam; quæ repræſentata produceret converſionem Gentium, quæ *ſibi in ſemine ejus benedicerent*, Deumque verum in fide & amore *timerent* usque ad fines terræ. Quod monuiſſe ſuffecerit.

PSALM

PSALM. LXVIII.

1. *Præfecto Davidis Psalmus canticum.*
2. *Surget Deus, dilabentur hostes ejus, & aufugient oderes ejus a facie ejus.*
3. *Quemadmodum excutitur fumus, excuties* eos, *sicut liquescit cera a facie ignis, peribunt impii a coram Deo.*
4. *Et justi lætabuntur, exsultabunt coram Deo, & efferent se in lætitia.*
5. *Cantate Deo, psallite nomen ejus, exaggerate equitanti in desertis, Jah nomen ejus, & exsultate coram ipso.*
6. *Pater pupillorum, judex viduarum est Deus in habitaculo sanctitatis suæ.*
7. *Deus* est, qui *solitarios educit in nexas conglobationes; sed refractarii decumbentes habitant glabritiem.*
8. *Deus! cum emicares coram populo tuo, cum magnifice gradireris in solitudine horrida.* Sela!
9. *Terra tremuit, etiam cœli stillarunt a coram Deo. Hic iste Sinai a coram Deo, Deo Israelis!*
10. *Imbrem exuberationum evibrabis, Deus! in hæreditatem tuam, quamque ad incitas redactam Tu firmasti.*
11. *Cœtus tuus coagmentatus habitat in ea, firmabis bonitatem tuam inopi, o Deus!*
12. *Dominus dabit dictum, læta nunciantium spissus* erit *exercitus.*
13. *Reges exercituum quassati dissipabuntur, quassati dissipabuntur*

14. *Si*, vel *profecto*, *recumbetis inter ſeries firmiter diſpoſitas*, inter *alas columbæ obductæ argento*, *& pennas ejus flaviſſimo*, vel *bracteato*, *auro puriſſimo*.

15. *Quum expanderit & diſſipaverit omniſufficiens reges in ea*, *nivescet in Tſalmone*

16. *Monte Dei. Mons Baſan*, *mons collium*, *mons Baſan!*

17. *Quare inſilietis montes colles in montem hunc? quem Deus adpetiit vehementer ad incolendum.*

18. *Currus Dei ſunt myriades*, *millibus multiplicatis*, vel *myriades multiplices in Chiliadibus tranquillitatis*, *Dominus in medio eorum eſt; Sinai in ſancto.*

19. *Adſcendiſti in altum*, *captivam abduxiſti captivitatem*, *ſumſiſti dona in homines*, *& quoque refractarii*, *ſeu naſus refractariorum*, *ad decumbendum*, *Jah Deus.*

20. *Benedictus* ſit *Dominus*, *die die*, ſeu *quotidie*, *onerat nos*, *Deus iſte ſalus noſtra.* Sela.

21. *Deus iſte noſter*, *nobis Deus ſalutum*, *& Jehovæ Domino emicationes mortis* ſunt tribuendae.

22. *Profecto repetitis bauſtibus cruentabit Deus caput inimicorum ſuorum*, *verticem pilis horridum*, *graſſantem in reatibus ſuis.*

23. *Dixit Dominus: reducam e Baſane*, *reducam e profundis maris.*

24. *Propterea inmerſus in ſanguinem pes tuus hauriet*, *lingua canum tuorum de hoſtibus*, *de ipſo.*

25. *Vibrarunt inceſſus tui*, *o Deus! proceſſus Dei mei*, *regis mei*, in Sanctum.

26. *Præiverunt cantores*, *agmen poſt duxerunt Pſaltæ*, *in medio virgines tympanizantes.*

27. *In publicis cœtibus benedicite Deo Domino*, quī eſtis *e fonte Israelis.*

28. *Ibi*

28. *Ibi Benjamin exiguus calcator eorum, Principes Judæ lapidatio eorum, Principes Zabulonis, Principes Naphtali.*
29. *Præcepit Deus tuus robur tuum. Firmum fac, o Deus! quod molitus es nobis*
30. *Ex palatio tuo. Hierosolymas* (vel *Præ Templo tuo Hierosolymis*) *Tibi pompatice adducent Reges munus.*
31. *Increpa catervam feram arundinis, cœtum taurorum, vitulos populorum, conculcantem, contusores argenti,* aut *ambientes pecuniam,* tu qui *disperfit populos, qui præliis delectantur.*
32. *Venient clientes pudibundi,* vel *illis stipati, ex mihi Ægypto, Cusch submissus,* vel *recto-rigidus, manibus suis ad Deum.*
33. *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino.* Sela!
34. *Adpactum se tenenti in cœlis cœlorum antiquorum; ecce dabit voce sua vocem firmissimæ laudis.*
35. *Date robur,* vel *laudem, Deo, excelso Israelis, cujus excellentia & robur in subtiliore æthere.*
36. *Verendus Tu, o Deus! e sanctuariis tuis, Deus Israelis tu ipse idem, dans robur & compactiones* solidas ac plenas *populo. Benedictus Deus.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ILlustris & sublimis Psalmi argumentum est adprecatio & prædictio pleniſſimæ liberationis ab hostibus, pacis, prosperitatis, & celebritatis populi Dei in Judæa & Hierosolymis, a præsentia Dei in medio ejus super arca, in Tsionem translata, derivandæ; nonnullis vero singularibus periodis summo

gradu locum habituræ, & publice ac ſolenniter in laudes Dei a populo celebrandæ, & a gentibus per orbem agnoscendæ. Theſin hanc cum in genere propoſuiſſet poeta, & hoſtium, qui coram facie Dei diffluerent & perirent, & populi Dei reſpectu, qui ſummam haberet lætandi, Deumque ſuper conceſſa prosperitate laudandi, materiam; ſeſe, præmiſſa commemoratione manifeſtationis Dei in monte Sinai, antiquitus facta, in accuratiorem theſios deſcriptionem diffundit, nonnullasque periodos illuſtriores recenſet, in quibus veritas theſios luculenter foret conſpicua, quoad liberationem ab hoſtibus & felicitatem populi Dei: quas memorat *tres*, *primam*, qua hæreditas ſeu Judæa, omnibus abundaret bonis, reges exercituum diſſiparentur, & populus Dei ſecure & tranquille ageret; *ſecundam*, qua ab æmulis regnis vindicaretur Hieroſolyma, tanquam unica ac perpetua Dei ſedes, agnosceretur, ac celebraretur; *tertiam*, qua hoſtile regnum, quo Judæi oppreſſi & diſſipati erant, deſtrueretur, & exules ac diſperſi recolligerentur, Deumque publice in cœtibus celebrarent; ſimul a populis quaquaverſum honorarentur, & regna mundi ad Deum celebrandum excitarentur. Quando, per modum concluſionis, in Deo benedicendo finit canticum.

§. II. Ad argumenti verum conſpectum cognoscendum, α. notandum eſt, illud eſſe *prophetícum*, adeoqe non ejus temporis, quo Pſ. compoſitus eſt, ſed ſequentium, ſtatum populi Dei felicem repræſentare; uti ex verbis fut. temporis, quibus autor utitur, facile liquet; nec non inde confirmatur, quod tempore autoris hujus Pſ. deſcriptio ſtatus Eccleſiæ Dei non respondeat. β. Præterea obſervandum eſt, ſtatum felicem populi Dei hic non depingi unius & ejusdem temporis, ſed diverſorum, ſeu variarum periodorum, quæ ſe invicem ſequerentur. Quod ex diverſa ſtatus populi Dei delineatione, & ſerie orationis, haud obſcure elucescit; & in ipſa explicatione demonſtrabitur uberius. γ. Denique ad animum eſt revocandum, populum Dei, de

quo

quo hic agitur, esse Israelem, proprie intellectum. Characteres autem populi Israelis sese hic offerunt sequentes. 1. *primus* est, quod *populus* Dei adpelletur, vers. 8. coram quo Deus in deserto processit, & in Sinai sese manifestavit. 2. *Secundus* est, quod mons Tsion tanquam sedes Dei digito monstretur, vers. 17. & montes Basan tanquam ejus æmuli & adversarii occurrant vers. 16. 3. *Tertius* est, quod Hierosolymæ, & Palatii Dei in ea urbe expressa fiat mentio, tanquam loci, quo munera deferrentur a gentibus vers. 30. 4. Denique, ne plura in re clara proferam, *Israel* adpellatur, vers. 27, 35. & distincte celebrantur Benjamin, Juda, Zebulon & Naphtali, tanquam tribus heroicæ, & ea parte celebratissimæ, vers. 28.

§. III. De *tempore* Ps. compositi in genere quidem constat, eum tempore Davidis esse factum, cum *David* ejus autor sit, teste inscriptione, quæ alium non fert sensum, ut facile patet, nec in dubium vocari debeat; sed præcise nihil, nisi probabiliter, quid definiri potest. Mihi plusquam probabile fit, *Psalmum* esse vulgatum 1. postquam *arca* in montem Tsionis jam esset translata; *cum* quod Deus jam ibi habitans repraesentetur, vers. 17. *tum* quod verba, vers. 2. *Surget Deus* &c., quae ad arcam nos manifeste ducunt, ut ex Num. x: 35. liquet, pro *hypothesi* habeant, *arcam* stabilem habuisse sedem; *tum* denique quod Hierosolyma, vers. 30., tanquam sedes palatii Dei occurrat: de quo mox. Multis quidem placet, tempore translationis arcæ Ps. esse compositum, vel ei solennitati destinatum; sed, praeterquam quod, *arcam* jam obtinuisse sedem suam, modo demonstraverimus; verba vers. 2. & alia criteria, mox producenda, evincunt, Deum hic non fisti, tanquam quietum locum occupaturum, quo translatio arcae ad montem Tsionis spectat, sed eum deserturum, & expeditionem in hostes, ad populum vindicandum & quietem ei procurandam, suscepturum. 2. *Secunda* thesis habet, Psalmum esse posteriorem proposito Davidis de Templo aedificando, & promisso Dei de stabilitate regni in domo Davidis

vidis Hieroſolymis, ac Templo a Filio ejus aedificando, 2 Sam. VII. Cujus indicium eſt α. in eo, quod Deus in monte Tſionis dicatur *æternum* habitaturus verſ. 17. β. quod *palatii* Hieroſolymis jam meminerit, verſ. 30., ut putatur, quae vox mihi hoc loco plus dicere videtur, quam *tabernaculum*; maxime cum *tabernaculum* Moſis nondum fuerit tempore Davidis in ea urbe; uti conſtat. 3. *Tertia* theſis eſt, Pſalmum eſſe anteriorem expeditionibus Davidis ad populos vicinos domandos & regnum pacandum, ac a metu hoſtilium invaſionum liberandum, 2 Sam. VII. quia Deum excitans ad expeditionem bellicam, verſ. 2 illud haud obſcure indicat, de *regum fuga*, verſ. 13., loquens in fut., clare ſignificat; ne dicam, ſtatum regni pacatum, & prosperum quoque repraeſentari tanquam futurum. 4. *Quarta* itaque theſis habet, tempore intermedio, inter arcam translatam, promiſſum Dei de poſteritate acceptum, & expeditiones bellicas in hoſtiles populos vicinos, Pſalmum eſſe factum. Quod ex modo dictis ſponte ſua ſeſe offert. Concinit Syr., qui habet, *Davidis: quum pararunt ſe Reges ad bellandum contra ipſum.*

§. IV. Ex quibus *occaſio* Pſ. compoſiti haud difficulter eruitur. Cum enim arca in Tſionem eſſet transportata, ut ſedem ibi haberet fixam, promiſſum etiam de Templo, ibi a Filio ſuo aedificando, nactus eſſet David; & expeditiones jam jam ſusciperet in populos vicinos, ad eos domandos, & ſtatum Israelis pacatum, firmum & prosperum, reddendum; aptiſſime excitari potuit ad hoc canticum, quo expeditionum ſucceſſum & conſequentia, ſpiritu prophetico ductus, ob oculos poneret, & hoſtium ſubjectionem, ac populi Dei liberationem ac prosperitatem per varias periodos repraeſentaret. Quæ hypotheſis & inde firmatur, quod mox in principio iisdem verbis fere utatur, quibus olim Moſes Num. X. cum populus ſtationem ſuam mutaret, & Deus tanquam Imperator & Dux ſeſe moveret ad populum in itinere tutandum contra hoſtes: quemadmodum David, arca

in

in Tſione jam collocata, Deum ſimili modo excitat ad expeditiones ſuas bellicas fortunandas.

§. V. *Scopus* Pſ. eſt 1. ſingularem populi Dei *prærogativam*, in præſentia Dei per arcam Hieroſolymis ſitam, extollere: cum inde omnis populi felicitas repetatur. 2. Populum certiorem reddere de perpetua ſui conſervatione, & prosperitate, hoſtiumque, qui eam conarentur turbare & interrumpere, proſtratione; quæ utraque identidem renovaretur, & certis periodis illuſtrioribus ſingulari modo conſpiceretur, & celebraretur. 3. Finem, in quem hæc tandem exirent, exponere; Meſſiæ nimirum exaltationem, & gentium converſionem, adeoque regni Meſſiæ, in Tſione erigendi, propagationem per totum orbem; ut ex verſ. 18, 19. nec non verſ. 30. &c. colligi poteſt. 4. Populum præparare ad hæc beneficia conſequenda, & excitare ad Deum, cum illa fuerint repræſentata, laudandum & celebrandum. De quo facile conſtat, *cum* quod peccatores eſſe exſtirpandos, & juſtos ac pios lætaturos eſſe, declaretur, *tum* quod Dei velit in deſerto equitanti *viam* eſſe parandam, verſ. 5. *tum* denique quod formulæ Deum celebrandi identidem inſerantur, & populus ad id excitetur, verſ. 5, 20, 25. &c.

§. VI. *Ad ſtructuram* Pſ. & ejus *ſtylum* pertinet 1. varias in eo occurrere *apoſtrophas*, quibus ſermo ſubinde vertitur ad Deum, ad populum, ad hoſtes, ad gentes orbis. 2. variam inſtitui *adluſionem* ad præterita facta & fata, in deſerto, & occupatione Cananææ, ac hoſtium in ea proſtratione, etiam ſub Judicibus; ut ſequens tractatio docebit. 3. Tempora ſubinde mutari, adeo ut, licet de rebus futuris agatur, & verba fut. temp. paſſim adhibeantur, ſubinde ſermo fiat verbis aut præt., aut præſ. temporis; quia perſonæ introducuntur eo tempore viventes, quo res illæ jam locum haberent; uti cum *formula* cantici traditur, qua tunc uterentur; verſ. 6, & 7; 25. & 34. De quo poſtea. 4. Denique ſtylum eſſe ſublimem, emphaticum & adfectuoſum; hic

illic quoque obſcurum; licet minus, quam vulgo putatur, & ex perverſis hypotheſibus Pſ. exponendi oritur. *Partes* Pſ. *tres* generales ſunt, in quas facile dispescitur. I. *Prima* generalem continet deſcriptionem exſtirpationis hoſtium & impiorum, & prosperitatis populi Dei, ab eo celebrandæ, verſ. 2—7. II. *Secunda* illuſtriores recenſet periodos, in quibus liberatio & felicitas populi Dei ſingulari modo repræſentaretur & agnosceretur: quæ *tres*, ordine ſucceſſuræ, memorantur, poſtea demonſtrandæ, verſ. 8—35. III. *Tertia* exhibet celebrationem Dei per modum concluſionis, verſ. 36.

ANACRISIS.

§. VII. Diverſæ admodum ſunt Interpretum hypotheſes de hoc Pſ.; quæ ad *duas* generales referri poſſunt: quarum *altera* ad populum Israelis, ſive tempore Davidis, ſive Hizkiæ, refert, *altera* ad regnum Meſſiæ, ejusque fata, ſive in genere, ſive per certas periodos. Quibus recenſendis & examinandis cum ſcopus non ſinat immorari; meam hypotheſin per ſequentes theſes propoſuiſſe & demonſtraſſe contentus ero. 1. *Prima* theſis eſt, Pſalmum non eſſe hiſtoricum, ſed propheticum, ut ſupra adfirmavimus; adeoque ad fata populi respicere futura; quæ poſt tempus, quo Pſ. factus eſt, de quo ſupra egi, locum haberent. 2. *Secunda*, non unum aliquem caſum futurum, ſive tempore Davidis, ſive Hizkiæ, ſed varios, diverſis temporibus futuros, depingi. Quod ex ſupra dictis quoque manifeſtum eſt. 3. *Tertia* theſis habet, fata læta & prospera non Eccleſiæ N. ſed V. Oeconomiæ primo & directo ſenſu repræſentari; adeoque ad populum Israelis, cujus metropolis & ſedes religionis eſt Hieroſolyma, referendum eſſe. Rationes noſtræ ſunt præcipue ſequentes. 1. *Primam* ſuppeditant characteres Israelis proprie dicti; qui hic ſeſe offerunt varii, ſupra jam

jam producti. Terra Canaan adpellatur *hæreditas Dei*, quam *caterva ejus* inhabitaret, verſ. 10, 11. *Mons* Tſion memoratur tanquam a Deo inhabitandus in perpetuum, verſ. 17. oppoſite ad *Baſanem* verſus Syriam & Aſſyriam, verſ. 15, 16. Munera traduntur a regibus *Hieroſolymam* deferenda, tanquam ſedem *Templi*, & religionis verſ. 30. Quæ, & quorum ſimilia alia, criteria nos ad Israelem proprie dictum haud obſcure ducunt &c. 2. *Secundam* rationem præbent indicia expeditionum bellicarum, quibus Israel ſub auſpiciis Dei hoſtes ſuos proſterneret. Deus, tanquam *arcam* inſidens, excitatur ad hoſtes delendos, eadem formula, qua Moſes in deſerto uſus eſt, & eodem modo id faceret Deus, quo olim, *cum coram populo in deſerto procederet*, verſ. 2, & 8. Regum fugatorum *ſpolia* divideret Israel, domi feliciter & pacate agens verſ. 13. *Hoſtes* ita forent debellandi, ut in juſto prælio fit, quo pedes in eorum ſanguinem a victoribus immittuntur, verſ. 22, 24. In carmine triumphali Israelitarum heroes ſiſtuntur tanquam *conculcatores* & *lapidatores hoſtium* verſ. 28. 3. *Tertiam* rationem inde repeto, quod ſine urgente neceſſitate a Vetere populo, ejusque fatis, non ſit discedendum; niſi Pſalmorum & prophetiarum interpretationem velimus facere lubricam. Videamus itaque, *num talia* ſeſe hic offerant, quæ oculos directe flectere cogant ad *Eccleſiam Chriſti*. *Duo* ſunt, quæ illud inprimis jubere videntur, & maxime urgeri ſolent; alia enim minoris momenti lubens mitto. *Prius* eſt, ducem populi hic repræſentari jam in cœlum evectum, verſ. 19. qui alius eſſe nequit ac Meſſias, ad quem etiam adplicatur a Chriſto ipſo, Joh. III: 13. & Paulo, Eph. IV: 8. Agnosco, hæc verba ad Meſſiam exaltatum recte referri; ſed inde colligendum eſſe nego, expeditiones Meſſiæ ad mundum ſibi ſubjiciendum in hoc Pſ. depingi, *cum* quod *primo* ſenſu hic ad Deum, ducem Israelis ex Aegypto, qui, hoſtibus devictis, ſedem capeſſivit in monte Sinai, & inde fœdus ſuum promulgavit, adludatur, & ad eundem directe respiciatur, qui

montem Tſionis, populo liberato, & pacato, conſcendit habitatum in perpetuum. Introducitur enim hic, tanquam qui coram populo proceſſerat, & ad montem Sinai eum duxerat, verſ. 8, 9. qui itaque, expeditione peracta, ſe in monte Sinai manifeſtavit: conf. Jud. v: 4, 5. unde hæc verba deſumta ſunt; *tum* quod adſcenſus Meſſiæ in cœlum ſimul comprehendatur, & memoretur, ad extollendum montem Tſionis, unde quaſi cœlum peteret, & fundamentum omnis liberationis & felicitatis Israelis, ejusque ſcopum & finem demonſtrandum, pro more Davidis & prophetarum, de Meſſia loquentium. De quo alibi ad Dan. egi, & dicam poſtea. *Poſterius* eſt, effectum & conſequens victorioſarum expeditionum Dei memorari *gentium & regnorum* mundi converſionem, ad Deum verſ. 32—, quæ non niſi ſub Meſſia contigit. Et illud lubens admitto; ſed ſuperiora ad regnum Meſſiæ in hoc Pſ. pertinere nego inde concludendum eſſe; quia hic occurrit tanquam conſequens omnium fatorum populi Israelis, in quod tandem exirent, & cum ultima populi felicitate ſub Maccabæis connectitur; ut Prophetis quoque in more poſitum eſt, qui Eccleſiam Meſſiæ & Maccabaicam connectere & permiscere ſolent. De quo poſtea uberius & accuratius.

§. VIII. 1. *Quarta* noſtra theſis, quæ ſuperioribus, & modo dictis, lucem fœnerabitur, habet, læta & prospera populi Israelis fata, ab inhabitatione Dei Hieroſolymis derivanda, & ejus ductui ac directioni accepta ferenda, hic ob oculos ſiſti, a tempore compoſiti Pſ. usque ad finem, & conſummationem Oeconomiæ V. per Novam, & regnum Meſſiæ, inde per orbem propagatum. Quæ theſis haud difficulter demonſtratur. *a.* De *initio* ſatis teſtatur, quod tunc demum cœperit expeditio Dei, jam Tſione verſantis, uti verſ. 2. innuitur, & ad reges a Davide devictos, indeque ortum regnum pacatum & fortunatum ſub Salomone, clare respiciatur, verſ. 13, 14. *b.* De *fini* & termino nos dubitare non ſinit *tertia* Pſ. pars, quæ populorum terræ conver-

converſionem ſub Euangelio manifeſte repræſentat, verſ. 32. &c. Denique *c.* fata Israelis intermedia, prospera & glorioſa, exhiberi præcipua, ſicut facile præſumitur ex principio & fini Pſ., ita *ſecunda* pars Pſ. recte intellecta demonſtrabit; ut tractatio ſequens docebit.

EXPLICATIO.

§. IX. *Prima* Pſ. pars, verſ. 2—7, quæ hoſtium & impiorum deſtructionem, ac juſtorum & piorum Dei cultorum ſtatum felicem & lætum in genere depingit, quemadmodum per varias periodos, ſed ſummo gradu in fine Oeconomiæ V., & ſub N. Oeconomia, obtineret, in duo dividitur membra, quorum α. prius hoſtium deſolationem ac populi Dei felicitatem comprehendit, verſ. 2—4. β. *poſterius* ad cantandum excitat populum Dei, quo tempore hoſtes forent deleti, ac populus Dei feliciter & pacate ageret, formula cantici ipſis quoque ſummatim in manus tradita, verſ. 5—7. α. *Prius* membrum α. hoſtium & impiorum ſubjectionem, verſ. 2, 3. β. juſtorum lætam conditionem, verſ. 4. exhibet. α. De hoſtibus & impiis in hæc verba loquitur poeta, verſ. 2, 3. *Surget Deus, dilabentur hoſtes ejus, & fugient oſores ejus a facie ejus. Quemadmodum excutitur fumus, excuties; ſicut liquescit cera a facie ignis, peribunt impii a coram Deo*, h. e. ſtatim ac ſeſe ad judicium adcinxerit Deus, quod ut faciat opto, & facturum prædico, hoſtes populi Dei, qui ipſi imminent, & adverſantur, imo qualescunque improbi, etiam de populo Dei, qui Deum non timent, & legem ejus ſpernunt, evanescent, idque pleniſſime, facile & ſubito, haud ſecus ac fumus coram vento, & cera coram igni. Verſus cohærent, & ſe mutuo illuſtrant. Verba verſ. 2. respiciunt ad ea, quibus Moſes uti ſolebat, cum caſtra movebantur, Num. x: 35. ſed cum aliqua variatione: cum enim Moſes dicebat, *ſurge Jehova!*

poeta dixit, *ſurget Deus*, ut & votum exprimeret, & futurum prædiceret: quod utrumque hic involutum eſt. Verba vero verſ. 3. comprehendunt ſuperiorum explicationem & illuſtrationem. Significant enim 1. eandem ſortem habituros quoscunque *impios*, qui hoſtibus adduntur, 2. diſſipationem eorum omnium fore plenam, facilem & ſubitaneam; quo ſimile *fumi* coram vento, & *ceræ a facie ignis* tendit, ut facile cernitur. Dependent vero cuncta a *ſurrectione Dei;* adeo ut ſenſus ſit, *Deo ſurgente* hoſtes & impios eſſe perituros; ſive ſtatim ac *ſurrexerit:* quod ipſum tamen futurum eſſe, ſicut vovet, ita prædicit. Cum autem verba Moſis, quibus Deum, ſupra arcam fœderis reſidentem columna nubis & ignis, ſeſe moventem proſequi ſolebat in deſerto, tranſumſerit; digitum intendit ad *arcam* in Tſione jam collocatam, & Deum inde ſeſe indicat moturum eſſe ad hoſtes & improbos diſſipandos; populumque ſuum ab iis liberandum. Habent itaque verba pro hypotheſi, Jehovam eſſe verum *Deum*, quare אלהים adpellat, quem Moſes *Jehovam*, & præſentem adeſſe populo ſuo, ſeu *arcam*, ejus ſedem, in Tſione jam verſari, tanquam judicem & ducem, qui populum tuetur, & ab hoſtium invaſionibus, ac impiorum infeſtationibus, vindicat. Quod cum facit Deus, *ſurgere* dicitur, inſtar judicis & Imperatoris, qui ad judicium exercendum, & opus ſuum faciendum, ſe adcingit. Memorat vero *hoſtes oſoresque Dei, & improbos;* ut omnes qualescunque & Dei & populi ejus hoſtes, ſive gentiles ſive populares, comprehenderet in genere; quotquot regno Dei adverſarentur, & illud infeſtarent. Declarat nunc, illos omnes eſſe *dilapſuros* & *aufugituros*, inſtar *fumi* coram vento, & *ceræ* coram igni, perituros, h. e. ſubito, facile & plenisſime, partim eſſe perituros, partim diſſipandos & ſubjiciendos. Quæ utraque ſors verbis comprehenſa eſt; ut facile cernitur. Radix נוּץ hic denotat, *dilabi & divagari* extra ſedes, habetque noxam, errorem, interitum denique, aliquando conjunctum, metaph. tracta ab *aquis diffluentibus:* ut obſervavit

obſervavit Cl. Schultens *a*. Additur נום, ut eos, qui non interirent, fugitivos fore, ſignificaretur. Sic verſ. 3., ubi dicta illuſtrantur, duplex adhibetur ſimile, & *fumi*, qui diſturbatur, & *ceræ*, quæ igni diſſoluta perit; & declaratur, Deum hoſtes & impios partim eſſe *inſtar fumi* diffiaturum, partim inſtar *ceræ* eſſe in nihilum redacturum, & perditurum. Verbum נדף proprie eſt *concutiendo adtenuare*, ſeu quatere, pulſare, & inde discutere, excutere, vehementius impellere ac dispellere: unde metaph. *ventus* dicitur *glumam*, pulverem, & fumum, Jeſ. XIX: 7. Job. XIII: 25. Pſ. 1: 4. ita noſtro loco: *ſicut fumus quatitur*, *quaties*, diverberabis, tanquam ſub turbine videlicet rotante, & fumum quaquaverſum diſcutiente *b*. Occurrit quidem, ſine adfixo vel objecto addito, תנדף *quaties;* ſed ex ſeq. facile ſuppletur *impios*, nec perſ. ſec. *discuties* aliquid difficultatis parit, cum in ſtylo poetico ſermo facile flectatur, uti hic ad *Deum*, & mox in altero membro de inprobis in tertia perſona *peribunt*. Sunt enim hæc duo membra ita concinnanda, ut hoſtes eſſe deturbandos, ſimul a Deo, indicaretur: acſi haberetur; *discuties* & discutientur, perdes & *perdentur*. Sana itaque ſit lectio Maſorethica תנדף, nec mutanda in ינדפו vel יתנדפו, quod vult Haubigant.

§. X. β. *Juſtorum* lætam & felicem conditionem, hoſtibus & impiis exterminatis, hæc verba depingunt verſ. 4. *Et juſti lætabuntur*, *exſultabunt coram Deo*, *& efferent ſe in lætitia*, h. e. omnibus curis & moleſtiis vacui, ſummo gradu lætabuntur juſti, & lætitiam quibusvis ſignis expriment, cum ſuper liberatione ab hoſtibus, tum quorumvis bonorum fruitione, in laudes Dei. Verba ſunt valde emphatica, & oratio gradatim procedit. Primum שמח proprie dicit, *enodem eſſe*, & habitum animi pingit omnibus curis, tanquam *nodis*, exſoluti, ac in lætitiam diffuſi. Additur ſine copula עלץ *exſultare*, proprie *jactare* corpus, & motitare, ad lætitiæ demonſtrationem, externis ſignis explicandam, quod

a Orig. l. 1. c. 4. *b* Vid. Schultens ad Prov. XVI: 6.

quod alias eſt lætari יגל: *ad choream usque*, Hoſ. IX: 1. Subjungitur major adhuc, & ſummus lætitiæ gradus, *& efferent ſe in lætitia.* Radix רוע originem habet in *obliquo & limo ocello*, & exprimit proprie gaudium feroculum, quo alios *obliquato oculo præ nobis deſpicimus quaſi;* unde in malum proclivis eſt uſus quidem, ſed & in *bonum* ſumitur de ſummo gradu exultationis, de ferocula quaſi & *triumphante* lætitia. *a*. Denique ubi *coram Deo* additur, ſicut *pia & religioſa* lætitia, ita Deo glorioſa indicatur, in laudes Dei vindicis & benefactoris. Quæ lætitia itaque oriretur ex liberatione ab hoſtibus & impiis, ac bonorum quorumvis poſſeſſione, a Deo ſingulari modo procurata; qua fruentur *juſti*, ſive relate ad improbos, et cauſæ ſuæ juſtitiam, ſive *abſolute*, quatenus omne genus virtutis ſtudioſi ſunt et obſervatores. Quem utrumque uſum habet, ut notum, et ſæpe alias obſervatum eſt.

§. XI. Adplicemus hæc ad ſubjectam materiam, et de *implemento* dispiciamus. Cum verba ſint generalia, et hæc Pſ. pars ſummatim proponat, quæ poſtea ſpecialius deducuntur, in generalibus hic eſt manendum, et ad hoſtium populi Dei exſtirpationem, ac juſtorum liberationem et prosperitatem, in genere per omnia tempora usque ad finem ſeculorum pericopa eſt referenda; adeo ut ſenſus ſit, hoſtes et impios identidem eſſe delendos, ac pios vindicandos, donec Eccleſia in pleniſſimam fuerit adſerta libertatem ac prosperitatem. Cujus eventus varia edita ſunt ſpecimina ſub V. T.; quæ in Eccleſia Chriſti ſunt completa, et complebuntur amplius. Ad quae omnia ſpecimina, variis periodis temporum conſpicua, extendere licet verba. 1. *Primum* illuſtre ſpecimen fuit temporibus Davidis et Salomonis, poſt hunc Pſ. compoſitum. Quo etiam primo vel figurato ſenſu respicitur, Pſ. XXXII et XXXIII, XXXVII, LXXII. et alibi. 2. *Secundum* ſpecimen adparuit tempore Hizkiæ; quo etiam pertinet Jeſ. XXXI, XXXII. 3. *Tertium* tempore reducum

a Id. ad Job. III: 21 & VIII: 19.

reducum ex Babylonico exilio, in primis ſub Maccabæis: quo variæ pertinent prophetiæ, ut Jeſ. XXIV. & ſeq. varii Pſ. eadem ratione loquentes. 4. *Quartum* ſpecimen ſeſe offert in Eccleſia Chriſti, quæ Veteris eſt conſummatio, cum in principio propagationis per orbem, tum per varias periodos, tum ſub finem temporum. De quo prophetiæ V. T. non niſi in genere ſolent agere; ut alibi ad Dan. demonſtravi. Quæ ſpeciminis ergo ſufficiant.

§. XII. ב. *Poſterius* primæ partis membrum juſtos ſiſtit, tempore illo fortunato Deo ſervatori & vindici canentes, ſeſeque ad ipſum læte excipiendum parantes, per modum adloquii adhortatorii ad eos, ut id faciant, ſimul formulam cantus, qua tunc uterentur, verſ. 5—7. Ubi ג. occurrit adhortatio ad Deo canendum, eumque digne excipiendum, verſ. 5. *Cantate Deo, pſallite nomen ejus, exaggerate equitanti in deſertis; Jah nomen ejus, & exſultate coram ipſo.* Sermo exhortatorius cenſeri debet directus ad eos, qui tempore illo viverent, quo Deus hoſtes & impios deleverat, & populo lætitiæ materiam procuraverat; & non ad Judæos tempore poetæ. 1. Quia *lætitiæ*, modo memoratæ, demonſtrationem continent, & ad eam manifeſte respiciunt. 2. Quia in argumento cantici Deus celebratur tanquam qui populum jam vindicaverat, & in ſecuram ac felicem conditionem adſeruerat; nec non hoſtes & impios obſtinatos repreſſerat. Quod 3. ulterius firmatur ex verbo præt. vel præſ. temp. שכנו *habitant glabritiem*, quo de improbis utitur. Exhortatio vero, quam poeta inſtituit, *duo* ſignificat vel *tria*, ſed connexa, α. juſtos eo tempore Deum eſſe canticis celebraturos. *Imperat.* enim in verbo prophetico ſæpe pro *fut.* uſurpantur, & idem dicunt; ut ſenſus ſit; *juſtos* tunc *cantaturos eſſe.* Quo nihil eſt vulgatius β. Eos habituros materiam & rationem lætitiam ac gratitudinem ea ratione teſtificandi. γ. Denique eos ſe invicem eo tempore *excitaturos* ad id eſſe, ut alter alteri dicturus ſit, *canite* &c.

§. XIII. Ex quibus ſimul elucescit, Deum hic non repræſentari tanquam ducem, qui expeditionem in hoſtes ſuſceperturus eſt ad populum ſuum vindicandum, & regnum promovendum, quem populus lætis canticis & jubilis proſequitur, ac per vias ſtratas & exaggeratas deducit exeuntem; uti a nonnullis accipitur, phraſi, *exaggerate viam equitanti in deſerto*, deceptis; ſed tanquam ducem & vindicem, qui, expeditione feliciter peracta, triumphabundus a populo excipitur, & ſolenniter cum pompa & ſignis lætitiæ deducitur in regiam ſuam, ut ibi glorioſus & pacatus in poſterum reſideat. Ratio eſt, quod verba manifeſte respiciant ad juſtorum lætitiam ſuper hoſtibus devictis, & prospera ſua conditione, modo deſcripta: accedit, cuncta aptius in regis & ducis triumphantis deductionem in regiam convenire; robur inſuper addit collatio verſ. 33, 34. ubi eadem occurrunt fere verba. Nec obſtat *exaggeratio viæ*, cum illa etiam in pompoſam ducis receptionem quadret, uti Jeſ. XL: 3. & LXII: 10. *equitans* vero *in deſerto* potius respicit ad expeditionem peractam, & reditum ducis; ut mox dicam. Explicemus ſecundum hanc hypotheſin verba, ſed paucis, quantum ſufficit. *Cantate Deo*, (in laudes ejus, qui ſe ſolum verum Deum demonſtravit, Deum populi ſui, quem liberavit: carmen itaque ἐπινίκιον ac triumphale indicatur, ut Ex. XV., quo hic omnino respicitur,) *pſallite nomen ejus*, (ſc. ipſum glorificatum, qui ſibi *nomen* acquiſivit magnum & glorioſum, Ex. XV: 3, 11. & Jeſ. XII. *pſallite nomen*, & non *nomini*, habetur, ut ſignificetur, ipſum cantico, erudite & artificioſe compoſito, quod eſt זמר, eſſe extollendum, & materiam pſalmi faciendum,) *exaggerate equitanti in deſertis*, (h. e. vel, voce elata, & animo elevato, ipſum laudate & in ipſius gloriam, vel deducite ipſum triumphabundum ad ſedem gloriæ ejus, animis præparatis & bene diſpoſitis, inſtar ducis per viam ſtratam & exaggeratam ad palatium ejus, qui *equitat* heros triumphans in deſerto ad locum ſuum. Verbum רכב trahit quid de ambiguo: poteſt enim & ad canticum

canticum elatum & ſublime, & ad *viam* regiam & ſtratam referri. Radices סלה & כלל, quæ ejusdem ſunt originis, proprie ſedem habent in longa *ſerie* & *concatenatione*, dicuntque *nectere*, *connectere*, unde כל *caniſtrum* a viminibus implicitis & connexis, ac כלסלות *ramuſculi*, ſeu *palmites* tenuiores, ſeu *vitium flagella*, ſe circumplicantia, & longa ſerie fundentia; unde *adtollendi* orta eſt ſignificatio, & ad vias longa ſerie ſtratas ac exaggeratas tranſiit *e*. Unde סלה ſignum elevationis animi & vocis. Poteſt itaque סלו 1. ſignificare animi & vocis elevationem, ut in cantu ſublimi & triumphabundo: acſi eſſet, dicite סלה. Quod confirmatur ex verſ. 33, 34. ubi vox סלה inſeritur, plane ut hic סלו. Acceperunt ſimili ſenſu Chald. & Syr. & Ex. XV: 2. ejus loco occurrit רוממה. Sed 2. capi quoque poteſt per ellipſin vocis דרך, de via concatenata, plana & aggeſta; uti aliis in locis occurrit, quæ ex Lex. ſatis nota ſunt. Quod cum verbo *equitare* propius convenit. Quando ad morem, ſatis receptum, in regum & ducum publica & ſolenni deductione respicitur, quo via aptatur & aggeritur; & ſenſus erit, regem & ducem illum ſolenniter & cum pompa eſſe deducendum, nec non animis bene diſpoſitis ac præparatis, qui *cum via* plana & ſtrata comparari ſolent, ut Jeſ. XL, LXII. & *alibi*: *conjungamus utrumque* ſenſum, huc apte quadrantem, & videamus, quid ſibi titulus *equitantis in deſertis* velit. Dubium mihi non eſt, quin ad Deum respiciatur, qui, Aegyptiis proſtratis, in deſerto Arabiæ triumphabundus quaſi inceſſit ad montem Sinai, ubi ſedem capeſſivit, in ſignum liberationis populi a Cananæis, & tranquillæ habitationis in Cananæa: præterquam quod ad canticum, Ex. XV. respiciatur, deinceps verſ. 10 & 18. montis Sinai expreſſa fit mentio. Deus itaque proponitur populo liberato laudandus tanquam *equitans* in *deſerto*, ut 1. in memoriam revocetur mirabilis illa victoria de Aegyptiis reportata, & Dei triumphantis proceſſus ad montem Sinai, ubi populus eſt formatus

e Vid. Schultens ad Prov. IV: 8.

in *regnum ſacerdotale;* principium & fundamentum omnium ſequentium liberationum, & bonorum. 2. Deus hic repræſentaretur, tanquam liberator, vindex & dux, populi ſui, qui, hoſtibus ſuperatis, & populo in ſtatum felicem ac liberum educto, ſedem ſuam in medio populi capeſſit triumphabundus; ut a populo debite celebretur & colatur; quod figurate eſt *viam* ſternere & exaggerare. Quæ latius non deduco,) *Jah*, vel *in Jah*, *nomen ejus*, (h. e. meretur cantu & pſalmo celebrari, ac ſumma cum reverentia, animis præparatis, recipi, quia nomen ejus eſt purum putum, ſummo gradu, יה, ſive *concinnum* & præciſum, ſive *verendum.* Alii vertunt, *in decore nominis ejus*, ſc. equitanti, ut ſit ſignum & vexillum quaſi ejus: ſed obſtat 1. ne de accentuatione dicam, quæ has voces a præcedentibus ſeparat, cui tamen verſiones antiquæ adſtipulantur, quod יה non occurrat in ſtatu conſtructo: non enim יַהּ ſed יָהּ punctatur. 2. quod phraſis, *equitare in decentia nominis ſui*, ſit inſolentior. Rectius itaque ב in ביה cum emphaſi ſtatuitur abundare, ut ſæpe alias *a*, adeoque dicere, nomen Dei eſſe ſumma emphaſi יה, ſive *decorum*, ſive *verendum;* prout vel a יהה ſive יאה, vel a יהה cum ה mobili derivatur: ſi a יהה, per apocopen *tertiæ*, relicta media, quæ eſt mobilis, quare *mappik* habet, denotabit *pulchrum*, harmonicum; proprie, *præciſum*, inde apta circumciſura corporis omni parte commenſuratum, & ita pulchrum ac decorum; radix enim proprie dicit, *ſecare*, *præcidere.* Sed ſi a יהה, quod maxime regulare eſt, denotabit *nomen verendum;* nam apud Arab. teritur radix in *religioſo tremore*, a primaria virtute *tremendi.* Quod huc, & in alia loca, aptius quadrat, ut Ex. xv. & Pſ. lxxxix: 9. *quis ſicut tu*, יה חסין *robuſtum numen verendum:* חסין enim robuſtum, & invicto robore pollentem denotat. Fr. Hare *b*, Vir eruditus, legit שמחו pro שמו quod non foret rejiculum, cum verba hæc & alibi conjungantur, ut Pſ. ix: 3, 5. & Jer. l: 11. Sed opus non eſt, uti

a Vid. ad Pſ. xxxix: 7. *b* In libro Pſ. metrice diviſo.

uti nec cum Cappello * כי יה *quia Jah nomen ejus*, cum ביה ſit emphaticum, & כי *quia* in ſtylo adfectuoſo facile omittatur,) & *exſultate coram ipſo.* Quod nihil habet difficilis: tantum notetur, conſtrui etiam poſſe cum præced. *in Jah nomine ejus*, ut ſit, *in Jah nomine ejus etiam exſultate coram ipſo:* quemadmodum, Ex. XV: 2. *robur meum & pſalmus meus Jah!* & Pſ. LX: 8. *in ſanctitate ejus exſultabo:* uti verti quoque poteſt.

§. XIV. ב. Formula cantici, eo tempore canendi, verſ. 6, 7. his verbis exhibetur. *Pater pupillorum, judex viduarum* eſt *Deus in habitaculo ſanctitatis ſuæ: Deus* eſt, qui *ſolitarios habitare facit domum, vinctos educit in nexas conglobationes: ſed refractarii decumbentes habitant glabritiem.* Quæ verba non continent elogium ſimpliciter Dei, cantico celebrandi, ſed ſummam cantici, & ea ratione cum ſuperioribus cohærent; acſi haberetur: *cantate* in hunc modum; *dicentes*, vel, & *dicite.* Qualia exempla in hoc Pſ. & ſæpe alibi occurrunt: Non enim dicitur, cantate Deo, *patri, educenti &c.* ſed *pater eſt Deus*, &c. *Deus eſt habitare faciens*, &c. Verba α. exponam β. ad ſubjectam materiam adplicabo. α. Deſcribitur hic *a.* felix populi Dei conditio, verſ. 6, 7. *b.* infelix & miſera hoſtium & improborum verſ. 7. *ultimo* membro. *a.* Deus in priore parte celebratur 1. tanquam *pater pupillorum & judex viduarum*, verſ. 6. quatenus ſe perſonarum imbecillium, & oppreſſioni expoſitarum, præſtitit & præſtat tutorem, patronum, vindicem: quod facit, iis neceſſaria ſuppeditando, easque ab oppreſſione liberando, ut & in eo collocando ſtatu, quo libertate, & rerum omnium copia, frui poſſunt. Tituli *patris* & *vindicis*, licet apte ſint diviſi, ut prior ad *pupillos*, poſterior ad *viduas* referatur, conjungendi tamen ſunt in utroque membro; ita ut & *pupillorum* & *viduarum* ſit *pater* ſimul, ſimul *judex* & vindex, quatenus eos benevolo proſequitur adfectu, curat, ſuſtentat, & eorum cauſam agit, ſive oppreſ-

* Crit. S. p. 272.

ſiones avertendo, & in ea collocando conditione, qua nihil metuendum habeant; ut in bene conſtitutis rebus-publicis & regnis. Significatur itaque, Deum eos 1. tempore oppreſſionis fuiſſe tutatum 2. inde liberaſſe & vindicaſſe, 3. in tuto collocaſſe. 2. Laudatur tanquam qui *ſolitarios habitare fecit domum*, h. e. nulla familia gaudentes, aut ſperantes, numeròſa ac felice ſobole beavit. *Solitarii* & *domum* habentes opponuntur, adeoque *illi* ſunt, qui familia ejusque ſpe orbi ſunt, *hi*, qui numeroſa gaudent & fortunata: ſicut *domus* frequenter pro *familia* venit: uti notum, & ab aliis ſatis obſervatum eſt. Conf. Ex. 1: 21. Pſ. CXIII: 9. 2 Sam. V: 11. Ruth. IV: 11. 3. Denique, qui *vinctos exire facit in nexas conglobationes*, h. e. non tantum captivos liberat, ſed & longe aliam ac lætiorem conciliat coagmentationem, & aptam ſocietatem. Verbum מוציא, proprie *emicare faciens*, illuſtrem liberationem, & coruscam, qualis fuit Israelitarum ex Aegypto, & ſub Hizkia, ex gr., deſignat. De quo ad Pſ. LXVI: 12. jam monui. Radix vero כשר originem habet in *apte nexo & conglobato*, & כשרות dicit *conglobationem* nexam, cum *ſocietatum*, tum *fortunarum* *a*. Quod ſicut huc recte quadrat, ita elegans eſt & acutum; ut facile adparet. Alii aliter inſtituunt, quos mitto. *b*. Infelix improborum ſors his verbis proponitur; *at*, ſeu veruntamen, *refractarii decumbentes habitant glabritiem*, h. e. hoſtes Dei & improbi obſtinati longe oppoſitam ſunt nacti ſortem, infelicem plane & miſeram, qua omnibus bonis privati, omni conſolatione orbi & deſperabundi, decumbunt, & flaccescunt. Voces ſunt emphaticæ. Imbrobi et hoſtes adpellantur סוררים ſive a סור, geminata littera ר ad intendendam ſignificationem, proprie *flectere*, *flectendo ſtringere*, inde discedere cum niſu et contumacia, inſtar jumenti, manum retrahentis ſtringentis, et refractarii *c*, ſive a סרר proprie, *findere*, *ſcindere*, ex ſono ſumta anſa, inde refractarium

a Vid. Schultens ad Prov. XXXI: 19. *b* Vid. Vitringa ad Jeſ. XXX: 1.

rium et protervum esse, qui omnia frena obsequii scindit, & rumpit *a*. De illis dicitur, quod *decumbant*, vel decumbentes habitent *ariditatem*, seu aridam *petram*. Verbum שכן, quod proprietatem habet in *sedatione quieta*, usu suo & *habitare*, & in tentorio *diversari*, & *quiescere*, & *decumbere* ægrum, dormientem, mortuum denotat, Nah. III: 18. & ibi Schultens, Jes. XXXII: 24. & alibi. Indicatur itaque, eos refractarios 1. se *quietos* tenere, nec amplius oppugnare Deum & populum ejus, 2. fixam habere sedem, & statui esse adligatos, 3. ægros, dormientes, & mortuos quasi esse, in statu misero decumbentes. Additur ad hanc ideam amplificandam, צחנים *glabritiem*, & siccitatem nitentem. Radix proprie dicit, *nituit*, *splenduit*; unde ad terram transfertur, *soli expositam*, & *nitido ejus æstui patentem*, & porro ad petram *glabram*, quæ nitet & splendet, in qua ne gleba terræ conspicitur; ut Ez. XXIV: 7. nec non ad locum *aridum & siticulosum*, Jes. V: 13. *Habitare* vero *nitorem*, vel ariditatem & siccitatem, significat, versari & decumbere in statu inopiæ, miseriæ, ac desperationis, nec non sensu iræ Dei *urentis*; eaque ratione ab omni infestatione aliorum abstinere.

§. XV. Quæ diversa justorum & improborum sors, *illorum* læta & prospera, *horum* misera & adflicta, derivatur a Deo, *habitaculum sanctitatis suæ* incolente, cum in principio cantici dicitur, *pater pupillorum, & vindex viduarum est Deus in habitaculo sanctitatis suæ*; quod ad reliqua omnia extendi debet. Qua phrasi cum Tabernaculum, Templum, etiam Ecclesia & cœlum, in Script. veniat; illa omnia hic conjungi poterunt. Idem enim ille, qui *cœlum* pro sede Majestatis habet, olim inter Judæos sese præsentem stitit per Tabernaculum & Templum, & inter Christianos deinceps spiritualiter in Ecclesia sua. *Habitaculum sanctitatis* est, ubi Deus *sanctus* versatur, summa Majestate, & gloriosis virtutibus justitiæ & bonitatis, præditus, earumque manife-

a Kuypers ad Ali p. 172.

manifesta dat signa in piis & justis servandis, & impiis puniendis. Quæ uberiore expositione non indigent.

§. XVI. Videamus nunc β. *quo* hæc omnia tendant, & in quænam tempora conveniant. Hasce providentiæ Dei rationes & vias existimaverim speciatim in hoc cantico, quod populo Dei præscribitur canendum, memorari & celebrari 1. ut populus grata mente recoleret insignia, quæ consecutus erat, beneficia, 2. lineæ aliquæ felicitatis populi ducerentur, & populus ejus notitia probe imbueretur. 3. excitarentur ad Dei vias hac parte imitandas, & exprimendas. 1. Quod ad *primum* adtinet, digitus quidem intenditur ad beneficia, olim in populum ex Aegyptiaca servitute liberatum, collata; sed directe certa quædam tempora indicantur, quibus bona illa renovata fuerunt; & novam celebrationis Dei materiam suppeditarunt. Respici ad populi conservationem in Aegypto & liberationem, ipsæ phrases, & adlusio ad canticum Mosis Ex. xv., ut supra observavi, satis evincunt. Gessit enim Deus tunc temporis *pupillorum* ac *viduarum* præcipuam curam, cum populus sub tyrannico gemeret domino, & populum ipsum, tunc tutela humana carentem, oppressioni obnoxium, ac in conditionem *pupillorum* ac *viduarum* redactum, conservavit, sustentavit ac tutatus est; denique causam populi oppressi luculenter vindicavit, hostes puniendo, & populum liberando. Præterea populum in Aegypto valde multiplicavit, adeo ut ex 70 animabus in immensam creverit multitudinem, & dici potuerit, *solitarios in domum* seu familiam fuisse ductos; uti Ex. 1: 21. habetur: quod deinceps magis est continuatum, cum in terram Cananæam est immissus, & *stabiles* est nactus sedes. Denique *vinctos*, & dura servitute pressos, Israelitas in Aegypto non tantum liberavit, sed & in nexas conglobationes, seu societates arcte unitas, & in bene ordinatam remp. colligavit; tandem hostes & impios refractarios, sive Aegyptios, sive rebelles Israelitas in deserto, miseros reddidit & adflictos. Ad quæ beneficia adlusum est, ut eorum memoria

ria ſemper renovaretur, & populus ea conſideraret tanquam primordialia & fundamentalia ſequentium. Sed directe intenduntur beneficia, quæ populus in ſequentibus, variis periodis, conſequeretur, quando Deum propterea celebraret. Mactatus autem eſt hisce bonis *tribus* inprimis vicibus illuſtrioribus poſt hoc canticum compoſitum; tempore Davidis & Salomonis, dein Hizkiæ, & denique, poſt exſilium Babylonicum, proprie ſub Maccabæis: quæ periodi in ſeq. expreſſius recenſentur. Quam apte vero in ea tempora conveniant, adeo ut eorum fere etiam characteres ducant, in oculos facile incurrit. Fuit enim tunc populus, antea imbecillis, & hoſtium ac impiorum inſultationibus expoſitus, vindicatus, & pupillis ac viduabus in populo ſecuritas procurata, populus valde multiplicatus, ac ditatus; ſimul ex vinculis & anguſtiis in bene compactas, & fortunatas, ſocietates redactus, hoſtibus & improbis repreſſis vel deletis. Deus denique in *habitaculo ſancto* degit, & ſe populo præſentem demonſtravit, ibique decenter cultus eſt. Quæ omnia tandem in Eccleſia Chriſti ſunt, aut erunt, conſummata. Quod ab Interpretibus, qui Pſ. ad Eccleſiam Chriſti directe adplicant, ſatis eſt expoſitum.

§. XVII. Quod vero, 2. ad *Secundum* adtinet, verbo *tantum obſervo*, hæc in ſpecie beneficia memorari, ut populus, *in ſtatu illo felici poſitus*, ad animum revocaret, felicitatem populi in eo eſſe ſitam, ut pupilli ac viduæ ſecure degant, & patrocinium inveniant, iisque bene & liberaliter proſpiciatur, populus procreationi ſobolis operam legitime, & ad domum recte ædificandam, det, & multiplicetur; denique ſocietates ſint bene connexæ, & fortunatæ, ſimul pax & libertas vigeat, omni oppreſſione, ſive externa, ſive inteſtina, remota; Deus tandem in habitaculo ſanctitatis ſuæ ſe præſentem ſiſtat populo, & ab eo debite colatur ac celebretur. Denique 3. eo hæc collineant, ut populus *officio* ſuo inſtrueretur, & ad illud exemplo Dei excitaretur; ut ſeſe hac ratione disponeret ad Deum, ducem &

 ſervatorem

ſervatorem ſuum, digne excipiendum, & ſecum retinendum. Quo pertinebat, pupillis & viduabus adeſſe & proſpicere, domos ſeu familias ſuas recte curare, & fortunatas reddere, vinctos ſeu oppreſſos liberare, & Deum in ſancto habitaculo ſuo ſancte colere. Qua ratione cenſeri poſſent *viam* æquare ac exaggerare Duci & imperatori ſuo, ad ſe venienti; ut verſ. præced. erat dictum. Quæ *inſtructio* & *admonitio* ad diverſa illa tempora, quibus hæc bona conſequeretur populus, facile poterit adplicari.

§. XVIII. *Secunda* Pſ. pars, qua nonnullæ illuſtriores periodi recenſentur, quibus modo in genere expoſita præberentur, majore minoreve gradu, conſpicienda verſ. 10--36., præmiſſam habet illuſtriſſimam & tremendam Dei manifeſtationem in deſerto, & in monte Sinai, tanquam fundamentum et emblema ſequentium adparitionum Dei ad populum ſuum liberandum et felicem reddendum, verſ. 8, 9. *Deus! cum emiſeres coram populo tuo, cum magnifice gradireris in ſolitudine horrida, Selah! Terra tremuit, etiam cœli ſtillarunt a coram Deo. Hic Sinai a coram Deo; Deo Israelis.* Quæ verba et ſenſus et ſcopi reſpectu varie admodum accipiuntur, paſſim minus recte, a nonnullis in perverſum longe ſenſum. Cujus rei conſpectum dare non licet. Ipſi Interpretes ſe mutuo ſatis refutant. Noſtrum fuerit, verba explicare, et ad ſcopum adplicare. Quem in finem *duo* vel *tria* in anteceſſum ſunt probe notanda. *a. Primum* pertinet ad ſingularem ſtructuram, minus animadverſam; qua ſermo verſ. 8. per *Selah* abrumpitur, et verſ. 9. non ad Deum, ut verſ. 8., ſed de Deo ſermo fiet: cujus ratio eſt, quod verſ. 8. per apoſiopoſin, vel reticentiam, intelligenda et ſupplenda præbeantur, et majora eſſe indicetur, quam quis debite poſſit eloqui; verſ. vero 9. unum alterumve tantum ſpecimen proferatur eorum, quæ ſilentio erant involuta: auſi diviſſet poeta, o Deus! cum tu coram populo tuo exires et incederes in deſerto, quæ et quanta non fuerunt tuæ tremendæ potentiæ et bonitatis ſpecimina et

effecta

effecta conſpicua! plura & majora, quam eloqui poſſim; notiora, quam ut recenſere neceſſe habeam: unum alterumve, ſi velitis, ſermone ad auditores verſo, ecce! *terra tremuit coram Deo*, &c. Cohaerent quidem verba verſ. 9. cum verſ. 8. ut ſtructura ſermonis docet, et a nonnullis recte obſervatum eſt, nec diverſae ſunt perſonae loquentes, uti ex voce *Selah!* male concluditur, ſed ita connexa ſunt, ut verſ. 8. ſermo abrumpatur, ſilentio involutis majeſtatis Dei ſignis, quae Dei inceſſum fuerunt comitata; verſu autem 9. pauca ejus memorentur, ſermone non ad Deum, ſed de Deo, inſtituto. Vox סלה, cujuscunque etiam ſit poteſtatis, de quo alibi dixi, ſermonem ſemper abſolvit; uti et hic, ea, qua dixi, ratione. *Apoſiopeſis* vero inſigni pollet emphaſi, et facile ſupletur, uti feci. Sic Jeſ. LXIV: 3. *Cum faceres tremenda, quae non exſpectabamus, dejcendiſti, a facie tua montes fluxerunt, & a ſeculo non audiverunt, &c.* Conf. etiam Pſ. XL: 6—.

§. XIX. β. *Secundum* eſt, duplicis generis citari magnifici inceſſus Dei ſpecimina, verſ. 9. *alterum* terribile, *alterum* amœnum et ſalutare, *prius* juſtitiae Dei terrificae in terrae concuſſione, *poſterius* bonitatis Dei ſingularis, *in cœlorum ſtillatione* conſpicuum. *Concuſſio terrae*, qua *in tremorem conjicitur*, quae vera poteſtas eſt verbi רעש, proprie *tremuit*, *concuſſus fuit motu*, potiſſimum exteriore, terribilis Dei potentiae ſignum eſt, & de populorum ac regnorum exitioſis motibus ſumi ſolet, uti notum eſt, adeoque ad hoſtes & impios proſtratos respicit, quorum modo facta fuerat mentio. Sed *cœlorum ſtillatio*, ſeu donorum cœlo demiſſorum, ſive ſit pluvia, ſive ros, ſive cibus & potus, ad hominum refrigerium, ſuſtentationem & delectationem, bonitatis Dei eſt indicium, & ad populum Dei ſpectat, qui divinitus alitur & recreatur. Interpretes paſſim aliter capiunt. Sed & verbum נטף *ſtillare* nos eo ducit, & ſuperiora, quibus aeque bona in populum Dei collata, ac judicia in hoſtes Dei, fuerunt recenſita, requirunt, denique *ſequentia*,

verſ. 10. extra dubium collocant, cum mox *fluxus imbris munifici* in *hæreditatem* Dei celebretur. Verbum vero נטף in origine dicit *eliquationem*, ſeu expreſſionem *liquoris ſincerioris*, & *interioris*, unde, *ſtillare*, *ſtillatim fluere*, & נטף *ſtacte*, στάκτη *ſtillatio*, aroma exquiſitiſſimum, *ſtillis* eliquatum; eſt enim ſinceriſſima pars *myrrhæ*, *ultro exſtillans*; & נטיפות *inaures*, guttarum inſtar de auribus q. deſtillantes, & ipſam *ſtillaturæ guttæ* pellucidam & oblongam figuram exprimentes *a*. Unde נטף transfertur ad prophetas, ſermonem ſuum *eliquantes* quaſi, ut ſumma cum puritate & ſinceritate de eorum labiis *deſtillet*. Quod mox uſui erit. Nec alium conſpectum habet hoc verbum, Jud. v: 4. quo hic adluditur, ubi ad *aquas* ſtillantes etiam refertur.

§. XX. γ. *Tertium* eſt, voces זה סיני *hic Sinai*, ut vertendæ ſunt, ſecundum verum & uſitatum voculæ & ſtructuræ ſignificatum, respicere quidem ad proxime præcedentia majeſtatis Dei ſigna, in eo monte aliquatenus conſpicua olim facta; ſed non ita cohærere, ut, quæ modo dicta erant, ad montem Sinai reſtringerentur, verum per ſe ſtare, & novum ac illuſtriſſimum majeſtatis & præſentiæ Dei in bonum populi ſignum continere, quod non exprimitur, ſed per reticentiam extollitur, & cogitandum relinquitur: ut ſit, hic tam excellens, ſimul aridus & petroſus mons, *Sinai*, quid qualisque fuit coram Deo? vel, quam excellens majeſtatis Dei indicium præbuit, majus quam exprimi poteſt. *Hic Sinai* ſcilicet, quanta ei contigerunt illuſtria ſpecimina! quam hac parte excellens, & mirabilis! tremuit & ipſe, ac certo ſenſu ſtillavit, & alia bonitatis plane ſingularis indicia prætulit. Voces, *hic Sinai*, manifeſte a ſuperioribus, *terra & cœlis*, diſtinguuntur; nec *tremor* ejus præcipuum fuit, quod eum reddidit celebrem; ut ejus expreſſa tantum fieret mentio, nec *ſtillationis* ejus, proprie dictæ, mentio occurrit, Ex. XIX. cum Deus ſeſe in eo manifeſtavit. Vocula denique זה *hic* ad excellentiam ejus amplificandam in genere

a Vid. Cl. Schroeder ad Jeſ. III. cap. 4.

genere tendit, ut ſit, hic quam excellens *Sinai!* quot & quanta non habuit majeſtatis Dei ſigna, in bonum populi? Vocula illa non tantum demonſtrat perſonam, ſed ſimul *excellentiam* ejus extollit, ut Jeſ. XXV: 9. 1 Reg. VI: 12. XXI: 2, 5. Jer. VI: 16. XIV: 13.

§. XXI. *Explicemus* nunc verba, ſed paucis, ea relegentes. *Deus!* (ut te adloquar, illuſtre tuum factum celebraturus, olim populo tuo præſtitum; & poſtea præſtandum, ut opto & prævideo, tuo Spiritu ductus,) *cum exibas coram populo tuo*, (proprie *emicabas*, pompoſe & triumphabunde *exibas* coram populo tuo, ab Aegyptiis liberato, inſtar glorioſi & triumphantis ducis, populum in ſtatum felicem & prosperum deducentis. *Populus* hic conſideratur, tanquam jam liberatus, Aegyptiis partim multis judiciis adflictis in Aegypto, partim in aquas maris rubri demerſis; & *egreſſus* Dei non tam eſt bellicus, ad hoſtes profligandos, quod jam factum erat, quam triumphabundus & pompaticus, ad populum felicem reddendum, & in terram ſuam, ſtatumque prosperum, transferendum. Quemadmodum יצא ſpeciatim exitum in libertatem & felicitatem denotat, & lætitiam ac pompam adfert: uti Pſ. LXVI: 12. & alibi vidimus,) *cum gradiebaris in ſolitudine*, (horribili proprie & vaſta, ubi nec ſata & fruges, nec gramina, nec aquæ, ſed omnia ſqualent & horrent: quæ vera eſt vocis תימן poteſtas. Arab. ימן eſt *ſplenduit*, *ſplendicavit* quam *nitidiſſime*; unde etiam ad deſertum ſplendicans tranſiit, ubi omnia æſtu ac ſiccitate glabra ſunt, nitida & ſiticuloſa. Præterea, ſicut ימם poteſtate pollet *ſiderandi*, & ad talem refertur vaſtationem, quæ vel ex aere infecto, adurente omnia, oritur, vel ex *vento* peſtilenti. Quæ omnia in deſertum Arabiæ, ſecundum aliquam ejus partem, recte conveniunt. Conf. Deut. I: 19. VIII: 15. XXXII: 10. & ibi dicta. Quo epitheto *deſertum* hic inſignitur, ut *bonitatis* & *potentiæ Dei* in populi ſui commoda fieret illuſtrior demonſtratio. Hac in ſolitudine horrida Deus dicitur magnifice & ſecure inces-

fiſſe, inſtar ducis potentiſſimi, & ſibi ac ſuis abunde ſufficientis, ſine ullo ſcrupulo aut metu. Utitur poeta verbo emphatico, & in rem apto, יצע, cujus proprietas eſt in greſſibus majoribus, diductioribus, ſimul compoſitis & pompaticis, quod Lat. *ſpatiari* eſt, ſicut pro greſſu *magnifico* ſumitur, Prov. xxx: 29. Job. xviii: 24. [a]. Ceterum reſpicitur ad *inceſſum* Dei ante populum ſuum per totum deſertum, usque ad introitum in Canaanæam: cum in genere Deus dicatur *ſpatiatus* in *deſerto*; non itaque ad montem Sinai tantum usque, ſed per totum deſertum. Quod recte eſt notandum.)

§. XXII. *Terra tremuit, etiam cœli ſtillarunt a coram Deo*, (ſcilicet, cùm tu, o Deus! per deſertum, quam horribile etiam & ſterile, magnifice incedebas; quam multa & magna dediſti tuæ potentiæ & omniſufficientiæ ſigna & effecta, quæ recenſeri & laudari ſatis nequeunt? quo vocula *Selah!* ut dixi, inſerta, & ſermonem abrumpens quaſi, tendit; unum autem & alterum, & terribilis potentiæ, & bonitatis, ut memorem ſpecimen, ecce! ſermone ad ſocios verſo, ſeu a Deo ſimpliciter averſo, *terra tremuit, etiam cœli ſtillarunt a coram Deo*, h. e. horror & metus fuit populis vicinis quaquaverſum incuſſus, & ipſorum deſtructioni, ſeu fugæ præluſum fuit, quæ etiam ſecuta eſt; verum etiam quævis bona & dona cœlitus effluxerunt in ſinum populi ejus, ad eum alendum, refrigerandum, & omnibus neceſſitatibus prospiciendum, adeo ut ſecure, tuto, & omnium bonorum cum abundantia fuerit verſatus in deſerto, licet tam arido & terribili. *Terram* proprie *tremuiſſe*, cum Deus inceſſerit per deſertum, *cœlos* aquam demiſiſſe, nusquam legimus; de *monte Sinai* concuſſo tantum conſtat, ſed ſemel, non cum Deus inceſſit, ſed ſuper eo monte conſedit, adeoque huc non pertinet; quare improprie utrumque eſt capiendum, *prius* de *timore* populis incuſſo, & deſtructionis ſecuturæ ſigno; *poſterius*

[a] Vid. Schultens ad l. c. & Hackman ad Gen. xlix: 22. nec non Schroeder ad Jeſ. iii, c. 8.

posterius de quibusvis bonis de cœlo missis in usum & commodum populi, etiam secuturæ felicitatis signis. De *priore* facile constat ex historia, ut Jos. II: 9. & Moses Ex. XV: 14. &c. diserte locutus est: phrasis vero *tremoris terræ* satis usitata est in script. de populorum concussione & subversione; quæ hic indicatur simul; ut dixi. *Posterius* vero illud conspicuum fuit, *cum* in *manna*, cœlitus, instar roris, defluente, *tum* in aqua miraculose suppeditata, per petras percussas, & fluidas factas, aquas quasi de cœlo mittentes. *Cœlorum stillatio* recte *ad Manna* refertur: uti Ps. LXXVIII: 23—. Deus *nubibus* legitur *præcepisse*, *portas cœlorum aperuisse*, *& pluisse super ipsos Manna*, *ad edendum & frumentum cœlorum dedisse*; imo *carnem* quoque per coturnices ipsis concessam complectitur, quemadmodum *pluisse* Deus quoque dicitur *carnem*, ibid. vers. 27. Quod vero ad *aquas* adtinet, etsi de *pluvia* proprie dicta nihil legamus, eam aliq. fuisse miraculose concessam præsumere licet; sed ejus instar fuit aqua per montes & petras demissa: quod idem est, acsi cœli stillassent: quemadmodum de *nubibus* & *montibus* diserte habetur, Jud. v: 4, 5. quo hic respicitur, & unde noster locus supplendus est, & explicandus.)

§. XXIII. *Hic iste Sinai a coram Deo*, *Deo Israelis*, (h. e. Sinai *inprimis celebris* factus est, & multa ac illustria prætulit bonitatis Dei signa erga populum; ita ut digito monstrari mereatur, & dicier, *hic est*; sedes quippe Dei non tantum in genere, sed *Dei fœderati* populi Israelis; quo de monte lex pronunciata est, & fœdus inter Deum & populum ictum; quo nos manifeste ducit titulus *Dei Israelis*: cujus ea est, quam dedi, ratio, in fœdere tunc pacto quærenda. Poeta quidem non expresse memoravit, quid huic *monti* tunc contigerit, quia celebritas ejus satis nota erat, & silentio eam magis extulit, ut supra dixi; attamen tacite eam insinuavit, *cum* per titulum *Dei Israelis*, coram quo *Sinai* fuisse dicitur, *tum* per *eliquationem cœlorum*, modo memoratam, quæ & huic *monti* adplicari certo sensu, sed multo

to nobiliore, poteſt. *Cœli* enim ſuper hoc monte recte cenſentur *ſtillaſſe*, quatenus Deus 1. favorem ſuum, & omnigenam benedictionem, populo hic promiſit, fœdere cum magnis promiſſis cum ipſo pacto, unde omnis felicitas ad populum manavit. 2. *legem* de hoc monte promulgavit, & populum docuit viam ad felicitatem; ſimul per Moſen omnia ad religionem & civitatem ordinandam docuit. Quod in Script. ſolet verbo hoc נטף *ſtillare*, ut ſupra obſervavi, ſignificari. *Tremoris* itaque, modo etiam memorati, non tam, quam *ſtillationis* cælorum ratio habenda eſt, reſpectu *Sinai;* quemadmodum Jud. v: 5. etiam indicatur, ubi uno tenore legitur, *montes fluxerunt*, *coram Deo*, *hic Sinai* &c.)

§. XXIV. Inquiramus, reſtat, in *ſcopum* horum verborum, quorſum tendant. Poeta, illuſtriores periodos liberationis populi & prosperitatis recenſiturus, ut ſpiritu prophetico ductus facit in ſeq., magnificum Dei inceſſum coram populo per ſolitudinem Arabiæ, cum ejus ſignis concomitantibus & effectis, præmiſit α. tanquam futurarum liberationum & prosperitatum omnium *fundamentum & originem;* adeoque & *ſpei* ac exſpectationis populi principium. Qui verus eſt redemtionis populi e ſervitute Aegyptiaca, cum Aegyptiorum multiplici clade, & manifeſtationis Dei in monte Sinai, conſpectus. Populum enim hac ratione ſibi adſeruit, fœdus cum eo tunc pepigit, & ſeſe publice declaravit ejus vindicem, tutorem, & ſervatorem; magnificis denique promiſſis ſeſe ei obſtrinxit. Quæ omnia notiora ſunt, quam ut nos detineant. Quæ etiam ratio eſt, quare ad hoc capitale & originale beneficium ubique provocari ſoleat in precibus, & Deus ipſe illud citare ubique introducatur tanquam cauſam, quare populum illum ferat, liberet, & felicem reddat. Quæ ubique recurrunt. β. Conſiderari vult poeta hunc antiqui temporis caſum, quod cum ſuperiori arcte cohæret, tanquam *ſignum* ſequentium liberationum, inprimis illuſtrium & miraculoſarum, quales mox in medium

dium profert; ex quo colligi poſſit, quid, quave ratione, Deus populo facturus ſit; quid populus identidem exſpectandum habeat; adeo ut, in rebus quoque deſperatis, Deus populo ſuo ſit potenter & benigne adfuturus, hoſtes proſternendo, & populo quævis bona procurando. Quemadmodum olim fecit, cum populum ab Aegyptiis liberatum duxit per deſertum, & hoſtibus terrorem incuſſit, eos ſubjecit, populo abundanter prospexit, ita in poſterum aget, cum res exegerit, hoſtes identidem reprimendo, & populum Israelis felicem reddendo. Quæ rationes ſunt, quare ad hunc caſum digitus ſoleat intendi in deſcriptione mirabilium potiſſimum liberationum, earumque lætorum conſequentium: uti in cantico Deboræ, Jud. v. Pſ. XVIII, & Habac. III. ne alia memorem. γ. Denique, cum liberationum populi Israelis *conſummationem* in Eccleſia Chriſti, per orbem diſſeminata, quoque in oculis habuerit poeta, *ut* ſupra vidimus; primum hoc & fundamentale beneficium, Israeli conceſſum, respici ſimul vult, tanquam novæ œconomiæ erigendæ inter Gentes *typum* vel *emblema*; quo expicta fuit Eccleſiæ introductio in terras gentium, ejusque multiplex defenſio & benedictio, donec orbem ſibi ſubjecerit per Euangelium. Cujus comparationis conſpectum jam dedit Cl. Vitringa [a]; in eo, quod ſalvo ſummi Viri, & æſtumatiſſimi mei Doctoris, honore dictum ſit, tantum errans, 1. quod primo & directo ſenſu tranſtulerit hanc pericopam ad Eccleſiam Chriſti, ex falſa hypotheſi Pſ. exponendi; de quo ſupra egi. 2. quod *montem Sinai* reſpexerit tanquam emblema vel Eccleſiarum in orbe Rom. in genere, vel *Antiochiæ*, metropolis Syriæ, ubi nomen *Chriſtianorum* primum incepit. Quæ minus ſolida ſunt, & longe quæſita. *Sinai*, vel locum non habet in conſpectu myſtico, cum omnia non neceſſe ſit transferre, ubi ſenſus typicus non primus eſt & directus, vel emblema eſt *cœli*, aut Eccleſiæ *Apoſtolicæ*, ſive utriusque ſimul: ſicut & Tſion

a Comm. Belg. verſo ad h. Pſ.

eſt, cui respondet tunc *Sinai*, uti verſ. 18. *Sinai in ſancto. Sinai* enim hic occurrit, tanquam ubi Deus ſedem habuit, unde cœli ſtillarunt, lex promulgata eſt, & benedictio manavit ad Israelem.

§. XXV. Pergit, hoc jacto fundamento, poeta ad illuſtriores periodos felicitatis Eccleſiæ Judaicæ recenſendas, verſ. 10—30. Quarum α. prima, ad prosperrimum regnum Salomonis in primis pertinens, verſ. 10—14. vivis depingitur coloribus. Ubi *a.* proponitur ejus felicitas, verſ. 10—13. β. confirmatur & amplificatur, verſ. 14. *a.* In propoſitione *a.* prosperitas in genere deſcribitur, verſ. 10—12. *b.* relate ad hoſtiles populos in ſpecie, verſ. 13. quæ duo hic memorantur, tanquam *tremori terræ* & *ſtillationi* cœlorum, de quo modo erat dictum, respondentia; quod probe advertendum eſt. *a.* Incipit oratio prophetica a futura felicitate, benedictioni Dei accepta ferenda, *ſtillationi cœlorum* in deſerto ſimili, cujus proxime facta erat mentio, eadem retenta fere phraſi, verſ. 10. quæ mox magis proprie exponitur, & latius deducitur, verſ. 11—12. 1. Phraſi metaphorica, his verbis exhibetur prosperitas, verſ. 10. *Imbrem exuberationum evibrabis, Deus! in hæreditatem tuam, quam tu ad incitas redactam firmaſti.* h. e. Cum Tu, o Deus, terram Cananæam, quam Tibi in uſum populi tui elegiſti, & tuam feciſti, valde oppreſſam, & ad ſummas redactam anguſtias, firmare jam cœperis, inteſtinis turbis ſedatis, & regno meo in ea ſtabilito; ea me firma tenet ſpes, quam implendam eſſe, in ſpiritu quoque prævideo, fore, ut liberaliſſimum benedictionis & ſpiritus imbrem in eam ſis cum coruscatione evibraturus, ad eam quibusvis bonis, corporalibus & ſpiritualibus, replendam; quemadmodum olim *cœli ſtillarunt* in deſerto. Duo ſunt *verſus* membra, *alterum* in fut., *alterum* in præt. expreſſum; quorum itaque *prius* bonum exhibendum, *poſterius* jam exhibitum, quo tempore Pſ. compoſitus eſt, continet. Qua ratione verba fut. & præt. temporis uſum ſuum retinent;

retinent, quem Interpretes ſine ratione confuderunt. *Prius* membrum habet: *imbrem liberaliſſimum evibrabis in hæreditatem tuam.* Vox enim נחלתך *hæreditas tua* cum præced. proxime cohæret, *cum* quod *ſubjectum* alias deficeret, quod imbrem recipiat, *tum* quod conjunct. ו & in תלאה diſtinguat a præcedente. *Hæreditas Dei* hic eſt terra Cananæa, quam Deus ſibi adſeruit in uſum populi ſui, in qua ſibi complacet, & ſe manifeſtat, uti liquet ex verſ. 11, ubi *caterva Dei*, ſeu populus ejus, in ea habitare dicitur, & verſ. 15. ubi reges ſiſtuntur expanſi *in ea*; de quo poſtea. Fert & alibi haud infrequenter eum titulum; ut Ex. xv: 17. Jer. 11: 7. & alibi: quemadmodum terræ hujus *producta* quoque *Dei* eſſe dicuntur, Ez. xvi. Hoſ. 11. & alibi. Hanc hæreditatem ſuam dicitur Deus *largiſſimo imbre repleturus.* Voces ſunt valde emphaticæ. גשם proprietatem habet in *ſpiſſa compactione*, & denotat gravi mole & onere ſuperne incumbere valde; גשם מטר ſunt moles aquæ pluviæ, deorſum ſuo pondere delatæ, & abſolute uſurpatur גשם pro imbre ſpiſſiore & graviore. Sed additur נדבות *exuberationum liberaliſſimarum*, ut de larga quidem, ſed ſimul benigna ac utili pluvia, quæ de liberalitate & bonitate Dei teſtatur, cogitaremus, adeoque in bonum, non in malum, ſumeremus. Verbi נדב *primaria poteſtas* eſt in *fluendo*, & exuberando, quatenus aliquid ſucci plenum madet, & ſponte fluit, præ ubertate, eſtque *uvescere*, præ *uviditate fluere*; unde transfertur ad *munificentiam* & *liberalitatem*, inde *ſpontaneitatem*, ſeu voluntarium & liberaliorem impetum. *Imber exuberantiarum* itaque eſt, largiſſimus, ex lubente dantis adfectu ortus, & terram uberrime irrigans, ac fœcundans. Hunc *imbrem* Deus traditur cum *coruscatione evibrare*; quæ eſt verbi נוף vera poteſtas, ſita in *coruscatione*, vel agitatione ſplendente, & præeminente ante oculos, vel vibratione eminentiore, unde pro *eminentia vibrante*, & procul oculos ferente, uſurpatur, & ad varias res adplicatur, hic egregie ad *pluviam*, quam Deus fecit *coruscare*, vel largiſſime per aerem

evibrare: adeoque indicatur, Deum denſiſſimum imbrem liberaliſſime quaquaverſum ſparſurum, & coruscare facturum ad jucundam refocillationem hominum, & terræ fœcundationem uberrimam. Hunc imbrem Deus dicitur *evibraturus in hæreditatem ſuam;* particula ב *in* per ellipſin omiſſa, ut alias ſæpe. Cum hac enim voce conſtruendum eſſe verbum נוף, modo demonſtravi; quod verſiones omnes antiquæ confirmant. Respici ad indolem Cananææ, per imbrem irrigari, & fœcundari, ſolitæ, facile patet: nec obſcurum eſt, directe & primo ſenſu frugum & productorum terræ abundantiam in uſum hominum & animantium denotari. In quo cum incolarum terræ præcipua ſit ſita felicitas, & *benedictionis* nomine veniat; ulterius ad quævis bona alia externa & corporalia, de favore Dei teſtantia, & ex fœdere Sinaitico fluentia, extendere licet. Denique cum *pluvia* ſoleat eſſe emblema *verbi Dei*, & *ſpiritus ejus*, ad hominum illuminationem, ſanctificationem & conſolationem, eorum bonorum copiam ſimul comprehendere fas eſt. De quibus ad Pſ. LXV. monui, & alii abunde dixerunt. Quam egregie vero hæc in tempora Salomonis conveniant, ut demonſtrem, opus non eſt.

§. XXVI. Confirmat poeta hanc prosperitatis exſpectationem ex præſente terræ ſtatu, collato cum præterito; his verbis: כי, vel *etenim*, *defatigatam tu firmaſti*, ſcilicet hæreditatem tuam, ex præced., quod facillimum eſt. *Defatigata*, & a ruina proxima, adpellatur relate ad omnia illa mala, quæ ante tempus regni Davidis ei contigerant. De quo abunde egi ad Pſ. LX: 3—5. Radix. נלאה proprie eſt, *tortus intortus fuit*, *obbæſit*, ut ſe expedire nequeat, hinc κοπιᾶν, & *defatigari*, cum adluſione ſæpe ad onus grave, quod torquet & elidit. Hanc adeo adflictam & oppreſſam terram Deus declaratur *firmaſſe*, quatenus inteſtinos motus jam repreſſerat, regnum Davidis erexerat, & ſtabiliverat, a Philiſtæis vindicaverat, Davidi promiſſum perpetui regni dederat; nihilque ſupererat, quam ut regnum amplificaretur,

tur, & a vicinis populis tutum redderetur; quod ab hoc tempore fieri cœpit. Quæ lætiſſima rerum in Cananæa cataſtrophe, a Deo mirabiliter procurata, futuram proſperitatem indicabat & promittebat; adeo ut dicere potuerit, proſperam reddes terram; cum eam jam firmaveris, & eo ipſo viam ad eam felicitatem ſtraveris, ejusque ſpem nobis feceris.

§. XXVII. 2. Propriis magis phraſibus eadem mox explicatius traduntur, per duos articulos verſ. 11, 12. Quorum α. prior ita habet, verſ. 11. *Cœtus tuus coagmentatus habitat in ea, firmabis bonitatem tuam inopi, o Deus!* h. e. cum ſocietas bene compacta, & ordinata, quæ tua eſt, Deus! in hac terra tua jam ſecure habitet, bonitatem quoque tuam dubium non eſt, quin cœtui huic, antea valde inopi & adflicto, ſis firmam redditurus & ſtabilem. Quemadmodum modo ex eo, quod Deus hæreditatem ſuam defatigatam firmaverat, deduxerat, Deum imbre largiſſimo eam eſſe irrigaturum; ita plane hic adſumit, & præmittit, cœtum Dei bene conglobatum in ea ſecuras & fixas jam habere ſedes, & inde repetit exſpectationem beneficentiæ Dei, cœtui huic inopi firmiter concedendæ. Membra enim verſus rurſus ita concinnata ſunt, ut alterum ſit in præt., alterum in fut. *Prius in præt.* habet, *cœtus tuus habitat in ea*, nimirum in præſentia, & ſecure, ac firmiter, ſimul bene ordinatus & compactus, in ea *hæreditate tua.* Interpretes hic varie inſtituunt, & nonnulli ſuaviter ludunt; quibus non immoror. Omnia ſunt ex noſtra hypotheſi facilia, & apta. Respiciunt verba ad præſentem Israelis ſtatum in Cananæa, & eo tendunt, ut ſpem futuræ proſperitatis faciant, & protendant, quæ mox promittitur: ſicut verſ. præcedente etiam obtinet. Verba ſunt ſelecta & emphatica. Populum Israelis ſui temporis ſcite & emphatice adpellat, Deum adloquens, חיתך *cœtum tuum coagmentatum*, oppoſite ad diviſiones præcedentes & varias diſſipationes; ut ſignificaret, populum jam eſſe adunatum, in unam ſocietatem conglobatum, &

unitum; ſimul bene ordinatum, ut *ſocietatem Dei*, legibus ejus jam vigentibus, & obſervari ſolitis, conſtituat. Hanc enim ſenſus amplitudinem continet vox חיה, cujus proprietas eſt in *coagmentatione*, *conglobatione*; & in unum compactione, unde multitudinem quoque hominum conglobatam, & in unam ſocietatem coagmentatam, denotat: uti & Pſ. LXXIV: 19. 1 Sam. XVIII: 18. 2 Sam. XXIII: 13. & alibi. De quo uſu alii jam expoſuerunt, ut Bochartus *a*. De propria verbi poteſtate quoque monuit Cl. Schultens *b*. *Cœtus itaque tuus* eſt, quem tu olim in ſocietatem coadunaſti ad montem Sinai, & tibi adſeruiſti in peculium, quemque disjectum nunc iterum coagmentaſti, ut ſub Davide factum erat. De hoc *cœtu* conglabato dicit, *eum habitare in ea*, his verbis: *cœtus tuus habitant in ea*, ut proprie ſonant; quæ conſtructio turbare neminem poteſt, cum *cœtus* contineat plures, & nomen collectivum ſit. Vocem vero בה *in ea* ad *hæreditatem* pertinere, & non, ut alii, *ad deſertum* verſ. 8. facile patet, quod *proximum* ſit, & mox eo referatur, verſ. 15. denique quod nullum ſenſum, nullam utique emphaſin habeat, *habitare in deſerto*. Sed *habitare* hic ſimul firmam & *quietam* denotat inhabitationem, quæ propria eſt verbi poteſtas, in *ſedatione quieta* ſita. Qui ſtatus fuit populi Israelis, quo tempore Pſ. eſt compoſitus; uti dixi, & notum eſt.

§. XXVIII. Hinc derivat poeta, ſeu confirmat, exſpectationem *felicitatis*, quam prædicit, & populus nactus inprimis eſt ſub Salomone, his verbis: *firmabis bonitatem tuam inopi, o Deus:* ſic enim voces vertendæ ſunt, redundante cum emphaſi littera ב, in במובתך; ut ſæpe alias, vel, *firmabis per bonitatem tuam inopem*, ut ל in לעני cum emphaſi abundet; quo modo recte accipi poſſunt verba, eodem manente ſenſu. Populum Israelis, quem modo *cœtum coagmentatum* adpellaverat, hic *inopem* cognominat, uti Pſ. LXXIV: 19. חית עניך, *cœtum inopum tuorum*, non tantum, quod

a H. p. 1. l. III. c. 5. *b* Ad Job. & Prov.

quod per se sit debilis & inops, cujus salus & robur in Deo est Ps. LXXXIV: 6. sed & respectu status præteriti, quo fuerat adflictus; quemadmodum modo *hæreditas defatigata* fuit memorata. In quo nihil est singularis. Tantum notetur, יעף a propria *fluendi* potestate inter alia transisse ad *inopiam* non tantum proprie dictam, qua *opes* defluxerunt, sed & humilem, depressum & infirmum, statum, quo *vires* & *præsidia* deficiunt. De quo vid. Schultens *a* & Schrœder *b*. Quod huc recte quadrat. Prædicit nunc, Deum hunc cœtum *per bonitatem*, aut ei *bonitatem suam*, firmaturum esse; quo beneficentiæ Dei abundantia in eum conferenda, ut firmiter adhæreat, indicatur; adeoque proprie exprimitur, quod vers. 10. figurate per *imbris liberalis* effusionem erat depictum. Quod uberiorem expositionem non postulat.

§. XXIX. *b*. Posterior articulus, qui priorem confirmat, & amplificat, ita sonat vers. 12. *Dominus dabit dictum, lætantium spissus erit exercitus.* h. e. Quod, Deum adlocutus, modo dixi, eum bonitatem suam cœtui suo, ante adflicto, confirmaturum esse, illud inde confirmo, ut me ad populum vertam, quod Deus promissum sit impleturus, & lætum ac felicem statum producturus, materiam denique & occasionem loquendi & canendi præbiturus; simul *ulterius deduco*, populi occupationem declarans in eo fore sitam, ut in pace & cum lætitia Dei bonitatem, ac suam felicitatem, publice & ubique prædicet. Verba continent *antecedens* & *consequens*, seu materiæ lætandi suppeditationem a Deo, & lætam populi occupationem in ea celebranda. *Prius* his verbis: *Dominus dabit dictum*; quæ pauca quidem verba sunt, sed ampliſſimum fundunt sensum; ex vario vocis אמר *dicti* usu eruendum: quem pandam, postea quam verbo notavero, sermonem subito flecti, & de Deo fieri, quia, quod modo Deum adlocutus dixerat, nunc confirmat & deducit. Phrasis vero, ut in rem veniam, 1. promissi implementum denotat, dicitque, Dominum promissum, quod Davidi & populo fecit, amplissimum,

a Ad Job. III: 2. *b* Ad Ps. X: 9.

pliſſimum, de regni firmitate & prosperitate, 2 Sam. VII, nec non populi in Cananæa felicitate, Gen. XLIX: 9, 11. ſenſu typico, & alibi, nunc eſſe præſtiturum, & impleturum. Vox אמר *verbum*, *dictum*, nonnunquam ad bonum refertur, quod alicui *addicitur*, ſeu promiſſum; uti Pſ. LXXVII: 9. *an in perpetuum exſpiravit benignitas ejus? reſectum eſt dictum in generationem & generationem?* Sicut & verbum אמר *dicere* pro *polliceri*, Jeſ. XXXVIII: 15. Num. XXIII: 19. & alibi. *Dare* vero *dictum* hoc ſenſu non erit ipſum *promittere*, ſed *præſtare*, in publicum proferre & ſiſtere. *Dare dictum* quidem eſt *eloqui*, verum cum Deus *dicit* & *eſt*, Gen. 1., loqui ejus & præſtare idem eſt, adeoque *dare* promiſſum recte eſt *præſtare;* ſicut *dare fructus* eſt in lucem edere; & *dare* in genere pro *facere*, *ut ſit.* Senſus itaque eſt, Deum *bonitatem confirmaturum*, ut modo dixerat, ſecundum *promiſſum ſuum*, quod *daturus*, ſeu impleturus eſt.

§. XXX. 2. Cum vox Hebræa אמר quoque *rem* ipſam, ſive *ſtatum* & *conditionem*, denotet, ut Job. XX: 29. & apud Arab. frequenter, ei quoque hic locus poterit dari, ut ſenſus ſit, Deum ejusmodi rerum ſtatum *daturum*, ſeu eſſe facturum, qui læta proferret præconia; ut ſeq. definit membrum. Quod phraſis, *dare ſtatum*, recte admittit; *dare* quoque, ſenſu divite, *pro concedere habendum* ſumitur; ut Num. XXXII: 5. 1 Reg. 11: 21. XII: 29. Dan. XI: 21. 3. Denique, quod adfine eſt, *dare dictum* quoque exprimit *materiam & poteſtatem* præbere loquendi, etiam *canendi:* cum אמר de *cantu* quoque uſurpetur, Pſ. XLV: 2. CXVIII: 2. Jeſ. XXV: 9. *Dare* vero pro materiam, occaſionem & poteſtatem, ſuppeditare, uſitatum ſatis eſt, ut inter alia Job. XXXV: 10. *dare cantica in nocte.* Quæ omnia huc redeunt, Deum promiſſam felicitatem populo conceſſurum eſſe in materiam lætandi & canendi: quemadmodum ſupra habuimus, & ad tempus Salomonis adplicuimus. Cujus characterem etiam quaſi ducit, quod ſequitur, *læta nunciantium exercitus ſpiſſus*, ſcilicet *erit*, qui felicitatem eam prædicaturus eſt, & in eo

fere

fere tantum occupatum ſeſe tenebit opere. *Nunciare* hic eſt, *adnunciare*, quo alter cum altero communicat lætum quid & jucundum, quod *exhilaret;* præterea *prædicare* & celebrare; *nunciantes*, proprie *nunciatrices*, eſt enim foemin. generis, cum adluſione ad foeminas cantatrices, quæ majore cum ſuavitate ac delectatione id agunt, ad augendam lætitiam, & ut ſimul ad quoscunque cives, debiliore ſexu non excluſo, extenderetur, chorearum quoque cogitatio ſuscitaretur, in quibus *foeminæ* ſuas partes habebant, ut eſt verſ. 26. *nunciantes*, inquam, non ſunt unus aut alter, ſed *multi*, ſimul in certos ordines ac claſſes diſpoſiti, qui *exercitum* quaſi conſtituerent, & id fere unice agerent, uti in *choreis* & in cultu religionis publico ſecundum inſtitutum Davidis: quem uſum etiam vox צבא *exercitus* habet; uti conſtat. Radix proprie dicit, *micuit*, *emicuit*, uti derivatum צבי *decus*, *ſplendor*, quoque indicat, inde *agminatim ivit;* & in *actem* prodiit, ſeu *emicuit.*

§. XXXI. Significatur itaque, 1. ſtatum fore tranquillum, pacatum, lætum & proſperum, quo populus læte & jucunde ageret, ſine ſolicita cura aut metu; omni bello, omni calamitate ceſſante, & bonis quibusvis magna copia adfluentibus. vid. 1 Reg. IV: 20. v: 4, 5. 2. quævis lætitiæ ſigna locum *habitura*; *privata* & publica; 3. quoscunque & qualescunque ea eſſe edituros, & ſibi invicem ſuper felicitate temporum eſſe gratulaturos, eamque prædicaturos; ita ut ſpiſſus & numeroſus foret eorum ubique *exercitus*, 4. In ſpecie bene ordinatos & diſpoſitos, magno numero, choros futuros, qui lætis carminibus Deum celebrarent, & felicitatem populi & Eccleſiæ promulgarent. Quales *exercitus* ſacri fuerunt a Davide conſcripti, & ſub Salomone maxime adhibiti. 5. Denique addere liceat, præcones magnorum Dei operum & beneficiorum fore magno numero, qui *voce*, vel *ſcripto*, ea inculcarent, deducerent, ac celebrarent, ad aliorum inſtructionem & conſolationem. Quales utique fuerunt hoc tempore, præeuntibus piis & ſapientibus regi-

bus, Davide & Salomone, & excitantibus, præcipue inter *ſacerdotes* & *Levitas*, uti notum eſt. Quo etiam facit, phraſin, *Dominus dabit dictum*, recte capi poſſe de inſpiratione Divina, qua Deus per viros, divinitus actos, loqueretur præclara & ſalutaria, uti fecit per Davidem, Ethanem, Hemanem, Nathanem, Salomonem & alios; quorum carmina, & libri ſuperſunt aliqui; & alteram phraſin, *nunciantium ſpiſſus erit exercitus*, recte quoque referri ad cognitionis veritatis & viarum Dei multiplicationem, ac promulgationem a multis faciendam. Quod de illis temporibus facile præſumitur: cum ad *ſapientiam Salomonis* audiendam undiquaque confluxerint, inter quos *regina* Schebæ illuſtre in Script. nomen, habet 1 Reg. x. quæ inter *præconiatores*, hic memoratos, eximium meretur locum; quæque *beatos* prædicavit *ſervos Salomonis*, quod *ſapientiam* ejus quotidie excipiant. Qualium fuiſſe ingentem exercitum, inde quoque colligi poterit, *quod ex omnibus populis, ex omnibus regibus*, veniſſe diſerte dicantur *ad audiendam ſapientiam Salomonis*, 1 Reg. v: 14. Sapientia autem ejus fuit, quam Deus ei, ut notum eſt, *dedit*; adeo ut Deus recte dici queat, hac etiam parte *dediſſe dictum*; maxime cum *ſententiæ* Salomonis nomine אמר *dicti* recte inſigniri poſſint. Primaria ejus ſignificatio eſt in *actione dicendi*, & quidem continuata, ac flexu leni ſeſe impellente & promovente in animos; originem enim habet in motione leni & ſenſim fluente, ſeque pandente, & in omnem formam ac faciem vertente: recte quoque ad proverbia, & parabolas, ſententiasque adplicatur. De quo plura adferri poſſent, ſi tempus permitteret. Robur denique dictis addit, quod *deſtillatio coelorum* in deſerto, & *imbris liberalis ejaculatio*, ſupra memorata, verſ. 9, 10. hunc etiam ſenſum figuratum complectatur; ut ſupra vidimus.

§. XXXII. *b.* Quemadmodum vero *terra* dicitur *tremuiſſe a coram Deo* in deſerto, in ſignum concuſſionis & proſtrationis hoſtium, verſ. 9. ita poeta felicitati temporis ſecuturi,

turi, modo descriptæ, apte subjungit populorum vicinorum quassationem & disjectionem, quæ Israëlis bona simul augeret, vers. 13. *Reges exercituum quassati dissipabuntur, quassati dissipabuntur, & habitatrix domus dividet spolia.* h. e. prosperitatem temporis, quam depinxi, haud parum firmabit & augebit, quod hostiles populi, belli potentes, qui Israeli imminent, sint variis vicibus singulari & mirabili modo quassandi, & ita disjiciendi, ut vires recuperare nequeant; ex quorum spoliis ditabitur quoque haud parum coetus Dei conglobatus, pacifice & prospere in sedibus suis versatus. Quæ verba itidem *antecedens* continent & *consequens*. *Prius* complectitur hostilium & bellicosorum populorum in vicinia, qui prosperitatem populi Dei impedire aut turbare adgrediuntur, plenissimam dissipationem, cum signis iræ Dei conjunctam; his verbis. *Reges exercituum quassati dilabentur, quassati dilabentur. Regum exercituum* titulo hic insigniuntur reges populorum, qui exercitibus ducendis, & bello gerendo, inprimis incumbunt, & in eo toti sunt, bellicosi itaque & heroes, qui populo Israelis imminerent, & ejus pacem ac prosperitatem turbare instituerent, coetum illum Dei conglobatum, in Cananæa habitantem, & jam firmatum in ea, oppugnaturi: quorum mirabilis & probrosa subactio, & destructio, his verbis prædicitur, *quassati dilabentur, quassati dilabentur*, h. e. certo certius, nec non diversis vicibus, iterum iterumque, cum dedecore abacti, profligati, & destructi, peribunt, & regnis privati, omnique potentia destituti, disparebunt. Quam emphasin & sensus amplitudinem exhibet verbum נדד, ejusque duplicatio, seu repetitio. Radix proprietatem habet *quatiendi sparsim*, seu cum *sparsione*, unde occurrit pro *ala* quassata, & ad volandum *sparsa*. Jes. x: 14 & Nah. III: 17. hinc usus ortus est *fugiendi* & *divagandi*, cum quis *excussus* veluti dissipatur; imo cum opprobrio & ingestis probris abigitur & expellitur. Apud Arab. enim exponitur נדד in conj. II. inter alia *diffamavit*, vel potius opprobria & con-

vicia ei ingesſit; proprie expulit hominem, ingeſtis opprobriis, unde נדה pro *anathemate*. Significatur itaque bellicoſos illos gentium reges ſub fulmine quaſi maledictionis divinæ, & execrationis hominum, eſſe e terra ſua exterminandos, ſeu diſſipandos. Iteratio vero verbi *diſſipabuntur*, *diſſipabuntur*, ſicut certitudinem, ita iteratas vices comprehendit: quod facillimum, & ſatis tritum eſt.

§. XXXIII. Conſequens eſt incolarum Cananææ, ſeu *coetus Dei* coagmentati in Cananæa degentis, ditatio e *ſpoliis* eorum, quibus fruerentur in ſtatu tranquillo & proſpero, his, quæ ſequuntur, verbis: &, vel *ſed*, *habitatrix domus dividet ſpolia*. h. e. *coetus* iſte Dei ſeu Israelitarum ſeu Tſionitarum, bonis eorum regum & populorum ditatus, ea diſtribuet, iisque fruetur in ſtatu pacato, ſecuro & felici. Nihil hic nobis relictum eſt obſervandum, præter emphaſin tituli *habitatricis domus*, minus perceptam & recte explicitam. Reſpici vulgo putatur, ad illos, qui tempore belli cum hoſtibus domi manentes ſpolia iis detracta tamen participant, ſecundum inſtitutum Moſis & Davidis, Num. xxxi. 1 Sam. xxx, in ſpecie ad *mulieres*, propter vocem נות *habitatricem* in gen. foem.; & Eccleſiam intelligi, bellis illis non immixtam, attamen ſpoliorum participem factam. Sed longe alia & major hic latet emphaſis; quam brevibus exponam. 1. In voce foem. gen. digitus omnino intenditur ad vocem חיתך *coetum tuum conglobatum*, verſ. 11. *coetus tuus coagmentatus habitabunt in ea*. Qui ipſe coetus hic intelligendus & ſupplendus eſt, ipſeque adpellatur *ſocietas habitatrix domus*. 2. Venit vero hoc titulo cum populus Israelis in genere, tum Tſionis, Hieroſolymæ degens, in ſpecie; prout vel latius vel ſtrictius ſumitur. In genere *habitatrix domus*, eſt tota gens Israelitica, *coetus Dei* in hæreditate Dei habitans ſupra dicta, quæ in multas familias diviſa *domatim* eam incolit: ſed in *ſpecie* Hieroſolymitani & Tſionis incolæ, in meditullio quaſi, & centro, habitantes, ſeu metropolin incolentes, indigitantur; quippe in quos hoc epithe-

theton vera ſua emphaſi quadret. Præterquam quod vox בית *domus* ſubinde de *aula* regia uſurpetur, uti *præfectus domus* pro præfecto *palatii*, & *viri domus* pro aulicis & ſatellitibus; vox *habitatrix* nos recte ducit ad coetum in loco abundante, & meditullio terræ, degentem. Significat enim hospitium commodisſimum, ad quod *tenditur*, tanquam centrum & meditullium, toto animo, & omnibus viribus, a primaria poteſtate *tendendi*, *intendendi*. Sic Ex. xv: 2. dicit de Deo Israel, ואנוהו *faciam eum mihi meditullium*, ſcilicet omnis laudis ac lætitiæ, & felicitatis meæ; Tſion quoque Jer. vi: 2. adpellatur נוה *habitatrix commodisſima*, tanquam totius populi meditullium, quo *tendunt*, & de quo gloriantur, omnes. Conjungamus utrumque, & Israelem in genere, Tſionis incolas, & domum regiam in ſpecie intelligamus.

§. XXXIV. Sed 3. *habitatrix domus* non eſt, quæ *domi* manſit tempore belli, quo reges ſunt dispulſi, ut accipi ſolet, *cum* quod phraſis hoc non ferat, *tum* quod ſpoliorum diviſio, ab habitatrice domus facienda, tanquam conſequens disſipationis hoſtium occurrat, cujus totus populus, in primis in metropoli, particeps foret; nec tantum eſt populus, Cananæam inhabitans, verum, longe majore emphaſi, quam phraſis *requirit*, Israelitæ in genere, & Tſionitæ in ſpecie pacifice, & proſpere degentes, omnibus rebus abundantes, & fruentes. Senſus itaque, 4. totius enunciati eſt, incolas Cananææ & Tſionis, *a.* quo tempore a regibus exercituum impeterentur, in terra ſua, tanquam coetum coagmentatum, fixas jam habituros eſſe ſedes, turbis inteſtinis ſedatis, & omnibus rebus ex voto fluentibus; *b.* ſtatum ſuum contra hoſtiles populos bene tuituros eſſe, ſuasque ſedes firmiter retenturos; ab hoſtibus quippe loco non movendos, adeo ut ſemper, durante illa infeſtatione, *habitatricis domus* titulo ornari potuerint. *c.* hoſtibus vero proſtratis & ſubactis longe majore adhuc emphaſi, reſpectu pacis, tranquillitatis, & omnium bonorum abundantiæ; quam em-

phaſin hoc titulo eſſe comprehenſam modo notavi. *d. bonis* præterea populorum illorum eſſe ditandos, & *e.* tandem reges illos penitus eſſe ſedibus ſuis vel regimine ſuo privandos; quod verbo *diſſipandi* & *fugiendi* quoque involutum eſt, & Israelitas in eorum poſſeſſiones eſſe inmittendos, quod *ſpoliorum* partitio etiam involvit: opponuntur *reges diſſipati* & *habitatrix domus*, &, regibus abactis, Israelitas quietos & ſecuros *domi* acturos, ac ſpolia eorum pertituros, eſſe, declaratur. Quæ omnia in ea tempora, inprimis Salomonis, adeo quadrant, ut eorum characteres ducant: uti ex hiſtoria Davidis & Salomonis nemini non conſtat. Nil tamen impedit, quominus ad ſequentium temporum caſus aliquos verba ſimul extendamus, eosque poetæ, vel Spiritui prophetico, una fuiſſe obverſatos, ſtatuamus; adeo ut felicia Salomonis tempora primo et directo ſenſu quidem intendantur, ſed ſimul inſinuetur, *habitatrici domus* haud abſimilia in poſterum eventura eſſe. Utique oratio ita eſt concinnata, ut manu quaſi ducamur ad duos caſus illuſtriores, *alterum* ſub Aſa, a rege Aethyopum, ſeu Cuſchæorum, et regibus ſociis invaſo, 2 Chron. XIV: 8. &c. *alterum* ſub Joſaphato, a pluribus regibus coadunatis infeſtato, ib. c. XX. Quæ tetigiſſe ſuffecerit; tantum, ad dicta confirmanda, advertatur duplicatio phraſios, *quaſſati diſſipabuntur*, *quaſſati diſſipabuntur*, quæ ad diverſas et iteratas vices nos ſponte ducit.

§. XXXV. In hisce licet acquieſcere poſſim, ſubjungam tamen longe aliam interpretationem, cujus anſam dederunt Intt. Græci, qui hac ratione verterunt, uti Lat. reddidit: *Rex virtutum* (rectius *exercituum*, δυνάμεων, ut Gr. habent, quod Hebr. צבאות eſt convenientius) *dilecti*, *dilecti*; *& ſpeciei domus* (ὡραιότητι τῆς οἴκου *ſplendidæ formæ domus*) *dividere ſpolia*. Legerunt igitur aliis punctis, מַלְכֵי צְבָאוֹת, et צבאות cum ידדון conſtruxerunt; præterea pro תחלק habuerunt חלק, et pro infinit. acceperunt, eaque ratione cum בית נות conſtruxerunt, ut diviſio ſpoliorum facta fuerit nitidæ

tidæ et ſplendidæ formæ domus, ſcilicet ad eam producendam ſive Templi, ſive aulæ, ſive domuum aliarum in genere, נוה cum נאה permiscentes; denique ידין a יד derivarunt, et pro nomine acceperunt, ut ידתון, et ידיד, cui æque ין ad augendam et intendendam ſignificationem accedere poteſt; ut in ישרון et aliis nominibus. Quæ verſio reſpectu prioris membri non adeo ſpernenda foret, ſi paulo aliter inſtituatur; *rex exercituum dilecti dilectus*, ſcilicet eſt: nec turbat ו parag. in מלכי cum recte dicitur abundare, cum inſigni emphaſi, ut Lat. *mihi*, adeoque ſenſus ſit: *rex mihi exercituum dilecti eſt dilectus* h. e. *exercitus dilecti* (ſeu Israelis, *dilecti Dei* ſæpe dicti, ſeu *angeli Jehovæ*, qui Deus eſt exercituum Israelis, cujus itaque exercitus eſt Israel,) *rex* nunc eſt, qui in ejusdem tituli communionem venire dignus eſt, *dilectus* nim. ille κατ' ἐξοχήν adpellandus, *Salomo* ſcilicet, cui Deus nomen ידידיה indidit 2 Sam. XII: 25. et qui eodem ſenſu למואל Prov. XXXI: 1. h. e. *dilectus Dei*, ſeu *cariſſimum ejus peculium*, ut Cl. Schult. docuit, adpellatur. Poſſent etiam voces, ſervata punctatura Maſorethica, verti: *reges exercituum Jedudun, Jedudun, dilectus, dilectus*, ſcilicet, et ſupremus, Angelus Jehovæ, et inferior, Salomo. Quibus verbis itaque, ad felicitatem temporis extollendam, rex Israelis promulgaretur *dilectus Dei*, et verba *nunciantium* ſummatim exhiberentur; hac ratione: *Dominus dabit dictum* (promiſſum mihi et populo datum inplebit, et loquendi, ac læta canendi, multiplicem materiam dabit) *euangelizantium ſpiſſa erit turba*; qui dicent, et quaquaverſum adnunciabunt, *rex mihi exercituum dilecti* eſt *dilectus* ille. Conf. Jeſ. XL: 9. et LII: 7. Quale quid in Salomonis inauguratione locum habuit, 1 Reg. I: 39, 40. Quo hic reſpici potuit. In altero autem verſus membro adjuvari nequeunt LXX Interp. Sed illud prophetice erit capiendum de omnium rerum abundantia, ut expoſui; *priore* membro tantum pro ſumma nuncii læti accepto. Sed tutius eſt in punctatione Maſoreth., et data expoſitione, acquieviſſe.

§. XXXVI.

§. XXXVI. β. Ad felicitatem iſtius temporis, in cujus deſcriptione pergit poeta, confirmandam et amplificandam ſequentia pertinent verba, verſ. 14. *ſi*, vel *profecto*, *recumbetis inter ſeries firmiter diſpoſitas*, *alas columbæ obductæ argento*, *& pennas ejus flaviſſimo*, vel *bracteato*, *auro puriſſimo*. h. e. ut itaque concludam, et omnia ſummatim recolligam, ac confirmem et amplificem, ſermone ad iſtius temporis homines verſo, profecto, et certo certius, ſecure, tranquille, et læte, omnibus curis et laboribus ſoluti, recumbetis, et bonis veſtris in domibus veſtris copioſe fruemini, undiquaque bene muniti et tuti; ſimul, quaſi inter alas columbæ, argento et auro fulgentis, placide et molliter recumbentes, glorioſe, et omnibus bonis copioſe ditati degetis, et ſplendeſcetis. Ad quorum intellectum *duo* in anteceſſum ſunt obſervanda; *alterum*, particulam DN non eſſe conditionatam, *ſi*, ut accipi ſolet, ſed adſeverativam *profecto*, certo *certius:* uti ſæpe alias. Quod huic loco aptius eſt; cum *conditionate*, et *dubie*, loqui minus congruere videatur ſpiritui prophetico, et orationis ſeriei: *alterum*, verbum, *recumbere inter*, conſtruendum quoque eſſe cum *alis columbæ*, hac ratione: *profecto recumbetis inter ſeries diſpoſitas*, *inter alas columbæ* etc. qua ratione ſermo planus eſt, qui alias valde contortus eſt, et impeditus; cum *alæ columbæ* etc. nihil haberent, quocum cohæreant; nec, quid ſibi velint, adpareat. Interpretes ſolent ſupplere, *eritis ſicut* alæ columbæ, vel *dabuntur* vobis, aut adparebunt. Quæ longe quæſita ſunt, nec expedita; *nec alarum* columbæ, et *pennarum*, hic memoratarum ratio dari poteſt; quæ ſufficit. Cum *recumbere inter* aptiſſime et facillime cohærent voces, *alas columbæ;* ut in oculos incurrit. *Recumbere* vero *inter alas columbæ* idem eſt, ac iis eſſe cinctum et obtectum: uti *inter humeros habitare*. Deut. XXXIV: 12. quod alias *pennis obtectum eſſe*, *& ſub alis refugium* habere dicitur, Pſ. XCI. 4.

§. XXXVII. Adfirmat itaque poeta, ſpiritu prophetico duc-

ductus, in genere eos esse *recubituros*, h. e. placide & secure ac otiose acturos, tanquam manibus pedibusque ac toto corpore profusos ac resolutos: proprietatem enim habet radix שכב in *fundendo*, *profundendo*, unde ad decubitum *quieturi*, *somnumve capturi*, inde ad *mortem*, & decubitum in sepulchro, & alia transiit. De quo vid. Schultens *a*. Sumitur inde in malum non tantum, sed & *bonum*, pro circumstantiarum diversitate. Sic in bonum pro secura & quieta conditione Num. XXIV: 9. de Israele, *curvaverit recubuerit*, שכב, *instar leonis*, pro quo רבץ usurpatur in loco parallelo, Gen. XLIX: 9. quod proprie adhibetur de grege pecudum, cum suis pastoribus hoc vel illo in tractu *recubante*. Imo quod hic שכב, illud Gen. XLIX: 14. רבץ dicitur, ubi eadem phrasis, *recubare* בין במשפתים, quæ hic. Hos. II: 20. *recumbere ipsos faciam secure;* sic & ubi pro *somno* quieto & dulci sumitur, Ps. III: 6. in signum *altæ* pacis ac securitatis; ut & IV: 9. ne alia proferam, *ut* Ez. XXXIV: 25. Additur duplex emblema, ad hanc securitatem & quietem illustrandam ac amplificandam; *alterum* a deside, & laute in culina vel domo sua versante, *alterum* a *columba*, alas suas tenente expansas, inter quas pulli latitant & *recumbunt*. *Prius* his verbis; *recumbetis inter ordines* firmiter positos, in specie *lapidum focariorum*, בין שפתים. Radix שפת *posuit*, ordinavit, & in Pihlel, ultima radicali duplicata, שִׁפְפָה quæ forma intendit significatum, ut docuit Schultens *b*, unde est derivatum שפתים, *firmiter* posuit, proprio suo usu usurpatur de *olla in foco posita*, adhibito sustentaculo, vel ferreo, vel lapideo, *chytropode* vel *tripode*, ut ex Arab. lingua patet, & usu biblico firmatur, 2 Reg. IV: 38. Ez. XXIV: 3. unde derivatum משפתים, & שפתים, denotat *lapides focarios*, sed forma triangulari firmiter positos, & forma dualis, *duas lapidum focariorum strues*, quibus *olla* imponitur: sic & אשפה *chytropodas* denotat, 1 Sam. II: 8. Ps. CXIII: 7. & porta Hierosolymitana,

a ad Job. III: 13. *b* Gr. p. 267.

quod tribus lapidum ſtruibus eſſet conſtructa, forma fere *triangulari*. De quibus vid. quæ ex Cl. Schultens inſtitutionibus adtulit Rev. Lette *a*. Ex dictis liquet, Israelitas hic depingi, tanquam recubantes inter chytropodas, lapidum focariorum ſtrues, rite & firmiter diſpoſitas. Sed nondum patet, quid ſibi hoc emblema hic velit? eſſe enim phraſin figuratam, cum ex hoc loco, tum aliis, ubi occurrit, ut Gen. XLIX: 14. Jud. V: 16. 1Sam. II: 8. Pſ. CXIII: 7. dubio caret. Uſurpatur utique *duobus* poſtremis locis manifeſte in malum pro ſtatu *abjecto* & *adflicto;* ſimili ducto ab illis, qui ad culinam admovebantur, ubi atrati & pulverulenti reddebantur. Quod Pſ. XXII: 16. *poni* dicitur in *pulvere mortis*, ubi verbum שפת quoque occurrit. Sed in duobus aliis locis, etſi *deſidiæ* conſpectus, reſpectu operum bellicorum inprimis, quoque non excludatur, otium, quies, ſecuritas, & rerum ſuarum uſus, ſuorumque bonorum læta & lauta fruitio præcipue intenditur; ut expoſui ad Gen. l. c. Nec dubitaverim, quin & hoc loco illud in primis locum teneat. 1. Quia Israel modo erat repræſentatus, tanquam qui in hoſpitio commodo & abundante verſabatur, & ſpoliis fruebatur, verſ. 13. 2. *Cubare* nos eo proxime ducit, ut רבץ & שב in locis parallelis. 3. Quia mox exponitur, & amplificatur per *recumbere inter alas columbæ:* de quo mox. Recumbere itaque inter *lapidum focariorum duas ſtrues*, ſicut tranquillam domus inhabitationem, uti modo habuimus, ita ſecuram, otioſam & lautam, conditionem pingit, qua quis juxta focum ſuum ſedet, ſuis fruitur bonis ad ſatietatem usque, & nulla re turbatur, aut ad bellica negotia avocatur; ſed quaſi deſes hac parte & tranquillus verſatur. Quod ex Jeſ. XXVI: 12. quoque firmatur, ubi שפת *cum pace* conſtruitur, & Deus dicitur *pacem poſuiſſe* populo, ut inter lapides focarios q. ſuos ſedere poſſit. Quod alia, ſed ſimili, phraſi dicitur *ſub ficu* & *vite ſua ſedere*, uti de Israele & Juda tempore Salomonis traditur, 1 Reg.

a ad Jud. v: 16.

1 Reg. v: 5. & propria phrasi, *edere*, *bibere*, & *lætari* Ib. c. IV: 20.

§. XXXVIII. Ad quam lætam conditionem vividioribus pingendam coloribus additur, inter *alas columbæ obductæ argento*, & *pennas ejus flavissimo*, vel bracteato, *auro purissimo*. Respici ad columbas nitidissimas & pulcherrimas, argento quasi & auro rutilantes & splendescentes, satis constat, & a Bocharto [a] pluribus illustratum est. Quare uno, alterove, contentus ero observato, ad litteralem emblematis intellectum pandendum. 1. *Primum* est, ipsam *columbam* hic sifti argento obductam, & *alas* ac *pennas* ejus auro. Verbum enim נחה & genere & num. cum יונה *columba*, & non כנפי *alis*, rectius cohæret; ut linguæ peritus sponte sua cernit. Voces itaque, elegantiæ causa divisæ, ita sunt ordinandæ & capiendæ: *alæ & pennæ columbæ, obductæ argento*, ipsissimum sunt aurum purissimum, vel eo incrustatæ. 2. *Secundum*, columbam dici *incrustatam argento*, quatenus tota est nitida admodum, candida & splendens. Radix חפה est *incrustavit*, in specie, crusta speciosa et splendida obduxit. *Argento* obducta columba adpellatur, quæ instar argenti nitet, candet et splendet. 3. *Tertium*, *alas* כנפים, quia *duæ* sunt, ita esse adpellatas, quod *cingendi* et *circumsepiendi* usum habeant et facultatem, et ipsum columbæ corpus, et expansæ pullos: quod mox usui erit. Radix enim *cingere*, sepire, septo circumdatum includere denotat. Altera vero vox אבר denotat *pennam*, proprie aculeatam extremitatem, in specie *germinis*, et pennæ pullulantis, a rad., quæ proprie dicit *pungere*, rumpere pungendo; unde et אברי proprie *pernacium*, unde robustum, audacem, πρόμαχον, ut recte Coccejus, qui *perrumpit*; sicut et *pennæ* ejusmodi *robore* pollent. 4. *Quartum* denique est, voces, ad aurum describendum adhibitas, exhibere aurum purissimum, et vel flavissimum, vel bracteatum, aut *bracteam* auri purissimi. Vox חרוץ, a rad.,

a H. p. II. l. I. c. 2.

quæ proprie dicit *findere acuminatim*, *cuspidare*, aurum proprie ſignat lectiſſimum, quod *effinditur* q. ſua ſponte ex terræ gremio, excoctum ad ſummum nitorem, eſtque acre et *acutum*, quod vibrat, et multo ſplendore pollet *a*. Altera vero vox ירקרק et coloris viridis in pallidum vergentis, et laminarum ſive bracteārum cogitationem injicit, cujus utriusque hic ratio recte habetur: originem habet ירק, cui ריק etiam reſpondet, in *nitore* micante, emicante, unde et *viroris*, ſeu viridi nitoris, ſimul flaveſcentis, et *ſputi* uſus, ob claritatem pellucidam, fluxit, præterea derivatum ירק induit notionem *folii* virentis et flaveſcentis; quæ ab Arab. translata eſt ad *bracteas auri* vel *argenti*, quibus aliquid obducitur; nos *folia* dicimus. Duplicatio vero litterarum, uti ſatis conſtat, intendit ſignificatum, adeoque intenſum et rutilantem denotat virorem, ſimul bractearum multitudinem. *Alæ* vero et *pennæ* cum dicuntur *in* virore intenſo et bracteato auri, ſignificatur, eas vel *obductas* eſſe virentibus bracteis auri, verbo חפה repetito, vel totas eſſe tales; ut ב *in* cum emphaſi abundet, et ipſiſſimas q. eſſe bracteas auri indicet; uti ſæpe alias hanc emphaſin habet præf. ב apud Orientales. Sicut vero argenteum, ita et *aureum* dicitur, quicquid eſt pulcherrimum et nitidiſſimum *b*.

§. XXXIX. Inquiramus nunc in ſenſum et ſcopum emblematis, vel a pullis petiti, qui inter alas columbæ recumbunt, vel ab inſigni forte domus, columbam, alas expanſas habentem, referente, qualia vel animantium vel avium inſignia non fuerunt, nec ſunt, inſolita. Sic de Aſſyriis referunt, eos in labaris, vexillis, et publicis ædificiis, habuiſſe *columbarum* imagines; quod tamen minus certum eſt *c*. Propius accederet, ſi verum foret, quod Judæi tradunt apud Ligtfotum, *d* ſummitati ſceptri Salomonis inſediſſe *columbam auream*, ut et, quod apud Euthymium *e* adſe-

a Vid. Schultens ad Prov. XXI: 5. *b* Vid. la Cerda ad Virg. Aen. X. p. 411. *c* Vid. Bochartus l. c. *d* Hor. Hebr. ad Luc. III: 22. *e* ad Pſ.

ſeritur, Hebræos veteres ditiores pro ſymbolo felicitatis ſolitos fuiſſe, *alas columbæ* gypſo illitas tectis adfigere. Sed ipſe ſubjungit, *nullibi legimus, Judæos hujus modi ritum aliquando ſervaſſe, ut columbas in domorum tectis infigerent.* Attamen, cum a Judæorum inſtitutis & moribus non abhorreat, *animantium* nonnullorum imagines pingere, aut habere, uti a Doctis *a* dudum eſt demonſtratum, Salomonis ævo, rege præeunte, invaluerint, uti ex bobus ſub mari æneo, & leonibus in gradibus throni, aliisque patet, nihil vetat, *columbarum aurearum* imagines, aptiſſima regni Salomonis emblemata, locum habuiſſe, ſtatuere. Adpellatur tamen, quod ad noſtrum ſcopum ſufficit, Hieroſolyma *urbs columbæ*, Tſeph. III: 1. qualis in primis fuerat, quo ibi forte reſpicitur, tempore Salomonis; ſi hic ſit loci ſenſus; de quo alibi expoſui. Quicquid ſit, emblema per ſe aptiſſimum eſt ad ſtatum urbis, & Israelitarum, tempore Salomonis, cujus lineæ hic ducuntur, depingendum; ſive ad *columbam* ipſam, ſive ad ejus *pulchritudinem* & ſplendorem, cujus hic expreſſa ſit mentio, adtendamus. *a.* Israel in genere, & Hieroſolymitani in ſpecie, modo *habitatricis domus* epitheto inſigniti, & inter *lapides focarios* recumbentes repræſentati, ut vidimus, recumbere apte dicuntur inter *alas* expanſas *columbæ*, *quatenus*, 1 in ſtatu pacis, concordiæ & mutui amoris, placide, manſuete, & tranquille verſati ſunt in ſedibus ſuis, tanquam in *columbariis*. Quæ columbarum ſunt notiſſimæ qualitates, & *columbæ* vulgatiſſima earum ſymbola, quarumque reſpectu Hieroſolyma expreſſe adpellatur *urbs columbæ*, Tſeph. III: 1. 2. Sub regimine & tutela regis mitiſſimi & dilectiſſimi fuerunt, & ſupremi, qui Angelus foederis fuit, dilectus & Dei & hominum adpellatur, & inferioris, ejus nomine regnantis, *Salomonis*, a pacifico regimine, & *Jedidja* ac *Lemuel*, ab amore Dei, nomen gerentis. Ad quod æquum, manſuetum & pacificum, ejus re-

 gimen

a Vid. Pineda de rebus Salomon. l. VII. c. 15. & Selden. J. N. & Gent. l. II: c. 6, & 8.

gimen digitus intenditur, Pſ. XLV & LXXII. tanquam regni Meſſiæ emblema. Duæ *alæ* & *pennæ* ſicut duos rectores, & doctores, *ſupremum*, Filium & Spiritum Dei, *inferiorem* Salomonem, ita duos ordines, politicum & Eccleſiaſticum, depingere poſſunt, tanquam Israelis *alæ*, & ſub quibus tuto, pacifice & utiliter, agerent. 3. Denique, ne plura congeram, foti, & alti, & excitati, ſunt a columbinis doctoribus & ductoribus ad omnem ſapientiam, prudentiam, & vitæ morumque integritatem ac puritatem, cum ſupremo doctore, *Spiritu S.*, propterea cum *columba* comparato, Matth. III., ubi in ſigno *columbæ* deſcendit in Chriſtum, tum inferiore, *Salomone*, illis dotibus & virtutibus pleno. Quæ, utpote notiſſima, tantum adtingo. 4. Tandem in meditullio regni & Eccleſiæ, Hieroſolymis, cujus *alæ* quaquaverſum erant longe lateque expanſæ, civitate vere *columbina*, caſta & pia, tuto & ſecure, ſimul læte, omnes, tanquam cives, degerent.

§. XL. β. Sed inter *alas columbæ* non ſimpliciter, verum *aureas* alas & pennas columbæ *argenteæ*, non ſine ratione decubuiſſe dicuntur; quatenus, 1. auro & argento abundarunt, & omnia, maxime Hieroſolymis, ſplenduerunt, & rutilarunt; adeo ut externam prætulerint ſpeciem, qui inter alas ejusmodi columbæ quaſi recubuerunt, ſplendidam & illuſtriſſimam. 2. Sub glorioſiſſimo fuerunt *tutore* & Angelo foederis, in columna nubis & ignis reſidente, & *Salomone*, ſapientiſſimo & ſplendido rege. 3. Donis Spiritus S., ſapientia & virtute, ſplenduerit regnum, *alæ* fidei & ſpei rutilarint in ejus medio. 4. Denique regnum fuerit inter populos vicinos celebratiſſimum factum, ita ut plurimorum oculos præſtrinxerit, & animos excitarit; uti conſtat.

§. XLI. 2. Subjungam aliam interpretationem, ad communiorem Interpretum adcommodatiorem, ſed alio modo concinnatam: ſecundum quam nova hic incipit periodus Eccleſiæ Judaicæ ſub Hizkia, ad quam ſequentes verſus

ſus 15—21. omnino pertinent, & verba reddenda ſunt, *ſi decubueritis inter duas lapidum focariorum ſtrues*, profecto recumbetis inter *alas columbæ*, *obductæ argento* &c. h. e. Quod ſi contigerit, uti continget profecto, ut in ſede veſtra metropolitica arcte concluſi viſi fueritis delaſſati & miſeri decumbere in ſtatu abjecto & adflicto; vere tamen & tunc *recumbetis*, vel recumbere vos adparebit, inter *alas*, ſeu ſub protectione amantiſſimi & potentiſſimi patroni, veſtro reſpectu mitiſſimi & benigniſſimi, ſed hoſtium oppreſſoris potentiſſimi; ſub cujus tutela ſicut fide & ſpe fulſuri eſtis, ita glorioſam admodum ejus tutelam, & liberationem experiemini; adeo ut, inter alas coruſcas ſplendidæ columbæ vos jacere, manifeſtum ſit futurum. Quæ paraphraſis ſicut adflictionis Aſſyriacæ, ſtatus piorum in ea, & glorioſæ liberationis ex ea, tempore Hizkiæ luculentam pingit imaginem, ut facile percipitur, ita verbis, & eorum ſtructuræ, recte convenit; modo notetur, voces, *ſi cubaveritis inter*, ante *alas columbæ* repetitas, ut ſupra jam vidimus, paulo alium præferre ſenſum in poſteriore, quam priore membro, ambiguitate illa ſtudio captata, & ex phraſi ſponte ſeſe offerente, hac ratione, *ſi decubueritis inter lapides focarios*, *recumbetis* vere *inter alas columbæ* &c. particula אם æque *profecto*, *vere*, ac *ſi*, *quod ſi*, denotat, & verbum שכב in bonum æque ac malum, ut ſupra expoſui, ſumitur, adeoque & *decumbere* & *recumbere* dicet. Utrumque Judæis evenisſe tempore Senacheribi & Hizkiæ, ſatis conſtat. Fuerunt tunc Hieroſolymæ arcte conſtricti, ut ſeſe inter lapides ſuos focarios continere debuerint, ſimul contemti, illuſi, & ad inuitas redacti, in ſummo periculo, & ſtatu adflicto, poſiti; ut ex hiſtoria notum eſt, & ipſe Hizkias profitetur, Jeſ. XXXVIII: 3. Quod phraſi emblematicæ, vel proverbiali, *inter lapides focarios decumbere*, recte convenit; ut ex ſupra dictis patet. Sed eo ipſo tempore ſicut ipſi, fide & ſpe corroborati, ſeſe tenuerunt *inter alas columbæ*, mites, imbelles, & Deo unice fidentes, ita experti ſunt glorioſum Dei pa-

patrocinium, & manifesti facti sunt recumbere inter alas splendidæ & coruscæ *columbæ;* dum glorioſe cum clara potentiæ, juſtitiæ & gratiæ, Dei demonſtratione ſunt liberati; uti notum eſt. Quo ipſo *columba* illa, inter cujus *alas* fuerunt, ſeſe præſtitit glorioſam, inſtar argenti & auri, ut facile adparet, ſimul vim nominis ſui יונה luculenter exſeruit; ad quam hic cenſeri poteſt quoque adluſum fuiſſe, maxime cum hic ipſe titulus Deo in verbo prophetico detur, quum hoſtes populi ſui proſternit, & opprimit. Radix יגה proprie eſt *calcavit*, *detruncavit*, inde *eradicavit*, & *debilitavit*, nervo remiſſo, & teritur in violenta oppreſſione: unde *gladius* יגה eſt *enervator*, & *contruncator ille*, vel enervatoris illius; Jer. XXV: 38. XLVI: 16. & L: 16. Hinc etiam *columba* nomen accepit, ſed ſenſu paſſivo, quatenus *enervis*, *imbellis*, & oppreſſioni obnoxia eſt: uti ad Jer. obſervavi; ſed intranſitive tunc ſumitur, & poteſt quoque tranſitive ut hic: quæ ambiguitas in hac voce etiam videtur captata Tſeph. III: 1., ubi Hieroſolyma adpellatur urbs יונה & *columbina*, reſpectu ſtatus priſtini, & ejus naturæ proprii, & *enervatrix*, opprimens *cives*, ut tunc erat. Ceterum commendat hanc interpretationem verſ. ſequens, ubi idem fere traditur, & noſter verſus cenſeri poteſt clarius exponi. De quo nunc agere inſtituo.

§. XLII. Periodus *ſecunda* reip. & Eccleſiæ Judaicæ, læta & glorioſa, ſive verſ. 14., ſive 15. ſtatuatur incipere, de quo ſupra dixi, ſeſe ad verſ. 21. incluſum porrigit, & hac ratione depingitur. א. Glorioſa ejus conditio tempore hoſtilis invaſionis deſcribitur, verſ. 15. ב. Hoſtibus, per modum inſultationis, vanæ eorum infeſtationes ob oculos ponuntur, reſpectu montis Dei, quem ſibi elegit in perpetuam habitationem, verſ. 16, 17. ג. ἐπινίκιον, ſeu carmen triumphale in laudes Dei populo ejus temporis in ore datur, verſ. 18—21. א. Glorioſa populi conditio, tempore invaſionis hoſtilis, his verbis deſcribitur, verſ. 15. *Quum expanderit & diſſipaverit omniſufficiens reges in ea, niveſcet in Tſalmo-*

Tſalmone, *monte Dei*. h. e. Quo tempore reges hoſtiles per terram hæreditatis ſuæ Deus quaquaverſum expanderit inſtar denſæ nubis, ſimul expanſos disjecerit in ea terra, refrigerabitur & illuſtrabitur ea terra in loco ejus umbroſo, Hieroſolymis & Templo, inſtar gratæ & foecundæ *nivis*, in eam decidentis. Dici nequit, quantopere hic verſus torſerit Interpretes, & varias admodum pepererit expoſitiones; quibus recenſendis & refutandis non licet inmorari. Equidem hic non hæreo, & mentem vatis, non tam obſcuram, quam obſcuratam, in lucem, ſi ita loqui fas ſit, proferam. Duo ſunt verſus membra, quorum *prius* antecedens continet, & *poſterius* ejus adjunctum & conſequens. *a*. *Prius* hoſtium per Cananæam & Judæam cum diffuſionem, tum disjectionem, a Deo omnipotente factam, repræſentat his verbis: *in diffundere & diſſipare* (verbum פרש enim occurrit in infin.) *omnipotentem reges in ea*, h. e. quum Deus omniſufficiens & omnipotens reges hoſtiles partim expanderit, partim disjecerit in terra hæreditatis ſuæ, ſive Cananæa & Judæa. *Reges* ſine dubio ſunt extranei & hoſtiles, qui verſ. 13. *reges exercituum a Deo fugati* adpellati ſunt, & mox *montes* ac *colles*, monti Dei inſidiaturi, figurate vocantur; deinceps etiam *reges* dicuntur, & *regna terræ*, a *quibus Deus* honoraretur, verſ. 30, 33. Hoc vero loco *Aſſyrius & duces ejus* ſunt, totidem *reges*, vel reguli, Jeſ. x: 8. & alibi: ne dicam, regem potentiſſimum, & longe lateque dominantem, poſſe per excellentiam nomine *regum* inſigniri, ut unus Dominus titulo *dominorum*, haud infrequenter. Hi reges hic ſiſtuntur tanquam *diſperſi* in Cananæa, ſeu Judæa: vocula enim בה *in ea*, uti verti debet, & non *propter eam*, ut alii nonnulli, quod alienum eſt, cum proprie dicat *in ea*, manifeſte reſpicit ad *hæreditatem Dei*, verſ. 10. memoratam; cum eo verſ. 11. diſerte referatur, & hic de terra poſſeſſionis Dei ubique agatur. Sed verbum פרש duplicem habet uſum, contrarium quidem, ſed utrumque huic loco congruum; quem poeta in

Spiritu loquens utrumque etiam intendit; alter eſt *expanſionis* & *diffuſionis*, alter vero *diſſipationis* & disjectionis; *prior* ſatis uſitatus eſt, & de *nube*, *rete*, ac manu expanſa uiurpatur; nec inuſitatus poſterior, ut Ez. XVII: 21. *in omnem ventum diſſipabuntur*, & Zach. II: 10. Senſus itaque eſt, reges illos fuiſſe in Judæa primum *expanſos*, cum eam quaquaverſum pervaſerint ac occuparint, dein quoque *disjectos* in ipſa ea terra, & diſturbatos; inſtar *nubis* primum diffuſæ, dein diſſipatæ. Quod utrumque in ſimili caſu obtinet in verbo פרש Pſ. XLVII: 14. ut ibi vidimus, & in Aſſyrium tempore Hizkiæ, uti conſtat, rectiſſime quadrat. Cujus utriusque eventus *Deo*, tanquam שדי, & omniſufficienti, & potentiſſimo vaſtatori, recte tribuitur; uti notum eſt, & Deus ipſe ſibi tribuit, Jeſ. X & XXXVII: 26. ne alia loca citem. Nomen שדי proprie quidem Deum *omniſufficientem*, ubere vena manantem, denotat, ut alibi exponitur, ſed in Script. ſubinde ad שדד *vaſtare* digitus intenditur, ut Jeſ. XIII: 6. & alibi. Præſtitit vero ſeſe in regibus illis diſſipandis & omniſufficientem reſpectu populi ſui, & *vaſtatorem* reſpectu *boſtium*.

§. XLIII. Adjunctum & conſequens expanſionis & disjectionis regum in Judæa his verbis exponitur, *niveſcet in Tſalmone monte Dei*, vel *niveſces in Tſalmone mons Dei*: quo utroque modo verba reddi poſſunt; *priore*, תשלג foem. gen. vel cum *ea*, ſcilicet *terra* hæreditatis, modo memorata conſtrui poteſt, ut ſit ſenſus; *niveſcet terra*, aut *niveam* ſeſe præſtabit, in Tſalmone, monte Dei, vel etiam neutraliter accipi poteſt, pro, *niveſcet*, aut *ninget in Tſalmone*, nix in eum montem decidet, uti, ne alia citem, Am. IV: 7. *ager*, *ſuper quo* לא המטיר *non pluet*, *areſcet*: *poſteriore* vero ratione, תשלג erit ſec. maſc. *niveſces*, & cum הר *monte* Dei cohæret; ac ſermo cenſendus eſt ad *montem* illum dirigi, uti mox *montem Baſan* adloquitur poeta; qua figura orationis nihil eſt, etiam in hoc Pſ., frequentius: ſenſus tunc erit, ipſum montem Dei in Tſalmone *nivem* eſſe miſſurum in Tſal-

Tſalmonem: quemadmodum montes Jud. v: 5. *fluere* pluvia dicuntur. Perinde eſt, qua ratione voces conſtruantur, cum ſenſus idem maneat: ad quem percipiendum ſequentia ſunt obſervanda. 1. *Primum* eſt, *montem Dei*, cum præced. *in Tſalmone*, cohærere, & non cum ſeq., *mons Baſan*, ut prava *verſuum* diſtinctio habet, cum quod *Tſalmoni* recte, ut mox patebit, *Baſani* hic non conveniat titulus *montis Dei*, cum de monte ſede Dei agatur, uti ſeq. demonſtrant: etſi alias mons excelſus poſſet *mons Dei* adpellari, hic tamen non poſſet, nec emphaſin haberet ullam; tum quod verſ. 17. in זה *mons iſte* manu ducamur ad montem Dei modo memoratum: quid enim erit alias *mons iſte*, ſi non ejus fuerit mentio facta? *mons Dei* itaque eſt proprie ſic dictus, quem Deus ſibi elegit, & inhabitat, mons *Templi Dei* Hieroſolymis, uti *mons Dei* & *Hieroſolyma* diſtincte memorantur, Zach. VIII: 3. 2. *Secundum* eſt, *Tſalmona* eſſe ſymbolicum nomen Hieroſolymæ, quod Theodoreto quoque ſuboluit & Theodoro *a*, & non alium aliquem montem, aut nomen adpellativum. Unus tantum ejus nominis mons in tribu Ephraim prope Sichemum notus eſt, ex unico loco Jud. IX: 48. ſed cujus hic nulla poteſt haberi *ratio*, nec aliqua ab Interpretibus data eſt, quæ animadverſionem meretur: accedit, *montem Dei* nullo ſenſu dici poſſe in Tſalmone eſſe; aut eſſe Tſalmon. *Hieroſolyma* vero, cui, ut facile patet, recte ſubnectitur *mons Dei*, &, quo ipſo Tſalmonis uſus, ne hic hæreremus, traditur, hoc epitheto eo aptius inſignitur, quod nomina Hieroſolymæ שלם & ציון Pſ. LXXVI: 3. in צלמון lateant, & ipſe ſignificatus huic loco ſit aptiſſimus: denotat enim & locum *umbroſum*, arborum denſitate opacatum, & obſcuratum, & *umbraculum*, ac locum *protectionis*, quo quis tutus eſt. Sicut Lat. quoque *umbram* pro *protectione* dicunt *b*. Quem conſpectum & uſum habuit, & præſtitit, Hieroſolyma tempore Hizkiæ; uti notum eſt. Fuit & tunc *obumbrata*, ac obicu-

a In Catina Corderii. *b* Vid. Simon. Onom. p. 345.

ſcurata per hoſtes, *nubium* inſtar ei imminentes, & ſimul *protecta*, ac protectrix populi. Ceterum nomina aliq. inflecti ſolere, & cum ſymbolicis permutari, non eſt ignotum. Sic Hieroſolyma adpellatur מראה cum adluſione ad nomen Hieroſolymæ, & montem Moria; q. d. *viſione adfectam*, ſicut *vallis viſionis* adpellatur, Jeſ. XXII: 1. Rurſus Mich. I: 11. צאנן ex צין & צן eſt Tſion inſtar gregis refertisſima, & c. VI: 9. nomen Hieroſolymæ datur, תושיה יראה *videbit perennitatem* & *ſoliditatem*, cum adluſione ad ירושלם *videbit pacem*. Tſion quoque nomine myſtico אריאל Jeſ. XXIX: 1. venit, vel ex ראיאל *viſione Dei*, cum adluſione ad ירושלם, vel quod ſit civitas Davidis, *herois Dei*, qui *leo Dei* vocatur *a*. Babel quoque שושך Jer. XXV: 26. adpellatur, ut ibi expoſui, q. d. *ſpinoſam*, formidabilem, horridam, inacceſſo munimento protectam, pro שכשך a rad. שוך *punxit*, transfixit ſpina, ſpinis horruit. Denique, ne plura, quæ poſſem, colligam Israel adpellatur ישראל Hoſ. I. & ישרון Deut. XXXII. & Kadeſch *Meroz* Jud. V: 23. ut ad Gen. XLIX. obſervavi, & Antiochus *Gog* Ez. XXXVIII.

§. XLIV. 3. *Tertium* eſt, in verbo *ningere* adludi ad nubem expanſam ſuper terram, eamque obſcurantem, & imbrem ac grandinem emittentem, quacum comparati erant reges per terram expanſi, ſed indicari Hieroſolymam inde nihil damni paſſuram, potius multum commodi, cum *nix* inde in eam caderet, vel ea niteſceret multum & recrearetur. Qui emblematicus eſt *nivis* & *roris* ſignificatus notiſſimus. Sic ad puritatem refertur Jeſ. I., & recreationem, Prov. XXV: 13. Senſus itaque eſt, Hieroſolymam eſſe tunc ſplendidam futuram, & recreandam, ſimul multiplici benedictione Dei cumulandam; quæ cum *rore* etiam comparatur, Pſ. CXXXIII: 3. Quæ felicitas ei contingeret propter *montem Dei* in ipſa; quare & is dici poſſet *ningere*, ut ſupra tetigi. Quæ omnia quam apte in tempora Senacheribi & Hizkiæ conveniant, ut demonſtrem, opus non eſt. Quo tem-

a Vitringa ad l. c.

cempore reges fuerunt in Judæa diffuſi, eamque inſtar denſæ *nubis* inſederunt, Hieroſolyma fuit libera, & promiſſo Dei per Jeſaiam tanquam *nive*, ſymbolo *verbi* Dei, Jeſ. LV., illuſtrata & refocillata, ſimul benedictione Dei *multiplici* mactata, dein, cum reges ſunt diſſipati, urbs ea fuit magis adhuc illuſtrata, & celebrata, ac mirifice benedicta, & terreſtribus, & coeleſtibus, bonis ac donis: de quo ſupra dixi. Conf. Jeſ. XXXVII: 30, 31 & Pſ. XLVI: 4, 5. Ceterum ſuperiori periodo felicitatis ſub Salomone hæc ſub Hizkia recte ſubjungitur, cum fuerit ſingularis, & præcedenti haud uno reſpectu ſimilis: utraque ex regibus hoſtilibus fugatis orta eſt, reges habuit pios & ſplendidos, bonis & donis corporalibus & ſpiritualibus abundans, per orbem celebrata, & regni Meſſiæ illuſtriſſimum fuit emblema.

§. XLV. 1. Glorioſæ Hieroſolymæ & montis Dei liberationi ab hoſtibus, eorumque diſſipationi, divinitus factæ, poeta ſubjungit eorum objurgationem & inſultationem, ob vana eorum molimina contra ſedem Dei, quam ſibi in perpetuam habitationem adſeruit, ſermone ad eos, majoris elegantiæ & emphaſios ergo, directo, verſ. 16, 17. his verbis: *mons Baſan, mons collium, mons Baſan! quare inſilietis montes colles in montem hunc*, quem *Deus adpetiit flagranter ad incolendum, etiam Jebova inhabitabit æternum & victorioſe.* h. e. cum Jehova, verus & ſummus Deus, montem Tſionis ardente ſtudio ſibi ad inhabitandum petierit, & adſeruerit, quem etiam in perpetuum & victorioſe, continua carminis triumphalis præbita materia, inhabitabit, uti promiſit & publice ſæpe declaravit: quæ vos cepit inſania, quid operam perditis, quam noxium vobis erit, & male cedet, montes & colles, quicunque & qualescunque, tu Baſan, mons illuſtris & late diffuſus licet ſis, tu, inquam & repeto, Baſan! quod huic monti inſidias ſtruere, & hoſtiliter eum impetere, auſi fueritis? Poeta quidem ipſe loquitur, ſed ita, ut inſinuet, eo tempore, quo hoſtes illi regnum Judæ invaderent, Tſionitas ipſis hac vel ſimili ratio-

tione inſultaturos eſſe; quemadmodum etiam tempore Senacheribi & Hizkiæ contigiſſe, conſtat ex Jeſ. XXXVII: 22. &c. Compellat quidem poeta montem Baſan, quem ad audientiam citat, verſ. 16. ſed extendit mox ſermonem objurgatorium & irriſorium longius ad *montes* & *colles* qualescunque verſ. 17., ut indicaret, eandem fore omnium aliorum hoſtilium regnorum, majorum, minorum, quæ idem tentaverint, ſortem. Qua ratione recte cohæret oratio, & ratio in promtu eſt, quare, monte Baſane compellato, mox *montium* & *collium* in genere mentionem faciat. Verſu itaque 16*to* mons Baſan citatur ad audientiam, & verſ. 17*to* ſermo increpatorius ac inſultatorius profertur ad eum montem, & reliquos montes ac colles alios qualescunque.

§. XLVI. *Mons Baſan*, inquit poeta, eum inclamans, *mons collium*, *mons Baſan*, ſcilicet huc adeſto & audi: ſic enim verba ſunt vertenda & ſupplenda, cum citationem contineant montis Baſanis ad audiendum, ut facile perſpicitur; licet Interpretes acceperint, ac ſi poeta de monte Baſanis fuiſſet locutus, & dixiſſet, *montem Baſanis* eſſe *montem Dei*, *montemque collium*; titulum *montis Dei* cum monte Baſanis etiam connectentes; quod modo refutavi. Compellari vero montem Baſanis, & non deſcribi, ſeq. ſatis evincunt; ubi ſermo ad *montes* vertitur, & res ipſa facile docet, cum deſcriptio montis Baſanis ſine ratione & emphaſi inſtitueretur; & oratio elegantiam ſuam perderet. *Mons Baſan* itaque compellatur, & epitheto *montis collium* ulterius circumſcribitur; dein emphaſios ergo repetitur *mons Baſan*, ut fieri adſolet in compellationibus, quum quis ſerio & ſtudioſe vocatur, nomine repetito: uti notum eſt, & exemplis variis facile confirmandum, ſi opus foret [a]. *Mons Baſan* quis qualisve ſit, & qua ratione *mons collium* adpellari poſſit, cum nemini non conſtet; moram hic non nectam: uno verbo dixiſſe ſuffecerit, proprie eſſe celebra-

a Vid. Glaſſ. Gr. ſ. l. III. tr. 1. can. 5.

bratiſſimum illum montem, ad ortum aquilonarem Jordanis, ab Ogo ante poſſeſſum, & dein ab Israelitis, duce Moſe, occupatum, & Menaſſitis conceſſum, montem fertiliſſimum & paſcuum, ovibus, bobus & tauris, nec non *quercubus* altiſſimis refertum; montem vero *collium* dici propter multos colles, vel tumulos, quibus diſtinctus eſt & ſcabroſus. Radix גבן proprie denotat, *coagulari*, *concrescere in grumos*; unde גבן *caſeus*, proprie *coagulatum*, & concretum in grumos majores, lac, & גבנונים *gibboſitates*, colles, tumuli: ut Gr. a πήγω πηγὸς *coagulare* formarunt παγὸς pro colle, *tumulo*, gibbo, compactiore ſcilicet *a*. Sed quoque montes *gibboſi* ſunt, *edito vertice præditi b*. Videamus de ſenſu emblematico; quem hic admittendum eſſe, ſatis conſtat; cum mox occurrat, tanquam monti Tſionis, & populo Dei, inſidias ſtruens; nec ratio dari alias queat hujus *montis* compellati. *Regnum* aliquod illuſtre, potentiſſimum & invictum, quale quid, ſtylo Arab. *gibboſum* dicitur *c*, ſimul magnum, in varias divitum provincias, ſeu regna minora, ipſi ſubjecta, *regnum* præterea hoſtile & regno Judæorum imminens, intelligi, ex nexu ſermonis quoque haud difficulter cernitur: ſed *regnum* digito monſtrari obſervo, quod ſicut potentiſſimum & formidabile erat, ita quoque *Israelitas in medio* ſui teneret captivos et exules; uti ex verſ. 23. *eluceſcit*, *ubi* Deus dicitur e *Baſane* reducturus populum ſuum. Quo clare ducimur ad regnum Aſſyriacum, vel Babylonicum, æque recens illud Syro-Macedonicum ac vetus; cujus utriusque ratio haberi poteſt in repetitione montis Baſanis, ac *montium* et *collium* mentione in plur., ut mox videbimus. Sed, cum regnum Aſſyriacum vetus, et proprie ſic dictum, primum fuerit ordine, quod Israelitas oppreſſit et occupavit, et Tſionitas invaſit, tempore Hizkiæ ad incitas redegit; ejus hic primus et præcipuus debet eſſe locus: quo nos orationis ſeries quo-

a Vid, quoque Schultens clav. p. 196. *b* Id. ad Har. conſ. 1. p. 2. *c*. Id. ib. p. 23.

quoque directe ducit, cum periodus adflictionis Aſſyriacæ, & glorioſæ liberationis populi Dei, ſub Senacheribo & Hizkia, in hac pericopa depingatur. Regnum vero illud cum *monte*, & quidem *multicolle*, recte comparari, quod ſit celebratiſſimum, vaſtum, potentisſimum, & ex multis minoribus regnis vel dynaſtiis conſtans, facile cernitur; & e ſtylo figurato, quo regnorum emblemata ſunt *montes*, & dynaſtiarum eorum *colles*, teſtatatisſimum eſt, ſatisque vulgatum. Sed quare in ſpecie mons *Baſan* adpellatur? triplice potisſimum de ratione, ni fallor. 1. Prima eſt generalis, quod hic mons fuerit, *tum* altitudine & collium copia, ac latitudine, *tum* taurorum & quercuum multitudine, celebratisſimus, adeoque ad vaſtum, & potentisſimum, imperium, ſimul robuſtos ac eminentiores reges ac principes depingendum, aptisſimum; quemadmodum *Libanus* & *Baſan* eum in finem paſim in ſtylo figurato Script. uſurpari ſolent. Vid. Jeſ. 11: 13. 10: 34. & alibi *a*. 2. *Secunda* eſt, quod hoc montanum extra terram promiſſam verſus *ſeptentrionem* fuerit protenſum, & ad Aſſyriam ſpectaverit; hoc tempore etiam ei fuerit ſubjectum, Israelitis jam ſubactis. Aſſyrius quoque inde in Judæam, trajecto Jordane, moverit; ut expreſſe fuit repræſentatum, Jeſ. 10: 29-- 3. *Tertia* eſt, quod, ſicut regnum Baſaniticum ſub *Ogo*, rege Baſanis, validisſimum, & giganteum, Israelitis, terram promiſſam ingreſſuris, maxime obſtitit, ſed victum & ſuperatum eſt; ita Aſſyriacum, & deinceps Babylonicum, Israelitas & Judæos, in Cananæa jam ſedem habentes, in ſpecie Tſionitas, infenſisſime oppugnaverit, & inde conatum fuerit deturbare; deinceps quoque exules Tſionem repetituros impediverit, donec e medio fuerit ſublatum: quod poſtea quoque locum habuit in regno Perſico, Judæorum ſtabilitati & proſperitati in Cananæa inimico, propterea cum *monte* coram Zerubbabele *complanando* comparato, Zach. 1v: 7. & Syro-Macedonico; uti notum eſt.

§. XLVII.

a Vid. Vitringa ad l. c.

§. XLVII. Sermo increpatorius & insultatorius, ad montem Basan, modo citatum, & ad reliquos montes similes, directus, ita habet, vers. 17. *Quare insilietis montes colles montem hunc? quem Deus ardenter ad incolendum adpetiit, inhabitabit etiam Jehova in æternum & victorioſe.* Citaverat quidem poeta *montem Basanis*, sed non ad eum solum, verum ad montes & colles in genere, sermonem vertit, ut & suam sortem, & aliorum regnorum similium, intelligeret mons Basan; sub quo itaque reliquos omnes comprehendit. Objurgat vero *montes & colles*, seu regna majora minora, sine discrimine, quam ob causam non dicit, *montes collium*, ut modo de monte Basan, sed *montes colles*, uti verti debent voces, ut omnia regna cujuscunque dignitatis & potentiæ, majora minora, illud sibi adplicarent. Habet præterea forma orationis & increpandi & irridendi vim, quam vocula interrogationis *quare* facile exhibet: ut sit, quæ vos movet insania, quare incassum, & in vestram perniciem? Sed quid est, quod ipsis imputat? *insilire in montem hunc;* quare, dicit, תרצדון הדר *insidias struetis, & insilietis in montem hunc?* sic enim verba sunt vertenda & capienda. *Montem hunc* cum dicit, ejus mentionem modo fuisse factam, indicat, & digito eum monstrat; *montem* itaque *Dei in Tsalmone, modo memoratum*, quem mox ab inhabitatione Dei accuratius *describit*; montem ergo Tsionis & Templi, adeoque metropolin regni, & sedem religionis Jehovæ, cum ipso regno Judæorum, & religione, cujus ibi sedes erat. In quo nihil est difficilis. Imputat nunc ipsis hostiles & insidiosas infestationes, verbo רצר comprehensas: quod varie quidem accipitur, sed ex Ling. Arab. a Doctis, in primis Cl. Schultens *a*, demonstratum est proprie significare, *observare intentis oculis*, inde *invidiose* observare, nec non *insidiari*, & ex insidiis captare, ac data occasione *insilire*. Quo indicatur, Tsionitarum statum, & prosperitatem, regnis aliis excitaturum invidiam, simul incitaturum ad eum,

a ad hunc locum.

quavis captata occaſione, invadendum & deſtruendum: ſicut ab Aſſyriis, Babyloniis, Perſis, & Syro Macedonibus factum eſſe, conſtat.

§. XLVIII. Ad vanitatem horum moliminum, & damnum inde ipſis oriundum, demonſtrandum pertinent verba ſequentia, quem *ardenter adpetiit in habitaculum ſuum Deus, & inhabitabit Jehova in perpetuum & victoriam.* Ellipſin voculæ אשר, longe facillimam & uſitatiſſimam, ante חמד *adpetiit*, quisque facile obſervare poterit; vel etiam הזה הר *montem hunc* repetere liceret; ut ſit: *quare inſiliretis montem hunc?* hunc montem *petiit Deus, etiam inhabitabit æternum.* Quæ eodem redeunt. Duo hic, in rem admodum, de monte Tſionis adfirmantur; *alterum*, a Deo ipſo eum eſſe in habitaculum ſuum *petitum*, *alterum*, Deum ibi in æternum & triumphabundum habitaturum eſſe. *Prius* emphatice exprimitur verbo חמד, quod vehemens & flagrans involvit deſiderium, indeque ortum ſtudium poſſidendi, & tuendi. Proprietas eſt in *ſono ignis flagrantis;* unde ortus eſt ſignificatus *adpetendi* flagrante *ſtudio;* quod Lat. eſt, *ardere aliquem*, vel aliquid *a*. *Finis* deſiderii Dei traditur fuiſſe, ut *ſit habitaculum ejus*, ſeu regni & Eccleſiæ metropolis; ubi Deus ſymbolice adeſſet, & coleretur. Quod facillimum eſt. Adparuit autem hoc deſiderium Dei, quum Hieroſolyma, a Davide occupata, declarata & facta eſt ſedes regni, & *arcæ*, in eam translatæ, & promiſſum ipſi factum eſt de *Templo* ibi a filio ejus ædificando: uti notum eſt, Conf. Pſ. XXIV & CXXXII. & alia loca. *Poſterius* habet, Deum ibi habitaturum eſſe לנצח *in perpetuum & victoriam:* h. e. nec pro brevi tempore, ſed longiſſime ad finem oeconomiæ V. usque, quem uſum frequenter habet לעולם, ſæpe a nobis obſervatum, nec otioſe & ſubjecte, verum *victorioſe*. Quod utrumque hic conjungimus, & vox נצח admittit. Proprietatem habet *in puro puto, ſincero, mero & delibato;* ac ad veritatem, ſinceritatem puram putam, perpetuitatem, victoriam

a Schultens ad Prov. I: 22. IV. 25.

riam, ſeu cauſæ victricis veritatem, & harmoniam muſicam ſinceram, ac ſimilia transfertur *a*. *Habitare* vero Dei *in monte* Tſionis dicitur שכן, quatenus veriſſime, firmiter, inperturbate, perpetuo, & victorioſe eam ſedem retinet; etiam inter concentus puriſſimæ & triumphabundæ *muſicæ*: ad quam vox adplicatur, 1 Chron. xv: 21., & præfectus muſicæ inde adpellatur נצח *ſincerus monitor*, qui ſinceram, puram, liquidam præeat harmoniam. Antiquis Rabbinis quoque נצח vocatur genus laudis, quo ſinceriſſima vis Dei, omnia ſuperans, decantatur, ſeu *epinicion*, *carmen triumphale*, canitur; ut obſervavit Dieu *b*. Cujus ratio eo rectius hic habetur, quod mox carmen tale *inwlwn* exhibeatur; ut mox videbimus.

§. XLIX. 1. Carmen triumphale, quod Deo, ab expeditione glorioſa in hoſtes reverſo in ſedem ſuam ſublimem, accinerent, quoque ipſi publice gratias agerent pro ſingulari ac miraculoſa liberatione, quo tempore hic caſus contingeret, ſummatim propoſitum, ita habet, verſ. 18–21, *Currus Dei duæ* ſunt *myriades millibus multiplicatis*, *Dominus in medio eorum* eſt, *Sinai in ſancto. Adſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem, ſumſiſti dona in homines, & etiam refractarii*, ſeu *naſus refractariorum*, *ad decumbendum*; *O Jah Deus! Benedictus ſit Dominus! quotidie onerabit nos Deus iſte ſalus noſtra. Selah! Deus iſte noſter nobis Deus liberationum, & Jehovæ Domino emicationes mortis* ſunt tribuendæ. Quæ verba carminis triumphalis, in laudes Dei, tanquam triumphatoris, & liberatoris populi e ſummis anguſtiis, conſpectum adeo evidenter gerunt, ut, Interpretibus illud in mentem non veniſſe, mirum accidat: cuncta enim eo manifeſte tendunt, & inde facillimos acquirunt explicatus. Præt. temp. verba, verſ. 19. *adſcendiſti* &c. nos clare ducunt ad illud tempus, quo divina hæc expeditio jam eſſet facta, & Deus triumphabundus in aulam ſuam regiam glorioſe erat reverſus; adeoque accipienda

 ſunt,

a Id. ib. xxi: 28. *b* ad Pſ. iv.

ſunt, tanquam tunc a populo Dei prolata: plane quemadmodum habuimus ſupra, verſ. 5—., & videbimus rurſus, verſ. 28—. Inſinuavit vero poeta, ſe ejusmodi carmen in medium adlaturum, voce לנצח, qua verſum 17*mum* terminavit; ubi dixit, *Deum* inhabitaturum Tſionem לנצח *in purum putum*, nec non in *victoriæ* continuas laudes; ut ſupra obſervavi: ſive *cantate* &c. ex verſ. 5. repetatur, ac ſubintelligatur, ſive aliud quid ſimile. Nec inſolens eſt, maxime in ſtylo poetico & ſublimi, *carmen* cantandum ſine ulla præfatione in medium adduci: uti conſtat, & ſæpe obſervavimus. *Partes* vero cantici *duæ* ſunt. א. *Prior* magnificam continet deſcriptionem triumphabundi & glorioſi reditus Dei in aulam ſuam regiam, cum copioſiſſimo ſuo exercitu, hoſtibus miraculoſe proſtratis, & celebrationem Dei ac gratulationem quaſi ſuper eo, verſ. 18, 19. ב. *Poſterior* vero gratiarum actionem, & celebrationem Dei ſolennem, ob conceſſam liberationem, & teſtificationem ſpei ac exſpectationis ſecuturæ proſperitatis, verſ. 20, 21.

§. L. א. In *priore* parte, α. numeroſiſſimus Dei exercitus coeleſtis, quo in hoſtibus profligandis uſus erat Dominus, in medio ejus præſens, quo etiam cinctus Majeſtatem ſuam in ſede ſua glorioſa manifeſtat, deſcribitur, & ex comparatione cum Dei manifeſtatione ſuper *monte Sinai* illuſtratur, verſ. 18. β. *glorioſus* Dei victoris adſcenſus in arcem ſuam ſublimen cum ejus adjunctis & effectis, depingitur, verſ. 19. Hic enim verus eſt pericopæ conſpectus, ex oculis non dimittendus, quo majeſtatis pleniſſimus Dei, tanquam Imperatoris glorioſi & triumphatoris, poſt hoſtes devictos, in aulam reverſi, ſtatus depingitur, & celebratur; quo omnes phraſes manifeſte tendunt; comparatio cum manifeſtatione Dei in monte Sinai nos ducit, & quod collatio cum verſ. 5 & 8 ulterius confirmat. Ex qua hypotheſi pericopam, haud difficilem intellectu, exponere adgredior, primum emblematico ſenſu & exiliore, dein ſenſu ſublimiore & magis emphatico, ac proprio: quem

utrum-

utrumque esse admittendum, mox adparebit. *a*. *Prius* membrum pericopæ ita habet, vers. 18. *Currus Dei* sunt *duæ myriades*, *millibus multiplicatis*; *Dominus est in iis*, *Sinai in sancto*. h. e. Supremus mundi librator & judex, ac Dominus, in medio innumerorum exercituum coelestium residet gloriose & triumphabunde in sede sua sancta, suæque majestatis tremendæ signa dat, sicut olim in monte Sinai, quo legem promulgavit inter multa tonitrua, fulgura & terræ motus, posteaquam hostes prostravisset, & populum suum in libertatem adseruisset. *Currus Dei* hic sunt *Angeli*, tanquam exercitus considerati militares, cum adlusione ad *currus*, Veteribus in bello usitatos; uti notum, & ab aliis satis illustratum est. Quorum numerus additur inmensus, & vix numerandus, cum dicitur; *currus Dei chiliades* multæ, *millibus iteratis*, *seu multiplicatis*. Prior vox רבתים est plur. auctus, nam רבות est pl. a sing. רבה, contracte ex רבבה, רבבות *a*, augmentum duale, aut plur., insuper additum voci plur., ingentem myriadum numerum videtur exprimere. Vox vero רבבה, & contracte רבה, usu suo adfert myriadem, a *densa* multitudine; quæ radici inest potestas. Numeri augendi adhuc ergo additur, *millia duplicitatis maximæ*; vox enim שנאן est a שנה, vel שנא, proprie *flectere*, inde *iterare*, *duplicare*; & augmentum ן *nun* sive cum ו sive cum ֻ puncto, augendi & intendendi usum habet, adeoque *iterationem multam* denotat *b*, sicut διπλοῦς Gr., & *duplex* Lat. pro *multiplice* adhibetur, & *duplicare*, *geminare* pro multiplicare *c*. Proxime convenit Dan. VII: 10. ubi *ministrantium* Deo, qui thronum ejus circumstant, dicuntur *mille millium*, seu *millies millia*, & *myrias myriadum*, seu myriades per myriadem multiplicatæ. In harum medio cum *Dominus* esse dicitur, ipse hic repræsentatur tanquam eorum Dux, & Imperator, qui ab iis cinctus est, & iis, tanquam ministris, ad judicia sua exsequenda, utitur. Qui alias

a Schultens Gr. p. 220. *b* Simon in Onom. p. 570.
c Vid. la Cerda ad Virg. Aen. VIII. p. 241.

Angelus Jehovæ, & dux ſeu *princeps exercitus Jehovæ* adpellatur, Joſ. v: 14. & ſæpe Deus *exercituum*.

§. LI. Sed *ubi* Deus cum hoc exercitu ſuo præſens ſiſtitur? id quod ultimæ voces exprimunt, *Sinai in ſancto*, h. e. in monte ſanctitatis Tſione, ſicut antea in Sinai, adeo ut *Sinai* poſſet cenſeri in montem Tſionis mutatus, ſeu ipſe Sinai eſſe in eo. Facilior fuiſſet ſtructura orationis, ſi haberet כבסיני *ſicut in Sinai in ſancto*, ſed reticuit poeta particulas illas, *ſicut in*, abrupte & conciſe locutus, ut ſæpe alias fieri adſolet, præcipue in ſtylo ſublimiore, & majoris emphaſios gratia; adeo ut ipſe Sinai, tanquam in Tſionem translatus, Tſion factus Sinai, intelligeretur. In voce בקדש ſubintelligitur הר *mons* ex præced., ut ſit, *in monte ſanctitatis*. Sic ſanctum & *Tſion* conjunguntur, Pſ. xx: 3. & ex Tſione optatur ſalus ventura, Pſ. xiv: 6. *mons Dei & locus ſanctitatis ejus*, Pſ. xxiv: 3. Senſus itaque eſt, Deum exercituum, innumero ſuo exercitu coeleſti cinctum, ſedem habere in monte Tſionis, ſeu monte Dei Hieroſolymis, ſeſeque ibi talem exhibere, qualem olim *in Sinai*, adeoque poſt hoſtes ſuperatos, & populum liberatum, quique antiquam illam legislationem nunc renovavit, & vindicavit, ſeſeque populo de novo ad bona foederis danda obſtrinxit. Ex quibus facile pateſcit, quam apte hæc in tempus Hizkiæ quadrent; aptius quoque, quod exercitus hoſtilis Aſſyriacus fuerit per Angelum Jehovæ, coeleſti exercitu cinctum, mirabiliter & immediate, ſine alia ope humana, ad internecionem deletus; ſicut olim Aegyptiis contigit, quando Deus victorioſus & triumphabundus ſeſe in Sinai fecit manifeſtum. *Currus* itaque & exercitus coeleſtes repræſentantur in monte Tſionis, una cum duce ſuo in medio ſui, caſtra metati, *cum* ad miraculoſam illam victoriam per eos ſolos de Aſſyriis reportatam digito monſtrandam, *tum* ad ſecuritatem Tſionis in poſterum demonſtrandam, quippe quæ a tanto duce & tam numeroſo exercitu inſidebatur; ut Eliſæ aliq. legitur conceſſum, 2 Reg. vi: 17.

ubi

ubi mons, in quo erat, *plenus* ipsi fuit & servo ejus visus *equis*, *& curribus igneis circa Elisam.* Sed gloriosæ Dei manifestationis in monte Sinai memoria insuper aptissime renovatur, *cum* quod foedus Sinaiticum tempore Hizkiæ fuerit solenniter repetitum, *tum* quod illud fuerit frequenter inculcatum, tanquam unicum medium, quo prosperitas concessa reddatur durabilis, & populus sese Deo gratum præstet. Quo directe etiam spectat Ps. L., ubi Deus in scenam producitur tanquam illustris populi vindex e Tsione manifestus factus, & legis in monte Sinai latæ renovator, ac inculcator: ut suo loco vidimus.

§. LII. Hæc licet sufficere possint; addam tamen aliam paulo interpretationem, cujus ansam dederunt LXX Intt., qui verterunt: τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ μυριοπλάσιον, χιλιάδες εὐθηνούντων *currus Dei*, ut reddidit Vulg., *decem millibus multiplex, millia lætantium. Dominus in iis in Sinai in sancto.* Legisse videntur Interpretes שאנן pro שאן, vel per metathesin litterarum ita accepisse; quod, ipso Gejero judice, *non adeo incongruum daret sensum*; quem tamen minus dedit congruum, cum ad Angelos adplicuit, & *florentissimos Spiritus* interpretatur, opposite ad homines fragiles: quare subjungit, non recte hoc epitheton convenire militiæ *operosæ*, quippe quod *tranquille potius consistentem* aut *quietum denotet*. Equidem, si eam lectionem & versionem adoptare liceret, per *chiliadas tranquillitatis*, vel populi tranquille & læte agentis, intelligerem, non Angelos, sed populum Israelis, sive *Chiliadas Judæ*, Mich. v: 1. & verterem: *Currus Dei myriades multiplices* (angeli numerosissimi & fortissimi) sunt in *chiliadibus tranquillitatis defoecatæ*, (in medio Chiliadum Judæ, & tempore expeditionis Dei in hostes tranquillarum, & nunc, ea gloriose finita, læte & prospere quiescentium; uti tempore Hizkiæ adparuit.) *Dominus in iis, Sinai in sancto* (non currus tantum Dei, sed ipse supremus ductor, Angelus Jehovæ, in medio chiliadarum Judæ est in sancto, aut monte sanctitatis, sicut olim in Sinai.) Nihil hic difficilis,

cilis, modo notetur ellipſis præf. ב in באלפי, ut ſit pro באלפי, uti mox in טיני, quæ ex ſerie ſermonis facile ſuppletur. Commendat eam interpretationem, 1. quod conſtructio longe ſit facilior, & vocum ſtructuræ convenientior, quam ſi *chiliades duplicitatis* vertatur, & *myriadibus* adjungatur. *Currus Dei myriades multæ, millia duplicitatis* ſunt, neſcio quid ſcabroſi habeat? longe facilius utique dicitur, *currus Dei multæ myriades* ſunt, *in chiliadibus Judæ*, uti mox, *Dominus eſt in iis.* 2. quod epitheton שאנן huc aptiſſime quadret, de chiliadibus Judæ ſumtum, ad indicandum ſtatum Judæ, & tempore expeditionis Dei cum Angelis contra hoſtes, & poſt eam finitam. Juda enim nihil tunc egit, ſed ſe Hieroſolymis quietum tenuit & tranquillum, quo tempore Aſſyrii ſunt proſtrati, ſolus exercitus coeleſtis cuncta perfecit, deinceps rediit Deus exercituum ad chiliades Judæ, & majorem tranquillitatem ac proſperitatem ſua præſentia Tſionitis adtulit: uti conſtat. Vox שאנן contracta eſt ex שלאנן, quæ alibi exſtat, & defoecate fuſum ac liquidum proprie denotat, inde tranquillitatem, ſecuritatem & proſperitatem *a*. 3. Denique haud leve momentum addit collatio Num. x: 36., ubi, cum columna nubis & ignis alicubi reſidebat, Moſes dixiſſe fertur, *redi Jehova ad myriadas, chiliadas, Israelis*, ſive *cum myriadibus ad chiliadas Israelis*, h. e. cum myriadibus angelorum ad chiliadas Israelis, quod facilius & rei congruentius eſt, vel, ut Cocc. in Lex. ad vocem רבבה, *redi Jehova, myriades chiliadum Israelis*, h. e. *Deus, qui es exercitus numeroſiſſimus Israelis.* Ita Deus in Sinai veniſſe dicitur *ex*, vel *cum*, *myriadibus ſanctitatis.* Deut. xxxiii: 2. Ad quas voces Moſis Num. x. probabile eſt hic fuiſſe adluſum; quemadmodum in principio Pſ. verſ. 2. ad altera Moſis verba, quibus Deum cum columna ſeſe moventem adlocutus legitur ibidem: de quo ſupra dixi. Loco *Israelis* vero hic ſymbolicum aliquod nomen, ſeu epitheton, poſuit David, ut ſtatum populi

a Schultens disp. iv. ad Orig. & Job. iii: 18 xxi: 23.

puli ejus temporis, de quo agit, depingeret; quemadmodum verſ. 15. habuimus, ubi loco Hieroſolymæ dixit צלמון.

§. LIII. β. Ipſe glorioſus & triumphabundus Dei introitus in ſublimem ſuam ſedem, una cum adjunctis & effectis, deſcribitur verſ. 19., in hæc verba: *Adſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem, ſumſiſti dona in homines, & quoque refractarii ad decumbendum, Jah Deus!* Quibus Deus tanquam triumphator depingitur, ſedem ſuam ſublimem, quam ad hoſtes deprimendos & populum liberandum deſeruerat, repetens, & populum ſuum captivum, hoſtibus ereptum, ſecum ducens, ſimul eum bonis ac donis cumulans, & refractarios hoſtes in carcerem compingens: ſicut in triumphis fieri ſolebat. In quibus verbis pleraque mihi videntur ſatis plana & perſpicua, aliquid tantum ſupereſt ambigui. Quorum, miſſis Interpretationibus aliis, diſtincta mihi erit reddenda ratio. Clara mihi & facilia adparent ſequentia. 1. *Primum* eſt, ultimas voces, *Jah Deus*, perſonam nominare, ad quam ſermo dirigitur; quæ etiam vulgatior eſt opinio: licet alii cum verbo שכן *habitare* connectant, ſed diverſo ſenſu, ſive refractarios velint *Jah Deum*, aut *decentiam* Dei, ut Coccejus, inhabitare, ſive *apud Deum*, ſive Deum in illis. Quæ omnia valde aliena ſunt: *nihil facilius* eſt, quam ut perſona hic compellatur, ad quam ſermo vertitur; quemadmodum etiam fit, verſ. 8, 10, & 11. Cum enim ſubito ſermonem vertat, & aliquem adloquatur, absque ut eum adpellet, in fin. verſus vero *Deum* diſerte nominet; Deum ſe deſignare, quem compellaverat, clare ſignificat; adeoque orationem adparet ita eſſe connectendam, ut *Deus* ſit ſubjectum orationis, & vertatur: *adſcendiſti* —— *Jah Deus*. 2. *Secundum* eſt, Deum hic ſiſti tanquam triumphatorem & repetere ſedem ſuam ſublimem, quam hoſtium & populi ſui cauſa reliquerat; de qua deinceps agam. Hic ſuffecerit, ad phraſes illuſtrandas, notaſſe, *adſcendere Deum in altum* involve-

re ejus *deſcenſum* de alto, & dicere, eum ſedem ſuam, peracta expeditione, repetere, ſed eo redire cum triumpho, hoſtibus devictis, & populo liberato; ut ſeq. demonſtrant. Quem *deſcenſum* hic eſſe advertendum, Dominus quoque monuit, Joh. III: 13., res ipſa evincit, & generalis pars Pſ. verſ. 2--7. ulterius confirmat. *Adſcendiſti in altum* itaque eſt, expeditione ad hoſtes profligandos, ac populum vindicandum, cujus cauſa deſcenderas, ſeu, ut verſ. 2. *ſurrexeras*, &c., & in *deſerto equitaveras*, verſ. 5., proſpere finita, ſedem tuam ſublimem denuo intraſti; ſed glorioſe, & ut eam in poſterum teneas firmiter.

§. LIV. 3. Nec illud mihi dubium eſt, quin voces, *captivam duxiſti captivitatem*, expeditionis ſuſceptæ effectum, & cauſam triumphi, deſignent, adeoque populum e captivitate liberatum, & triumphatori adſertum, repræſentent. Quod phraſi, ejusque uſui, eſt magis conſentaneum, quam quod alii volunt, ut hoſtes captivos abductos intelligamus. Etſi enim eo ſenſu ſubinde ſumatur; longe tamen uſitatius pro *captivorum* liberatione; uti vel ex Lexicis conſtat. Confirmat hunc ſenſum, quod ſupra in generali pericopa Deus fuerit celebratus, tanquam *vinctorum eductor in bene compactas ſocietates*, verſ. 7. Significatur itaque, populum Dei fuiſſe in manibus hoſtium, & *captivorum* prætuliſſe conſpectum, ſive proprie, ſive magis improprie, de quo poſtea, & inde fuiſſe liberatum, ac liberatoris in poſſeſſionem veniſſe. 4. Sequentia verba, *accepiſti dona in hominem*, ut proprie ſonant, vix dubitaverim, quin donorum & bonorum diſtributionem inter homines, a Deo triumphatore factam, uti moris erat in ſolennitatibus, & triumphali pompa, denotent; uti Chald. & Syr. verterunt, & Apoſt. Eph. IV: 8. quoque intellexit; ſive ſenſu divite. לקח ſit *acceptum dare*, quod a Doctis abunde eſt illuſtratum & confirmatum exemplis, ſive illud conſtructione vocum, מתנות באדם *dona in hominem*, ſtatuatur involutum eſſe, quod conſtructioni vocis באדם *in Adamum*, & non לאדם, ut

alias

alias ſolet, conjunctius eſt. Vox ſcilicet מתנות propriè deſignat *tendentiam*, a נתן *tendere*, inde *donum*, munus ad aliquem tendens, ſeu directum; *ſumere itaque* מתנות באדם *munera in homines*, eſt ea ſumere, quæ in eos tendunt, ad eos ſpectant, & iis porriguntur; adeoque accipere dona in homines conferenda. Senſus eſt, Deum, hoſtibus triumphatis, & populo ſuo captivo liberato, ſedem ſuam ſublimem intraſſe denuo, & inde quævis munera & dona accepta in populum effudiſſe; quod tanquam conſequens & effectum triumphabundi introitus Dei in ſedem ſuam eſt conſiderandum, & qualiacunque munera coeleſtia comprehendit ad populum liberatum ditandum ac beandum: quod in generali pericopa, verſ. 7. dictum fuerat, *reducere ſolitarios in domum*, & in primæ periodi ſpeciali deſcriptione per *imbris largiſſimi fluxum* depictum erat, verſ. 10.

§. LV. Supereſt ultimum membrum, multo obſcurius & difficilius intellectu, quod verti; *& etiam refractarii decumbere*, vel *ad decumbendum*, h. e. & inſuper, in cumulum victoriæ ac liberationis populi, refractarii hoſtes, devicti ac triumphati, in eum redacti ſunt ſtatum, ut cum terribili ſua majeſtate infirmi, & quaſi mortui jaceant. Verba continent *victoriæ conſequens*, reſpectu hoſtium & impiorum, ipſorumque *ſtatum abjectum* & adflictum depingunt: ſecus ac paſſim volunt Interpretes, qui refractariorum ſalutarem ſubjectionem, qua Dei habitaculum facti ſunt, vel iis data eſt poteſtas apud Deum habitandi, deſcribi volunt: quod a ſcopo & ſtructura ſermonis abhorret, & ex verſ. 7. refutatur, ubi refractarii dicuntur *incolere ariditatem*: quo hic manifeſte reſpicitur. Noſtra interpretatio nihil habet, quod offendat, modo notetur, 1. infinit. שכן eſſe loco finiti; & idem eſſe, ac, *decumbunt*, vel *ad decumbendum* redacti ſunt, aut eorum eſt *decumbere*. Infin. pro præt. præſ. vel futuro ſumi, ſatis vulgatum eſt [a]. 2. Verbum שכן hic in malum ſumi, & ſtatum miſerum, infirmum, ac abjectum, ex-

[a] Glaſſ. Gr. ſ. l. III. tr. III. can. 44.

primere; quod verſ. 7. pleniùs fuit expreſſum per *habitare* צחיחה *ariditatem;* ut ibi expoſitum eſt; ubi etiam de uſu ejus in malum dixi. Denique, 3. vocula אף duplicem fert ſenſum, *alterum*, quo particulæ uſum habet, & *inſuper* denotat, vel *in cumulum;* eſt enim a rad. אפף *cumulare*, & adhibetur particula אף ad augendum ac cumulandum ea, quæ præceſſerunt; quod huc non male quadrat, ut expoſui: *alterum* vero, quo vocis conſpectum habet, & *naſum* dicit, unde ad *terribilem* tranſiit Majeſtatem, & inacceſſam; ſimul, in malum, adrogantem, faſtoſam, & ferocem in Deum & homines: uti expoſuit & firmavit Cl. Schultens *a*. Ita de Aſſyrio, tempore Hizkiæ, Jeſ. XXXVII: 28. *quod infremueris adverſum me, tuaque inſolentia in aures meas adſcenderit: ideo ponam hamum meum in naſo tuo & meum lupatum in labris tuis:* ubi *naſus* figuram quoque gerit, inquit Schult. l. c., *flatus & faſtus inſolentis; labra autem figurate ſimiliter jactantias conſignant.* Senſus ergo erit, terribilem & inſolentem illam Majeſtatem Aſſyriacam, hominum ſummo gradu refractariorum, decumbere, & decubituram, debilem & infirmam; ſicut ex hiſtoria conſtat factum fuiſſe.

§. LVI. Poſſet eandem in mentem alius verbis dari ſenſus, ſi pro אף legere liceret נפח *expiratio*, vel *exſpiravit*, pro exſpiraverunt *refractarii;* quemadmodum de Aſſyrio, Jeſ. XVI: 4. אפס מסף *exſpiravit oppreſſor*, & c. XXIX: 20. אפס *exſpiravit violentus*, & alibi vos אפס *exſpiratio*, nihilum, Jeſ. XLI: 12. *viri tui bellatores* כאין כאפס, *ſicut vacuitas ipſa, ſicut exſpiratio b.* Littera vero ס ex concurrentia ſequentis vocis, cum ס incipientis, facillime in פ excidere potuit; uti alias ſæpe factum eſt. Quo admiſſo, ſeq. לשכן vel erit ad *decumbendum*, exſpirationis effectum, vel cum verbo עלית *adſcendiſti* conſtrui poterit; ut ſit: *adſcendiſti in altum* ——— *ad habitandum* quiete & *tranquille*, *Jah Deus;*

a Defect. §. 250. *b* Idem Prov. XXVII: 20.

Deus; uti verſ. 17. *etiam Jehova* שכן *habitabit purum putum.* Eligat quis, quod ſibi verius videatur.

§. LVII. Verbis in luce poſitis, eorum ſenſum tradamus, & ad ſubjectam materiam adplicemus, *primum* emblematice & exiliore, dein vere, & magis emphatico ſenſu: cujus utriusque rationem eſſe habendam, ſupra inſinuavi. *a.* Senſu emblematico & tenuiore digitus intenditur ad *duos* illuſtriores caſus præteritos, alterum remotiorem, alterum propinquiorem, & directe reſpicitur ad ſingularem illum caſum, tempore expeditionis Senacheribi & liberationis miraculoſæ ſub Hizkia, quando, ut ſupra dixi, hoc carmen triumphale caneretur. *a.* Singulares caſus, tempore compoſiti Pſ. jam præteriti, ad quos reſpicitur, ſunt, *alter* manifeſtationis Dei in monte Sinai, *alter* translationis arcæ in montem Tſionis a Davide, paulo ante hunc Pſ. factum. Cujus utriusque, ſicut mentio injicitur verſ. 17 & 18., quemadmodum vidimus, ita ratio hic recte habetur, cum præſentis liberationis populi ab Aſſyrii infeſtatione & imaginem ferant, & fundamentum conſtituant. Sicut enim Deus 1. montem Sinai adſcendit poſt populum captivum liberatum, & Aegyptiorum inſolentem tyrannidem oppreſſam, & de eo monte *dona* ſua in populum demiſit, legem & promiſſa, *foedere inito*, dedit, 2. deinceps in Tſione ſedem capeſſivit, etiam poſt populum ab hoſtibus adſertum per Davidem, & ab oppreſſione vindicatum, ut eſt Pſ. LX., indeque *dona* contulit in Davidem & populum, multiplici benedictione tunc mactatum, ut habuimus verſ. 10--14.: ita quoque per eos caſus præluſum fuit præſenti liberationi, & ejus fundamenta ſunt jacta, cum Deus, foedere ad Sinai erecto, & promiſſo, tempore translatæ arcæ in Tſionem, ſe Davidi & populo obſtrinxerit, de regno Davidis, & ſua inhabitatione, in perpetuum in medio populi. Renovatur itaque eo, quo dixi, ſcopo memoria horum caſuum, & Deus celebratur, tanquam qui olim & Sinai & Tſionem adſcendit, ibique ſedem ſuam fixit, una cum myriadibus

angelorum inter Chiliadas Judæ, ſub ſymbolo Schechinæ inter Cherubinos ſuper arcam; adeoque ad eos caſus verba etiam ſunt adplicanda, quibus recte conveniunt; ut facile patet, & modo tetigi.

§. LVIII. *b.* Directius vero & propius pertinent verba, ſenſu adhuc emblematico & tenuiore, ad ſtupendum illum caſum tempore Hizkiæ, quo exercitus Aſſyrius per Judæam expanſus ſimul, ſimul disjectus eſt ab Angelo Jehovæ, mons Tſionis vindicatus, & publice declaratus ſedes Dei in perpetuum, populus oppreſſus ab Aſſyrio, & arcte incluſus, glorioſe eſt liberatus, adeo ut *captivitas* dici potuerit *captiva abducta;* terribilis majeſtas Aſſyriaca exſpiravit, & populus ſub Hizkia quibusvis bonis & donis a Deo cumulatus eſt. Quo tempore itaque Deus introduci apte potuit tanquam triumphator *altum* conſcendiſſe, quatenus, expeditione peracta, cujus cauſa *ſurrexerat*, & e *Tſione exierat*, ad hoſtes profligandos, ut eſt Pſ. L: 3. & Jeſ. XXXVII: 36. XXXI: 4. ne alia proferam, ubique obvia, ſedem illam ſuam ſublimem repetiit, populo *captivo* ſibi adſerto denuo & liberato, & ditato valde; adeo ut & tunc dici potuerit Deus *captivitatem captivam duxiſſe, & dona accepiſſe in homines.* Conf. Jeſ. XVI: 5. XXXII: 1--8. XXXVII: 31, 32 Pſ. XLVI. 10, 11. Dictis tantum addo, Deum & alibi introduci *altum* repetere, poſt judicium habitum, cujus cauſa deſcenderat, Pſ. VII: 18.

§. LIX. Verum enim vero licet caſus memorati poetæ fuerint ob oculos verſati, eamque ob rationem verbis præt. temp. fuerit uſus; quod, quo tempore carmen caneretur, omnes illi caſus jam exſtitiſſent: dubium tamen mihi non eſt, quin, dum in eo eſſet, cogitationes ejus a Spritu S. in longe alium & celebriorem caſum, diu poſt demum futurum, fuerunt defixæ, vel ita directæ, ut Meſſiæ glorioſum in coelum adſcenſum, cum ejus adjunctis & effectis, emphatice & directe expreſſerit, adeo ut ad caſus eos non niſi emblematice & exiliore ſenſu, ad Meſſiæ ex-

exaltationem vero proprie & vero ſuo ſenſu referenda ſint verba, quæ Spiritus ipſi in ore dedit, vel calamo exarare fecit. Poetæ itaque Spiritus, qui ipſum egit, verba inſpiravit, quæ ad eos caſus adcommodari quidem poterant, ſed vera ſua emphaſi Meſſiæ exaltationem delinearunt: adeo ut poetæ quidem permiſerit verba proferre, quæ illos caſus delineare apta erant, ſed ea ratione concinnata, ut, Spiritus S. ſcopo convenienter, Meſſiæ exaltationem longe clarioribus depinxerint coloribus. Quod, ſicut a ſtylo prophetarum non eſt alienum, qui & litteralem & ſpiritualem habent ſubinde ſenſum, uti ſatis conſtat, ita huic loco multo convenientius eſt, *cum* quod Meſſiæ exaltatio, poſt opus ſalutis peractum, fuerit finis & fundamentum omnium illorum illuſtrium caſuum, qui Veteri populo Dei contigerunt, de quo alibi ad Dan. fuſius diſſerui, *tum* quod omnes hi caſus, ad quos digitum intendit poeta, Meſſiæ exaltationem, poſt impetratam ſalutem populi factam, typice expinxerint; uti notum eſt, & alibi ſolet exponi. Facillimus itaque fuit tranſitus a manifeſtatione Dei glorioſa in monte Sinai, translatione arcæ in Tſionem, & habitationis Dei vindicatione tempore Hizkiæ, ad Meſſiam exaltatum, & regnum ejus erectum in coelis; eo etiam *facilior, quod de hoc ipſo* monte Tſionis, vel parte montani *Hieroſolymitani fuerit glorioſe*, & triumphabunde, comitantibus Angelorum choris, in coelum ſublatus: uti conſtat.

§. LX. Refero itaque verba, ex propria & directa Spiritus S., qui vatis mentem & calamum direxit, intentione, ad Meſſiæ exaltationem, ejusque adjuncta & effecta, eumque ſenſum pro vero & directo habeo, alterum vero illum, ſupra traditum, pro emblematico ac tenuiore: nec ſine urgente ratione ita ſtatuo, cum haud dubia ejus ſeſe in verbis offerant indicia, verbo tantum proferenda; cum Interpretes hic ſatis prolixi ſint, qui conſuli poterunt. 1. Primum criterium eſt in deſcriptione mortis Tſionis verſ. 18.,

quæ

quæ ad coeleſtem Dei, & Angelorum, ac ſanctorum, ſedem, vera ſua emphaſi, nos manifeſte ducit, in primis, ſi notabilis locus Heb. XII: 22, 23. conferatur, quippe hinc maximam partem, quod obſervo, deſumtus: memoratur enim ibi *Tſion mons*, ſeu coeleſtis Hieroſolyma, *myriades* Angelorum, Eccleſiæ primogenitorum in coelis, & Spiritus *juſtorum conſummatorum*, denique *Judex Deum omnium*, oppoſite ad *montem Sinai* ſupra memoratum; plane quemadmodum hic occurrunt myriades *curruum Dei*, *chiliades*, ſeu coetus copulati, & arcte uniti, hominum renovatorum & defoecate tranquillorum, præterea *Dominus*, ſupremus liberator, & Judex, in eorum medio; ac denique *Sinai* in ſanctum ſeu Tſionem ſanctum translatus & permutatus. De quo mox accuratius. 2. *Secundum* eſt, quod Dominus dicatur adſcendiſſe abſolute & in genere in *altum;* quo *coelum* intelligi ſolet. Etſi enim Tſion poſſit adpellari, & adpelletur ſubinde, *altum*, ut & *Hieroſolyma ſuperior*, Gal. IV: 26., vis tamen & uſus vocis ad *coelum* nos ducit, eo epitheto abſolute inſigniri ſolitum, ut Jeſ. LVII: 15. Pſ. CII: 20. Jeſ. XL: 26. XXIV: 21. Pſ. XCII, XCIII. & alibi. 2. *Tertium*, quod non habeatur, שבות שבחה *reſtituiſti captivitatem avectam*, ut ſolet de Israele e captivitate liberato, vel inſtaurato, nec addito populi Dei epitheto, ſed שביה שבי *captivitatem abduxiſti captivam*, & in genere, quod rectius in hoſtium ſpoliationes, adeoque in homines, Dominis ſuis antiquis ereptos, & in alterius Domini poteſtatem redactos, quadrat: quemadmodum de Chriſto, debellatore Satanæ, peccati & mundi, adhibetur, Jeſ. XLIX: 24. LII: 2. LIII: 12. Matth. XII: 29. 4. *Quartum*, quod *dona*, a Domino in altum ſublato accipienda & effundenda, vero ſuo conſpectu ſint *coeleſtia*, & Spiritus S. dona, eo nomine in primis digna; ut facile adparet. 5. *Quintum*, quod non dicatur, *dona accepiſti* in *Israelem*, vel ſimile quid, verum באדם *in hominem*. Etſi enim Israel eo nomine inſigniri queat, maxime ubi *Deus* tanquam *dator* munerum occurrit: dubium tamen

men non eſt, quin latius ſeſe hoc nomen extendat, & ad *Gentes* quoque pertineat; quæ ſubinde hoc epitheto, oppoſite ad Israelem, populum Dei, inſigniri ſolent, ut alibi me obſervaſſe memini, ad Mal. & Jer. haud uno loco. 6. *Sextum* eſt, quod *refractarii* ſeſe latius quam ad Aſſyrios, hoſtes Dei & populi ejus, porrigant, & qualescunque obſtinatos & incorrigibiles adverſarios Domini comprehendant, ut verſ. 7. vidimus. 7. Mitto alia criteria, quæ verſ. 20 & 21. deinceps ſub manum venient.

§. LX. Hac itaque jacta & admiſſa hypotheſi, relegamus verba, & ſecundum eam paucis interpretemur. Sumenda ſunt verba in vera ſua emphaſi, & tanquam totidem diſtinctæ ſententiæ, abrupte & emphatice expreſſæ, ut in carmine ſublimi & adfectuoſo fierit ſolet. *a. Sententiæ* verſ. 18. deſcriptionem continent coeleſtis ſtatus regni Meſſiæ, cujus ſedes eſt in coelo, miniſtri vero Angeli, & populus coelo adſcriptus, ſive jam conſummatus, ſive fide & vita in coelo verſatus, inſtar civium in metropoli regni; ubi ipſe Dominus cum illuſtribus Majeſtatis ſignis ſeſe præſentem exhibet, & unde leges ſuas promulgat; Sinai in Sanctum quaſi, ſeu coelum, converſo. Sunt autem *ſententiæ* ſequentes, eo, quo dixi, tendentes. 1. *Prima* habet, *currus Dei myriades multæ ſunt*, h. e. Angelorum, regis & regni ejus miniſtrorum, robore & velocitate ſua *curruum* bellicorum ſimilium, immenſa eſt multitudo; non exprimenda, niſi *myriadum multarum* nomine, ab hominibus. *Myriadas Angelorum* adpellat Ap., huc reſpiciens, Heb. XII. & Dan. VII. *mille millium, & myrias myriadum.* 2. *Secunda* ſententia, quæ regni coeleſtis cives comprehendit, eſt, *chiliades duplicitatis;* vel politiſſimi, & defoecate tranquilli, populi, ſcilicet, *ſunt*, qui ibi verſantur, & quibus adſunt myriades multæ Angelorum, ſive ſint in coelo, ſive ibi civitatem & converſationem habeant: Apoſt. l. c. adpellat *Eccleſiam primogenitorum in coelo deſcriptorum*, & *Spiritus juſtorum conſummatorum;* qui regnum illud Meſſiæ, ut in

initiis sese habuit, constituunt. Non itaque de *Angelis*, sed *civibus* regni coelestis capiendæ sunt voces, ut supra vidimus; sive in coelo sint, sive corpore adhuc in terra degant: qui *chiliades* אלפים sive *duplicitatis*, sive *politissimi nitoris*, sive defoecatæ *tranquillitatis* & felicitatis, recte appellantur. Loco *Chiliadum Israelis*, ad quas redire dicebatur Deus in *columna nubis & ignis*, cum quiesceret, Num. x., quo hic respicitur, poeta per Spiritum dixit *Chiliadas* רבבות, voce admodum emphatica, & varia continente, pro diversa ejus origine, quæ huc recte quadrant. 1. Si a רבב derivetur, *chiliades* erunt *dupło* majores, quam Israelitarum fuerant, ex gentium accessione per orbem universum, & præterea chiliades *mutationis*, quam quoque involvit radix, sed in melius, Vetere & carnali Israele in novum mutato, ac spiritualem & coelestem. 2. Si ad רבב respiciatur, *chiliades* erunt *rasilis nitoris*, & probe *politæ*, ac nitidatæ, per Spiritum illuminationis ac sanctificationis, ab externis etiam & carnalibus institutis purgatæ. Radix enim proprie dicit, *polivit*, *acuit* poliendo, friandove. 3. Denique si רבבות, fit pro רבבה, de quo supra dixi, *chiliades* erunt defoecatæ tranquillorum, & læte agentium; quod proprium est subditorum Christi, in primis in coelo, criterium; *Spiritus justorum consummatorum* adpellavit Ap. Heb. XII.

§. LXI. 3. *Tertia* sententia est, *Dominus in iis*, & myriadibus curruum, & chiliadibus duplicitatis ac tranquillitatis, tanquam supremus dux, & caput; simul librator summus & judex universi; Dominus κατ' ἐξοχὴν dictus, & *judex*: quam potestatem admittit nomen רבבות, si a רבב derivetur, ut potest, & alibi observavimus ad Mal. I. *Dominus in iis* est, cum in sede sua coelesti in eorum medio, tum iis cinctus in descensu ad judicium, & adscensu; sicut enim Angelis comitantibus adscendit, ita rursus ad universale quoque judicium redibit, Act. II. Apost. vero Heb. XII. adpellat *Judicem Deum omnium*. 4. *Quarta* denique sententia habet, *Sinai in Sancto*, vel *Sanctum*, h. e. *Sinai*, ma-

manifestatione Dei & legislatione olim illustris, nunc in *coelo*, sanctuario Dei, sese conspiciendum præbet, & in illud mutatus est, Sinai in Tsionem coelestem conversо; ita ut nunc longe alia sit rerum facies, alia oeconomia, non legalis & carnalis, sed spiritualis, & coelestis; non *terribilis* amplius, sed jucunda & læta; qua lex non carnalis, sed Spiritualis tantum promulgatur, nec tabulis lapideis, sed cordibus inscripta, 2 Cor. III. *Sanctum* itaque est *coelum* & coelestis oeconomia; & in eo est *Sinai*, quatenus transiit & conversus est in *coelum*, & coeleste regnum, adeo ut credentes non ad *montem Sinai*, ut olim, sed *Tsionem*, supernam Hierosolymam venerint, Gal. IV. & Heb. XII.

§. LXII. 3. Reliquæ sententiæ, vers. 19. comprehensæ, repræsentant regis, post peractam expeditionem ad captivos liberandos, triumphalem inaugurationem, & regni erectionem inter homines, hostiumque incorrigibilium oppressionem, regisque exaltati stabilem in sede sua mansionem: sintque sequentes. 1. *Prima* exhibet regis inaugurationem triumphalem in coelesti suo regno, his verbis: *ascendisti in altum*, h. e. coelum, regni sedem. Quæ nihil habet difficilis. Messiæ exaltationem in coelum quisque ex dictis facile hic advertit, nec *ascensum* simpliciter, sed eo scopo *factum*, *ut sedem* regiam capessat, eamque *incolat* in æternum: ut vers. 17. & in fin. hujus versus indicatur, si ad *habitandum* eum *ascensui* conjungatur, de quo supra dixi. Script. alias adpellat, *sedere ad dextram Dei* Ps. CX. 2. 2. *Secunda* sententia *descensus*, quem *ascensui* pro hypothesi habet, scopum & effectum ob oculos ponit, his verbis: *captivam abduxisti captivitatem*, h. e. populum captivum hostium, seu Dominorum tyrannorum, potestati eripuisti, & tibi in peculium adseruisti. Quod Christus de coelo descendendo effecit doctrina, Spiritu, & obedientia sua ad mortem, vasa Satanæ auferendo, & domum ejus spoliando, Matt. XII. *Ecclesiam redimendo suo sanguine*, Act. XX. ne alia memorem. Cum verbo *ascendere* descensum præ-

prægreſſum innuerat, ſcopum & effectum deſcenſus his verbis apte ſubjungit; quo peracto, coelum adſcendit, inſtar triumphatoris. Verba continent regni, ad quod capeſſendum adſcendit, *fundationem*, in redemtione hominum captivorum ſitam; quæ, generali phraſi expreſſa, ſeſe latiſſime porrigit ad genus humanum, ſpirituali captivitate oppreſſum a Satana & mundo; non ergo Israelem carnalem, ſed & *mundum* totum, ſeu omnes, quotquot erant *captivi*, ipſique a Patre dati: quare mox *hominis* in genere fit mentio in tertia ſententia; quæ *adſcenſus* effectum & fructum deſcribit. Sicut enim *deſcenſus* effectum modo depinxerat, ita 3. adſcenſus fructum & conſequens apte ſubjungit, his verbis, *ſumſiſti dona in hominem*, ſeu homines ſine diſtinctione qualescunque, Israelitas non tantum, ſed & gentes, *ſumſiſti*, nim. in coelum ſublatus, *dona*, Spiritualia & coeleſtia qualiacunque, tanquam tua, & tibi debita, ſeu acquiſita, *in hominem*, aut homines *tendentia*, in eorum uſum & ſalutem: adeoque ſecundum tuam voluntatem diſtribuenda. Non dixit, *dediſti*, ſed *ſumſiſti danda*, quia cum adſcenſu *poſterius* immediate & proxime connexum eſt, & *datio* ſeſe ad omnia tempora ſequentia extendit. Quæ latius non exſequor. Sed ne exiſtimaretur, omnes, qualitercunque affectos, eorum donorum participes futuros, aut ab *hoſtibus* regni ejus aliquid eſſe metuendum; ſubjungitur, 4. quæ eſt *quarta* ſententia, *refractarios* eſſe refrænandos, & in abjectam ac miſeram conditionem redigendos, his verbis: *at etiam*, ſeu naſus, *refractariorum* eſt, eritque *ad decumbendum:* qualescunque etiam ſint, qui ſeſe huic regi & regno contumaciter detractaverint ſubjicere, quique ei ſeſe oppoſuerint, Judæi fuerint aut *gentes*. Conf. Pſ. 11. & alibi ſæpe. Quæ ulteriore non indigent explicatione. Tandem 5. quæ *quinta* eſt ſententia, regis & triumphatoris perſona accuratius definitur, ne, eum eſſe hominem aut angelum, exiſtimaretur; quum adpellatur *Jah Deus*. De quo ad verſ. 5. egimus abunde.

§. LXIII.

§. LXIII. 2. Posterior cantici triumphalis pars laudationem Jehovæ continet super multiplici salute, concessa & concedenda, vers. 20, 21. Qui versus ita cohærent, ut posterior sit prioris explicatio & confirmatio. *Prioris* vers. 20. verba sunt. *Benedictus* sit *Dominus, die die onerat nos. Deus iste salus nostra*, h. e. Laudatus sit & celebratus a nobis Dominus omni tempore; quotidie, quum mergit nos, gravi imposito adflictionis onere, mergit se nobis, & cumulat nos donis suis; Deus iste salus nostra, & ejus autor. Verba haud una laborant ambiguitate, studio, ut videtur, captata, ad sensum, concise expressum, ut in stylo sublimiore & adfectuoso, reddendum ampliorem; cujus ratio mihi danda est. α. *Prima* ambiguitas est in vocibus יום יום *die die* pro יום כל *omni die*, *quotidie*, quod satis notum est. Possunt enim referri æque ad præced. ac seq., ut sensus sit, *benedictus Dominus omni die*, *omni die mergit nobis*, &c. Cui utique hic recte locus datur; cum utrumque apte cohæreat. β. *Secunda* vero majoris est momenti, & Interpretes divisit, in verbo עמס, & phrasi לנו יעמס *merget nobis*, sita. Verbi primigenia potestas, uti docuit Cl. Schultens *a*, est *submergendi*, unde est sub onere demersit, quemadmodum Lat. quoque *mergere* usurpant, quum dicunt, *gravi onere mersum caput*, & *ære alieno mergi*, h. e. prægravari, & penitus obrui. Sed *illud mergere* quoque in bonum sese flectit pro *cumulare* aliquem bonis & donis, sicut Lat. *onerare* usurpant: de quo vid. Gronovius *b*. Quam in mentem etiam *cumulare*, & *coacervare*, super caput dicunt bona. Imo phrasis Heb. לנו יעמס quoque verti potest, *merget se nobis*, onerat se in nostrum bonum, quemadmodum apud Arab. denotat *semet immersit* in aquam, in *bellum*, prælumve. Ex quo verbi & phrasios ambiguitas sese facile prodit. 1. In malum si accipiatur, sensus hunc in modum est formandus; *benedictus Dominus*, *omni die*, adverso æque ac prospero, *omni die*, quo, vel qui, *nos mersit*, idem ille

a Clav. p. 267, *b* Ad Liv. IX: 17.

Deus est salus & liberatio nostra; sive voculæ אשר, sive אם, ante יעמס statuatur ellipsis, cujus utriusque ubique prostant exempla; eo facilior est voculæ אם, quod præcedens vox יום ejus ansam per similitudinem litteræ ם præbere potuerit, ut Ps. LXIV: 5. post פתאם habuimus. Potest autem verbum *mergere* vel cum *Deo*, vel cum *die* construi, cum Deo soleat adtribui adflictio populi, etiam per hostes; sicut de Assyrio ipse Deus declarat, Jes. XL: 15 & XXXVII: 26. & Am. III: 6. *malum nullum* dicitur contingere civitati, *quod Jehova non fecerit*, *& malum* æque *creare* ac *bonum*, Jes. XLV: 7. Quod satis notum est. Sed *dies* quoque *onerare* dici potest, quatenus ei tribuitur, quod in eo accidit. Conf. Mal. III: 19., & ibi observata. Laudandi itaque materiam præbet, quod omni die, qui mergit, quove mergit Deus populum, Deus sese simul præstet liberatorem ejus. Commendat hanc interpretationem, quam nonnulli, ut Dieu, Gejerus & alii adoptarunt, 1. usus verbi עמס in malum, maxime absolute positi, ut hic. 2. oppositio verbi *mergere* & tituli Dei *salutis*; cum vox Hebr. ישועה primigeniam notionem habeat in laxo, libero & spatioso, opposite ad *mersionem* & *pressionem*, modo memoratam. 3. quod vers. seq. Deus describatur, tanquam cui *sint exitus mortis*.

§. LXIV. Sed sumi quoque 2. in bonum potest, *sive mergere* sit pro se inmergere, & onerare in alterius gratiam, in specie in prælium pro aliquo ire; uti Deus tempore Hizkiæ, de quo hic primo sensu agitur, singulari ratione fecerat, & Messias summa fecit emphasi pro nobis *passus* & *mortuus*, sive ad *bona* adplicetur, super aliquo cumulata; quod huc etiam apte quadrat, & eo aptius, quod modo *donorum*, quæ triumphator Dominus in altum evectus *acceperat*, ut vidimus, facta fuerat mentio; ad quæ *verbum mergere* recte potest referri. Laudabitur itaque Dominus, quod, cum sese Deum salutis præstiterit, populum liberando, *dona*, quæ sumsit, largissime in eum effundat, ita ut eum quantitate & qualitate *oneret* quasi. Tuetur

sese

ſeſe hic ſenſus *cum* per nexum cum ſuperioribus, quibus *dona* erant memorata, quæ acceperat Dominus in hominum gratiam, ſuper quorum continua effuſione hic recte celebratur, *tum* per orationis ſtructuram, quæ facilior eſt & proniore alveo fluit, ſi vertantur verba, *benedictus Dominus omni die merget nos* bonis & donis, Deus eſt *ſalutis noſtræ*. Utraque itaque interpretatio cum ſuas habeat ſatis validas rationes, quidni eam conjungamus, & poetam ſtatuamus eam ob cauſam ambigue eſſe locutum? cujus non deſunt exempla. Ex noſtra ergo hypotheſi, quod 3. notandum eſt, verba ita ſunt digerenda, acſi bis legeretur בוֹ *merget nos vel nobis*, diverſo ſenſu; hunc fere in modum, *Benedictus Dominus omni die; omni die, quum merget nos*, (gravibus premendo oneribus, & in aquas miſeriarum immittendo, ut exitum non reperiamus) *merget ſe nobis*, (in præſidium pro nobis deſcendendo) *nosque* bonis quaſi *merget*, *Deus iſte ſalutis noſtræ*. Quæ conciſio & ambiguitas ſermonis multum habet elegantiæ, & emphaſios. Nec deſunt exempla diverſæ ſignificationis verborum eorundem in eadem orationis ſerie; ut Jer. I: 17. fin. XXXI: 18, 19, & 21. fin. Gen. XLIX: 4. Prov. III: 24. IV: 15, & alibi.

§. LXV. *Poſterior* verſus, prioris illuſtratio & confirmatio, *ita habet, verſ. 21. Deus iſte noſter, nobis Deus ſalutum, & Jehovæ Domino mortis emicationes*, uti ad litteram ſonant; quæ, conciſe expreſſa, hunc fundunt ſenſum. Deus iſte benedictus ſit, quod ſit *noſter* Deus, & nobis auctor omnigenæ liberationis & proſperitatis; quodque Domino, qui & Jehova eſt, Deus Israelis, verax, juſtus & æquus, ſit unice acceptum ferendum, *morti*, & adflictioni qualicunque mortiferæ, adeſſe vim producendi vitam & felicitatem; ita ut ex ipſa morte emicet vita. Nihil hic difficilis, ſeu curæ noſtræ relictum eſt, niſi in ultima phraſi; cujus vel ſenſum, vel elegantiam non perceperunt Interpretes. Quam pandam, poſtequam verbo notavero, i. ambigui quid latere in pronominis וֹ conſtructione.

Quip-

quippe ea ratione facta, ut cum præced. cohæreat & ſeq.; adeo ut verti queat, *Deus iſte noſter*, & Deus iſte *nobis* Deus ſalutum. Quod utrumque recte admittitur; & ſenſum reddit ampliorem, ut facile cernitur. *Deus iſte noſter*, nobis arcto foedere conjunctus, ut nobis ſit Deus, idem ille *nobis eſt Deus ſalutum*, qui multiplicem nobis præſtat liberationem & felicitatem: 2. non ſine ratione *Jehovam Dominum* memorari, *cum* ut Dominum illum, ſupra celebratum, eſſe verum & ſummum Deum, ſimul Deum Israelis, illo nomine diſtincte inſignitum, cogitaremus, *tum* ut vim iſtius nominis a Domino præſtitam in populo liberando, & hoſtibus proſternendis, adverteremus. Videamus nunc quid emphaſios habeat, & quem fundat ſenſum, ſingularis phraſis, *Domino, morti emicationes* ſunt: ſenſus mihi huc redire videtur. Domino eſt acceptum ferendum, quod morti, quaſi cauſæ, ſint egreſſiones vitæ & felicitatis. Poeta non dixit, תוצאות מות *exitus*, vel egreſſiones, *mortis*, ſed למות תוצאות *morti*, vel mortis, ſunt egreſſiones, ut ſignificaret, ſe non exitus mortales, quos prior phraſis denotaret, & multi admiſerunt, ſed exitus vitales, in quos mors exiret, & quōs quaſi pareret, intelligere. *Morti*, vel mortis, ſunt *egreſſiones*, idem dicit, ac mors parit, vel progerminat, vitam ac felicitatem. Morti tribuuntur *egreſſiones*, ſeu germinationes, tanquam cauſæ & origini, quod alias contra *mortis* naturam eſt, quæ nihil parit, vitam perdit, non producit; ſed hic mirabile, & a morte alienum plane, quid de morte prædicatur, quod ipſa læta ac vitalia germina proferat: cujus miraculoſi effectus ne lateret vera & primaria cauſa, præmiſit poeta voces, *Jehovæ Domino, morti exitus*, h. e. ei tribuendum eſt, quod ex morte oriatur vita. Quæ vis & elegantia a ſingulari uſu vocis תוצאות *egreſſionum* pendet, quem Interpretes non obſervarunt. Radix יצא proprie eſt, ut docuit Cl. Schultens *a*, *emicuit*, & teritur in ſole oriente, ac luce *emicante*, unde ortus eſt uſus *excre-*

a Clav. p. 319.

creſcendi, & ſparſim ejiciendi; ſicut מוץ *fæces* dicit, quæ emicant, & egeruntur ex alvo, a radice ſororia, מוץ & מוץ, unde & מוצאים *germina emicantia*, & propagines terræ, ſtirpis & familiæ; ipſum quoque יצא pro *naſci* ſumitur, & ſpeciatim adhibetur de exitu ad libertatem ac felicitatem *a*, & in pompa ac lætitia uſu ſpeciali teritur, Ex. XV: 20. Jud. XI. 31, 34. Utrumque obtinet, Pſ. LXVI: 12. Noſtro itaque loco מוצאות ſunt progerminationes, emicationes, ſeu egreſſus læti, ſplendidi, & pompatici, *exitus vitarum* adpellati; Prov. IV: 23. Quales cum *morti* adſcribantur, tanquam cauſæ mediæ, ex ipſa morte eos eſſe orituros, adeoque mortis effecta eſſe læta ac ſalutaria, indicatur, ſive *mors* proprie, ſive inproprie & figurate pro adflictionibus gravibus & periculoſis, ac desperatis, ſumatur: de quo mox. Ut porro de vera & originali hujus tam mirabilis effectus conſtaret cauſa, præmiſit poeta voces, *Jehovæ Domino*, ſcilicet, tribuendum eſt, quod ſequitur; *morti egreſſiones* ſunt.

§. LXVI. Licet ſententia, quam in lucem protraxi, ut eam ad ſubjectam materiam adplicem, ad lætam ac felicem rerum cataſtrophen ſub Hizkia, ab Aſſyrio & morbo lethali *mirabiliter* liberato, pertineat, & ſeſe transferri recte patiatur; *cum Deus tunc* celebratus fuerit, tanquam qui ſeſe ſupremum Numen, & Deum Israelis demonſtraverit, populumque ad incitas redactum, & graviſſime preſſum, vindicaverit, pro ipſo in prælium deſcendendo cum hoſte, ipſum regem orci faucibus eripuerit; adeoque ſeſe talem præſtiterit, ut dici potuerit, *Jehovæ Domino eſſe mortis egreſſiones;* quæ ſatis nota ſunt, & conſtant: attamen, ſicut ſupra obſervavi, cogitationes poetæ ita ſunt a Spiritu directæ, ut longe ſublimiorem & lætiorem rerum cataſtrophen depinxerit, quæ per Meſſiam ſub N. T. locum haberet, qua populus Dei a Satana & morte vindicatus eſt ab ipſo Domino, pro ipſo mortuo, & reſuscitato, & multipli-

a Vid. Rev. Hackman ad Gen. VIII: 17.

cibus donis ac bonis cumulatus, ac in poſſeſſione vitæ æternæ poſitus eſt. Phraſes enim ſunt nimis emphaticæ, quam ut in tempora felicia Hizkiæ quadrent; & digito q. monſtrant ſalutem Meſſiæ. 1. In Meſſiam proprie convenit, quod ſeſe *merſerit* pro populo, & effecerit, ut *morti ſint egreſſiones*, ſicut ipſe mortuus & reſuſcitatus demonſtravit. 2. Ipſius etiam proprius titulus eſt, quo *Deus ſalutum* adpellatur. 3. Ipſi denique proprie competit, quod *mortem* parere faciat & producere læta ac ſalutaria germina. 4. ipſius, poſtremo, oeconomiæ criterium ſigit donorum & bonorum coeleſtium, ac ſalutarium, tantus cumulus, ut *onerari*, & *quotidie* onerari dici queat populus ejus: uti ſatis notum eſt.

§. LXVII. Tertia periodus, quæ populi, in exſilium abducti, & in graviſſimas delapſi calamitates, per hoſtem truculentum & potentem, ſingularem plane liberationem, & hoſtium deſtructionem, indeque ortam populi felicitatem, choreis & canticis celebrandam, complectitur, eadem fere ratione, ſeu eodem ordine, decurrit, verſ. 22—36. ita ut 1. hoſtium mirabilis clades, ad internecionem usque, & populi liberatio, repræſentetur, verſ. 22–24. 2. Canticum triumphale liberatis in ore detur, in laudes Jehovæ, cum precatione & votis ad ſtabilitatem ac conſummationem proſperitatis implorandam, verſ. 25–36. Novam hic incipere periodum, ex ſerie orationis, & totius periocopæ argumento, quo populus repræſentatur in exſilium abductus, & in profundiſſimas dein calamitates demerſus, a truculento principe hoſtili, indeque cum nece hoſtium mirabiliter liberatus, ac in lætum & glorioſum ſtatum, choreis & canticis celebrandum, eductus, facile pateſcit. Cum vero proxime de læta rerum cataſtrophe ſub Hizkia fuiſſet actum, & populus deinceps a Babyloniis fuerit in exſilium deportatus, poſtea a Syro-Macedonibus plane oppreſſus & diſperſus, indeque glorioſe vindicatus per heroas, a Deo ſuscitatos, & in ſumma proſperitate collocatus, quæ in

Meſſiæ

Messiæ regnum, inter gentes quaquaversum erectum, exiit, cujus in seq. manifesta occurrunt indicia: pericopam ad ea tempora pertinere, facile præsumitur, & ex ejus partibus, rite intellectis, confirmatur. Occurrunt enim temporum sequentium, post exsilium Babylonicum, in primis Maccabaicorum, varia criteria, quæ in ipsa tractatione sub manus venient, quare eam mox adgredior.

§. LXVIII. κ. In priore parte, *α.* hostilis regni destructio vel oppressio violenta & cruenta, a Deo, populi sui vindice, facienda, describitur, vers. 22. *β.* ejus ratio traditur & consequens, vers. 23, 24. *α. Prius* his verbis, vers. 22. *Profecto repetitis haustibus cruentabit Deus caput inimicorum suorum, verticem pilis horridum, grassantem in reatibus suis.* Ubi *a.* hostium Dei occurrit descriptio, *b.* eorum per cruentam admodum eadem oppressio. *a. Hostes* Dei cum adpellantur, oportet in Deum & populum ejus hostili admodum fuerint animo, & in eum, ad cultum & populum ejus destruendum, hostiliter insurrexerint: non itaque qualescunque idololatræ & peccatores, aut bello populum Dei infestantes, sed Jehovæ, ejusque cultui & populo, inimico animo, ad ejus totalem ruinam, imminentes, ac invadentes. Quales fuerunt Assyrii, Babylonii, & *Syro-Macedones, quorum hoc proprium est criterium*: qui sese proprie & directe non Israelitarum tantum, sed eorum, qua populi Dei, & cultorum Jehovæ, declararunt hostes; ideoque *hostes Jehovæ κατ' ἐξοχὴν*; quales sese præstiterunt in Senacheribo, Beltzazare, & Antiocho Epiphane; ut constat. Sed hi populi hic tanquam *monarchæ*, & in principibus suis, proponuntur, qui a Deo, qua tales, severe punirentur, & emblematibus *capitis*, *verticis* seu occipitis *comati*, ac *grassantis* in *reatibus* suis, repræsentantur. Quæ emblemata num ad unum eundemque hostilem principem, an diversos, adplicanda sint, dubium quodammodo est. *Prius* quidem communiter placet, sed, licet tria illa epitheta connexa sint, & singulis hostilibus principibus aptari

poſſint, & debeant, ita ut ſint *caput*, *occiput* comatum, & *graſſans in reatibus*; diverſos tamen ſimul intendi, & propriis ſuis characteribus depingi, autumaverim. 1. Quia illud conciſo & emphatico Pſ. ſtylo eſt convenientius; ſicut verſ. 16. *montem Baſan* non ſine hac emphaſi bis memorari, ſupra vidimus. 2. Quia verſ. 23. diſtincte *Baſan* & *profundum maris*, unde populus Dei liberaretur, occurrunt; tanquam diverſorum populorum hoſtilium, qui populum Dei opprimerent, emblemata: ut mox patebit. 3. Quia verſ. 24. ſanguis e cæde *hoſtium* non ſimpliciter memoratur, ſed expreſſe additur in ſing. *ejus ipſius*, κατ' ἐξοχὴν ſic dicti, & digito monſtrati: quo haud obſcure ad *graſſantem in reatibus*, ultimo adpellatum, & a capite, ac vertice comato *hoſtium*, diſtinctum, ducimur. Accedit, 4. omnes populi Dei, & Jehovæ infenſos hoſtes, a Deo deſtruendos, qui, tempore Hizkiæ, & deinceps, inſurgerent in populum Dei, qua talem, omnino intendi, ex ſeq. manifeſtum eſſe; quibus populus repræſentatur ab omnibus hoſtibus liber, & ad conſummationem oeconomiæ ſuæ adductus; ut poſtea videbimus: nec non eos principes in uno tertio convenire, ita ut junctim, & tanquam unum *caput*, ac *vertex*, conſiderari queant; quatenus idem fere intenderunt, & egerunt: quid? quod nomine *Aſſuris* omnes veniant in Script.; ut mox dicam. Eos etiam comprehendit *caput ſuper terra ampla*, Pſ. cx: 6.

§. LXIX. Conſideremus, hac jacta hypotheſi, paulo propius hæc epitheta, & ad Monarchas hoſtiles populi Dei adplicemus. 1. *Primus* adpellatur *caput hoſtium Dei*, non ſimpliciter tanquam populi hoſtilis rex & monarcha, qui *caput* adpellari ſolet, ſed in ſpecie qui *primus* ordine illud inſtituit; & populum Dei *partim* deſtruxit, ac in exſilium abduxit, *partim* illud conatus eſt. Quo itaque regnum Aſſyriacum, in terribilibus monarchis, in primis Salmanaſſare & Senacheribo, ſeſe oſtentans, ob oculos ponitur. Accedit, reliquos, ut Chaldæos & Syro-Macedonas, eodem titu-

titulo *Aſſuris* in Script. inſigniri, & omnes adpellari *Aſſyrios*, qui, quod illi inceperunt, perſecuti ſunt, & conſummarunt. Vid. Jeſ. VII: 18. XI: 11. XIX: 23. LII. 4. Sicut Nebucadnezar rex *Aſſyriæ* vocatur, 2 Reg. XXIII: 29. & Syro-Macedones quoque Zach. X. 11. Mich. V: 5. 2. *Secundus* titulo *verticis*, ſeu occipitis, *piloſi*, aut pilis horridi, venit, quatenus ſuperiore poſterior, independentior, magnificentior eſt, & truculentior ac terribilior: *a.* enim *vertex*, ad cervicem vergens, ſicut poſterior eſt capitis pars, ita principes pingit ordine poſteriores; quales Babylonii fuerunt, qui Aſſyriis ſucceſſerunt. Vox קדקד proprie dicit *occiput*, ſeu partem capitis a vertice ad cervicem, ubi potiſſimum *reſecatur* capillus; unde nomen accepit, a rad. קרר *per longum ſecuit a. b.* Occiput *piloſum* eſt emblema regis vel regni plane independentis, pro lubitu agentis, & vinculis ac legibus ſoluti, ſimul Majeſtuoſi, & ſplendidi; oppoſite ad ſtatum ſervilem, obnoxium & contumelioſum; cujus imago ſolet eſſe vertex *nudatus* & *depilatus b.* Depingit quoque *caput comatum* apud Orient., cum proceres, potentes & nobiles *c*, tum omnia bona & præſidia, quibus regnum ornatur ac munitur: ſicut *depaſci* verticem Jer. II: 16. eſt populum opibus, libertate & gloria privare. *Denique*, *comæ denſitas* eſt formæ & incorruptæ corporis valetudinis ſignum & *roboris* emblematicum *d*, etiam terribilitatis, quam coma prolixa indicat in bellatoribus *e*, ſicut Leonidas Spartanorum rex comam fortitudinis cauſa aluiſſe dicitur *f*, uti amicis venerabilis, φοβερὸς δὲ ἐχθροῖς *hoſtibus terribilis* videretur. Ex quo facile liquet, quam aptum ſit regni Babylonici ſub Nebucadnezare & ſucceſſoribus emblema: cum nullum fuerit eo glorioſius, potentius, diffuſius, & magis independens in Oriente, Dan. II. Sed *c.* non

a Schultens clav. p. 321. *b* Vitringa Obſ. l. 1. c. 6.
c Schultens ad Har. conſ. v. p. 161. *d* Tollius in fortuitis c. 8.
e Cerda ad Virg. Aen. l. VIII. p. 258. *f* Philoſtr. Apoll. l. VIII. c. 6.

piloſum ſimpliciter, verum *pilis horridum* exiſtimem ſignificari verticem per phraſin *occipitis* שער *horripili.* Radix enim שער proprie eſt Gr. φρίσσειν & Lat. *horrere*, quatenus uſurpatur de *motu vehementer ſtringente*, & adplicatur ad imbres, procellas urentes, notiſſima ſymbola terribilium invaſionum hoſtilium, & præliorum. Occiput itaque *crinibus horridum* eſt regnum potentiſſimum, terribile, & bellicoſum: quale fuiſſe Babylonicum conſtat ſub Nebucadnezare, qui inde proprio titulo rex שער adpellatur, Jer. XXV: 26. h. e. regni *ſpinoſi*, formidabilis, horridi, & inacceſſo munimento protecti, uti ibi expoſui. 3. *Tertius* eſt, qui *graſſantis* in *reatibus ſuis* epitheto notatur; eleganter admodum & emphatice. Pingit enim hominem clamantia continuo patrantem crimina, quæ gravem & indubium adferunt reatum multiplicem, ſimul iis ſuperbit, & gloriatur, ſeſeque gerit inſolenter. *Reatus* deſignat crimen, quo contrahitur *reatus*, & quis impingit ad labendum in perniciem. Proprietas נוע eſt *tundere*, tundendo impingere, inde *delinquendo* contrahere reatum, ut cum quis pede impingit ut labatur. Sed *reatuum* nomine in plur. ſicut graves, ita multiplices reatus denotantur. *Crimina* itaque atrocia, clamantia, & multiplicia, quæ gravem & varium adferunt *reatum* ac poenam, ſignificantur. In iis vero *ambulare* hoc loco emphatice eſt, ea copioſe, indefinenter, & inſolenter patrare, totum iis eſſe addictum, & iis ſuperbire; quod Prov. VI: 12. eſt, *ambulare tortuoſitatem oris*, tanquam viam, quam jugiter calcat. Auget emphaſin forma Hitpah., in qua occurrit, quæ apertam & continuam itationem exprimit: imo pro *latrocinia* & *violentias* exercere uſurpatur, ut Lat. *graſſari*, Pſ. XII: 9. LXXIII: 9. Prov. VI: 11. XXIV: 34. Job. I: 7. Inſolens ergo pingitur peccator, ſuperbus & violentus graſſator, qui omne jus & æquum pedibus conculcat, & ſceleribus ſuis lætatur ac gloriatur. Quo aptius dari nequit emblema Antiochi Epiphanis; uti ex Daniele & hiſtoria notiſſimum, & ad Dan. a nobis comprobatum eſt.

§. LXX.

§. LXX. *b.* De hisce omnibus hostilibus populis & Monarchis Deus gravissimam sumeret vindictam, qua violenta cæde e medio tollerentur, his verbis: *profecto repetitis hausibus cruentabit* Deus, & profundissime sauciabit, multo effuso sanguine. Quam verbi גם emphasin & amplitudinem in lucem protraxit Cl. Schultens *a.* Significatur, 1. regna illa hostilia esse delenda. 2. Monarchas eorum, qui sese Dei, & populi ejus, tales demonstraverant hostes, quales descripsi, violenta morte esse e medio tollendos. 3. idque singulari Dei judicio, nec tamen 4. immediate, sed per cruenta bella & prælia, eaque 5. variis vicibus repetita, & multa cum cæde ac sanguinis effusione conjuncta, uti vers. 24. expressius traditur: denique 6. in quibus prœliis ipsi Judæi partem aliquam haberent, qui sub auspiciis Dei hostes sæpe profligarent, & protererent; quod ib., & vers. 28., indicatur. Tandem 7. illa omnia certo certius futura; quo particula גם *profecto* quoque tendit. Quorum implementum non est longe quærendum, cum in regno Assyriaco, cum regis cæde, a Medis & Babyloniis destructo, in violenta Belzazaris nece, & regno Babylonico per Persas deleto, in Antiochi Epiphanis multiplice clade, & regis tragica morte, regno Syro-Macedonico quoque variis bellis attrito ac everso, in omnium oculos ex historia incurrat.

§. LXXI. *c.* Rationem, modum & effectum, hujus in hostes judicii, hæc verba, vers. 23, 24. exponunt: *dixit Dominus, reducam ex Basane, reducam e profundis maris: propterea immersus in sanguinem pes tuus hauriet, lingua canum tuorum, de hostibus, de ipso*, h. e. certum est Domini dictum & promissum, mihi etiam inspiratum, & ore meo prolatum, *de tua*, ô Tsion! liberatione ab exsilio Basanitico, seu Assyriaco & Babylonico, & desperata calamitate secutura, nec non plenissima instauratione tua; qua propter hostes illos tuos, *pariter* videbis multa cum cæde profli-

a Defect. §. 75.

profligatos, & fructum cædis carpes ad ſatietatem usque; *partim* ipſe profligabis, & te ſanguine eorum una cum militibus tuis ſatiabis; in primis reſpectu *ejus*, qui te in profundum maris conjecit, & in reatibus ſuis graſſatus eſt, præ reliquis truculenti hoſtis, digito monſtrati. Verba continent, *a.* antecedens, verſ. 23. *b. conſequens*, verſ. 24., ut ex ſtructura ſermonis, & particula לכן *propterea*, facile elucet. *a. Antecedens* eſt promiſſum Dei de populi ſui liberatione ab exſilio & calamitate desperabunda, ejusque pleniſſima inſtauratione, verſ. 25. *Dixit Dominus*, *reducam e Baſane*, *reducam e profundis maris*, nimirum, non hoſtes delendos, ut nonnulli autumarunt, quod emphaſi careret, & verbo *reducere* adverſatur, ſed *populum Dei*, quem mox adloquitur verſ. 24., adeo ut recte ſuppleri poſſit *te*, vel *vos;* quod ex nexu haud obſcure colligitur, cum antea dixiſſet, Deum eſſe populi ſui ſervatorem, qui ex orci faucibus eum educat, & mox, ſermone ad eum verſo, ſubjungat, *propterea hauriet* pes tuus ſanguinem, in eum inmerſus, & *lingua canum tuorum.* Quo clare indicat, ſe eos in oculis habuiſſe, quos mox adloquitur, adeoque populum Dei: cui etiam promiſſum illud de *reductione* unice convenit. Stylo enim Script. exulum, vel in exſilium deportatorum, aut diſperſorum, reductionem in patrias ſedes, præterea diſturbatorum & oppreſſorum pleniſſimam inſtaurationem, & priſtinæ felicitatis reſtitutionem, verbum השיב, & plenior phraſis שוב שבות, vel השיב, *reduxit captivitatem avectam*, complectitur. Quod utrumque adtenditur Pſ. LXXXV: 5. in verbo שוב, nec non Deut. XXX: 3., Pſ. CXXVI. Sicut rerum collapſarum in genere inſtauratio hac phraſi exprimitur Job. XLII: 10. Præſupponitur itaque populi deportatio vel deſtructio; quæ diſerte non memoratur, ſed præſupponitur, & tacite indicatur, quia lætæ periodi, & rerum felices mutationes, in hoc Pſ. tantum depinguntur; uti in ſuperiore etiam habuimus periodo, verſ. 15. Sed unde *reduceret* Deus populum? *e Baſane & profun-*

fundis maris. Per *Baſanem*, dubium mihi non eſt, quin regnum *Aſſyriacum* præcipue intelligatur & *Babylonicum;* cujus ſupra, verſ. 16., facta fuit hoc ipſo ſub nomine ſymbolico mentio; & rationem dedimus. Exſilium quoque illud, quod hic, ut dixi, præſupponitur in verbo *reducere*, notius eſt, & celebratius, quam ut quis in generali phraſi *reducendi* hærere poſſit; cum ſponte in mentem lectoris venire debeat. *Profunda* vero *maris*, ex quibus populus quoque reducendus expreſſe memoratur, majus forte faceſſere poterunt negotium. Adludi mihi videtur ad *mare* Mediterraneum, vaſtum illud & late diffuſum, *mare* eximie dici ſolitum in Script., quemadmodum & hic *mare* in genere, nullo addito epitheto, adpellatur. Videtur autem mihi hoc emblemate, (emblematicam enim eſſe phraſin, facile intelligitur;) ſignificari ſtatus populi, 1. vel in remotiſſimis locis exulantis; quod alias *finium terræ* vel *coelorum* nomine exprimitur, Deut. XXX: 4. etiam *ortus* & *occaſus*, *ſeptentrionis* ac *auſtri* epitheto Jeſ. XLIII: 5, 6. Erat autem *Baſan* ad ortum, & *mare* ad occaſum Cananææ. 2. in ſpecie a Syro-Macedonibus, quorum regnum ad hoc mare erat, oppreſſi, 3. denique ſumma & desperabunda in adflictione poſiti, quæ omne genus mala, & inſuperabilem calamitatem, continet: *cujus emblema* ſolent eſſe *aquæ* inundantes, & *profunda maris*, uti notum eſt. Vid. Pſ. LXIX: 7, 16. LXXXVIII: 7. & alibi. Sed 4. ſpecialius adhuc aliquid hic latere opinor, ex *maris*, & maris æſtuantis ac vehementiſſime ſævientis, conſpectu figurato eruendum. *Mare* ſolet eſſe emblema vaſtiſſimi & populoſiſſimi regni, in ſpecie gentilis, infrugiferi, & variis obnoxii motibus. Vid. Jeſ. XXI: 1. Zach. X: 11 & ſæpe alibi & in Apoc.. In ſpecie pro regno robuſto, ſævo & immani ſumitur, quod omnia abſorbet; ſicut ſtylo orientis homines bellicoſi, fortes & ſævi, cum mari comparantur; quo ſenſu Tamerlanes vaſtum *mare* adpellatur *a*. *Profundum* vero maris proprie eſt mare *æſtuans*, & commotum,

a Schultens ad Job. VII: 12.

ac *sæviens*; radix enim צול, Arab. usitata, designat *vehementiam* valde *æstuantem*, & furorem incitatum; & pro *ferocire* passim sumitur *a*. Sensus itaque est, populum fuisse a sævissimo, & furibundo, rege & regno oppressum, & jactatum. Quo manu quasi ducimur ad *grassantem illum in reatibus suis*, vers. 22., adeoque, adflictionem Epiphanicam, a statu exsilii Assyriaci & Babyl. diversam, & eo longe graviorem & periculosiorem. Cujus character hic ducitur; & distincta fit mentio, verbo etiam *restitutionis* expresse repetito; ut de duplici calamitate, & liberatione, cogitaremus, *altera Basanis*, seu Assyriaci & Babyl. regni, *altera maris æstuantis*, seu regni terribilis ac ferocientis Syro-Macedonici sub Epiphane, sævo & furibundo hoste. Cujus utriusque *liberationis*, & rerum collapsarum instaurationis, *promissum* poeta memorat, quum dicit, *dixit Dominus*, *reducam e Basane* &c. h. e. promissum dedit, & publicavit, quod est אמר, uti vers. 12. habuimus, sive per prophetas anteriores factum, sive poetæ inspiratum, & per eum promulgatum. *Dixit* ergo est, sicut per superiores prophetas, ita nunc per me. Quod utrumque admitti potest, cum David prophetam agat in hoc Ps., & formula, *dixit Dominus*, prophetis usitata, recte censeatur uti; præterea de liberatione ab exilio, & populi perfecta instauratione, Moses jam olim diserte fuerit vaticinatus, Deut. xxx & Lev. xxvi.

§. LXXII. *b*. Consequens hujus promissi, & vaticinii, his verbis effertur, vers. 24. *Propterea situlam aget pes tuus in sanguine*, *lingua canum tuorum de hostibus*, *de ipso*, h. e. hoc dictum Jehovæ & promissum ut impleatur, *propterea*, ut, quod Jehova dixit, tu, ô Tsion! liberareris plenissime ab exsilio Basanis, & in specie a mari Syro-Macedonico æstuante & sæviente, teque absorbente, *ideo*, inquam, hostibus illis, & sævo illo grassatore inprimis multa cæde prostrato, ut modo dixi, *pes tuus* q. aquatum ibit, cum *lingua*

a Id. ad Har. III. p. 452. & Lette ad Ex. xv.

gua canum tuorum, in *ſanguine* eorum, & in primis iſtius ferociſſimi; dum *partim* triumphabundus ſis inceſſurus q. per cædes eorum, & iis inſultaturus, fructumque inde percepturus, *partim* etiam in iis cædendis ſortem habiturus; quatenus te, tuisque militibus, Deus ſit uſurus in iis laniandis. Secundum quam paraphraſin, ut eam illuſtrem & confirmem, 1. vocula לְמַ֤עַן verum ſuum retinet uſum, quo *propterea* vertitur, & conſequens ac effectum ſuperioris propoſitionis denotat: quod huc recte quadrat. Cohærent itaque verba cum proxime præcedentibus, & non cum verſ. 22., ut alii, qui verſ. 23. putant eſſe parentheticum; ſine ratione & neceſſitate. 2. Sermo vertitur ad populum Judæum, vel Dei, in exſilium antea abductum, & graviſſimam dein calamitatem conjectum, per hoſtes truculentos; indeque liberandum vel liberatum. De quo ſupra dixi, & ex nexu facile conſtat. 3. Verba ipſa, *ſitulam aget pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum*, ſcilicet idem aget, ut facile cernitur (ſic enim voces rectius redduntur, quam, ut aliis placet, figas vel cruentes *pedem tuum, linguam canum tuorum*, in *ſanguine*; rectius enim lingua canum dicitur ſitulam agere, quam homines per eam,) duplicem ferunt conſpectum, *unum*, quo hoſtes jam præſupponuntur *multa cæde fuſi*, & alii eos proſtratos vident, & contemtui exponunt, *alterum*, quo victores de hoſtibus, a ſe fuſis, triumphant; vel eos cruenta cæde proſternunt, & de iis triumphum agunt. In *priore* conſpectu adluditur ad hoſtes jam cæſos, & in terram projectos, quorum cadavera ſtrata inter rivos ſanguinum conculcantur pedibus, & a canibus lacerantur, eorumque ſanguis fuſus ſorbetur: adeoque, *a.* præſupponitur, eos eſſe violenta & cruenta cæde debellatos, *b.* ſignificatur, populum Dei 1. quidem nullam in iis cædendis partem habiturum, quod Deus per alios faceret, ut verſ. 22. habetur, attamen, 2. hoſtes multa cæde deletos, & in miſerum ac contemtibilem ſtatum redactos, viſurum eſſe cum lætitia: adeo ut non

ſimpliciter ſtatus hoſtium abjectus & contemtibilis deſignetur, ſed ſimul cauſa populi Dei, & in ejus commoda, factus. De ipſo ſtatu illo hoſtium teſtatur figurata phraſis, qua *pes* ſitulam agere dicitur in ſanguine, & *lingua canum*, argumento hoſtes eſſe *pede* proterendos, ac a *canibus* lacerandos; quod ſummæ ſolet eſſe ſignum contumeliæ, uti ex variis Script. locis, 1 Reg. XXI: 19. 2 Reg. IX: 10. & aliis, conſtat. Sed in gratiam & utilitatem populi Dei id futurum eſſe, inde liquet, quod *ejus pes*, & canum *ejus lingua* dicatur ſitulam actura in ſanguine eorum. Denique 3., quod cum dictis connexum eſt, & emblematica phraſi, recte percepta, comprehenſum, hac cæde in commoda ſua uſurum, & ejus fructus carpturum eſſe, ad ſtatum ſuum inſtaurandum & felicem reddendum. Cohæret enim cum reductione e Baſane, ac mari æſtuante; & figurata phraſis nos eo ducit, ut in *canibus*, ſanguinem ſorbentibus ad ſatietatem ſuam, non tantum, quod facile intelligitur, ſed & in *pede ſitulam agente in* ſanguine, ſeſe offert, modo vis verbi רחץ, & antiquus ritus, Aegyptiis utique uſitatus, ad animum revocetur. Radix ea proprie dicit, ſitulam inmerſit, & in puteo huc illuc agitavit, *aquam hauſturus*, ut modo obſervavi: ritus vero, cujus memini, eſt, quo *pede* hauriebatur aqua, cujus mentio eſt Jeſ. XXXVII: 25. & Deut. XI: 10., per *machinas aquarias*, helices dictas, quæ *planta* pedum calcabantur & circum volvebantur *a*. Ex quo eluceſcit, quid ſibi velit *pes* ſitulam agens in ſanguine; quod idem eſt, ac *pede* hauriens ſanguinem. Conculcatio itaque ſanguinis non tam, quam ejus eductio ad bibendum intelligitur, ſicut mox in *lingua canum;* quo dicta egregie firmantur.

§. LXXIII. Quod ad *alterum*, cujus memini, conſpectum adtinet, quo *modus* ſimul & *media*, quibus Deus in mactandis hoſtibus uteretur, ob oculos ponuntur; emblema eſt referendum ad illuſtrem aliquem heroa, qui cum exercitu ſuo hoſtes multa cum cæde profligat, ſimul victorioſus inter

a Vid. Vitringa ad Jeſ. l. c. & Ill. Grotius.

inter rivos sanguinum incedit, & victoriæ suæ fructus carpit. *Pes* populi *situlam* agit in sanguine, & eum *haurit*, cum heroes ejus, quibus innititur, quique ejus causam agunt, & eum sustentant, *pedes* ejus dicti, hostes invadunt, & sanguines eorum eliciunt, ac fundunt; eaque ratione cruenta cæde eos profligant, nec semel, sed repetitis vicibus, ut in *situlatione*, de quo verbi טבל significatu modo dixi: præterea victorioſi & triumphabundi incedunt quasi per hostes cæsos, & de iis subjectis triumphant, læte & prospere agentes, & fructus cædis eorum carpentes; quo emblema *pedis*, situlantis & haurientis sanguinem, quoque referri potest, ut modo vidimus. Quo eodem etiam tendit alterum emblema *linguæ canum* situlam agentis in sanguine, & sorbentis. Pingit enim *milites*, sanguinis avidos, & eum, hostes cædendo, ac laniando, haurientes, simul se inde *satiantes*, dum, hostibus cæsis, inde occasionem accipiunt læte ac laute agendi. *Canes*, quippe lupis & hostibus valde infesti, sed hominibus ac gregibus valde fidi, & eorum custodes, ministrorum & militum sunt apta emblemata, uti notum, & *lingua* eorum, qua, ut hic occurrit, sanguinem lambunt, imaginem *gladii* ferre poterit, qui *bibere* dicitur sanguinem, cum hostes cædit, Jes. xxxv: 5. & alibi: quare etiam *lingua* cum *gladio* comparatur, & ipse gladius subinde apud exoticos *linguæ* nomine venit. De quo hic plura non dicam. Qua interpretatione admissa, verba referenda sunt ad *grassantem* in *reatibus suis*, & liberationem populi *ex æstibus maris*, adeoque tempora Epiphanica, quibus heroes populi, & eorum milites, se sanguine hostium quasi satiarunt, uti constat, adeo ut, cum vers. 22. in genere Deus fuisset introductus, repetitis haustibus cruentare *caput*, *cervicem*, & *ambulantem* in reatibus, seu Assyrios, Babylonios & Syro-Macedonas, & distincta mentio facta liberationum populi ab exsilio Basanis, seu Assyriaco & Babylonico, ac calamitate Epiphanica, sub emblemate *maris æstuantis*; Spiritus propheticus, in ultimam illam scenam

maxime intentus, in ſpecie ſubjunxerit *modum* & *media* ultimæ iſtius liberationis, & hoſtium proſtrationis per heroas populi Judæi. Quæ hypotheſis, ſicut nexui ſermonis apte reſpondet, ita ſeſe commendat inſuper, 1. quod promiſſum de liberatione e mari æſtuante quoque, & proxime, præceſſerit: unde colligendum videtur, eam in primis hoſtium cædem hic depingi, quæ cum ultima illa liberatione fuit conjuncta. 2. quod, cum *populi* Judæi pedes, & *eorum* canes, expreſſe memorentur, tanquam ſanguinem hoſtium hauſturi, ſcena hæc in ipſa terra Cananæa repræſentetur facta; in qua ſanguis hoſtium fuerit fuſus. 3. quod in cantico triumphali, verſ. 28., heroes illi ſpeciatim & expreſſe celebrentur, tanquam *calcatores* & *lapidatores hoſtium*; ut mox adparebit. 4. denique, quod *ſanguis*, pede populi Dei, & lingua canum ejus, hauriendus, non tantum *de hoſtibus* dicatur fluxurus, ſed in ſpecie addatur, *de ipſo illo*; quo manu quaſi ducimur ad illum ultimo memoratum, & omnium ſæviſſimum hoſtem, ſeu *graſſatorem* in *reatibus ſuis*, a *capite hoſtium* & *vertice piloſo* diſtinctum; argumento, modo dicta de pede & lingua ſitulante in ſpecie ad eum eſſe referenda. Uterque conſpectus, quem expoſui, cum habeat, quo ſeſe tueatur, recte conjungitur, & hic admittitur; maxime cum *ſanguis hoſtium* in genere etiam memoretur, & in præcedentibus clades eorum omnium, cum liberatione populi ex eorum poteſtate, præceſſerit. Verba itaque noſtra ita videntur exponenda, ut ad omnes illos hoſtes adplicari poſſint; ita tamen, ut in ſpecie pertineant ad ultimos, ſeu Syro-Macedonas. In quibus acquieſcimus; nec de implemento, ſatis noto, aliquid addimus.

§. LXXIV. 2. Hoſtium omnium debellatione, & populi glorioſa liberatione, ac pleniſſima inſtauratione, depicta; poeta, ut antea quoque fecerat, populum introducit choreis & canticis Deum, illuſtriſſimum ſuum ducem, glorioſo & triumphabundo inceſſu ſanctam ſuam ſedem repetentem, proſequentem ac celebrantem, verſ. 25-36. In qua peri-

pericopa, *α.* Pompatica Ducis deductio inter choreas & cantica, ac inſtrumenta muſica, in ſedem ſuam deſcribitur, verſ. 25, 26. *β.* generale carminis argumentum, ſeu ſumma ejus capita recenſentur, verſ. 27—36. *α. Prius* his verbis repræſentatur, verſ. 25, 26. *Vibrarunt inceſſus tui, o Deus; proceſſus Dei mei, regis mei in ſanctum. Præiverunt cantores, agmen poſt duxerunt pſaltæ, in medio virgines tympanizantes.* h. e. Sicut glorioſus & coruſcus fuit tuus, o Deus, inceſſus ad hoſtes debellandos, & populum tuum liberandum, multis cum potentiæ & juſtitiæ ſignis conjunctus, ita, hoc præſtito, pompoſus Dei, & regis mei, triumphatoris proceſſus ad ſanctam ſuam ſedem fuit inter cantantium, pſallentium & tympanizantium, choreas, ipſum ſplendido comitatu deducentes. Reſpicitur manifeſte ad morem antiquum, quo Imperatores triumphabundi inter cantantium & ludentium choreas deducebantur in palatia ſua: de quo ex 1 Sam. XVIII & aliunde ſatis conſtat; & ſignificatur, ejusmodi lætas choreas tunc temporis, de quo hic agitur, locum habituras eſſe, in laudes Dei; ſicut Ex. XV. Jud. V. & alibi occurrunt inſtitutæ; & temporibus Simonis ac Joh. Hyrcani Maccabæorum quoque fuerunt; quo Pſ. CXVIII. etiam pertinet, & Jeſ. XXIV: 14. 16. XXVII: 2. & alibi prædictum eſt. Occurrit autem, *a.* coruſcus Dei & inceſſus & proceſſus, verſ. 25. *b.* pompaticus ejus comitatus, verſ. 26. *α.* Duo memorantur, probe diſtinguendi, *inceſſus* Dei, de quo utroque dicitur, eum fuiſſe coruſcum, & vibrantibus oculis undiquaque conſpectum. Non *unum*, ſed duplicem & diverſum indicari inceſſum, liquet, 1. quod vox *inceſſus* repetatur expreſſe. 2. prior abſolute, poſterior reſtricte, addito *in ſanctum*, memoretur; argumento, priorem alterius fuiſſe naturæ, ac poſteriorem; priorem in hoſtes, poſteriorem ad ſedem Dei ſanctam, poſt finitum inceſſum priorem; ut mox dicam. 3. quod rei natura exigat utrumque inceſſum; cum proceſſus triumphalis in aulam alterum illum præſupponat, & Deus modo eſſe repræ-

repræſentatus tanquam hoſtium devictor, & populi liberator. 4. Accedit, utrumque illum quoque memoratum fuiſſe verſ. 5. ut ibi vidimus.

§. LXXV. Prior inceſſus abſolute, ſermone ad Deum verſo, exprimitur his verbis: *vibrarunt inceſſus tui, o Deus!* h. e. expeditio tua, maxime ſingularis, & ſæpius repetita, ſumme coruſca fuit, & omnium oculos in ſe vertit; ita ut eam acribus intuiti fuerint ubique oculis. *Inceſſus* bellicus intelligitur, & num. plur. exprimitur, quod fuerit illuſtris, & ſæpius repetitus; quo Deus, ut ſupra dictum erat, hoſtes ſuos debellavit. Verbum הלך proprietatem habet in *volvendo*, *revolvendo*, & reciprocando greſſum; & pro magnifico inceſſu ſumitur, æque in malum ac bonum; in ſpecie de *graſſationibus* adhibetur latronum & militum, ut Prov. VI: 11. & Job. I: 7. ad quem utrumque locum vid. Cl. Schult. De Dei expeditionibus militaribus etiam uſurpatur, Hab. III: 6. & Zach. IX: 14. Sic & הלך & ילך Jud. VI: 14, 2 Sam. VII: 23. Pſ. LXXX: 3. *Poſterior* inceſſus glorioſus & triumphabundus his verbis effertur, ſermone non ad Deum, ſed de eo inſtituto, variationis ergo, *inceſſus Dei mei, regis mei in ſanctum*, ſc. palatium ſuum ſanctum, *Tſionem* umbratice & ſymbolice, ſed *coelum* majore emphaſi, de quo vidimus ad verſ. 18. ubi eadem vox eodem ſenſu reperitur, & a nobis expoſita eſt. *Inceſſus* hic ſunt glorioſi & triumphabundi, inſtar ambulantium & greſſus glomerantium; ut in pompaticis ſolet proceſſibus: *inceſſus* intelliguntur *ad ſanctum*, ut reddi debet, non in *ſancto*; agitur enim de proceſſu ad *palatium*, ut, re feliciter peracta, ibi quieſcat, quemadmodum cum *arca* in Tſionem eſt translata, 2 Sam. VI. quo hic quoque reſpicitur, cum illud ſimili modo pompatice, inter cantus & inſtrumenta muſica, factum ſit. Quæ uſitata eſt *ſancti* ſignificatio, ut ſupra, verſ. 18., vidimus. Denique *Dei mei* & *regis mei*, inquit poeta, ſeu David, qui hic omnino cenſendus eſt loqui; ut, ſuum æque ac populi regem eſſe ſupremum, et Dei,

Dei, qua talis, eſſe inceſſum, qui cauſam populi ſui vindicaverat, indicaret. De hoc *utroque* inceſſu, alio bellico, alio triumphabundo, dicit, ראו, proprie *vibrarunt*, *coruſcarunt*, & dein acribus oculis intuiti ſunt, & ad coruſcos ejus radios viderunt, ac experti ſunt, ſcilicet qualescunque, & Judæi, & populi quaquaverſum. Quam ſignificatus amplitudinem hic recte admittimus, cum verbi poteſtas ferat, & huc recte quadret. Significatur itaque, 1. inceſſus illos Dei fuiſſe *coruſcos* & glorioſos; cum Majeſtatis, & potentiæ ac virtutum aliarum Divinarum, ſignis conjunctos. Quod de inceſſibus Dei bellicis tempore Maccabaico diſerte adfirmatur, Zach. IX: 14., & de hoſtium, Aſſyriorum ac Babyloniorum, deſtructionibus, Hab. III. Radix vero ראה proprie eſt, *fulſit ſtella*, *micuit acri oculo a*, & proprietatem habet in *vibratione radiante*, Gr. αἰγάζειν. 2. eos quoque in oculos hominum incurriſſe, adeo ut quaquaverſum eos fuerint experti, & intuiti: quod paſſim denotat verbum ראה, *videre* in ſpecie experimentis certis, & ad ſplendentes radios. Cum autem imperſonaliter loquatur, *viderunt*, ad quoscunque extendere licet, & Judæos & populos alios. Quod non eſt difficile. Sed *viderunt*, alii *læti*, ut Judæi inprimis, & cantantes ac pſallentes, uti *mox ſequitur*, *alii* admirabundi, & ſtupentes; uti reliqui populi, qui ad Deum Israelis agnoſcendum etiam eo permoti ſunt; uti ſeq. docent. Quod utrumque verbi ראה uſu quoque comprehenſum eſt.

§. LXXVI. *b*. Pompatica regis in aulam ſuam deductio, a populo liberato cum multis lætitiæ & jubilationis ſignis facta, his verbis depingitur, verſ. 26. *Præiverunt cantores*, *agmen duxerunt pſaltæ*, *in medio virgines tympanizantes*. Sic rectius vertimus, quam, ut alii, *in medio virginum tympanizantium*, *cum* quod vox בתוך *in medio* manifeſte reſpiciat ad *ante* & *poſt* modo memorata, inter quæ itaque *medium* illud eſt collocandum, *tum* quod in publicis celebri-

Y

a Schultens clav. p. 253.

britatibus antiquitus fuerit uſitatum, ut *tympanizantes* medium in proceſſibus tenuerint locum, poſt *cantores* & ante *pſaltas*; uti liquet ex Gen. XXXI: 27. Nec obſtat punctatio vocis, quæ de ſtatu conſtructo teſtatur, quod abſoluta & conſtructa non tantum ſubinde permutentur, ſed hic vim conſtructi habeat, cum tacite referatur ad *cantores* præcedentes, & *pſaltas* ſequentes, adeoque *in medio* ſit pro in *medio eorum*. Cum vero ſenſus litteralis nihil habeat obſcuri, de virginum choreis in triumphis & feſtivitatibus ſatis conſtet ex Ex. XV., 1 Sam. XVIII., & aliunde; nihil hic notandum habeo, quam publicas lætitiæ demonſtrationes & feſtivitates in laudes Dei, ejusque *inceſſuum* coruſcorum, hic deſcribi; absque ut, aliud myſterium hic ſectandum eſſe, autumaverim. Ceterum, quod verbis præt. temp. utatur poeta, illud inde originem repetit, quod homines ejus temporis, quo *inceſſus* Dei coruſci forent facti, in ſcenam producat, ſicut verſ. 19., habuimus; & prophetis in more eſt.

§. LXXVII. 2. *Carminis* ipſius, in choreis, modo memoratis, cantandi & pſallendi, quod apte ſubjungitur, ut facile patet, *duæ* ſunt generales partes, quarum *altera* ad Israelitas reſpicit, *altera* ad populos & regna per orbem: *illa* exhibetur, verſ. 27—31., *hæc* vero, verſ. 32—36. Quæ totius pericopæ diviſio ex ipſa tractatione confirmabitur. *a*. *Prior* pars continet, *a*. *adhortationem* ad Deum publice laudandum, cum ejus ratione et materia, verſ. 27, 28, 29. in principio. *b*. precationem pro ſtatus proſperi ſtabilitate, & hoſtium ulteriore repreſſione, rationibus munitam, verſ. 29—31. *a*. Adhortatio, 1. proponitur, verſ. 27. 2. ratio & materia celebrationis Dei ſubjungitur, verſ. 28, 29. 1. Ipſa adhortatio ad Deum celebrandum, directa ad Israelitas, his comprehenſa eſt verbis, verſ. 27. *In publicis coetibus benedicite Deo*, *Domino*, qui eſtis *e fonte Israelis*, h. e. vos, genuini Israelitæ, Dei & cultus ejus ſtudioſi, vos in ſpecie, eodem heroico, quo Jacob, inde

de Israel dictus, præditi Spiritu, Deum & Dominum, qui ſeſe talem nunc in veſtram gratiam luculenter demonſtravit, debitis celebrate laudibus, nec privatim ſolum, ſed & publice in coetibus numeroſis, & conditis populi, quales nunc inſtituere licet, & inſtituentur plures. Quæ paraphraſis ſicut in Judæos liberatos, & proſperitate ac pace gaudentes temporibus Simonis & Hyrcani, quæ hic directe intenduntur, recte convenit, ut nemini non ex hiſtoria conſtat, ita ex ſtructura orationis ſeſe facile offert. Sermo dirigitur adhortatorius ad eos, qui ſunt *e fonte Israelis*, per ellipſin uſitatiſſimam voculæ מן *qui*, ſcilicet *eſtis*, ut in verſione expreſſi. Non enim, quod nonnulli volunt, conjungendæ ſunt eæ voces, *e fonte Israelis*, cum *Domino* celebrando, acſi is hoc epitheto inſigniretur, tanquam Meſſias ex Israele oriundus, ſed cum verbo *benedicens* cohærent, & perſonas definiunt, quibus hæc benedictio Dei imperatur, uti alii rectius ſtatuunt, *cum* quod phraſis, de Meſſia intellecta, ſit inſolita, nec res ante incarnationem ei congrua, *tum*, quod perſonæ, Deum celebraturæ, ſilentio nequeant involvi, *tum* denique quod mox ad principes tribuum Israelis adplicentur; ut mox patebit. Intelliguntur vero in genere quidem omnes Judæi, Jacobi poſteri, *ſimili phraſi denotati*, Jeſ. XLVIII: 1. LI: 1, 2. ne alia loca adferam, ubi vid. Commentator, ſed in ſpecie, nominis *Israelis* emphaſi ſervata, Dei ac legis ſtudioſi, etiam in mediis periculis, quibuscum *luctabantur*, Chaſidæi, ſic propterea dicti in hiſtoria Maccabaica, & *faciem Dei quærentes*, *ut Jacob*, Pſ. XXIV: 6., interque eos principes heroici, eodem Spiritu, quo Jacob, inde *Iſrael* dictus, animati, qui ſeſe cum Deo & hominibus victorioſe geſſerunt, *Maccabæorum* nomine notiſſimi, quorum lineæ mox accuratius ducuntur, verſ. 28. His omnibus imperatur officium *celebrandi Deum*, *Dominum*, h. e. laudibus & gratiarum actionibus efferendi Deum, qui *Dominus* ſimul eſt, ſeſeque talem nunc præſtitit, ut verſ. 33. *Pſallite Deo*, *pſallite Do-*

mino: ſed *celebrandi* Deum *in coetibus*, ſcilicet, publicis, & condictis; ſecundum vocis Hebr. emphaſin, ſatis nunc notam; ſive ſacris & religioſis, ſive aliis feſtivitatibus quibuscunque, in primis in memoriam illuſtris liberationis, a Deo conceſſæ, inſtitutis. Quales eo tempore locum habituros eſſe præſupponitur, &, tempore Maccabaico habuiſſe, conſtat. Pluribus cum ad intellectum verborum opus non ſit, verbo tantum obſervandum reſtat, pro perſonis loquentibus & adhortantibus recte haberi *cantatores*, modo memoratos, & *carmen* eorum triumphale hic incipere. Quod ſicut nexui & rei ipſi convenientius eſt, cum *cantatorum* & pſallentium fuerit modo facta mentio, quibus aliquod *carmen* eſt tribuendum, ita ex ſuperioribus, ubi ſimili modo inſtituit poeta, carmen aliquod abrupte memorans, verſ. 6 & 18., nec non ex eo confirmatur, quod aliæ perſonæ loquentes commode fingi nequeant, &, ſi aliæ forent, adhortatio cenſeri deberet ad ipſos *cantatores* directa, quod ſuperfluum foret, cum jam fuerint in ſcenam producti, tanquam cantantes in laudes Dei, & inceſſuum ejus: nec iis convenit adhortatio ad Deum *in coetibus* laudandum, quippe jam in unum coactis; ne alia, in ſeq. obvia, & mox memoranda, proferam.

§. LXXVIII. 2. Ratio & materia Deum celebrandi his verbis exhibetur, verſ. 28, 29. *ibi Benjamin exiguus, calcator eorum, principes Judæ lapidatio eorum, principes Zabulonis, principes Naphtali: præcepit Deus tuus robur tuum*, h. e. quam juſte & apte vos excitemus ad Deum laudandum, ô Israelis genuini poſteri, quantam habeatis rationem & materiam id faciendi, facile intelligitis, cum præſentes inter vos ſint illuſtres heroes, per quos Deus hoſtes protrivit, antiquis illis, qui ſimilibus facinoribus illuſtres fuerunt, ſimiles, Benjaminem, parvum licet, qui eos pede calcavit, & Judam, qui jaculis & lapidibus, ut olim David Goliathum, proſtravit eos; Zabulonitas quoque & Naphtalitas, qui ſub Barako & Debora Cananæos mirabiliter

ter ceciderunt, & populum vindicarunt a graviſſima adflictione, carminibus quoque propterea celebratos: vos præterea agnoſcatis & experiamini, Deum veſtrum præcepiſſe, & dediſſe nobis robur, & firmum omniaque obſtacula vincentem ſtatum; in quo nunc verſamini. Ex qua paraphraſi patet, rationem & materiam Deum laudandi in eo conſtitui, quod tribus Israëliticæ heroicis facinoribus hoc tempore fuerint illuſtres, quibus hoſtes proſtrati ſunt, & populus in libertatem vindicatus eſt; quodque robur, quo populus erat præditus, Deo ſit acceptum ferendum. Ob oculos itaque ipſis, quos excitant ad Deo benedicendum, ponunt adhortatores 1. heroas in medio ipſorum, antiquis illis ſimiles, verſ. 28. 2. roboris ipſorum cauſam, *Deum* verſ. 29.

§. LXXIX. 1. Heroum, in medio populi præſentium tanquam victorum, & victoriis de hoſtibus reportatis illuſtrium, deſcriptio, coloribus ab antiquis tribuum principibus, qui per ſimilia facinora fuerunt celebrati, mutuatis, his notabilibus fit verbis, verſ. 28. *Ibi Benjamin parvus, calcator eorum, principes Judæ, lapidatio eorum, principes Zabulon, principes Naphtali*, h. e. *ibi*, inter vos, qui eſtis e fonte Israelis, & in coetibus veſtris adſunt præſentes, qui *vobis Dei celebrandi* copioſam præbent materiam, & ipſi e fontibus *Jacobi*, ac principes coetus veſtri, hoſtium proſtratione illuſtres, & antiquis illis heroicis tribubus & perſonis ſimiles, easque referentes; ita ut dici queat, ipſas illas nunc eſſe inter vos reſuscitatas, & præſentes. Quæ paraphraſis, ſicut nexum & ſcopum verborum exponit, ita ex verbis, recte intellectis, facile ſeſe offert, & illuſtratur ac confirmatur. Quem in finem *a.* notandum eſt, ſermonem continuari ad eos, quos modo adlocuti erant, veros ſcilicet, & genuinos Israelitas. Quod ex præcedente & ſequente verſu quoque confirmatur: utrobique enim ſermo ad eos manifeſte vertitur; adeoque, verſu hocce intermedio non *de illis*, ſed *ad eos* quoque ſermo fiat, neceſſe

eſt. *b.* Vocula שם *ibi* vel ad *coetus*, vel ad *fontem* Israelis, potius ad utrumque, referenda eſt; ut ſit, *ibi*, in coetibus veſtris, in quibus Deus celebrandus eſt a vobis, & *ex ibi*, vel ex quo fonte Israelis, ſunt in medio veſtri; qui Dei laudandi materiam vobis ſuppeditant abundantiſſimam. *Ibi* itaque dicit, & *ibi* adſunt in coetibus, & *ex ibi*, ſeu fonte Israelis ſunt; præf. מ ante שם ex præced. ממקור repetito, & per ellipſin intellecto; uti ſæpe alias. Adde, ſicut victis, ſeu rebus perditis, inſultatur, aut adgemiſcitur per *ubi*, ita victoribus & rebus ſalvis adplaudi poſſe per *ibi:* Sic 1 Sam. IV: 21. *ubi gloria?* non eſt, ablata eſt arca. Jeſ. XXXIII: 18. *ubi eſt ſcriba? ubi adpenſor? ubi recenſens turres?* ſc. infatuati ſunt & aboliti. Jeſ. XIX: 12. XXXVI: 19. LI: 13. Gr. & Lat. illud *ubi* pro evanuit, ſatis eſt uſitatum *a.* 3. Epitheta, Benjamini & Judæ propter ſingularem rationem tributa, ſed ad Zabulonem ac Naphtali quoque extendenda, ut facile patet, ſunt *calcationis* & *lapidationis eorum*, ſc. hoſtium, modo memoratorum, nunc digito quaſi monſtratorum. *Ibi Benjamin calcator eorum, principes Judæ lapidatio eorum.* Relativum *eorum* non, ut ſolet, ad *coetus*, ſed *hoſtes* reſpicit, 1. quod relat. masc. & vox *coetus* foem. ſit generis, 2. epitheta *calcandi* & *lapidandi* non populum Israelis, ſed *hoſtes* pro objecto habere debeant; 3. denique, quod in carmine triumphali materia Deum laudandi, quem conſpectum hic verſus habet, repeti debeat ab hoſtium cæde, ſupra memorata, per heroas illos, ope Dei, effecta. Epitheta ſunt רגמתם & רזם, quæ Interpretibus crucem fixerunt, quod relativum *eorum* ad populum Israelis retulerint, & a vero verborum conſpectu aberrarint. Quam varie autem hic inſtituerint, exponere non licet, nec neceſſe eſt; cum ex noſtra hypotheſi faciles habeant explicatus; verbis רזה & רגם unice congruos. Primaria radicis רזה poteſtas eſt in *calcatione pedum*, unde proſtrationis, ſubactionis, & ſeveri dominii uſus fluxit: quod verbo notavit Schultens *b*, uberius

a Vid. la Cerda ad Virg. Aen. x. p. 538. *b* Clav. p. 203.

rius deduxit ac adſtruxit Schroederus *a*. Adhibetur frequenter de violenta hoſtium & populorum proculcatione ac ſubactione; Jeſ. XLV: 1. XIV: 6. Ez. XXIX: 15. & alibi; ut & de ſæva dominatione, Lev. XXV: 43. Sic & Gr. ac Lat. hoſtem *pede premere*, proculcare, eſt ei ſubacto inſultare *b*, ac plane dominari. Convenit itaque ſuperiori phraſi verſ. 24. *fitulationis pedis in ſanguine hoſtium*. Ceterum רגם eſſe pro רגם, & dicere *calcatorem eorum*, ab aliis jam eſt obſervatum, & ex מרמס Jeſ. LXIII: 11. illuſtratum. Addo Prov. XII: 3. שרש *vaſtatio eorum*. Quare moras non necto. Alterum epitheton eſt רגמתם *lapidatio eorum*, a רגם *lapidavit*, *jaculatus* eſt *lapides*, inde lapidibus obruit, & ignominioſa adfecit *nece*; & מרגמה *tumulus lapidati*, Prov. XXVI: 8. ubi vid. Schultens. *Lapidatio itaque eorum*, ſenſu act., eſt eorum ignominioſa occiſio, cum execratione conjuncta. Quo titulo cum inſigniatur Juda, hoſtes ea ratione ab eo fuiſſe tractatos, indicatur, cum adluſione ad Davidem, qui *lapide* occidit Goliathum: quo hic reſpicitur. Aliorum luſus & conatus lubens prætereo. Convenit itaque ſuperiori titulo *adcatoris eorum*.

§. LXXX. 4. Denique *Benjamin*, *Juda*, *Zabulon* & *Naphtali*, tanquam hoſtium *conculcatores* & *lapidatores*, nominatim celebrantur, non tam quod heroes ex illis fuerint tribubus, qui hic intelliguntur, licet & illud ſimul intendatur, tribubus illis ex. gr. memoratis, quam quod ex illis olim ejuſmodi heroes fuerint admodum celebres, qui nunc quaſi denuo revixerunt in Maccabæis, ſimilibus plane heroibus, & per ſimilia facinora illuſtribus; adeo ut dici poſſit, & nunc in coetibus populi, & ex fonte Israelis adfuiſſe, Benjaminem *caltatorem* hoſtium, *principes* Judæ *lapidationem eorum*, principes *Zabulon* & *Naphtali*. Qualis figura a ſtylo poetico & ſublimiore non eſt aliena. Nomina enim & perſonarum & locorum ſubinde aliis imponuntur, ob ſimi-

a ad Jeſ. III. p. 378. *b* La Cerda ad Virg. Aen. X. p. 517.

ſimilitudinem vel typum *a*. *Benjamin* & *Juda*, *Zebulon* & *Naphtali*, conjunguntur, quod ex illis tribubus primi fuerint, ordine ſuccedentes, *judices* & *ſervatores populi*; qui eum vindicarunt ab hoſtibus, Othniel ex Juda, Ehud ex Benjamine, Zebulonitæ & Naphtalitæ ſub Baraco & Debora; Jud. III: v. uti conſtat, qui etiam canticis triumphalibus celebrati ſunt, Jud. v. Deinde *Benjamin* primum dedit regem Saulum, qui populos vicinos quaquaverſum *proculcavit*, ut mox in principio *Ammonitas*, 1 Sam. XI., dein *Amalekitas*, & Philiſtæos ib. XIV, XV. denique *omnes circumquaque*, ib. XIV: 47. quare primum hic tenet locum, & *parvus* adpellatur, qualis erat eo inprimis tempore, & Saulus diſerte fatetur 1 Sam. IX: 21, & XV: 17. repetitur. *Juda* ſecundum tenet locum, quod ſub Davide perfectum ſit opus hoc, a Saulo incoeptum, uti notum eſt, & regnum Judæ tribui, ac familiæ Davidis, fuerit adligatum. Initium autem David fecit, & præludium, in Goliatho *lapide* occidendo; quo reſpicitur in epitheto *lapidationis*, hic memorato; quemadmodum uterque, & Saulus & David, *canticis* hac ſuper re celebratus eſt, quoque a *mulieribus*, 1 Sam. XVIII: 6. quarum & hic ſpecialis facta eſt mentio.

§. LXXXI. Suppetunt & aliæ rationes, quare Benjamin *parvus* adpelletur, *principes*, non reges, memorentur, & *harum* in primis mentio fiat *tribuum*. 1. Benjamin *parvus*, & minor natu, & vilis ac ſpretus, quod utrumque admittit vox צעיר, cognominatur, ut heroum Maccabæorum proprii characteres ducerentur, in eo ſiti, quod exiguas vel nullas habuerint dignitates, & vires inter Judæos; quin ſpreti fuerint & contemti; cum magnum illud liberationis populi opus adgrederentur: ſicut Zach. XII: 8., diſerte adpellantur, & cum *lapide* ab ædificatoribus *ſpreto* comparantur, primo & typico ſenſu, Pſ. CXVIII: 22. De quo ad ea loca, Deo volente, fuſius diſſeram. Quales liberatores Deus elegit, ut manus ſua in populo vindicando clarius eluceſceret,

a Vid. Glaſſius Gr. ſ. l. IV. tr. III. obſ. 19.

ſceret; uti in locis citatis habetur, & mox noſtro loco ſubjungitur, verſ. 29. 2. *Principum* titulo tantum inſigniuntur, ut *cum* verus eorum conſpectus, qui populum vindicarent, traderetur, *tum* forma regiminis, quæ tunc locum teneret, definiretur. *Duces* fuerunt, non *reges*, quibus Deus, ſummus populi imperator, uſus tunc eſt, nec Monarchale, verum ariſtocraticum magis, regimen obtinuit; ut *regni Dei* conſpectum ferret, & Deus tanquam *rex* populi agnoſceretur; quemadmodum olim ſub Judicibus; ad quos, ut dixi, manifeſte reſpicitur. Quod variis in locis a prophetis prædictum eſt. Vid. Zach. XII: 7–, nec non Mich. V: 4. ne alia citem. 3. Denique *quatuor* hæ tribus celebrantur, *cum*, ut rectores populi non ex Juda ſolum ut antea, quando domui Davidis erat regnum adſtrictum, ſed & reliquis tribubus, ſine discrimine, futuros, indicaretur, conf. Zach. XII; *tum*, ut loca, quæ Judæi eo tempore in Cananæa maxime incolerent, digito quaſi monſtrarentur. Singulare enim eſt, regiones harum quatuor tribuum tunc inprimis inſediſſe Judæos, *Judæ* & *Benjamini*, ubi ſedes erat civitatis, & Eccleſiæ, *Zabulonis* & *Naphtali*, ſeu Galilææ; media regione, Ephraimitarum & Menaſſitarum, a Samaritanis poſſeſſa; Ephraimitis & Menaſſitis *quoque Hieroſolymis* tunc habitantibus, ut eſt, 1 Chron. IX: 3. *Juda* itaque & *Benjamin* memorantur, quod eorum regiones tunc fuerint præcipuæ, in quibus Judæi reſederunt, & Metropolis ac Templum erat, *reliquæ* duæ tribus, in Galilæa præcipuæ, ex gr. citantur, ad reliquas terras Judæorum in Cananæa deſignandas. Ceterum, ut hoc addam, cum hoſtes præcipue fuerint graſſati in regionibus Judæ & Benjaminis, & profligati; epitheta *calcationis* & *lapidationis* eorum, quæ hic occurrunt, ipſis inprimis tribuuntur.

§. LXXXII. Dicta, ſicut in tempora Maccabaica verſum noſtrum recte convenire demonſtrant, ita eorum hypotheſin, qui Eccleſiam Chriſtianam, ſive Apoſtolicam, ſive Re-

formatam, quæ eſt Apoſtolica renovata, hic depingi autumant, quod Veteres nonnulli & recentiores faciunt, Cl. Vitringa quoque, a quo invitus diſſentio, ex profeſſo egit *a*, facile refutant. Adverſatur enim nexui prophetiæ, & ipſis verbis; nec aliquod ſeſe hic offert Apoſtolorum criterium. Titulus *principum* nimis generalis eſt, quam ut ſupremos in Eccleſia *doctores* & *rectores* definiat; nec ratio patet, quare Apoſtoli tam abſolute adpellarentur *principes*, nullo alio addito epitheto, quo dignoſci poſſent. Præterea, cum gentium æque vel magis fuerint doctores, quam Judæorum; quare principes *Judæ*, *Zabulonis* & *Naphtali* in ſpecie vocarentur? an, quod ex illis tribubus originem habuerint? ut paſſim exponi ſolet. Quid quæſo illud multum ad rem facit? & unde conſtat, eos ex Zabulone & Naphtali fuiſſe? non utique ex locis, ubi ſedes habuerunt; cum & ex tribu Juda orti ibi degerint, ſicut Chriſti parentes ac fratres: ne dicam, phraſin ad originem ſeſe non pati tantum reſtringi, ſed earum tribuum etiam *principes* deſignare. *Paulus* Apoſtolus præterea ſi *Benjamin parvus* ſit, ut volunt; quare *princeps* non, æque ac reliqui, adpellatur? qua emphaſi *Benjamin* memoraretur, ad ſolum Paulum deſignandum? quam hoc eſt obſcurum & remotum? Denique epitheta *calcationis* & *lapidationis*, qua ratione in Apoſtolos quadrant? nec tamen alium ſenſum ferunt, ac quem ſupra dedi.

§. LXXXIII. 2. Altera ratio & materia Deum laudandi in eo ponitur, quod populus firmum ſuum ſtatum & glorioſum Deo unice acceptum ferre debeat; adeoque principes & heroes, modo memorati, ſint conſiderandi, tanquam a Deo ipſo, ſupremo Duce & Imperatore, animati & roborati, per quos, tanquam vilia inſtrumenta, Deus ipſe tam glorioſum opus effecerit; verſ. 29. his verbis: *præcepit Deus tuus robur tuum*, ſcilicet o Tſion! vel populo e fontibus Israelis! Sermo enim ad eosdem manifeſte con-

a Obſ. ſ. l. III.

continuatur, numero carminis de plur. in singularem muta-to; cum *egressos e fonte* Israelis contemplatur poeta, tanquam in unum populum coactos, & unam constituentes societatem. In quo nihil est difficilis. Verba, quorum *scopum* tradidi, nihil habent, quod moram injicit. *Robur* populi Israelis est, *partim* quod in hostibus profligandis, ac statu suo instaurando, exseruit, *partim* quo nunc fruebatur in statu *firmo*, & *glorioso*: cujus utriusque ratio recte habetur, cum vox עז proprie denotet *robur invictum*, unde, per metonym., honorem, decus & gloriam illibatam ac excellentem. Cujus *roboris* causa unice quæritur in Deo, ejusque potentissimo *jussu*, quo omnia irresistibiliter agit: quod *præcipere* Dei est, & adpellatur in Script. Conf. Ps. XLIV: 5. CXXXIII: 3., & alibi. Quod quam exacte in tempora Maccabaica conveniat; nemini non in promtu est. Conf. Jes. XXVI: 1. Zach. IX: 14.—X: 3—XII. & alibi sæpe.

§. LXXXIV. *b.* Altera pars carminis triumphalis continet *preces*, rationibus moventibus munitas, easque duplicis generis, pro duplici, quod continent, *bono*, precum materia; *alterum* ad status proprii stabilitatem spectat, *alterum* ad hostes, eam turbaturos. *a. Prius* vers. 29, 30. *a.* preces comprehendit, vers. 29. *b.* rationem moventem, vers. 30. *a. Preces ipsæ ita* sonant, vers. 29. *Firmum fac, o Deus! quod molitus es nobis*, h. e. Cum robur præceperit, Tibi, o Tsion, seu Israelis progenies! Deus; vota nostra, quæ & tua sunt, pro te & nobis, qui unum constituimus populum, facimus, &, sermone ad Deum verso, precamur, *firmum redde*, o Deus! quod in gratiam nostram molitus es, singulari tua potentia. Cantatores, qui tribules suos ad Deum laudandum excitaverant, loqui pergunt, sed, persona totius populi adsumta, in prima nunc persona Deum pro stabilitate status liberi & prosperi, a Deo cum singulari potentiæ demonstratione effecti & concessi, orant, sermone ad Deum directo; dicentes, *firma*, (h. e. firmum, stabile & invincibile, fac; quod hic est עוז in imperat cum ו pa-

paragogico ad intendendam significationem; nec aliam admittit interpretationem) *Deus! quod molitus es nobis* (magnum, arduum, & stupendum, illud opus, quod in nostram gratiam effecisti. Quod est פעל; uti notum.) Concinit, quod Jes. XXVII: 12., de his iisdem temporibus Maccabaicis precantur liberati, *Jehova pacem ordinabis nobis, quippe etiam opera nostra operatus es nobis*: nec non Ps. LXXIV: 12. *Et Deus est rex meus ab antiquo, qui operatur salutes* (salutem maximam) *in medio terræ.*

§. LXXXV. *b.* Urgent petitionem a gloria & utilitate, inde redundatura, quod reges & potentes exteri Deum, in medio populi tam glorioſe præsentem, veneraturi, & donis liberalibus honoraturi sint Hierosolymis; quod simul, ut fiat, optant, vers. 30. *Præ templo tuo Hierosolymis Tibi pompatice adducent reges munus.* h. e. Interest multum gloriæ tuæ, quod durabilis sit, & firmus, noster status; fiet enim, quod etiam optamus, ut nomen tuum inter populos quaquaversum glorificetur, & ipsi reges ac potentes gentium excitentur ad Te donis suis honorandum Hierosolymis, propter sedem tuam ibi tam glorioſe fixam. Quod sicut tempore Hizkiæ, prostrato Assyrio, factum est, 2 Chron. XXXII: 23., a prophetis quoque prædictum, his iisdem fere verbis, Jes. XVIII: 7. & Ps. LXXVI: 12. ita novis *his Assyriis*, seu Syro-Macedonibus, subactis, & Judæorum statu firmato, quoque futurum esse indicatur, & vovetur: alibi quoque, Jes. XXV: 3., prædictum exstat; ubi dicitur: *propterea honorabunt te populus validus, civitas gentium violentarum timebunt te.* Ubi vid. Vitringa, qui & implementum in Ecclesia Maccabaica demonstrat. Quare nobis nihil hic superest, quam ut vocum sensum & emphasin verbo pandamus. *Præ templo tuo Hierosolymis* (sic enim voces recte vertuntur, uti ab aliis jam est observatum; quibus præponitur, Templum fore Hierosolymis, quod David, autor Ps., in Spiritu prævidit, & quidem illustre, ac frequentatum; & significatur, illud, partim destructum, par-

partim profanatum, antiquum ſuum ſtatum, & ſplendorem ac uſum, recuperaturum eſſe, eo, de quo hic agitur, tempore; quod *operis Dei in gratiam populi effecti* haud exiguam partem faceret: uti haud obſcure indicatur, cum preces, modo pro ſtabilitate moliminis Dei fuſæ, inde urgeantur, quod propter templum Deus honoraretur Hieroſolymis a regibus. Ex quo ſimul eluceſcit, quam male oculos a populo Iſraelis ad Eccleſiam Chriſtianam flectant Interpretes; cum in eam, non niſi coacte, quadret, quod hic de TemploHieroſolymis dicatur, & inde ratio repetatur Deum honorandi a regibus. Sed negligenda non erat emphaſis phraſios, *præ Templo tuo* עליך *ſuper Hieroſolymis*, qua indicatur, Templum Hieroſolymis *ſuper imminere*, & ei quaſi *præfectum* eſſe, quod עליך dicit, ita ut per illud regatur, & defendatur Hieroſolyma. Verum rectius mihi videtur vox *ex palatio tuo* conſtrui cum præcedente verſu, & *palatium* Dei eſſe coelum, unde Deus daret robur, ſicut per *palatium* Dei intelligi *coelum* paſſim ſolet in odis Davidicis. Conf. Pſ. xx: 3. *mittat tibi auxilium e ſacrario ſuo*, &c. & ibi dicta. Quo admiſſo, ſequentes voces reddendæ ſunt, *Hieroſolymas tibi adducent*, &c. לך itaque eſt *ad*, ſed ita ut *adſcenſus*, particula illa involutus, ſimul adtendatur) *tibi*, ſic pergit oratio, *adducent* (pompatice ſcilicet, & ſolenniter, ut in feſtis, & aliis ſolennitatibus, quibus magno comitatu & pompa Deus coli ſolet. Quæ vis eſt verbi יבל, cujus origo eſt in *quatiendo*, de quo alibi dixi. Vid. Pſ. xlv: 15. lx: 11. lxxvi: 12. Jer. xxxi: 9. Job. xxi: 30.) *tibi reges munus* (ſcilicet liberale, & copioſum, quale ſolet voce שי inſigniri: cujus proprietas eſt in *copioſo lactis fluxu*, unde tranſiit ad munus copioſum, largum, lautum *a*, in ſpecie *honorarium*, quod ſuperiori poteſtati offertur honoris & reverentiæ teſtandæ ergo *b*. Quale quid cum *reges* dicantur Deo adducturi Hieroſolymas, non communis

a Schultens ad Har. conſ. xvi. p. 52. *b* Vitringa ad Jeſ. xviii: 7.

tantum fortis homines, qui id facturi præsupponuntur, sed & eminentioris conditionis qualescunque eo officio defuncturos esse indicatur: sicut tempore Salomonis, & Hizkiæ, de quibus id diserte testatur Script., & quo hic respicitur, ita & temporibus Maccabaicis: ut modo obtenavimus.)

§. LXXXVI. β. Posterior precum pars, ad hostiles populos, qui firmitatem status populi turbaturi essent, spectans, ita habet vers. 31. *Increpa catervam ferum arundinis, coetum taurorum, vitulos populorum, conculcantem, contusores argenti*, aut *ambientes pecuniam*, tu qui *dispersit populos, qui præliis delectantur*. Quæ verba valde torserunt Interpretes, & varias peperierunt expositiones; quibus omnibus, suo loco relictis, meam addam. Continent, *a.* preces, & *b.* rationem earum moventem: quæ membrorum divisio mox adparebit, & rei naturæ, ac præcedentibus precibus, respondet. *a. Preces* his verbis comprehensæ sunt, *increpa ferum catervam arundinis, coetum taurorum, vitulos populorum, conculcatorem, contusores argenti.* Quæ epitheta hostium populi Dei continent, & cuncta cum verbo *increpare* construenda sunt, sine copula proposita, ut vers. 22. etiam habuimus. Exponamus, *α.* epitheta, *β. increpationem*, quam supplices petunt a Deo. *α. Epitheta* sunt duplicis generis, alia *figurata*, alia magis *propria*, quæ figuratis subiiciuntur ad hostilia facinora populorum designanda. *a.* Figurata epitheta *tria* sunt. 1. Primum *catervæ feræ arundinis*; uti rectius vertitur vox חית, quam *feræ*, ut aliis placet, *cum* quod vers. 11. eum significatum habeat, *tum* quod mox *coetus* taurorum sequatur, *tum* quod sensus emblematicus exigat: non de uno enim *tyranno*, sed pluribus hic agitur, sibi succedentibus; ut mox patebit. *Catervæ feræ arundinis* epitheton nos non ducit ad *crocodilum*, aut *hippopotamum* equum marinum, quod Bochartus & multi putant, qui, ad regnum Aegyptiacum, vel proprie vel mystice sumtum, respiciu, consent, sed ad *aprum* sylve-

sylvestrem, vel *leonem*, de quo etiam cogitavit Vir eruditissimus, qui omnium optime de *poesi Hebræa* meritus est, R. Lowth. *a*, utrumque in arundinetis recubantem, & inde in obvios insilientem: quod de *apro* comprobavit ipse Bochartus *b*, & de *Leone* quoque constat, ut vidimus ad Jer. XLIX: 19. & Zach. XI: 3. ubi *leones* memorantur in arundinetis Jordanis; sed & in Mesopotamia occurrunt, ut tradit Amm. Marcell. *c*. *Inter harundineta*, dicit, *Mesopotamiæ fluminum* & *frutecta leones vagantur innumeri* &c. ubi Vales. ex *Aegatharcide* idem confirmat. *Robur* haud exiguum nostræ hypothesi addit, quod emblema sit ad regnum Syro-Macedonicum primo sensu adplicandum; & non *Aegyptiacum*. 1. Quod de Aegyptiis mox contrarium memoretur respectu populi Dei, vers. 32., 2. pericopa ad tempora Maccabaica, quibus Syrorum infestationes experti sunt Judæi, omnino pertineat, ut ex supra dictis liquet, 3. denique, quod hostes illi, Antiochus Epiphanes & Successores, emblemate *apri sylvestris*, ac *feræ agri* veniant. Ps. LXXX: 14. Sed feræ *arundinis* epitheton figurate quoque capi potest pro truce & terribili potestate bellica. Sic bellator Arabs de se & suis alibi prædicat, *nos sumus leones, qui in arundinetis recubamus*, h. e. qui lanceis & sagittis horrente exercitu sumus circumdati, quod a Cl. Schultens observatum est *d*. *Arundinem* quoque pro *sagitta* posuit Virgilius, quod a Junio jam notatum est; qui cum aliis *catervam arundiferam* exponit per *armatam sagittis*. Accedit, ἀποτεθρυωμένας adpellari ἀπηγριωμένας, ἀπο τῶν θρύων *juncis*, herbæ agrestis, & in paludibus natæ, genere; q. d. in junceam veluti & insensilem omnis boni naturam mutatos; ut exposuit, Vir summus, mihique amicissimus, Cl. Hemsterhuis in not. ad Timæum Plat. Cl. Rhunkenii *e*.

§. LXXXVII. 2. Secundum epitheton est *coetus taurorum*, cum adlusione speciali, ut putem, ad tauros *Basanis*, quia

a De sacra poesi Hebr. præl. VI. p. 56. *b* H. p. 1, l. III. c. 29. *c* l. XVIII: 7. *d* in MSS. *e* p. 33.

quia illi in primis hoc nomine noti ſunt in S. Script., & ſupra *Baſanis* facta fuerat mentio; denique Ammonitarum, Moabitarum, & aliorum populorum Transjordanenſium, apta ſunt emblemata, quod hoc ipſo tempore quoque Maccabaico Judæis fuerint infeſtiſſimi, & protervos ſeſe præſtiterint: quare *feræ catervæ arundinis* recte ſubjunguntur. Radix אבר apud Arab. dicit *pungere*, rumpere *pungendo*, unde derivatum denotat *punctionem*, & *aculeatam* extremitatem, in ſpecie *germinis* & *pennæ* pullulantis; & אביר ſive *pennatum*, ſive *cornutum*, & ita *taurum*, hinc *robuſtum* audacem προμάχον; de quo ſæpe expoſui. 3. *Tertium* epitheton eſt *vitulorum populorum*, quo omnes reliqui populi hoſtiles in vicinia populi Judæi intelliguntur, minus quidem nunc potentes & robuſti, attamen inpinguati, lascivi & petulantes, ut ſunt *vituli* majores & pingues, ad quos hic reſpicitur. Significari videntur Tyrii, Sidonii, Philiſtæi, Samaritani & Idumæi; divites, lascivi, & erga populum Dei petulantes, eique variis modis inſultantes, & eum ſpoliantes, ejusque ſpoliis ſe ditantes, quare mox *contuſores argenti* adpellantur; ut ſtatim adparebit. Ceterum not. inſuper eſt, 1. vocem עמים *populorum* huic quidem epitheto *vitulorum* addi, ut de peregrinis populis cogitaremus: quem uſum hic omnino habet, ut ex ſequente etiam *liquet*, ubi *populi* a Deo diſperſi memorantur, qui *prælitis* delectantur; attamen pertinere quoque ad *feram catervam* arundinis, & *taurorum coetum*; adeoque ſignificare, eos omnes quærendos eſſe inter gentes, a civitate & religione Judæorum alienos. 2. Præf. ב in בעגלי, non eſſe *cum*, ut accipi ſolet, ſed *in*, & ad verbum גער *increpare* pertinere; quod cum ב quoque conſtrui ſolet, uti notum eſt; ſed ſenſu molliore, quam ſine ב. Denotat enim *perdere* ſine ב., ſed cum eo *reprimere*, & ſubjicere: de quo mox. Ex quo ratio diverſitatis ſtructuræ verbi גער elucefcit.

§. LXXXVIII. *b.* Figuratis hisce epithetis duo ſubjunguntur magis propria, quibus hoſtilium populorum, mo-

do

do depictorum, facinora describuntur; quando additur, *conculcatorem*, *contusorem argenti*, scilicet *increpa*; quippe a quo verbo æque, ac superiora, pendent; nec verti debent, *conculcantem*, vel substernentem, *frustis argenti*, acsi voces רצי כסף cum מתרפס construendæ essent, ut Interpretes instituerunt; sed per se capienda sunt & vertenda, *conculcatorem*, *contusores argenti*, eadem structuræ varietate observata, quæ modo notata est, verbi נשׂ cum & sine ב. Ex quo simul eluceſcit, *contusores argenti* respicere ad *vitulos*, & *conculcatorem* ad *catervam* feram, & *coetum* taurorum; quod & inde firmatur, quod *conculcator* in sing., *contusores* in plur. occurrat, quia *prius* ad *catervam* & *coetum*, posterius ad *vitulos* pertinet. Tendunt itaque hæc duo epitheta ad superiora illustranda, & eorum populorum facinora in lucem proferenda. Quæ hypothesis, sicut rationem dat aptissimam horum epithetorum additorum, cum alias *facinora* fuissent omissa, quod non deberet fieri: ita in verum eorum sensum nos ducet, quem Interpretes penetrare non potuerunt; ideo inprimis, quod epitheta hæc conjunxerint, מתרפס cum רצי כסף construentes; unde nullus extundi potuit sensus tolerabilis. Sumamus, ut modo observavi, epitheta seorsim, & cum *increpare* construamus, *eo scopo* addita, ut facinora eorum, qui modo epithetis *figuratis erant depicti*, describerentur: omnia erunt quam facillima, & valde apta. 1. Occurrit מתרפס *conculcator* & *conturbator*, a rad. רפס & רפשׁ eo sensu nota *a*. Forma vero Hitph. aliquid de ambiguo trahit, studio captato, ut mox patebit, dicitque, cum *conculcatorem* sese præstantem κατ' ἐξοχήν sic dictum, quod in eo totus sit & continuo, qui satis notus est istius formæ usus emphaticus, *tum* se ipsum conculcantem, & exculcantem, seu conculcatione sua sese perdentem. Epitheton, sic absolute positum, est hominis, seu hominum societatis, seu regni, omnia conturbantis, jus & fas proculcantis, & alios crudeliter tractan-

a Schultens ad Prov. VI: 3.

tis, necando, ſpoliando, in ſervitutem redigendo, & diſſipando. Quemadmodum eadem ratione מהלך *graſſator*, מבריח *conturbator*, ſæpe abſolute occurrit in libro Prov. & alibi. Aptiſſimum eſt epitheton *feræ arundinis* ac *taurorum*, quibuscum omnino connecti debet, & in regnum Syro-Macedonicum inprimis quadrat, quale ſeſe, ſub Alex. M., & deinceps Antiocho Epiphane, & ſucceſſoribus præſtitit. Quo egregie facit, quod *quarta* beſtia, Dan. VII: 7., regni iſtius emblema, quoque repræſentetur, tanquam reliqua *pedibus* רמסה *conculcans*, & de *hirco* quoque, ejusdem regni imagine, dicatur c. VIII: 7. De quo plura dixi in Diſſ. ad vaticinia. Dan. emblematica: de Antiocho Epiphane & ſucceſſoribus præterea expreſſe habeatur, Pſ. LXXX: 14. eos, *inſtar apri ſylveſtris*, *conculcaſſe*, & *feræ agri depaſtos eſſe*, vineam Judaicam. Quæ huic epitheto, iſti regno adplicito, illuſtrando ſufficiunt. Sed reciprocus uſus, cujus memini, in hoc regnum quoque aptiſſime quadrat, cum *hisce* conculcationibus aliorum, in primis Judæorum, ad quos hic reſpicitur, non tantum ſibi contraxerit reatum, quo deletum eſt judicio Divino, ſed ſibi ipſum quoque inteſtinis diſcidiis & bellis perniciem adtulerit; uti prædictum erat Jeſ. XXIV: 17. ubi vid. Cl. Commentator, qui illud egregie demonſtravit. Nec aliam fere ſortem habuerunt reliqui populi hoſtiles, per *tauros* depicti, ſimilium facinorum, licet minore emphaſi, rei; ad quos hoc epitheton quoque extendi poſſit, licet proprie & directe *ad catervam illam feram* adplicari debeat.

§. LXXXIX. 2. Alterum epitheton eſt, ברצי כסף, *contuſores* vel *avidos argenti*, ab eodem adhuc verbo *increpare* pendens, ſed præf. ב habens, plane ſicut modo habuimus in בעגלי *vitulos* populorum; ad quos itaque recte illud referimus, ad eorum facinora delineanda. Interpretes רצי reddere ſolent *fruſta*, a ſing. רצ rad. רצץ *contudit*, *tundendo contrivit*, ſpeciatim in *partes groſſiores*, ut docuit Cl. Schultens[a]: ſed

[a] Ad Har. conſ. v. p. 146.

ſed רצים pro *fruſtis* nusquam occurrit, & longe rectius *contuſores*, ſeu *contritores*, vertitur; quo ſenſu *contuſores argenti* recte adpellantur graſſatores, & raptores opum ac divitiarum, qui aliorum opes violenter deſtruunt, & auferunt, ſive ſenſu prægnante *contundere argentum* ſit contundendo rapere argentum, ſive opes aliorum ſimpliciter perdere, & violare, inque uſum ſuum vertere. Ita Job. xx: 19. *quia concuſſit*, רצץ, *dereliquit pauperes, domum ſpoliavit, & non ædificavit eam.* Sed verbum רצי quoque derivari poteſt a רצה in conj Pih., ut שרי a שרה, & de *avaris* capi, qui pecuniæ, ſeu opibus, unice intenti ſunt, & iis delectantur; ut רצי כסף ſint qui opes habent gratas & jucundas, easque ſectantur, & ambiunt, iis penitus *adfixi*. Radix enim רצה proprietatem habet in *adhærendo*, inde gratum habere & jucundum, ſequi & amplecti; ut verbo notavit Cl. Schultens *a*. Utrumque apte convenit in lascivos, pingues, & protervos illos *vitulos*, modo memoratos, ſeu populos divitiis & luxuriæ inhiantes, & Judæos ſpoliantes, ſeu ſeſe eorum opibus ditantes, quales fuerunt Tyrii, Philiſtæi, Idumæi & alii. De quibus hunc in modum loquitur Deus, Joel. iv: 5, 6. *Quia argentum meum atque aurum abſtuliſtis, & pretioſiſſima mea quæque delubris* vel *palatiis veſtris intuliſtis, filios Judæ, & Hieroſolymæ vendidiſtis filiis Græcorum* &c. Idumæis quoque inputatur: quod *manus injecerint in opes Judæorum*, tempore calamitatis, Obadj. 13.

§. XC. β. Populos hoſtiles, per epitheta hæc depictos, petunt Judæi, jam liberati a perſecutione Epiphanica, ut Deus *increpet*, partim delendo, partim a facinoribus inhibendo, & ſubjiciendo. Quod utrumque verbo גער, proprie *crepare*, *increpare*, eſt comprehenſum, & *prius* quidem ſine ב conſtructo, *poſterius* cum ב; ſi vera ſit Abenezræ, & ex eo Amamæ, obſervatio, illius ad Pſ. ix: 6. hujus ad h. l. Quod ſeſe noſtro loco recte patitur adplicari, cum utraque conſtructio hic locum inveniat, non ſine ratione,

a Ad Job. xxxiv: 9. & Har. conſ. v. p. 87.

ut videtur; ſine ב enim connectitur cum *caterva fera* & *tauris* ac *conculcatore*, ſed cum ב cum *vitulis* & *quaſſatoribus argenti*. Nec illud ab implemento adeo adhorret; Syro-Macedonicum enim regnum, cum populis infenſiſſimis Trans-jordan., eſt deſtructum; Tyrii, & Philiſtæi ſunt repreſſi, Samaritani & Idumæi Judæis ſubjecti. De Syro-Maced. vid. Diſſ. noſtræ ad Dan. vaticinia emblematica: de *Moabitis*, cum quibus Ammonitæ deinceps confuſi ſunt, qui communi nomine Arabum venerunt, vid. Jeſ. xxv: 10, 11., *triturabitur Moab ſubter ſe, ut conteritur palea in fimeto* &c: ubi vid. Cl. Vitringa: de reliquis populis vid. Zach. IX. Obadj. verſ. 18. Joel. IV. Tſeph. II. & alibi. Ceterum, cum liberati ab oppreſſione Epiphanica hic loquantur, precibusque introducantur petere, ut Deus hoſtiles populos *increpet*, obſervari velim, non de initio ſed progreſſu increpationis intelligi debere, ut *increpa*, ſit *increpare* perge, & increpando rem perfice; ſive increpa ulterius, & ad finem usque. Sicut verſ. 29. dixerant, *firma quod nobis molitus es*, ita, eo reſpicientes, hic dicunt, *increpa*, ſcilicet, ut firmetur & conſummetur molimen tuum in gratiam noſtram.

§. XCI. *b.* Sequitur ratio movens, qua petitionem urgent, his verbis ultimis verſ. 31. *tu, qui diſperſit populos*, qui *præliis delectantur*. Cum ſubita fiat perſonæ mutatio a *ſecunda* in *tertiam*, Interpretes, ad eam offendentes, varie inſtituerunt; ad ſtylum Script. & Oriental., imo & Gr- ac Lat., ſatis uſitatum, minus adtendentes, nec ellipſin, in ejusmodi mutationibus latentem, advertentes, quæ ſupplenda eſt, ut in verſione feci. Cujus varia exempla produxi ad Mal. III: 9. *Diſperſit populos* &c. itaque idem eſt, ac *tu ille, qui*, diſperſit &c. Quod addunt orantes, ut Deum, quem adloquuntur dicentes, *increpa*, ad preces fuſas exaudiendas permoveant; ratione ducta a ſueta agendi ratione, quam Deus in gubernando mundo, in primis populo ſuo, hucusque tenuit, & variis ſpeciminibus, etiam hic

hic memoratis, demonſtravit; in eo ſitam, quod populos, *belli* avidos, *diſperſerit*, & ventilando ad nihilum redegerit. Verba ſunt generalia, & modum agendi, quem Deus tenere ſolet, exponunt; in ſpecie ad populos ſuperiorum temporum, qui populum Dei hoſtiliter invaſerunt, a Deo diſſipatos, reſpiciunt.

§. XCII. β. *Poſterior* pars carminis, ad populos extraneos ſpectans, eorum converſionem ad Deum Israelis comprehendit, primum *anticipatam* & præluſoriam in proſelytis, ad Eccleſiam Israeliticam adgregandis, dein magis Spiritualem & plenam in regnorum orbis converſione ad regem Israelis, jam exaltatum in coelis, poſteaquam vocem ſuam per orbem perſonare feciſſet. Quæ *duæ* converſionis populorum periodi, ſe preſſe ſecuturæ, recte ſubjunguntur precibus pro ſtatus Eccleſiæ Israeliticæ, jam liberatæ, firmitate, & hoſtilium populorum ſubjugatione, *cum* ad preces urgendas, *tum* ad lætum conſequens proſperi iſtius ſtatus repræſentandum, & fata populi ad conſummationem reip. & Eccleſiæ Judaicæ usque pertexenda: qui Pſ. hujus, ut ſupra dixi, ſcopus eſt. Sunt itaque duæ pericopæ, verſ. 32—35., partes; quarum א. prior anticipatam & præluſoriam converſionem Gentium in ſpecimine, ex nobilibus & fortibus ac rectis Aegyptiorum ac Cuſchæorum producto, ad Deum Israelis, qui ſedem habebat Hieroſolymis, exhibet, verſ. 32. his verbis: *venient clientes pudibundi* vel illis ſtipati, *ex mihi Aegypto*, *Cuſch ſubmiſſus*, vel recto-rigidus, *manibus ſuis ad Deum*, ſcilicet Hieroſolymas, ad eum ſupplicandum & colendum. Cohærent enim, verbum *venire* & voces *ad Deum*; uti facile patet, licet minus obſervatum ſit; cum nec *venire* alias haberet, quocum connectatur, nec etiam voces *ad Deum* haberent, quo referantur; non enim cum יחיץ, quod vulgo volunt, conjungi poſſunt, ut mox patebit, cum verbum non ſit, ſed epitpheton Cuſchi, uti חשמנים Aegyptiorum. *Epitheta*, ut ab iis incipiam, ſunt ſingularia, nusquam alias in Script. occurrentia, & propterea

terea difficiliora explicitu, quæ tamen, lingua Arab. facem præferente, expediri poſſunt. Vocem משמנים jam illuſtravit Hottingerus *a*, ex verbo שמן Arab. *multi famulitii fuit*, *multos habuit adſeclas*; unde משמנים, inſerto ו epenthetico, forent magnates, domini multi famulitii, quod Aegyptiis & Cuſchæis in primis convenit. Sed adfert radix quoque *pudoris* & *verecundiæ* poteſtatem; & derivatum æque *clientes*, familiares, famulos, ac *dominos* eorum denotat. Videtur vero præcipue prægravantem potentiam & autoritatem notare, quæ pudorem incutit, ac reverentiam, indeque ad *clientes* pudibundos & reverentes, nec non eorum *dominos* & patronos, reverenter habendos, transferri. Ambiguum itaque eſt, num *clientes pudibundi*, an magnates & patroni potentes ſint intelligendi. Conjungamus eos hoc loco, & utrosque intelligamus, ſed eos, ſive dominos, ſive clientes & famulos, hic ſiſti ſtatuamus, qui pudibundi, ſubmiſſi & reverentes, accederent ad Deum, ut eum venerentur & colant. Quæ ipſa ambiguitas, adeoque ſenſus amplitudo, in altero epitheto הריץ latet. Vulgo pro verbo habetur tert. foem. fut. verbi רוץ, proprie *quatere*, dein currere feſtinanter; in Hiph., ut hic, *currere* facere; ut ſenſus ſit; Cuſch *currere faciet manus ſuas ad Deum*, vel eas ad Deum protendendo in precibus, vel *munera* offerendo; ut manus ſint pro *muneribus* manuum ſtylo Orientis. Nepos meus Cl. Verſchuir *b* vertit: *currere faciunt manus* ſuas, & interpretatur, *agmina civium ſuorum* ad Deum una cum ſplendidis & magnificis donis. Forte ſimpliciter nihil aliud dicit ac *citiſſime current*, ut qui *manibus* potenſis faciunt. Vid. Joſ. IX: 19. Sed involvitur idea confugiendi ad Deum tanquam patronum: quod eſt *tendere* manum ad aliquem, Thren. V: 6. 1 Chron. XXIX: 24. 2 Chron. XXX: 8. Sed 1. phraſis eſt nimis inſolens, *currere facere manus*, 2. ratio gen. foem. in הריץ vix dari poteſt ſufficiens, 3. utique

a Smegm. Orient. p. 158. *b* Diſp. Doctorali ad Hagg. II. p. 92.

que ſicut modo de Aegyptiis, ita hic de Cuſchæis longe commodius cenſetur epitheton tradi, ſi eo flecti poſſit vocabulum. Quod non longe erit quærendum, cum formæ nominum per *n* ab initio auctorum plures exſtent *a*, & radix רחץ in lingua Arab. ſuperſit. Priore modo radix ſtatuenda erit ארץ, quæ inferioritatem & depreſſionem involvit, unde ארץ pro *terrâ*: תרחץ itaque, pro תארץ, erit ſubmiſſus, humilis, & phraſis, *ſubmiſſus manibus*, ſive *manus*, pro ſubjecto, & ſubmiſſo. Quo nihil eſt facilius, & in rem præſentem aptius. Sicut *clientes pudibundi ex Aegypto*, ita nunc *ſubmiſſi manibus* ex Cuſchæis recte memorantur, ad morales eorum qualitates pingendas, quibuscum venirent ad Deum. Sed ſi radix רחץ admittatur, *recto-rigidum*, *libratum*, *manus* ſiſtet Cuſchum, & *partim* fortitudinem ac ſtrenuitatem ejus denotabit, *partim* juſtitiam ac æquitatem eorum, qui ad Deum ex Cuſchæis ſint acceſſuri. Radix enim ſignificat *firmum* & bene *compactum*, dein rectum & libratum. Quod utrumque huc recte quadrat, *alterum* reſpectu qualitatis *phyſicæ* Cuſchæorum in genere, *alterum* moralis, qua illi forent præditi, qui Deum Iſraelis colerent. *Phyſicæ* qualitatis Cuſchæorum quoque expreſſa in loco ſimili ſit mentio Jeſ. XLV. 14. *Sic dixit Jehova, labor Aegyptiorum, negotiatio Cuſchæorum, & Sabæorum, מדת אנשי virorum menſuræ* ſeu procerorum, & fortium, *ad te tranſibunt* &c.

§. XCIII. Significatur itaque his verbis, 1. ex *Aegyptiis* & *Cuſchæis*, ſive Arabiæ felicis incolis, & Aethyopibus infra Aegyptum, eo nomine venire ſolitis in Script., ut alibi disputatur, ad Deum verum converſos, *venturos* eſſe ad locum cultus Dei, ut eum honorent & colant. *Venire* enim *ad Deum*, quæ ſecum eſſe conſtituenda modo obſervavi, plus dicit quam ſeſe *ad eum convertere* ſimpliciter, idololatriæ nuncio miſſo, licet illud iucludat; quod alio verbo שוב, vel ſimili, ſolet exprimi; cum hic אתה *venire*, facto itinere, occurrat: adeoque eos ad locum cultus Dei, Hieroſo-

a Vid. Simon de formis nom.

roſolymas, profecturos eſſe, indicatur; & *proſelytos* futuros; qui non ſimpliciter Deum Hieroſolymis *muneribus* honorarent, ut ſupra *de regibus* dictum erat, verſ. 30., ſed religionem Judaicam ſimul profiterentur. Quare 2. additur, eos tanquam *clientes* venturos eſſe, & *ſubmiſſos* manibus, ac rectos & puros; quales cultores Deus requirit. Denique 3. qualiscunque conditionis eſſe acceſſuros, & *magnates*, ac *potentes fortesque* manibus, & eorum *clientes* ac *famulos*; qui manus ſubmittunt aliis. Ex quibus manifeſtum eſt, proſelytos Judæorum ex illis populis primo & directo ſenſu intelligi; ſed eorum converſionem ſimul tanquam præludium converſionis populorum per orbem ad Deum in Chriſto, deinceps ſecuturæ, conſiderari; uti ſeq. evincunt. Concinunt & aliæ prophetiæ, a Cl. Vitringa *a* adductæ, qui de *implemento* etiam ibi egit, & conſulendus eſt. *Aegyptiorum* & *Cuſchæorum* vero expreſſa fit mentio, ſpeciminis ergo, quia illi Judæis & olim, & hoc tempore, de quo hic agitur, fuerunt faventiores, oppoſite ad alios hoſtiles, ſupra memoratos, & felicibus illis populi Judæi temporibus plures dederunt proſelytos, *Salomonis* nimirum, *Hizkiæ*, & *Maccabæorum*; quorum temporum lineæ in hoc Pſ. ducuntur. De *Salomonis* tempore ſatis ex hiſtoria conſtat, habuit & ipſe *filiam Pharaonis* in uxorem, & regina Sabæorum ad eum venit. Ad Hizkiæ tempora pertinet Pſ. LXXXVII. De Maccabaicis temporibus plures exſtant prophetiæ, a Cl. Comment. ad Jeſ. *b* productæ. Quare plura non addo.

§. XCIV. 2. *Poſterior* pericopa, regnorum mundi converſionem ad Deum Israelis, jam in coelis verſantem, & inde ſeſe manifeſtantem, complexa, verſ. 33-35., adhortationem eorum comprehendit ad Deum Israelis, in coelis nunc unice verſantem, & inde ſeſe manifeſtum facientem, laudandum & canticis celebrandum. In qua pericopa *α.* occurrit propoſitio, verſ. 33 *β.* ejus deductio, verſ. 34, 35. *α.* Propoſitio exhibet regnorum orbis terrarum excitationem

a ad Jeſ. XLV. 14. *b* l. c.

nem ad Deum glorificandum, verſ. 33. *Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino. Selah!* Quæ verba nihil habent obſcuri. Tantum notetur, 1. emphaſis nominum *Dei*, & *Domini*, quibus Deus inſignitur etiam relate ad *regna terræ*, & ſignificatur, *tum* eum eſſe unicum & ſupremum orbis Deum & Dominum, cui omnia mundi regna ſunt ſubjecta, *tum* regna mundi eſſe æque Jehovæ, ac olim populum Israelis; ita ut eandem nunc habeant, quam antea Israel, rationem Deum laudandi. Quo ipſo præſupponitur, regna mundi omnia ſeſe ad Jehovam convertere debere, & converſura eſſe; ſicut ſub Meſſia contingeret; ſed ſucceſſive, usque ad finem ſeculorum; quod a Prophetis V. T. in genere ſolet repræſentari, acſi mox, Meſſia exaltato, locum haberet. De quo pluribus egi ad Dan. viſa emblematica.

§. XCV. β. In *propoſitionis* deductione, *a.* ratio & materia Deum laudandi exhibetur, verſ. 34. *b.* adhortatio, cum aliqua amplificatione, repetitur, verſ. 35. *a. Prius* his verbis, verſ. 34. *Adpactum ſe tenenti in coelis coelorum antiquorum: ecce dabit voce ſua vocem firmiſſimæ laudis.* h. e. Deum & Dominum omni modo celebrandi habetis per totum orbem juſtiſſimam rationem & abundantiſſimam materiam; quia ipſe nunc in ſupremo coelo, non ſicut antea in coelo inferiore, & ſupra terram in loco ſublimi, reſidet, ei plane adfixus, absque ut in terra ſeſe Symbolice ſiſtat, ut olim, præſentem, adeoque omnium Deum & Dominum, qui in coelis eſt, exhibet: præterea de coelo *vocem* ſuam nunc & in poſterum proferet, quæ per vocem laudationis Dei reſonare debet, inſtar echo, ſeu vocis repercuſſæ in orbe. Hunc exiſtimaverim verum verborum eſſe conſpectum & ſenſum, quem Interpretes non penetrarunt, quod ad phraſes non recte adtenderunt, & earum emphaſin non perſpexerunt. Duo ſunt verſus membra, *alterum* in præſ., *alterum* in fut. Quorum *prius* Deum repræſentat in ſupremo coelo ſedentem adpactiſſime, & in perpetuum; oppoſite ad præcedentem Dei manifeſtationem in

inferioribus coeli partibus inter Judæos; ut tanquam totius orbis nunc Deus & Dominus, non Judæorum tantum, sed & gentium, describeretur, & inde *ratio* peteretur, quare regna mundi eum nunc celebrare debeant. Cohæret verbum לרכב cum præced. per ellipsin verbi *cantare*, quod repeti debet, ut sit: *psallite Domino*, psallite *adpaste sedenti in coelo supremo*, & propterea id facite, quia talem sese nunc præstat, secus ac olim in *coelis antiquis*. Utitur Spiritus, in poeta loquens, verbo רכב, non tam ad actuositatem & expeditionem bellicam Dei, tanquam imperatoris & ducis, depingendam, quam stabilem ejus mansionem significandam; secus ac olim, cum, loco suo relicto, expeditiones pro populo suo suscepit; *equitans* ex. gr. in *deserto*, uti vers. 5. habuimus. *In coelo insidere* hic dicitur, quatenus ibi adpactus hæret; nec sese inde amplius movet, aut Symbolice sese in terra præsentem sistit. Quod verbo רכב, vera sua emphasi sumto, est involutum. Proprie enim est, *pangere, adpingere*, & compactionem ac coagmentationem solidam denotat, unde מרכבה *currus*, q. compaginatio solida, ut Gr. ἅρμα ab ἁρμὸς *apto, necto;* & ארכבה *genu* Dan. v. a solida compactione &c. *a*. Ipsa vero Dei sedes hic emphatice adpellatur, non coelum simpliciter, aut *coeli*, sed *coelum coelorum*, & quidem *antiquorum*: cujus ratio unice hic repetenda est a diversitate inhabitationis & conversationis Dei sub V. & N. T. Antea Deus censitus est in *coelis* versari, sive in *nubibus* equitans *super Cherub*, & *alis venti*, tanquam imperator, & vindex suorum, & inde pro populo suo militans per tonitrua quoque, fulgura, ac imbres & grandines, Ps. XVIII. Deut. XXXIII. 26. & alibi sæpe; sive in coelorum inferioribus partibus, aut terræ sublimioribus, symbolice habitans, ut super *Sinai* & *Tsione;* quod etiam *in alto* residere tunc dictum fuit: uti notum. Quo retulerim, ad antiquam scilicet habitationem, seu sedem Dei, epitheton קדם, quod *coelo* inferiori hic datur; cum dicitur, *in coelo coelorum* קדם *anti-*

a Vid. Rev. Kuypers Diss. Acad. ad V. T. p. 50.

antiquorum, non enim ad *cœlum*, ſed *cœlos*, pertinet. *Cœli* vero *antiqui* non ſunt, qui ante reliqua creationis opera fuerunt, multo minus, qui *durant* in perpetuum, quod ab uſu vocis abhorret, dicit enim *longum olim*, & *æternitatem* antegreſſam; ſed qui *antiquitus* ſedem Dei conſtituerunt; *qui* itaque ab *antiquo* fuerunt; & quibus Deus ab antiquo uſus eſt tanquam quaſi *curru* ſuo, aut *vehiculo*. Addi poteſt, *cœlos* קדם adpellari poſſe, quod Deus inde ſolitus fuerit pro populo *bellare*; uſurpatur enim radix etiam in rebellica, pro, *ante* omnes alios adgredi hoſtem, *ire præ* illi eum; ut Pſ. LIX: 11. Quo ſenſu etiam, inter alia, cenſeri poteſt adpellari אלהי קדם *Deus anteriorităţis*, Deut. XXXIV: 27. Ita olim; ſed nunc Deus adpactus dicitur *in cœlo cœlorum anterioritatis*: adeoque ſupra cœlos illos reſidens, longius a terra remotus, in loco itaque ſublimiſſimo, puriſſimo, & ſummæ gloriæ ac tranquillitatis: in ſede, quæ reſpectu *cœlorum* inferiorum eſt & ipſa, & dici poteſt, *cœlum*. Plane quemadmodum, Eph. IV: 10. Chriſtus legitur *aſcendiſſe ſupra omnes cœlos*: & Heb. VII: 26. *ſublimior cœlis factus*, & IV: 14., *pertranſiiſſe cœlos*. Gr. & Lat. poetæ Ὄλυμπον *olympum* adpellant, & pro ſtabili Deorum ſede, a *cœlo* diverſa, habent *a*. Reſpicitur præterea ad ſuperiorem Domini *exaltati deſcriptionem*, verſ. 18, 19., ubi etiam *currus* Dei fuerunt memorati, *in quorum medio* Dominus erat, ſicut hic *currui* quaſi inſidere in cœlo dicitur, & quod ibi *Sinai* in *Sancto*, illud hic in *cœlo cœlorum* eſt, ut cœli ſint in ſupremum cœlum, reſpectu inhabitationis Dei, mutati.

§. XCVI. *Poſtertur*, verbo fut. temporis expreſſum, habet, *ecce dabit voce ſua vocem fundatiſſimæ laudis*, ſecus, nimirum, ac olim in cœlis anterioritatis verſatus, quando terribili edita voce metum incuſſit, & voces, metus ac tremoris plenas, populo extorſit, adeo ut deprecatus fuerit *vocis* Dei repetitam additionem, ipſo Moſe intremente.

a Vid. la Cerda ad Virg. Aen. x. p. 409. 424.

Heb. XII: 19- ad montem Sinai. Quo hic directe putem respici; ita ut terribili isti voci Dei opponatur jucunda hæc & salutaris, quæ longe aliam in hominibus produceret vocem, laudis nim. & celebrationis lætæ ac jucundæ, nec inter Judæos tantum, verum in primis quaquaversum in orbe, & inter regna mundi. Quæ cum mirabilis plane foret scena, qua Deus de coelo supremo ederet vocem, quæ ora totius orbis in cantica laudis resolveret, præmittitur vocula הן *ecce;* quæ nos manifeste admonet, ut de longe alia *vocis* Dei prolatione cogitaremus, quam antea unquam factum fuerat. Subjungitur etiam apte præcedenti membro, quo Dominus in supremo coelo versatus describitur; cum *vox* illa Dei tunc demum audiretur, & ipsa *vox* definiretur, tanquam *coelestis* plane & *beata;* qualis convenit coelo supremo, sedi beatitatis: denique in fut. *dabit*, quod exaltationem Domini sequeretur, & continuaret per omnia secula ad finem mundi usque. Ipsa vero verba *duo* continent; unum, Deum e coelo supremo editurum *vocem suam*, *alterum*, per eam ora hominum esse in voces laudis resolvenda, quæ tanquam *echo* ex voce Dei orirentur. Hic enim sensus est verborum, *dabit voce sua vocem laudis*, quem Interpretes, qui hic varie instituunt, non perceperunt: licet voces eum sponte sua proferant: uti quisque admonitus facile intelligit. Phrasis enim, *voce sua dare vocem*, alium ferre nequit sensum, hunc aptissime fundit; quem seq. adhuc confirmant, cum mox sequatur adhortatio ad *Deo laudem dandam*, seu ad vocem eam edendam, quam Deus voce sua *dederat*, aut dandi occasionem & materiam præbuerat. Deum *vocem suam* daturum non expresse quidem habetur, sed clare satis indicatur, phrasi, *dabit voce sua vocem*, manifeste involutum; adeo ut sermo, concise expressus, plene sit: *dabit vocem suam*, & *voce sua* dabit *vocem laudis*. *Vox Dei* itaque est, ut paucis absolvam, vox euangelica, Divina, & coelestis, qualis Domino in coelum evecto, & coelo, tanquam beatitatis & sanctitatis purissimæ

mæ ſedi, unice convenit. Quæ *vocis* & *ſermonis* Dei, vocis coeleſtis & ſalutaris ac beatæ, nomine notiſſima eſt in Script. *Vox* denique Dei eſt, quæ regna terræ ad Deo canendum excitavit, ut verſ. 33. habuimus, vel, ut hic habetur, *vocem laudis* produceret, qua *voci Dei* tanquam echo reſponderent incolæ terræ. Quo verba tendunt, *dabit voce ſua vocem laudis*, ſc. ab incolis terræ proferendam; quam Deus *dare* dicitur, cum ejus materiam ſuppeditat voce ſua, & homines quoque ad eam edendam extus & intus, Verbo & Spiritu ſuo, utroque ex Deo orto, & voce ac halitu Dei, movet. Quo nihil eſt facilius. Vox Hebr. עז itaque hic, ut ſæpe alias, & mox verſ. ſeq., *laudem* denotat fundatiſſimam & firmiſſimam, nec non *gloriam illibatam* ac excellentem, a primigenia *roboris invicti* poteſtate. Conf. Ex. XV: 2. 1 Chron. XVI: 27. Jeſ. XIII: 2. Pſ. VIII: 6. LXII: 8. & alibi. Concludamus verbis Pſ. VIII: 2, 3. in rem præſentem egregiis; *Jehova Domine noſter! quam magnificum eſt nomen tuum per totam terram, cujus domicilium Majeſtatis tuæ fixum ſuper coelos* (*in coelo* itaque, ut hic, *coelorum*) *ex ore parvulorum*, & *lactentium fundaſti robur*, עז, ſeu fundatiſſimam laudem & gloriam.

§. XCVII. *b. Repetitio* adhortationis, cum aliqua amplificatione, *aptiſſime, ut facile* cernitur, ſubjuncta, ita ſonat, verſ. 35. *Date robur*, vel laudem & gloriam, *Deo excelſo Israelis, cujus excellentia & robur in ſubtiliore æthere.* Cum modo dixiſſent qui hic loquuntur, Deum dediſſe voce ſua *vocem laudis*, recte repetunt adhortationem, qua regna mundi excitant, ad hanc *vocem laudis*, quam Deus dederat, vel cujus occaſionem & materiam præbuerat, Deo reddendam. Dirigitur itaque ſermo ad *regna mundi*, & adhortatio ſuperior repetitur; cum dicitur, *date robur*, ſeu laudem & gloriam, uti modo: *cantate* & *pſallite*: quod idem eſt. Repetitur quoque deſcriptio Dei laudandi, quum Deus repræſentatur tanquam *Dominus Israelis, cujus excellentia & robur eſt in ſubtiliſſimo æthere.* Sic enim voces ca-

piendæ ſunt, & intelligendæ. Phraſis itaque שראל על cohæret cum Deo, ut recte Chald., & ſupremum Israelis Dominum excelſiſſimum denotat: ſicut על ſubinde ſumitur, ut & *excelſum* deſignet, & *Dominum* ac protectorem. Ita pro *excelſo* ſublimi ſumitur, 2 Sam. XXIII: 1. Hoſ. VII: 16. XI: 7. pro Domino & præpoſito, Jeſ. XIV: 12. *a*, denique pro *defenſore*, Zach. XII: 2. Ita hoc loco omnes illos ſignificatus conjungere licet, ut שראל על ſit ſublimis Israelis, ſimul ejus Dominus & protector: quemadmodum & forte Zach. XII: 1. *ſententia gravis verbum Jehovæ* שראל על *excelſi & protectoris* Israelis. Reſpondet quoque nomen עלין, quo Deus inſignitur in Script. Ceterum *excelſus Israelis*, titulo hac in latitudine ſumto, hic adpellatur Deus, a regnis terræ celebrandus, 1. reſpectu *Jacobi*, patriarchæ, cui ſeſe præſtiterat *Goelem*, & redemtorem ab omni malo. Gen. XLVIII: 16. per quem *benedictio*, Abrahamo promiſſa, ad poſteros ejus, ac ipſas Gentes, in ſemine ejus benedicendas, devoluta eſt. 2. reſpectu *Israelitarum*, Jacobi poſterorum, quos tuitus eſt, defendit, & valde extulit, Jeſ. LXIII: 9. & alibi ſæpe, 3. denique Eccleſiæ Chriſtianæ, ex Israele primum *collectæ*, dein *Spiritualis* & veri Israelis, etiam ex Gentibus congregati, factæ; quare nomine *Israelis* paſſim apud Prophetas venit; & *Israel Dei* adpellatur, Gal. VI: 16.

§. XCVIII. Ultimæ voces, *excellentia ejus & laus ejus*, vel robur, in *ſubtiliſſimo æthere*, aliquid habent ambigui, in relat. *ejus* latentis, quod & ad *Israelem*, & ad *Deum* referri poteſt. *Priore* ratione vertendæ voces ſunt, date gloriam Deo, excelſo Israelis patrono, *excellentiæ ejus & robori ejus in ſummo æthere*, adeo ut epitheton Dei contineant reſpectu Israelis, *cujus excellentia* & *robur* diceretur Deus *in æthere*; qualem ſeſe antea Israeli, proprie dicto, præſtitit, & nunc ſub N. T. *Israeli* ſecundum Spiritum, ſeu Eccleſiæ Chriſti. Quam interpretationem commendat, 1. ſtruc-

a Vid. Vitringa ad l. c.

1. ſtructura vocum, quæ eo ſponte tendit; absque ut aliqua opus ſit ellipſi. 2. Locus ſimilis, ad quem hic forte reſpicitur, Deut. XXXIII: 26. ubi Deus dicitur *coelos* equitare *in auxilium* Israelis, *& in excellentiam ejus ætherem.* 3. Vox שחק, quæ non ſolet ſupremum coelum, ſed *ætherem*, aut coelum *æthereum* ſignificare: qua manu quaſi primo ſenſu ducimur ad Israelem, litteraliter dictum, pro quo Deus ex æthere & nubibus pugnavit, cum nunc ſub N. T. inſideat *coelum* ſupremum; ut verſ. 34. habuimus. Pertinent itaque verba, hoc adſumto, primo ſenſu ad Israelem, & excelſum ejus patronum adcuratius deſcribunt; ſed *ſecundo* ſenſu ad Israelem Spiritualem, cujus excellentia quoque eſt & *robur in puriſſimo æthere*, pro ſupremo coelo ſumto, ſenſu latiore. Vox enim שחק a radice, quæ proprie dicit *ſubtilius trivit*, & adtenuavit in pulverem minutiſſimum, ut docuit Cl. Schultens *a*, inde ad *ſubtiliorem æthera* transfertur, & a עבים, quæ vox *ſpiſſas nubes* denotat, diſtinguitur. Deum vero optimo ſenſu adpellari *excellentiam* & *robur* populi ſui, quatenus excelſus ejus eſt, glorioſus ac potentiſſimus, rex & patronus, non opus eſt, ut exponam aut demonſtrem. Sed relat. *ejus*, quoque ad Deum referri poteſt, per ellipſin frequentiſſimam אשר, ut ſit, *Deo excelſo Israelis, cujus eſt excellentia & robur in ſubtiliſſimo æthere*; ſeu coelo ſupremo. Quemadmodum Pſ. VIII: 2. *Jehova, Domine noſter, quam magnificum eſt nomen tuum per totam terram, cujus domicilium Majeſtatis tuae fixum ſuper coelos.* Ubi vid. comm. noſter. Repetitur itaque, cum ipſa adhortatione, epitheton Dei, verſ. 34. memoratum, tanquam ratio & materia laudationis Dei. Uterque ſenſus conjungi poterit, & ambiguitas ſtudio cenſeri captata; ut ſæpe alias.

§. XCIX. III. Concluſio Pſ., quæ ſuperiorum recapitulationem & laudationem Dei continet, a poeta ipſo ſubjuncta, ita habet, verſ. 36. ſermone ad Deum verſo. *Venendus tu, o Deus! e ſanctuariis tuis, Deus Israelis tu ipſe* idem, *dans*

a ad Prov. XXIII: 30.

dans robur & compactiones ſolidas ac plenas *populo. Benedictus Deus!* Verba ſunt poetæ, Pſ. concludentis, quibus, Deum adlocutus, ex ſuperiorum operum in gratiam populi ſui conſideratione, ipſum celebrat, tanquam *verendum*, ſumma Majeſtate, potentia & gloria, fulgentem, & omnibus reverentiam incutientem, ſeſeque talem manifeſtantem *e ſanctuariis* ſuis, ſive in terra, ut inter Israelitas proprie dictos, ſive in coelo, ut ſub N. T., quique Deum Israelis ſeſe præſtat ſemper *eundem* & invariabilem *populo*, κατ' ἐξοχήν ſic dicto, Israeli veteri & novo, dantem *robur*, & *ſolidas* ac *copioſas compactiones;* in eo roborando, multiplicando, ditando, & conſummando; adeoque dignum, cui accinatur in perpetuum, *benedictus ſit Deus.* Quibus verum verborum conſpectum & amplitudinem expoſui, adeo ut uno alterove defungi poſſim obſervato. 1. *Primum* eſt, continuum inſtitui ad Deum adloquium, ſecus ac vulgo putatur. Perſonam enim ſubito mutari, communiter cenſetur, adeo ut in principio ſermo ad Deum flectatur, ſed mox de Deo fiat. Quod non neceſſe eſt, & nimis videtur deſultorium, in ſeq. vero æque *tu* ſuppleri poteſt, ac in primo membro, ubi illud fieri debet, ſi adloquium ad Deum continuet, uti paſſim admittitur. Audiendi enim non ſunt, qui in primo quoque membro *Israelem* ſupplent. *Sanctuaria* enim longe rectius *Dei*, ac Israelis, dicuntur, &, ad Israelem dirigi ſermonem, nullo patet indicio. 2. Cum in ſuperioribus mentio fuerit facta *duplicis* Dei ſedis, & in montibus Sinai ac Tſionis, & in coelo; numerus plur. *ſanctuariorum* Dei verum ſuum ſignificatum retinere debet, nec de *ſanctuario* per excellentiam intelligi: ut facile patet. 3. Voces, *Deus Israelis ipſe*, ſecum ſunt conſtruendæ, & per ellipſin pronominis אתה *tu* ſupplendæ: duplicem vero fundunt ſenſum, Deum ſcilicet *Israelis* eum eſſe, ſimul ſemper eundem & invariabilem, *cum* Veteris, *tum* Novi Israelis. Quam poteſtatem etiam alibi habet הוא *a*, uti Pſ. CII: 28.

a Vid. ad Pſ. XLIV: 3.

28. Denotat etiam excellentem, magnum & illuſtrem; ut. Jer. XLIX: 12., & pro epitheto Dei ſumitur *a*. 4. Vox תעצומות eſt ampliſſimæ ſignificationis, qua non *robur* tantum, ſed & *copiam* ac conſummationem denotat, a propria *oſſis* poteſtate, unde ad *robur* & *multitudinem* tranſiit; ut probavit Bootius *b*. Denique magnum, pretioſum, dicit, Pſ. CXXXV: 10. *c*. nec non *conſummationem*, a numero ſolidato & pleno, forte, quod *os* fuerit adhibitum in ſummis computandis, uti idem *d*, conjicit. Quæ omnia hic conjungi poſſunt. Denique 5. vox עם abſolute & cum ה emphat. dicit *populum* Dei eximium, Spiritualem æque ac *carnalem*; cujus utriusque fata læta in hoc Pſ. fuerunt celebrata.

a Vid. ad Pſ. XVIII: 32. *b* Animadv. ſ. l. IV: c, 11.
c Vid. Schultens ad Pſ. CXXXIX: 17. *d* ad Job. XXI: 23.

PSALM. LXIX.

1. *Præfecto super ſchuſchannim, Davidis.*
2. *Serva me, Deus! quia ſupervenerunt aquæ usque ad animam.*
3. *Immerſus ſum in lutum vehementer æſtuans, nec locus ſtandi eſt, intravi profunda aquarum, & fluctus inundat me.*
4. *Hiaſco in clamare meo, aduſtum eſt guttur meum, conſumti ſunt oculi mei; patienter exſpectans ſum Deum meum.*
5. *Spiſſi ſunt præ capillis capitis mei oſores mei fruſtra, firmiter compacti ſunt præ cincinnis meis hoſtes mei falſo: quod non rapui tunc, reſtituam nunc.*
6. *Deus! tu noſti craſſam meam ſtultitiam, nec reatus mei te latent.*
7. *Ne pudefiant in me exſpectantes te, Domine Jehova exercituum! ne ignominia frangantur in me quærentes te, Deus Israelis!*
8. *Quia propter te tuli opprobrium, operuit confusio faciem meam.*
9. *Faſtiditus fui fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.*
10. *Quia*, vel *quamvis*, *zelus domus tuæ me conſumſit*, &, vel *attamen*, *opprobria Te probro adficientium ceciderunt ſuper me.*
11. *Et compreſſi in jejunio animam meam, fuitque mihi opprobrio.*
12. *Et dedi veſtimentum meum ſaccum, & factus ſum ipſis proverbium.*

13. *Ex-*

13. *Exſpatiantur in me ſedentes in porta, etiam modulationibus potatores ſiceræ*, vel *modulationes ſum potatoribus ſiceræ.*

14. *Et*, vel *at*, *ego, precatio mea ad Te, Jehova! tempore complacentiae, o Deus! in ſpiſſitate beneficentiae tuae reſponde mihi, in firmitate ſalutis tuae.*

15. *Extrahe me e luto aeſtuante, & ne immergas*, vel *immerſus* peream, *vindicatus liberer ab oſoribus meis, & e profundis aquarum.*

16. *Ne inundent me fluctus aquarum, & ne abſorbeat me aeſtuatio vehemens, & ne circumvinciat ſuper me puteus os ſuum.*

17. *Reſponde mihi, Jehova! quia uberrima eſt benignitas tua, ſecundum multitudinem miſericordiarum tuarum reſpice me.*

18. *Et ne velo faciem tuam obtegas a ſervo tuo; quia arctum mihi, feſtina reſponde mihi.*

19. *Adpropinqua ad animam meam, libera eam, propter hoſtes meos redime me.*

20. *Tu noſti opprobrium meum radens, perplexum meum pudorem, & calumniam meam frangentem: coram te ſunt hoſtes mei coarctantes.*

21. *Opprobrium fregit cor meum, & animi pendeo. Et exſpectabam condolere, ſed nihil ſimile; & conſolatores, ſed non inveni.*

22. *Et*, vel *quin*, *dederunt in cibum meum amariſſimam herbam, & ad ſitim meam potarunt me aceto.*

23. *Sit*, eritque, *menſa ipſorum coram ipſis in laqueum, & ipſiſſimae paces*, ſeu *id quod ad paces, in tendiculam.*

24. *Stricti obtenebrentur oculi ipſorum, ne videant, & lumbos eorum jugiter flexos & vulſos redde.*

25. *Effunde ſuper ipſos ſpumantem tuam iram, & æſtus naſi tui ſe adnectat iis hoſtiliter.*

26. *Sit arx ipſorum ſiderata, in tentoriis eorum ne ſit habitator.*

27. *Quia* ſicut *quem tu percuſſiſti perſequuntur*, vel, *quia tu percuſſiſti qui perſequuntur, & ad luridum vulnus profanatorum tuorum adnumerabunt.*

28. *Da iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & ne veniant in tuam juſtitiam.*

29. *Deleantur e libro vitarum, & cum juſtis ne ſcribantur.*

30. *Et*, vel *at, ego depreſſus & lurens; ſalus tua, o Deus! exaltaverit me.*

31. *Laudabo nomen Dei cantico, & magnificabo ipſum confeſſione*, ſeu *protenſa celebratione.*

32. *Et placebit*, vel *ſuavis odoris erit, Jehovæ, præ bove, juvenco cornificante, ungulas dividente.*

33. *Viderunt manſueti lætabuntur, quærentes Dei, etiam vivat cor veſtrum.*

34. *Quia audit pauperes Jehova, & vinctos ſuos non ſpernit.*

35. *Laudent ipſum coeli & terra, maria & quicquid ſe in iis vibrat.*

36. *Quia Deus ſervabit Tſionem, & ædificabit urbes Judæ, & habitabunt ibi, & hæreditabunt eam.*

37. *Et poſteritas ſervorum ejus cretam tenebunt eam, & amantes nominis ejus tentoria figent in ea.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum præclari & utiliſſimi hujus Pſ. eſt, Viri illuſtris, *Servi* Dei titulo conſpicui, in quem piorum oculi erant defixi, tanquam publicum fructus pietatis exemplum,

plum, ex cujus ſorte infelice confuſionem, & felice conſolationem ac ſpem ſuam, concipiebant, ſimul *pietate* in Deum præditi ſingulari, ita ut *zelus domus Dei ipſum conſumſerit*, innocentis præterea & probi coram hominibus, licet ab omni peccato non puri, ſed Deo reatu ſuo obſtricti; nunc in ſummam ac desperabundam, ſimul probroſam valde, calamitatem per hoſtes & oſores, quorum ingens erat multitudo, conjecti, & ab iis in eo ſtatu illuſi, ac probris lacerati, tanquam eſſet hypocrita, & ſceleratus, ab ipſis amicis & arcta conſuetudine conjunctis deſerti, & contemti; denique gravi adfecti per hanc adflictionem triſtitia, & de ſorte ſua dubii, vel anxii; talis, inquam, viri, in eo ſtatu poſiti, *oratio* ad Deum, qua 1. miſerabilem ſuam conditionem, modo in genere expoſitam, vivis depingit coloribus, 2. citam ſuam liberationem, additis rationibus moventibus, implorat, 3. hoſtium impiorum & obſtinatorum exemplarem poenam ad eorum deſtructionem ſupplex poſtulat, ad vias Dei, quibus perſecutores publice ſolet percutere, & e medio tollere, provocans; 4. denique conſequentia, Deo glorioſa, piis ſalutaria, & Tſioni ac Judæ proſpera, inde oritura, recenſet.

§. II. Cujus argumenti ut uberior & clarior ſit intellectus, *perſonæ loquentis*, *ejusque* ſtatus & adfectionum, *criteria*, in Pſ. obvia, in lucem proferam. 1. *Primus* character, ad perſonæ dignitatem & excellentiam pertinens, habet, eam non eſſe vulgarem, ſed publicam, ſingularem, & in medio populi eminentiſſimam. Cujus indicium in eo eſt, quod *ſervus* Dei κατ' ἐξοχὴν adpelletur, verſ. 18. quodque ab ejus ſorte ſuspenſa ſit vel confuſio, vel conſolatio juſtorum ac Dei ſtudioſorum, verſ. 7 & 34, præterea ejus perſecutio, & inſultatio graviſſimi judicii reatum mereatur; ut ex imprecatione hoſtium ac perſecutorum patet, verſ. 23--, denique, quod Tſionis ſalus cum perſonæ hujus liberatione eſſet conjuncta, verſ. 36, 37. 2. *Secundus*, ad qualitates ejus morales, & vitam, quam duxerat, ſpec-

tus, habet α. eam fuiſſe *pietate* erga Deum valde illuſtrem, & præclara ejus dediſſe ſpecimina in *domo Dei*, ejusque cultu, reformando & exornando, jejuniis, precibus, aliisque devotionis religioſæ exercitiis, verſ. 10—12., adeo ut piis fuerit ante oculos verſata tanquam pietatis præclarum exemplum, verſ. 3., & impiorum ſuscitaverit invidiam, eorumque calumnias produxerit, verſ. 9. &c. β. præterea coram hominibus *innocentem*, *probam*, & a criminibus, ipſi impactis, & quare odio habebatur, puram: verſ. 5. γ. nec tamen coram Deo plane innocentem, quin reatu ipſi obſtrictam, ſive proprio, ſive alieno, & ipſi imputato, verſ. 8. De quo ſuo loco disquiram. 3. *Tertius*, ad ſtatum ejus externum, in quo nunc verſabatur, reſpiciens, fert, eam α. graviſſima, quin desperabunda, & probroſa admodum calamitate, ad violentam necem tendente, fuiſſe oppreſſam, verſ. 1–4., nec non verſ. 15 &c. β. ab hoſtibus & invidis popularibus, non extraneis, profecta, & per probra ac contumelias adgravata: verſ. 5, 8. & ſeq. 15, 20. & ſeq. γ. quæ ipſa conſpectum præbebat judicii Divini, ipſi incumbentis; quod verſ. 6. innuitur, & ex contumelioſa ejus exprobratione verſ. 10— eluceſcit: num vero ipſis verbis directe exprimatur verſ. 27., quod vulgo putatur, poſtea ſuo loco disputabo. 4. *Quartus* character, habitum & ſtatum animi in mediis hisce adflictionibus repræſentans, habet, eam fuiſſe ſumma triſtitia, & ſolicitudine anxia ſuper eventu, adfectam, conſolatione non tantum ab aliis non erectam, ſed contra ab ipſis amicis intimis deſertam, verſ. 9., & ab aliis inſultatam, verſ. 21, 22. attamen in præſentia majore animatam fiducia, ita ut hoſtium deſtructionem, & ſui liberationem, in ſolatium piorum, ac Tſionis ſalutem, animo anticipaverit, & futuram eſſe præviderit. Quo tota pericopa, verſ. 23., ad finem, manifeſte tendit. 5. *Quintus* & ultimus character, ad autores, vel fautores, calamitatis pertinens, eos ob oculos ſiſtit, α. ingentem numerum facientes, verſ. 5. β. populares, etiam

etiam aliquos amicos intimos, verſ. 9. γ. pietatis & devotionis oſores, & irriſores, verſ. 10—. δ. dignitate & potentia illuſtres, verſ. 13, 26. ε. denique laute & luxurioſe degentes, verſ. 13, 23—.

§. III. Videamus de *tempore* & *occaſione* Pſ. Licet non David, ſed Meſſias de ſe loquens hic introducatur, quæ communior eſt hypotheſis, de qua mox accuratius disputabo; cum tamen David ſit ejus autor, & nusquam directe indicet, ſe aliam ſiſtere perſonam loquentem, ſed ubique prima ſtatur perſona, dubium non eſt, quin ad ſe, ſtatumque ſuum, continuo alludat, & ſui quoque rationem haberi velit, adeoque exiſore & umbratico ſenſu de ſe quoque loquatur; *occaſionem* Pſ. in Davidis ſtatu eſſe quærendam, dubium mihi non eſt; maxime, cum hic illic aliquid fuerit inſertum, quod Davidis perſonæ rectius convenit. Quo in ſtatu vero fuerit, quando ad hoc canticum componendum excitatus eſt, ex *characteribus*, modo in medium adlatis, judicari debet; cum inſcriptio Pſ. de eo nihil habeat. Duo vero *tempora* hic tantum in cenſum venire queunt, ut facile perſpicitur, alterum infectationis *Saulis*, alterum *Abſolomi*. In quod utrumque licet characteres, modo educti, maximam partem recte quadrent, adeo ut difficilis videatur electio; nonnulla tamen ſeſe hic offerunt, quæ *poſteriorem* calamitatem definiunt: quæ ſtrictim exhibebo. 1. *Primum* eſt, quod verſ. 5. in phraſi, *quod non rapui tunc*, *nunc reſtituam*, ſic enim verba vertenda ſunt, reſpicere videatur ad regnum e domo Saulis ad ipſum translatum, quod calumnioſe traducebatur, tanquam a Davide raptum, cujus facinoris nunc poenas luere deberet, regnumque ſibi eripi viſurus. Quæ ipſiſſima fuit calumnia Simei in Davidem, coram Abſolomo fugientem. 2 Sam. XVI: 8. 2. *Secundum* eſt, quod confeſſio *ſtultitiæ* & *reatus* ſui, quæ calumniæ mox ſubjungitur, verſ. 6. eo quoque tendere videatur, ut præſens calamitas, tanquam peccatorum ſuorum conſequens, adeoque judicio Dei in ſe, ex parte adſcribenda, conſideranda ſit. Quod in poſteri-

erius exſilium recte, minus in prius, quadrat: Conf. Pſ. XVIII: 21— & alibi. 3. *Tertium* ſuppeditat commemoratio *flagrantis ſtudii in domum Dei*, quo ſe celebrem reddiderat, verſ. 10. Quod utique longe rectius in tempora ante Abſolomi, quam Sauli, perſecutionem, convenit: uti facile cernitur. 4. *Quartum* eſt, quod tempore adflictionis poſterioris majore quoque emphaſi dicere potuerit, ſe *fratribus* & *filiis matris ſuæ* fuiſſe *peregrinum*, verſ. 8. cum ab ipſo filio fuerit ad necem quæſitus, & ab ipſa tribu Juda, ſeu tribulibus ſuis, ex eadem matre progenitrice ſecum natis, deſertus, tempore vero Sauli domus Patris, & fratres ſe ipſi adjunxerint. Conf. 2 Sam. XVI: 11., & XV: 12., ubi Achitophel, & ipſe e tribu Juda, cujus erat urbs Gilon, Joſ. XV: 51., intimus Davidis amicus, partes Abſolomi ſectatus legitur. Denique tribules Judæ, Davidem reducturi, diſerte fatentur, ſe *regi* eſſe reliquis *propinquiores*, 2 Sam. XIX: 43., ipſe David, ut eos excitaret ad ſe ante omnes reducendum, adpellat eos *fratres ſuos, de oſſe & carne ſua*, ib. verſ. 13., plane ut noſtro loco, *fratres* & *filios matris ſuæ*. 5. *Quintum* eſt, quod *animam* ſuam confiteatur eſſe *fractam* per opprobria, quæ patiebatur, ſeque *animi pendere*, de felici eventu anxium, verſ. 21. uti verba capienda ſunt: quod etiam majore emphaſi tempore Abſolomi expertus eſt in principio, uti liquet ex 2 Sam. XVI: 12. XV: 26. 6. *Sextum* exhibet prius membrum, verſ. 27. ſi vertatur, *tu es qui percuſſiſti eos qui perſecuti ſunt*, de quo ſuo loco; cum manifeſte reſpiciat ad perſecutores præcedentes a Deo punitos, Saulum, ejusque domum & ſocios; quo imprecationem recte urget, ut fecit Pſ. III: 8. in ſimili ode. 7. Denique, ſi ultima pericopa non ſit recentioris temporis, poſtea a Judæis in libertatem ex graviſſima calamitate adſertis, addita, de quo ſuo loco videbo, mentio *Tſionis*, verſ. 36, indicium præbet temporis poſt Saulum, quum David in Tſionis poſſeſſionem jam eſſet inmiſſus. Quæ ratio ſola movit Rev. Foord, ut poſtea vidi, ad hoc ipſum tempus Pſalmo adſignandum.

IV.

§. IV. Hæc criteria faciunt, ut in eam inclinem ſententiam, Pſ. tempore adflictionis Abſolomicæ eſſe compoſitum: cui non obſtat, quod tam desperata tunc non videatur fuiſſe Davidis conditio, qualis hic depingitur, nec tam terribilis inprecatio, qualis occurrit, verſ. 23., a Davide proferenda in Abſolomum, & ejus ſocios: *cum* quod calamitatis deſcriptio ad initium fugæ ejus coram Abſolomo reſpiciat, quando omnia videbantur desperata, & David animo eſſet fractus, ut mox dicam; inprecatio vero ſit prophetico magis Spiritui, quam ſedato ejus animo, adſcribenda: *tum* inprimis; quod non tam ſe, quam Meſſiam per Spiritum propheticum depinxerit, & hoſtium ejus miſeram ſortem delineaverit: unde repetendum eſt, quod colores ſint fortiores, quam fuiſſent, ſi de ſe tantum fuiſſe locutus. De quo poſtea.

§. V. *Tempus* itaque adflictionis ſub Abſolomo huic Pſ. adſignandum eſſe cenſeo, quod aptiſſimam præbebat *occaſionem* ſeſe in hanc orationem effundendi, ſive ad Davidem, ſive ad Meſſiam referatur; cum a ſtatu ſuo facile ad Meſſiæ ſtatum repræſentandum potuerit excitari; quemadmodum, Pſ. XL, nec non CIX. ac aliis in Pſ. factum eſt; *cum* quod typum Meſſiæ in eo ſtatu geſſerit, *tum* quod ex illa meditatione ingens ſolatium carpere poſſet, maxime cum paſſio Meſſiæ ſit omnis ſpei & ſalutis, etiam Davidis ac veterum fidelium ſub V. T., fundamentum; uti conſtat. Sed illud in ſpecie *tempus*, quo adflictio ad ſummum venerat, & in melius vergere incipiebat, ac David animoſior factus erat, in cenſum venire, autumaverim, ita ut calamitatis, & adfectionis animi ejus, deſcriptio reſpiciat ad tempus paulo præcedens, qua ob oculos poſuit, in quantam miſeriam & triſtitiam fuerit conjectus, unde nunc reſpirare incipiebat, cum Pſ. compoſuit; adeo ut hoſtium deſtructionem, & glorioſam ſuam liberationem, cum ejus conſequentibus lætis, mente anticipaverit. Pericopa utique, verſ. 23. incipiens, talem animum ſpirat, non jam amplius fractum

tum & anxium, ſed ſpe & fiducia plenum: ut facile patet, & ſuo loco exponam.

§. VI. Ex dictis cum de *ſcopo* & *uſu* Pſ. facile conſtet, paucis potero defungi. *Scopus* enim eſt, ut facile colligitur, 1. ſalutarem illam & ſummi momenti *doctrinam* inculcare, *cum* generalem illam, de juſtitia & gratia Dei, in improbis perſecutoribus piorum ſevere puniendis, & piis adflictis tutandis ac eripiendis, *tum* ſpecialem de Meſſiæ paſſionibus, ac glorioſo earum eventu, ſpei quoque Veterum, ac omnis liberationis & ſalutis, fundamentum. 2. pios *partim* inſtruere & docere, eos in graviſſima ſæpe incidere pericula, & acerbas ſubire debere improborum vexationes, ne inde colligant, ſe Deo minus eſſe amatos, aut de pietatis ſtudio quid remittant, *partim* conſolari ſpe liberationis, quam Deus, cum res ad ſummum venit, concedere ſolet; *partim* formulam querelarum & precum in eo ſtatu fundendarum in manus tradere, prudenter tamen utendam; ne ſibi, quod prophetis ecſtaticis, licitum eſſe putent, hoſtes ſuos qualescunque diris carminibus petere. De quo plura dicam ad Pſ. CIX. Denique 3. *impios* a piis vexandis abſterrere, judicio Divino ipſis ob oculos poſito, in ſpecie reſpectu Meſſiæ; quem ſi tam ſcelerate tractarent, uti in fatis erat, extremam ruinam reip. & ſuam exſpectandam haberent. Ob quas & ſimiles rationes alias dignus erat Pſ., qui in ſacrorum exercitio publice caneretur; cui uſui eum deſtinatum fuiſſe, inſcriptio, *præcentori ſuper Schoſchannim*, docet. De quo dixi ad Pſ. XLV.

§. VII. *Structura* Pſ. nihil habet ſingulare, nec *ſtylus* quid inpediti. Sermo continuo vertitur ad Deum, & conſpectum querularum precum ad Deum fuſarum præfert: tantum in ultima pericopa, verſ. 33— quæ Pſ. quaſi adplicationem continet, ſive a poeta, ſive ab aliis factam, pii & juſti objectum orationis conſtituunt, rei natura id exigente, cum dicta ibi ad pios adplicentur. Planus vero eſt, ſed adfectuoſus & emphaticus, ejus ſtylus, ſimul ſimplex,

ſimplex, una alterave tantum figura illuminatus, ſed facillima & uſitata, ex loco moræ Davidis, circa Jordanem, quem tunc tranſiit, forte nata. *Generales* Pſ. partes, quæ ſponte ſeſe offerunt, *tres* ſunt. I. *Prima* eſt oratio querula & ſupplicatoria ad Deum, a viro pio, ſumme adflicto, facta, pro cita & glorioſa liberatione, verſ. 2—22. II. *Secunda* eſt prophetica imprecatio improbis ſuis perſecutoribus, ſingulari Dei judicio delendis, verſ. 23–29. III. *Tertia* exhibet conſequens & uſum liberationis impetratæ reſpectu ipſius adflicti, & aliorum piorum, verſ. 30–37. Partes ſpeciales poſtea, ſuo loco, recenſebo.

ANACRISIS.

§. VIII. Interpretes circa perſonam loquentem, qui audiri merentur, in duas fere ſcinduntur partes; alii enim primo & directo ſenſu ad ſolum Meſſiam in graviſſimis paſſionibus ſuis referunt; alii primo ſenſu ipſum Davidem in ſummis anguſtiis poſitum, quas non deſiniunt, intelligunt, ſed ſecundo, ſive emblematico, ſive typico, Chriſtum & ejus Eccleſiam; adeo etiam, quod nonnulli addunt, ut David *in ſua perſona* Chriſti paſſiones delineaverit, cum Chriſti fuerit & progenitor & typus. Ita fere Junius *a*, Calvinus, Bucerus, Piscator, Mollerus, Amyraldus, Angli commentatores, Muyſius, alii, Jungmannus *b* quoque ab objectionibus Calovii vindicavit. Noſtræ hypotheſes huc redeunt. α. *Prima* eſt, Spiritum propheticum, quo David in hoc Pſ. faciendo fuit duſtus, ejus meditationes & verba ita direxiſſe, ut non tam ſuæ perſonæ quam Meſſiæ, in extremo paſſionum a morte proximi, lineas duxerit. Rationes ſunt ſequentes, α. Quia Euangeliſtæ & Apoſtoli non tantum nonnulla hujus Pſ. ad Chriſtum & hoſtes ejus adcommodarunt, ſed, & implementum in iis conſecu-

a Parall. 65. lib. 1. *b* Ad Dan. l. 11. ſect. 2.

ſecuta eſſe, dixerunt. Joh. II: 17. XV: 22. XIX: 28. Act. I: 20. Rom. XI: 9. XV: 3. Imo Chriſtus ipſe, ut, quod hic verſ. 22. habetur, impleretur, dicitur, *ſitim* ſuam declaraſſe, & potum petiiſſe, Joh. XIX: 28. Quæ, ni fallor, clare indicant, Meſſiam patientem in hoc Pſ. ſecundum Apoſtolorum opinionem, quæ utique falli nequit, fuiſſe repræſentatum. β. Quia nonnulla hic occurrunt, quæ non niſi in Meſſia veram ſuam emphaſin, & inplementum, nacta ſunt. *a. Primum* eſt, quod *propter Deum*, ejus tantum, vel præcipue, cauſa, probris adficiatur, verſ. 8. *b. Secundum*, quod *zelus domus Dei* ipſum non agitaverit tantum, ſed *conſumſerit*, adeoque cauſa & ratio mortis exſtiterit, verſ. 10. *c. Tertium*, quod, loco conſolationis, ipſius dolores auxerint non tantum, ſed *abſinthio ac aceto cibaverint & potaverint*, verſ. 22., quod ad litteram in ſolo Meſſia veritatem habuit. *d. Quartum*, quod piorum ſpes & exſpectatio ab ipſius liberatione fuerit ſuſpenſa, verſ. 7. & Tſionis ſalus inde orta, verſ. 36., nec non materia jubilationis *coeli*, & *terræ*, verſ. 35. *e. Quintum*, quod neminem habuerit, qui ipſi aliquid dederit ſolatii, verſ. 21., argumento, ipſum ab omnibus fuiſſe deſertum. *f. Sextum* eſt, quod hoſtes & perſecutores ejus totale excidium a Deo meruerint, illudque ipſis inprecari potuerit perſona patiens, verſ. 23. &c.

§. IX. 2. *Secunda* hypotheſis fert, Meſſiæ, ejusque ſtatus & adfectionum, deſcriptionem ea ratione eſſe a Spiritu directam, ut in præſentem Davidis ſtatum quoque, licet tenuiore ſenſu, conveniat, imo nonnulla fuerint permiſſa proferri a Davide, quæ ipſum magis, quam Meſſiam, characterizent. *a.* Præterquam quod prima utatur ubique perſona, nec usquam, aliam perſonam introduci loquentem, indicetur: nihil de Meſſia hic dicitur, ipſi ita proprium, ut non ſimile quid in Davide fuerit. Nihil hic de excellentiore Meſſiæ natura, qua Davide erat ſuperior, tanquam *Dominus* ejus, nihil de paſſionibus Meſſiæ eximie vicariis, aut meritoriis, nihil expreſſe de aliorum reatu ipſi imputato,

hic

hic occurrit. Quicquid de Messia habetur, Davidi quoque congruit, & alibi ipsi tribuitur; ut recte Jungman. contra Calovium demonstravit ex aliis Psalmis: ipsa etiam explicatio, recte instituta, evincet. *b.* Nonnulla sese hic offerunt, quæ in Davidem directius, & majore emphasi, quadrant, quam Messiam, eum in finem Davidi permissa effari, ut, ejus quoque rationem in hoc Ps. habendam esse, patesceret. Possunt & debent etiam ad Messiam adplicari, sed alio sensu, Davidi magis proprie & directe conveniunt. Sunt autem sequentia, quæ simpliciter recensebo, postea magis explicanda. 1. *Primum* est, quod, secundum hostium calumnias, *nunc restituere* deberet, quod *antea rapuerat*, vers. 5., uti verba capienda esse docebo. Quo directe ad regnum, Saulo ejusque domui ereptum, respicitur, cujus nunc poenas lueret secundum hostes. 2. *Secundum* est, quod vers. 6. sibi coram Deo adtribuat *stultitiam* & *reatum*, tanquam cujus ratio in hac adflictione sibi inmissa a Deo habeatur. 3. *Tertium* in devotionis signis externis, *jejunio* & *sacco*, ab hostibus illusis situm est, vers. 11, 12. Quæ in Davidem magis proprie conveniunt. 4. *Quartum* est, quod phrases, quæ liberationis ab adflictione petitionem continent, vers. 15, 16., directius in mortis deprecationem quam resuscitationem ex morte, conveniant. 5. *Quintum* est, quod propriæ *animæ redemtionem* David rectius quam Messias supplicare possit, vers. 19. 6. *Sextum* habet, quod etiam ursit Junius, tanquam de Davide proprie, de Christo figurate, dictum, Davidem majore emphasi, quam Messiam, dicere potuisse, *animum suum esse fractum*, & *se pendere dubium*; ut voces intelligendæ sunt, vers. 21. 7. *Septimum* suppeditat *ratio*, qua hostes esse a Deo puniendos urget, desumta a superioris temporis judiciis Dei in persecutores, vers. 27., si hæc vera sit verborum interpretatio: de qua postea disquiram. Digito enim tunc quasi monstraretur judicium Dei in Saulum, ejusque domum & socios. 8. *Octavum* denique est, quod vers. 32. innui vi-

deatur, cultum ritualem ſacrificiorum adhuc locum habere, & exercendum eſſe.

§. X. 1. *Tertia* hypotheſis eſt, Davidem, vel, ſeſe ad querelas ſuas ſuper calamitate ſua, ab hoſtibus inflicta, & preces pro liberatione ſua, ac hoſtium proſtratione, coram Deo effundendas, adcingentem, a Spiritu prophetico fuiſſe ad altiora evectum, & Meſſiæ paſſiones verius quam ſuas depinxiſſe, ſed cum perpetua ad ſtatum & adfectiones ſuas adluſione; ſicut Pſ. XLV & LXXII., reſpectu Salomonis omnino factum eſt, ne alia memorem exempla, vel, in ſuis adflictionibus ac animi adfectionibus deſcribendis ita fuiſſe, ductu Spiritus, verſatum, ut eas Meſſiæ ſimul, tanquam in tabella, depinxerit, nonnullis inmiſtis, quæ Meſſiæ directius conveniunt; tanquam totidem characteriſticis indiciis ſenſus ſublimioris: quemadmodum in verbo prophetico, duplici ſenſu, Litterali & Spirituali, conjuncto, fieri ſæpe adſolet. Quæ hypotheſis, ſicut ex duabus præcedentibus ſponte fluit, & eas ſecum conciliat; ita nihil habet, quod offendat, contra quo ſe commendet, cum Davidis & Meſſiæ perſonæ haud uno nexu cohæreant; uti notum eſt, tanquam Patris & filii, typi & antitypi. Accedit, meditationem paſſionum Meſſiæ ſtatui ejus præſenti eſſe aptiſſimam, ad ipſum conſolandum & erigendum, cum illæ paſſiones Meſſiæ fundamentum eſſent omnis liberationis & ſalutis, ſimul fidei & ſpei piorum, ipſius in primis Davidis, objectum. Quam ob rationem eas inſeruit Pſ. XL. poſt liberationis ſuæ e manu Sauli & exaltationis commemorationem, & ante adflictionis ſuæ ſub Abſolomo deſcriptionem, ut ad eum Pſ. fuſius demonſtravi & expoſui. Quem ipſum conſpectum gerere ſolent pericopæ de Meſſia agentes in verbo Prophetico.

§. XI. 1. *Quarta* itaque hypotheſis, ex præcedentibus ſponte ſua ſeſe offerens, habet, Pſalmum ita eſſe exponendum, ut ſenſu exiliore & umbratico Davidi, coram Abſolomo fugienti, quo tempore eum demonſtravi eſſe com-

compositum, adplicetur, sed magis emphatico ac vero sensu ad Messiam, jam jam moriturum, transferatur; cum David in sua persona depinxerit Messiam, seu passiones & adfectiones Messiæ cum continua ad suas adlusione; ita tamen ut alia in se, alia in Messiam directius quadrent, cuncta in utrumque sensu vel exiliore, vel abundantiore, vel litterali, vel mystico. Quæ ex ipsa tractatione, ad quam pergo, fient clariora.

EXPLICATIO.

§. XII. In *prima* Ps. parte, quæ preces pro liberatione ex desperata calamitate, variis rationibus urgentibus munitas, complectitur, occurrit, α. propositio, vers. 2--4. 2. ejus deductio, vers. 5—22. α. *Propositio* continet, α. preces, vers. 2. in initio, β. earum rationem, in desperata sitam adflictione, vers. 2--4. α. Preces his paucis verbis efferuntur, vers. 2. *Serva me Deus*, h. e. in liberum & spatiosum campum me educ, qui es potentissimus, simul justus & æquus, verus & adorandus Deus. Quibus verbis cum abrupte incipiat, se summopere hac liberatione indigere, & eam ardenter expetere, significat; cum res ad summum venerit, uti mox exponit. Voces nihil præterea habent, quod nos moretur. De verbo רוח, cujus potestas est in *amplitudine* & spatii latitudine, oppositè ad *angustias*, & nomine מרחב, alibi sæpe dictum est. Aptissime itaque usus est poeta hoc verbo, quod *angustiarum* involvit ideam, quarum mox subjungitur descriptio.

§. XIII. β. *Rationem* precum, in gravissima adflictione, unde liberari cupit, sitam, α. in genere proponit, vers. 2. b. exaggerat & exponit specialius, vers. 3, 4. α. In genere, his verbis, vers. 2. *quia supervenerunt aquæ usque ad animam*, h. e. calamitas mea tanta est, ut a vita perdenda, & animo despondendo, proximus sim. Met. desumta est, ut faci-

facile patet, ab aquis, quæ ad os, ſeu locum reſpirationis, adſcenderunt, & jam ſuffocaturæ ſunt; adeoque directe indicat ſupplex orator, ſe a violenta morte prope abeſſe, & jam jam *animam* efflare debere; ſed indirecte ſimul, *animum* ſuum ſumma adfectum eſſe triſtitia, & adeo defatigatum, ut vix amplius Deum inclamare poſſit: quod utrumque mox explicatius tradit in deductione, quæ verſ. 3, 4. ſubjungitur, & alterum pericopæ membrum conſtituit. *b.* In deductione & amplificatione itaque, 1. adflictionem exaggerat, verſ. 3. 2. *animi* laſſitudinem depingit, verſ. 4. 1. *Prius* his verbis, verſ. 3. *Immerſus ſum in lutum vehementiſſime æſtuans, nec locus ſtandi eſt, intravi profunda aquarum, & fluxus inundat me.* h. e. tanta eſt mea miſeria, ut exitum non reperiam, ſed mihi certo certius ſit pereundum, planeque ſimilis ſim homini in profundum aquarum inmerſo, qui, æſtuanti luto infixus, ubi pedem figere nequit, nec emergere poteſt, aquis creſcentibus inundandus eſt, & ſuffocandus. Metaphoræ duæ ſunt partes, quarum *altera* infixionem in lutum æſtuans, unde emergi nequit, ſed ubi magis ſubſidendum eſt, continet, *altera* luto addit aquarum abundantiam, quæ inundatura & ſuffocatura eſt, ne de luto *ficco* cogitaremus. Indicat itaque orator, ſe plane hærere in calamitate, inſtar hominis *in lutum* æſtuans inmerſi, eamque talem eſſe, ut ſuffocandus ſit, ac mala morte adficiendus. Relegamus nunc verba, &, ubi opus fuerit, illuſtremus. *Immerſus ſum*, inquit, (proprie mergendo *infixus*, & adpactus, ut eluctari nequeam. Radix enim יבץ proprietatem habet in *pangendo*, unde inter alia *infigere mergendo*, nec non *cudere monetam*, quaſi pangendo ſignare; ac de *annulo*, digito adpacto, & ſignato, adhibetur *a*,) *in lutum vehementer æſtuans* (vox יז primario ſignificat *æſtuare*, unde *vini* æſtuantis uſus in יז, & *luti* æſtuantis in יז, ortus eſt; ut ad Pſ. XL: 3. obſervavi: altera vox מיצולה non tam *profundum* maris, quam *æſtum* ſævientem

a Cl. Schroeder ad Jeſ. III. cap. 12.

tem exprimit, a rad. יצל, quæ Arab. frequentatur in vehementia æſtuante, & furore incitato. *Lutum* itaque æſtuans vehementiſſime & furibunde deſignatur; emblema quoque motuum graviſſimorum, & hoſtium incitatiſſime furentium; quorum mox mentio fit, tanquam autorum calamitatis,) *nec locus ſtationis eſt*, (ſic enim recte vertitur מעמד; ut a Gejero & aliis jam obſervatum eſt. Significat itaque, ſe in eo ſtatu tueri ſe non poſſe, nec inde emergere, ſed infixum hærere,) *intravi profunda aquarum*, (h. e. in aquas amplas, latas & altas; ita ut *ad animam venerint*, ut ſupra dixerat; quod additur ad periculum vitæ augendum, cum non tantum luto æſtuanti ſit infixus, ſed *aquis* quoque obrutus) *& fluxus inundat me* (h. e. prope abeſt, ut inundet, & abſorbeat me fluxus *aquarum*, quas intravi: non enim erat jam inundatus, ſed parum aberat, ut dicere potuerit, ſe jam eſſe inundatum. Conf. verſ. 16. Verbum שטף proprie adhibetur de torrente, qui *exundat*, & *præceps fertur*, ac ſulcos poſt ſe relinquit, terramque abſorbet *a*. Vox vero שבלת laxum & longe protenſum aquarum fluxum denotat, a rad. שבל proprie, *laxari*, *elaxari*, *& laxe protendi*, unde שבלה *ſpica* frugum laxe protenſa, & שבל *ramus* oleæ Zach. IV., deorſum quoque pendens ob pondus olivarum, qualem *Lat.* adpellant *termitem*. Significatur itaque, ipſum in amplas *illas* & latas aquas veniſſe per exundationem earum, ſeſeque laxe protendentium, adeo ut ipſum, luto æſtuante adfixum, ſint abſorpturæ, niſi ſubito eripiatur).

§. XIV. Etſi dubium eſt, unane an plures, aut duæ, adhibeantur metaphoræ, cum utriusque poſſet locus eſſe, adeo ut *una* ſit a puteo lutoſo, & aquis aliunde adfluentibus pleno, quo verſ. 16. tendit, ſed *duæ*, altera a ſolo lutoſo, altera a torrente exundante: ſenſus emblematicus idem manet, qui graviſſimam continet calamitatem, ad mortem violentam tendentem, ab hoſtibus quidem, tanquam autoribus

a Schultens clav. p. 274.

ribus & proximis cauſis, profectam, ſed quæ de *judicio* Dei ſimul teſtabatur. *Hoſtium* mox fit mentio expreſſa, verſ. 4., & 15., & imprecatio verſ. 23. etiam ſatis illud demonſtrat. *Manum* vero Dei in eo eſſe conſpicuam, quæ ipſum ob *reatum* feriebat, verſ. 6. indicatur, ſeu tacite innuitur; absque ut tamen aliquid de *iræ Dei* ſenſu expreſſe habeatur. Poſſunt quidem *aquæ exundantes* eo trahi, ſed non neceſſario & directe eo ducunt. Ex quo eluceſcit, paſſiones Meſſiæ ea ratione hic deſcribi, ut in ſtatum Davidis quoque conveniant; quemadmodum de ſua quoque adflictione eodem fere modo loquitur, Pſ. XVIII: 17 & XL: 3. imo de manu Dei judicis ipſum premente & caſtigante fortiter loquitur Pſ. XXXVIII., ut ibi expoſui. Fuit quoque adflictio ejus, tempore Abſolomi, gravisſima & probroſa, ſummeque periculoſa, utique in principio, cum totus populus contra eum conſpiraret; adeo ut ab interitu videretur proximus. Attamen ſi phraſes ſumma ſumantur emphaſi, non niſi in perſonam conveniunt, quæ in manibus hoſtium jam verſatur, & iis elabi non poſſe videtur, quæque luto adfixa aquis inundantibus eſt abſorbenda. Quo ad Meſſiam, in ultimis paſſionibus in cruce morti proximum, ducitur. Stylus itaque ea ratione eſt concinnatus, ut adflictionis Davidis imago tantum conſpiciatur.

§. XV. 2. Animi adfectionem in media hac adflictione his verbis depingit perſona loquens, verſ. 4. *Hiaſcu in clamore meo, aduſtum eſt guttur meum, conſumti ſunt oculi mei, patienter exſpectans ſum Deum meum.* h. e. Tanto ſum adflictionis & periculi adfectus ſenſu, tam vehementer inclamavi Deum, ut viribus plane deſtitutus fatiscam, nihilque itaque ſuperſit, quam, quod etiam facio, ut lenta & patiente exſpectatione auxilii Dei mei me conſoler. Dividit ſeſe verſus in *duo* membra, quorum *prius* continet *clamores* ad Deum, in ſummam laſſitudinem & virium defectum deſinentes, *poſterius* vero præſentem animi, Deo ſeſe committentis, adfectionem, inde ortam, & nunc unice reliquam.

Prius

Prius his verbis, quæ relegam, ut emphaſin eorum oſtendam, dein exponam, & adplicabo ad loquentem. *Hiaſco*, inquit, *in clamare meo* (h. e. dum querulas cieo & lamentabiles voces, ex intimo meæ adflictionis ſenſu ortas, tuumque auxilium, o Deus! imploro, animo deficio, & moribundi inſtar defatigatus decumbo. Verbum יעט, ut ſæpe notavi, eſt in origine *biare*, *biaſcere*, dein *fatiscere*, delaſſari, quaſi hiante ore & manu: *clamare* eſt, tum lamentabiles edere voces, tum inclamare Deum ad auxilium, quod facillimum eſt: ſed *biaſcere in clamare ſuo*, eſt non tantum præ clamoris vehementia fatiſcere, ſed & durante clamore, & dum in eo eſt, ſuccumbere ſub onere calamitatis periculoſæ ac probroſæ;) *aduſtum eſt guttur meum* (ſcilicet *cum* vociferationum æſtu, *tum* interno ardore, animum cruciante, quaſi excoctum & peruſtum, inſtar *foci*, igni aduſti; unde met. petita eſt, Pſ. CII: 4. *Vociferatio* itaque ſola hic non adtenditur, ſed & *æſtus* interni ratio eſt habenda, ex ſenſu miſeriæ orti: ut modo expoſui,) *conſumti ſunt oculi mei* (h. e. ad extremum redactus ſum, & morti proximus, acie oculorum jam fracta, & viribus deſtitutus: vid. Pſ. XXXVIII: 11., ubi de eadem conditione ſua agit, & nos expoſuimus.) Cuncta itaque eo tendunt, ut ſe, ad extrema eſſe redactum, & miſeriæ ſenſu enectum quaſi, ſignificet. Quod David de ſe quoque Pſ. XXXVIII. emphatice admodum, eo ipſo in ſtatu, ad quem Pſ. iſte omnino pertinet, ut demonſtravimus, fatetur. De Meſſia quoque ex hiſtoria paſſionum ejus illud ſatis conſtat, & majore adhuc emphaſi. *Poſterius*, cujus memini, his verbis effert, *patienter exſpectans ſum Deum meum*, h. e. ad extremam hanc metam redactus, defatigatus & defectus, ſortem meam Deo committo, & lenta patientia auxilium ejus exſpecto: quod eſt יחל, ut alibi ſæpe notavi, & ad Pſ. XXXVIII: 15., ubi idem eo in ſtatu, hoc ipſo verbo uſus, de ſe adfirmat David. Senſus itaque non eſt, ipſum, *dum exſpectat Deum*, fatigatum eſſe, ut accipi ſolet, ſed fatigatum ſenſu miſeriæ & clamoribus ſeſe tran-

tranquillaſſe, & ſe Deo commiſiſſe, ejusque auxilium patienter exſpectaſſe in poſterum. Voces itaque per ſe ſtant, & ſeorſim capiendæ ſunt, ut ſtatum animi, poſt defatigationem illam, exponant, in eo ſitum, quod patienter & tenaciter nunc exſpectet Dei auxilium. Quod & Chriſto, & Davidi recte convenit. Conf. de Davide, 2 Sam. XVI: 12., & de Chriſto placidus ejus ſtatus in cruce, in mortem, cum fiducia adſumtam, tranſiens, ſatis teſtatur. Eodem tendit, quod, non in genere *Deum*, ſed Deum *ſuum*, ſe tenaciter exſpectare, declaret, ut fiduciam ſuam in Deum, ejusque fundamentum, in relatione ſua ad Deum ſitum, exponeret: quemadmodum quoque Meſſias, jam jam moriturus, dixit, *Pater, in manus tuas trado Spiritum meum.*

§. XVI. 1. In propoſitionis *deductione*, verſ. 2–22. *a.* præmittuntur quædam rationes moventes ad Deum excitandum, ut adflictum liberet, & preces exaudiat, cum dignus ſit, qui eripiatur, & votorum compos fiat, & relationes ejus ad pios ac Dei ſtudioſos id requirant, ſimul Dei & cultus ejus interſit, ne in contemtum veniat, ut id fiat: verſ. 5—12. In qua pericopa, *a.* provocat ad innocentiam ſuam coram hominibus, qui ipſum perſequebantur, ſimul confitetur reatum ſuum coram Deo, verſ. 5, 6. ubi 1. ſe ſine cauſa ad necem quæri, & innumeros habere hoſtes, purum in primis eſſe a crimine, ſibi impacto, declarat verſ. 5. his verbis: *ſpiſſi ſunt præ capillis capitis mei oſores mei fruſtra, firmiter compacti ſunt præ cincinnis meis hoſtes mei falſo; quod non rapui tunc, reſtituam nunc.* h. e. miſericordia tua, & promta ope dignus ſum, o Deus! quod hoſtes mei innumeri ſint, & firmiter compacti, uniti ac potentes, qui me ſine cauſa, & falſo, accuſant, ac perſequuntur, adeo ut nunc reſtituere debeam, quod antea non rapui, adeoque innocens, & falſo crimine obrutus, perſecutionem patiar. Quæ ut intelligantur, 1. obſervandum eſt, hoſtes hic proponi & deſcribi a copia & firma compactione, majore quam capilli ſunt capitis, & cincinni. Verbum רבב, ut & רוה, pro-

proprietatem habet in *concreſcendo*, quando res aliqua ſpiſſatur & denſius concreſcit, unde inter alia transfertur ad ſpiſſam multitudinem, etiam opum & dignitatis abundantiam. Alterum verbum עצם, anſa ab *oſſibus* arrepta, itidem denſam copiam exprimit, & firmiter ſimul compactam ac unitam multitudinem, eamque potentem & validam. Quæ ut illuſtrarentur & amplificarentur, comparatio ſumitur a *capillis* capitis & *cincinnis*, ad multitudinem, compactam unitatem, & dignitatem, vividius depingendam. Quæ nihil habent difficilis. Tantum notetur, vocem מצמיתי, ſecundum hanc interpretationem, eſſe a צמם derivandam, unde æque מצמית ac צמה, ad formam מרבית a רבב vel רבה, oriri potuit, licet minus uſitata ſit. Dicit autem צמה proprie comam plexam, & *intortam*, a צמם *plexuit*, *intorſit*, in *faſciculum conſtrinxit*, *a*. Convenit Chald. צמצם *conſtringere*, ut recte conjicit Coccejus *b*. Præterea deficit מ præf. in מצמיתי pro ממצמיתי, ex concurrentia ſimilis litteræ, & ex præced. משערות. Confirmat noſtram interpretationem Syr., qui reddit, *præ oſſibus meis*, in voce מצמיתי errans tantum: ſed vulgo aliter longe ſumitur, pro part. verbi צמה, & vertitur, *perditores mei*, proprie *ſilente plaga*, ſeu lethali, adficientes. Quod in Davidem non niſi reſpectu propoſiti & moliminum eorum quadrat, uti exponere ſolent, ſed in *Chriſtum* verius, cum ipſum vere *occiderint:* ſed minus commode *occiſores* & *hoſtes falſo* conjunguntur in hac orationis ſerie; cum alterutrum ſufficeret, & cum præcedente membro conjunctius eſt, ut comparatio repetatur. Eligat quisque, quod ſibi rectius videtur. Ceterum de copia, compacta unitate, & potentia hoſtium ſuorum, tempore Abſolomi, David & alibi loquitur, ut Pſ. III: 2. XXXVIII: 20., & alibi, hiſtoria quoque teſtatur, uti conſtat. De Chriſto res eſt notiſſima.

§. XVII. 2. *Ad* innocentiam ſuam declarandam hoſtes ſuos adpellat *gratis* & *falſo* tales, ſeu ſine ulla cauſa &

a Schultens clav. p. 285. & Har. conſ. I. p. 19. *b* in Lex.

ſua culpa, imo in emphaſi tales, quatenus *malum* pro bono *rependebant*, ut Pſ. XXXVIII: 21. addit; præterea adjungit, ſe *nunc* cenſeri *luere*, quod antea deliquerat, ſeu quod *rapuerat ante*, *nunc reſtituere;* ſcilicet, ut opinabantur falſo, & calumniabantur hoſtes. Verba ſunt, *quod non rapui tunc*, *reſtituam*, ſcilicet nunc. Interpretes ſeſe hic minus recte expediverunt, & aliena ſectati ſunt, quod ad uſum particulæ אז *tunc*, antea, olim, non adtenderint, nec ellipſin voculæ עתה *nunc*, in אז *tunc* latentis, obſervarint; quare cum verbo אשיב *reſtituam* male conſtruxerunt אז *tunc*, ſine commodo ſenſu; cum pertineat ad גזלתי *rapui*. Senſus eſt facillimus, ex noſtra hypotheſi; qui huc redit: *quod antea non rapui*, *illud nunc* cenſeor *reſtituere* debere, adeoque merito, tanquam gravis peccator puniri, & ad necem quæri. Locutio vel generalius, ad modum proverbii, eo, quo dixi, ſenſu capi poteſt, vel ſpecialius, & magis proprie, relate ad regnum, & gloriam, injuſte ſibi vindicatam, nunc vero judicio Dei eripiendam. Quod, reſpectu Davidis, referendum eſt ad regnum, a Sauli domo ad ipſum translatum, quod calumnioſe traducebatur, tanquam violenter a Davide raptum, & tempore Abſolomi ei propterea juſte ereptum, ut ipſis verbis ipſi objecit Simei, 2 Sam. XVI: 7, 8., ſed reſpectu Meſſiæ, ad titulum *filii Dei*, & *Meſſiæ*, ſibi vindicatum; quare a Judæis eſt occiſus; uti notum eſt. Uterque igitur, & David, & Meſſias, rectiſſime dicere potuit, *quod tunc*, ſeu antea, *non rapui*, *illud nunc reſtituam*. Interpretes longe aliter inſtituunt, & de noſtris peccatis Chriſto imputatis interpretantur, ut ſenſus ſit: quod non ipſe, ſed alii deliquerunt, gloriam Deo eripientes, illud ego luere debeo, eorum loco. Quod nec *ſcopo* nec *verbis* convenit. Cuncta enim ad innocentiam & puritatem ſuam a criminibus inpactis demonſtrandam tendunt ut, ſe ſine cauſa & falſo ab hoſtibus odio haberi, & ad necem quæri, patefaciat.

§. XVIII. *b.* Addit mox propriæ culpæ confeſſionem coram

ram Deo, ut, licet hoſtes ſuos non læſerit, aut rationem ſe perſequendi iis dederit, ſe tamen coram Deo non eſſe purum, ſimul ut vias Dei, perſecutionem hanc permittentis, juſtificaret, humillime confiteretur, & rationes calamitatis redderet, verſ. 6. *Deus! tu noſti craſſam meam ſtultitiam, nec reatus mei te latent.* h. e. Sicut tu, Deus! cui omnia mea cogitata & opera nuda ſunt & aperta, probe noſti, me ſine cauſa ab hoſtibus meis oppugnari, & a criminibus, mihi inpactis, purum eſſe; ita probe cognitum habes, quæ mea ſit ſtultitia, per quam in hanc calamitatem incidi, quique *mei reatus*, quorum cauſa hæc adhuc mala patiar, juſto tuo judicio iis traditus, qui longe alii ſunt ac quibus hoſtes permoti ſunt ad me perſequendum. Verba duplicem habent conſpectum, *alter* ad innocentiam ſuam confirmandam, *alter* ad veram rationem calamitatis pandendam, tendit: qui uterque huc aptiſſime quadrat, & omnem verborum amplitudinem in luce collocat. Quod ad *priorem* adtinet, cum modo dixerat, ſe gratis ab hoſtibus peti, & calumnioſe cenſeri illud luere, quod non deliquerat, recte provocat ad Dei ſcientiam, cui ſtultitia ſua & reatus non latebant, & quaſi juratus adfirmat, ſe ab iſtis criminibus eſſe immunem; acſi diceret: tu, Deus, cui omnis mea ſtultitia & reatus patet, probe noſti, & ad te auſim provocare, inter ea mea ſtulta & prava facinora nihil ſimile reperiri &c. Hac ratione verba ad innocentiam ſuam in præſente caſu adflicto, ſeu reſpectu criminum ab hoſtibus inpactorum, confirmandam collineant. Sed, cum non ſimpliciter dicat, Deo probe cognitum eſſe, ſe gratis odio haberi, & calumnioſe traduci ab hoſtibus, verum Deo *ſuam ſtultitiam*, *ſuosque reatus* nihil minus quam latere, ſed probe innoteſcere, dubium non eſt, quin plus intendat, & *ſtultitiæ* ac *reatuum* coram Deo quoque confeſſionem edat. Quæ confeſſio alio commodius ſpectare nequit, ac ad *rationem* præſentis adflictionis relate ad Deum, ejusque directionem in hisce paſſionibus permittendis, dandam.

§. XIX.

§. XIX. Quæ ratio quoque non longe quærenda eſt, ſive *Davidis*, ſive *Meſſiæ*, habeatur ratio. Duo ſunt, quæ Davidem in hanc calamitatem conjecerunt, propria *ſtultitia*, & criminis ante commiſſi *reatus*, a Deo quidem remiſſus, ſed ita ut ejusmodi malis caſtigatoriis adhuc vindicaretur. Quæ verbo expediri merentur, licet non ſint in difficili. Propriæ *ſtultitiæ* ſuæ in regni & domus ſuæ gubernatione acceptum ferre debebat, quod Abſolomi conſpiratio fuerit orta, & eousque provecta; quam per exactam disciplinam, juſtitiæ exercitium, & prudentiam, prævenire potuiſſet. Proferamus ipſum hoc diſerte confitentem, & explicationem noſtram inde luculenter illuſtremus. Pſ. XXXVIII: 6. *Foetorem emiſerunt, ſanie crepuerunt ſtriæ meæ maculoſæ*, מפני אולתי *præ craſſa mea ſtultitia*, h. e. plagæ, corpori meo inflictæ, quæ illud ſtriis maculoſis notarunt, antea minus notabiles & ignominioſæ, nunc eo provectæ ſunt per propriam meam ſtultitiam & craſſam fatuitatem, qua eas curare neglexi, quin acerbiores reddidi, ut inſtar foetidi puris crepantis, proſilientis, & foetorem producentis, in publicum emanarint, & me in omnium oculis contemtiſſimum, ac divinitus percuſſum, reddiderint. Agit de hac eadem adflictione Abſolomica, qua plagæ, ſibi & domui inflictæ, ſecundum interminationem prophetæ, 2 Sam. XII: 10, 11., ſummum gradum conſecutæ ſunt, & ipſum contemtiſſimum ac abominandum reddiderunt, ita ut *ſtriæ maculoſæ foetorem* emiſerint; & cauſam proximam quærit in *craſſa ſua ſtultitia*, qua non tantum in genere officiorum juſtitiæ & virtutis ſeſe minus ſtudioſum præſtitit, ſed in ſpecie filios exorbitantes, Amnonem, & Abſolomum, non ſeverius caſtigavit, Abſolomum in gratiam recepit, & ambitioni ejus non injecit fræna. De quo ad eum Pſ. plura dixi. Utitur autem & ibi eadem voce *craſſæ* fatuitatis, quæ hic occurrit. Addit *ſtultitiæ* ſuæ *reatus ſuos* tanquam alteram calamitatis cauſam, & ipſius ſtultæ ſuæ gubernationis originalem, a *judicio* Divino repetendam; quo Deus crimina *adulterii* & *homicidii*, in

in domo ejus adfligendo, & ipſo in hanc miſeriam conjiciendo, proſecutus eſt: quemadmodum Nathan ipſi, nomine Dei, expreſſe denunciavit, 2 Sam. l. c. Etſi itaque ab hoſtibus innocens pateretur; coram Deo tamen nocens erat, & reatu ei obſtrictus, ſibique, ac ſtultitiæ ſuæ, imputandum habebat, quod hæc omnia pateretur. Cujus hic humillimam, ad ſe damnandum, & Deum juſtificandum, confeſſionem aptiſſime edit, per parentheſin quaſi & obiter inſertam: ſicut & alias fecit, ut Pſ. XL: 13. LI: 6. XXXVIII: 5. & alibi. Uterque conſpectus, & innocentiæ confirmationis, & reatus confeſſionis, in Meſſiam quoque convenit, quin majorem adhuc emphaſin habet, ſed *poſterior* longe alio ſenſu, nec tamen longe quæſito. De *priore* cum facile conſtet, *poſteriorem* verbo illuſtrabo. Duplicem Meſſias recte proferre potuit ſuarum paſſionum rationem, alteram *ſtultitiam*, alteram *reatum* ſuum, ſed *priorem* putatitiam, *poſteriorem* inputatam, priorem itaque hominum, poſteriorem Dei reſpectu. *Stultitia* Meſſiæ eſt ejus ſapientia pro ſtultitia habita, & ſimplicitas ingenua in ſe filium Dei ac Meſſiam profitendo, pro crimine, morte luendo, habita. *Stultitia* itaque eſt in oculis hominum, & relate ad eorum judicium; quemadmodum ex Matt. XI: & 1 Cor. 1. ac aliunde patet; nec latuit Euſebium. *Noſti ſtultitiam meam*, ergo *idem* eſt, ac tu, Deus, probe noſti, qualis mea ſit ſtultitia, quæ odium hominum mihi peperit, vera *ſapientia*, quam tu me docuiſti, ſed ab ipſis tanquam *ſtultitia* traducta; adeoque quam gratis ipſis odio ſim & falſo. *Reatus* vero Meſſiæ, vera paſſionum cauſa apud Deum, eſt, uti notum, per inputationem ipſius proprius factus, adeo ut *peccatum* pro nobis fuerit factus, 2 Cor. v. noſtrosque tulerit *reatus*, Jeſ. LIII. Majore longe emphaſi quam Davidis fuit, quare & in plur. *reatuum* fit mentio, quum *peccata mundi* tulerit. Quæ latius non neceſſe eſt exſequi.

§. XX. *b. Secunda* ratio movens, a cauſa pietatis & piorum petita, ne *illa* ſpreta pereat, *hi* pudiſiant &. proſti-

tuantur, α. proponitur, verſ. 7. β. deducitur & amplificatur, verſ. 8--13. α. *Propoſitio* ita habet, verſ. 7. *ne pudefiant in me exſpectantes te, Domine Jehova Deus exercituum! ne ignominia frangantur in me quærentes te, Deus Israelis!* h. e. cum oculi piorum in me, tanquam publicum pietatis exemplar, ſint defixi, ſuamque ſortem, & pietatis fructum, ex mea ſorte dijudicent, adeoque pietas ſit proſtituenda, & pii animis frangendi, ac pudore & ignominia perplexi futuri ſint, ſi me cum pietate mea ignominioſe perire viderint; hanc etiam ob cauſam peto, ne me malis ſuccumbere patiaris, eaque ratione pietatem & pios proſtitui, ac flacceſcere, ſinas. Verba continent rationem moventem liberationis ſuæ, per modum petitionis propoſitam, adeoque tacite involvunt ſupplicationem liberationis, absque qua eſſet, pietatis & piorum cauſa multum perderet de vigore ſuo; quod ne fiat, Deum orat, & inde preces pro ſalute ſua urget, cum Deus pati non poſſit, ut pietas cum piis proſtituatur. Verba vero elegantiæ cauſa diviſa, ut ſæpe adſolet, ſecum ſunt ordinanda in hunc modum: *ne in me erubeſcant & proſtituantur exſpectantes & quærentes te, Domine Jehova exercituum Deus Israelis!* Pios adpellat *exſpectantes & quærentes Deum Israelis, Jehovam*, ad *pietatem & ſpem* eorum exprimendam; ut facile patet: nec moras hic injicit, cum verba ſæpe alias ſint expoſita: Deum vero aptiſſimis titulis ornat, quippe qui pati non poterant, ut pii proſtituantur, & eorum ſpes frangatur; cum ſit *Jehova*, verax & juſtus ac æquus, *Deus Israelis* proprius & foederatus, quocum foedus hac formula pepigit, *ero Deus tuus*, & *tu populus meus*; denique *Dominus*, ſupremus penſator, judex & Dominus; tandem Deus *exercituum*, totius itaque mundi potentiſſimus gubernator, &c. Ipſa petitio habet, ne pii illi *pudefiant* & *ignominia frangantur in ſe.* h. e. pudore & ignominia perplexi hæreant, ſpem ſuam perdant, & publice proſtituantur, ac infamia notati incedant. Quam verborum בוש & נכלם emphaſin ſæpe alias in lucem protraximus.

nitus. *In me* vero est, ut facile patet, in me *prostituto & perdito*. Ex quo eluceſcit, oratorem ſeſe hic ſiſtere, tanquam pietatis, ejusque fructus, publicum & illuſtre exemplum, ad quod pii oculos animosque verterant, ut ex ejus ſorte colligerent, quid pii exſpectandum habeant. Quod minore emphaſi ad Davidem, ſed longe majore & veriore ad Meſſiam adplicandum eſt. David utique & alibi hunc in modum de ſe loquitur, & ſuam ſortem hunc habere effectum declarat, ut pii fuerint haud parum commoti & perplexi per ejus adflictionem, ſed lætitia adfecti, & in ſpe ſua confirmati, per ejus liberationem & ſalutem. Sic Pſ. XXXVIII: 12. *Amici mei & ſodales mei a coram plaga mea conſiſtunt* ſc. ſub onere fatiscentes & deficientes. Pſ. XL: 17. LVIII. 11, 12. LXIII: 12. LXIV: 11. & alibi. Sed vera ſua emphaſi ad Meſſiam pertinet, *cum* quod longe illuſtrius fuerit pietatis exemplum, *tum* quod *ſpes* & *ſalus* quærentium Dei in ipſo fuerit repoſita, tanquam cauſa & fundamento; uti notum eſt, nec ulteriore explicatione aut demonſtratione indiget.

§. XXI. β. In propoſitionis deductione exponit, quod de pietatis & piorum proſtitutione in ſe modo dixerat, & rationem reddit, quare illa proſtitutio inde metuenda ſit, vel ſequi debeat, inde petitam, quod pietati ac fiduciæ ſuæ in Deum publice illudant, & eam in contumeliam ſuam vertant, acſi vana ſit ejus pietas, vel pura puta hypocriſis, quæ nullam adfert ſalutem; cum alium inde fructum non carpſerit, quam perniciem. Quod *a.* in genere effertur, verſ. 8, 9. *b.* in ſpecie, nonnullis productis ſpeciminibus, illuſtratur, verſ. 10—13. *a. Prius* his verbis eſt comprehenſum, verſ. 8, 9. *Quia propter te tuli opprobrium, obtexit contumelia faciem meam; faſtiditus fui fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* h. e. Quantopere cauſa pietatis in me pati debeat, & piorum ſpes frangendæ ſint, ex eo facile demonſtratur & pateſcit, quod ipſa mea pietas petatur, illudatur ac proſtituatur, ita ut in meam rapiatur

contumeliam, quæ tanta eſt, ut ea plane & palam ſim obrutus, & ipſis tribulibus ac familiaribus meis factus ſim peregrinus & faſtiditus, qui me fugiunt, & oppugnant. Verba non continent ipſius calamitatis, ejusque originis & cauſæ, acſi *propter* Deum in eam incidiſſet, deſcriptionem, nec eo directe tendunt, ut Deum ad liberationem ſuam moveant, uti accipi ſolent, ſed ad ſuperius dictum illuſtrandum & confirmandum, adeoque rationem dandam, quare liberationem ſuam inde urſerit, ne pietas & pii in ſe proſtituantur; inde petitam, quod pietas ſua in media hac calamitate virulentis dictis inpetatur, & illudatur, ipſeque, tanquam qui vana in Deum fiducia ſeſe lactaverit, hypocrita & ſceleratus, traducatur, adeo ut ipſis tribulibus ſuis nunc ſit faſtiditus & extraneus, quem vitent, & e medio tollant. Cohærent enim hæc verba cum proxime præcedentibus, & eorum rationem reddunt, præterea de calamitate ſua hic non agit, quam aliis verbis & figuris deſcripſerat ſupra, ſed de *contumelia*, qua pietas ejus, inde anſa arrepta, petebatur & inſultabatur; ut verba facile docent. *Duo* itaque de ſe tradit, *alterum*, ſe *Dei cauſa* pati contumeliam, *alterum*, contumeliam illam eſſe univerſalem, ita ut ipſos tribules ſuos a ſe abalienaverit. *Prius*, his verbis: *quia propter te tuli*, feroque, *opprobrium*, *texit*, tegitque, *ignominia faciem meam*. Quibus ſignificat, favorem Dei erga ſe, pietatem ſuam in Deum, & fiduciam ſuam in Deo, nunc palam traduci, & in contumeliam ipſius verti; adeo ut publice propterea inſultetur, & eorum vanitas ipſi exprobretur; & hoſtes in hæc vel ſimilia dicta probroſa erumpant: ecce virum! cui Deus tantopere favit, qui tam religioſe Deum coluit, Deo tam certo fidit: quem inde carpſit fructum? quam vana itaque ſunt omnia illa, quæ prætendit? de ſede ſua deturbatus & excidio devotus oberrat, mox periturus; falſa itaque ſunt, & hypocritica, quæ præ ſe tulit de favore Dei, pietate ſua, & fiducia; vel vana eſt omnis pietas & religio. *Propter Deum* itaque probra

bra ferre, & contumelia adfici, eſt earum rerum reſpectu & intuitu traduci, quæ ad Deum, ejusque favorem & cultum, ſpectant, adeo ut *propterea* illudatur, quod Deum ſe habuiſſe faventem, & inde proſperitatem fuiſſe ortam, dixerit, Dei cultum tam ſtudioſe coram hominibus exercuerit, & fiduciam in Deum prætenderit. *Propter te*, ergo eſt, propter favoris tui erga me ſigna, meam erga te pietatem, & in te fiduciam. Hæc ſunt, quæ mihi nunc in contumeliam cedunt, cum homines ea vel a me fingi, vel nullius eſſe pretii ad felicitatem, anſa ex mea calamitate arrepta, palam mihi exprobrent, & eo nomine inſultent. Quemadmodum Pſ. III: 3. de hoc ipſo tempore, *multi dicunt animæ meæ*, & de ea, *nihil ſalutis ipſi in Deo.* Sic & XL: 16. XLI: 9. XXXV: 21. XXII: 8, 9. & alibi. De Meſſia ea ratione illuſo ab hoſtibus, cum cruci eſſet adfixus, nemini non ex Euangelio conſtat.

§. XXII. Quam gravis ſit & univerſalis iſta contumelia, ſequentia declarant, verſ. 9. *Faſtiditus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* h. e. eousque provecta eſt hæc contumelia, tam late inter homines diffuſa, ut ipſi tribules, & proxime mihi conjuncti, ſe ea paſſi ſint abripi, quippe qui me nunc faſtidiunt, & tanquam peregrinum conſiderant, quem fugiant, e communione expellant, & tanquam Dei hominumque hoſtem perſequantur. Hanc enim emphaſin habent vocabula זור & נכרי. *Prius* enim adfert *averſationem* hoſtilem, cum tædio & faſtidio conjunctam, ut Job. XIX: 23. ubi vid. Schultens. *Poſterius* ſignat peregrinum, alienigenam, proprie *dispunctum* e genere noſtro, non noſtri cenſus, ſeu non *noſtræ punctionis* a, Quod idem reſpectu tribulium ſuorum hoc ipſo tempore fatetur & conqueritur David Pſ. XXXVIII: 12, 13. his verbis: *propinqui mei e longinquo ſtant*, & *pulſant* ſe aliosque. h. e. offenſi ſe & alios a me abſtrahunt, & ſeſe hoſtibus adjungunt. Ubi vid. dicta. Quod ipſum in Meſſia fuit ſummo

a Schultens ad Prov. XXVIII: 21.

gradu verum, uti constat; sed male ad *discipulos* ejus adplicatur; a quibus illud, ut expossui, est alienum valde.

§. XXIII. *b.* Quod modo in genere declaraverat, illud mox, productis nonnullis pietatis specimínibus, in contumeliam tractis, illustrat, & ad quoscunque homines adplicat, qui ipsi hac ratione illudebant: vers. 10—13. Ubi *a.* primum specimen a zelo domus Dei, quo flagravit, repetit, vers. 10. *Quia zelus domus tuæ me consumsit, & opprobria te probro adficientium ceciderunt super me.* h. e. Quamvis ætatem trivi & vires consumsi in cultu tuo renovando & ornando; hoc non obstante, quod nemini non notum est, in me, fulminis instar, cadunt opprobria, famam & vitam meam carpentia, quæ illis conveniunt, qui Dei gloriam per idololatriam vel profana facinora lacerant, adeo ut tanquam idololatra vel profanus homo traducar, ac tracter, tribulibus meis fastiditus & peregrinus. Interpretes hic varie instituunt, sed verum verborum conspectum & sensum non penetrarunt; sive quod oppositionem duorum versus membrorum non recte perspexerint, sive quod posterioris membri sensum non intellexerint. Dubium non est, quin *membra* sibi sint opposita, adeoque sermo non continuetur, acsi esset, *quia zelus domus tuæ me consumsit, quia probra te probro adficientium in me ceciderunt*, illa pati debui, & passus sum patienter, &c. sed indignitas contumeliæ in posteriore membro ex priore exaggeratur; quemadmodum structura orationis docet, & seq. versus, ubi idem obtinet, extra controversiam ponit. Continet itaque versus *antecedens* & *consequens*, sed consequens ab antecedente longe diversum, & ei *contrarium;* uti est vers. 11 & 12., ut mox patebit. *Antecedens* tanquam notorium proponitur, &, eo non obstante, longe aliud sibi accidere, in altero membro declarat. Particula itaque כי *quia* exserit usum, quem frequenter habet *a*, quo idem dicit, ac *quamvis*, *non obstante quod*; adeo ut sensus sit; licet res sit testa-

a Vid. Diss. Sel. ad Gen. XX.

teſtatiſſima, me vitam viresque in domo Dei purganda & ornanda triviſſe, attamen, hoc non obſtante, nunc traducor tanquam detractor gloriæ & cultus Dei, ejusque deſtructor; iisdem probroſis titulis obrutus, quibus ſolent idololatræ, ac irreligioſi & profani homines, inſigniri.

§. XXIV. *Antecedens* habet, quod tanquam notorium proponitur, *zelum domus Dei ipſum conſumſiſſe*; quo nihil aliud primo ſenſu indicatur, ac ipſum ætatem triviſſe, & vires quaſi conſumſiſſe in cultu Dei reformando & ornando, & exercendo; ejusque fuiſſe ſtudioſiſſimum. *Domus Dei*, totum cultum religionis, uti in tabernaculo vel templo exercebatur, comprehendit, & *zelus* eſt flagrans in eum ſtudium, ad eum reformandum, & excolendum: *conſumere* dicitur zelus inſtar ignis, quocum comparari ſolet, quatenus eſt intentiſſimus, ſimul ad vitæ finem continuus. Quæ nihil habent difficilis. Convenit vero illud in Davidem umbratice, & exiliore ſenſu, quatenus ea in re poſuerit magnam operam, uti notum eſt, ex quo regnum eſt adeptus ad finem vitæ usque; ſed in Meſſia longe majore emphaſi, quatenus nihil aliud egerit, &, quod probe notandum, vere fuerit eo ſuo ſtudio *conſumtus*, nec quippe datus propter hunc ſuum zelum reformandæ religionis: cujus eum duplex dederit ſpecimen in ipſo Templo repurgando, in principio & *fine muneris*, ut ex Euangelio conſtat, ad illud expreſſe, & recte, hoc dictum adplicatur, Joh. II. *Conſequens*, longe aliud ac deberet, ſeu non obſtante eo ſtudio inde ortum, his verbis proponitur, *& probra te probra adficientium ceciderunt ſuper me*. h. e. cum deberem, tanquam eximius Dei cultor propterea agnoſci, laudari & tractari, longe ſecus accidit; hoc enim non obſtante, licet tanto flagraverim cultus Dei ſtudio, nunc traducor, tanquam gloriæ Dei detractor, irreligioſus & profanus, haud melior idololatris & profanis, qui cultum Jehovæ veri Dei ſpernunt, & deſtruunt, eaque ratione Deum *probro* radente ac lacerante adſciunt. Hunc ſenſum fundunt verba, *pro-*

bra

bra probro te adficientium ſuper me ceciderunt, h. e. iisdem probroſis titulis obruor, quibus jure merito illi, qui *Deum probroſe* tractant. *Probra probris adficientium Deum* non ſunt, uti Interpretes ceperunt, quæ ab illis in hunc oratorem ſunt conjecta, quod varie exponunt, ſed quæ talibus hominibus jure competunt, & ipſorum propria ſunt: quod phraſis proprie & directe denotat. Non enim dicit, ſe ab iis hæc probra paſſum eſſe, ſed eorum probra ſubiiſſe; non acſi ea in ſe ſuscepiſſet luenda & expianda, ut nonnulli interpretantur, quod phraſis non patitur, ſed quod eadem, vel ſimilia, probra, quæ in homines profanos, in ipſum conjecta ſint; ut expoſui: quod ex præcedente membro confirmatur. *Deum enim probro adficere*, & *zelo domus* Dei conſumi, ſibi hic manifeſte opponuntur, tanquam directe & cum maxime contraria; & ſignificatur, ardentiſſimum Dei cultorem eodem adfici probro, quo ejus contemtores; quo nihil erat indignius, & toleratu difficilius; quod tamen ſibi non tantum contigiſſe hic declarat, ſed ſimul *patienter* tuliſſe indicat: quam emphaſin in verbo, *ceciderunt ſuper me*, omnino admittere licet: ut divite ſenſu ſit, *conjecta* probra recepta ſunt a me. Quod in Davide rurſus aliquo ſenſu verum fuit, ut ex 2 Sam. xvi., notum eſt, & ipſe de ſe hoc ipſo tempore ibi, & Pſ. xxxviii: 13—15. confeſſus eſt, ſed in Chriſto longe uberiore; qui traductus eſt ut *Samaritanus*, Dei Israelis, ac legis ejus & cultus, hoſtis & deſtructor: uti ex euangelio conſtat: quare ei etiam adplicantur hæc verba Rom. xv: 3. Ceterum, quod ex dictis facile liquet, *Deum probro adficientes* ſunt homines irreligioſi, profani, ac idololatræ, qui Deo gloriam, ipſi debitam, detrahunt, & eum contumelioſe tractant, ac proſtituunt. Quod Chald. ex parte jam vidit, licet ad idololatras minus recte reſtrinxerit; ſicut vero *qui opprimit tenuem* dicitur, *factorem ejus probro carpere*, hoc ipſo verbo, Prov. xiv: 13., ita longe majore emphaſi id facit, qui cultum ejus, & veram religionem, opprimit. Radix vero,

vero חרף primario valet, *carpſit*, carpendo *ſtrinxit*, vel ſtringendo carpſit, inde *obtrectare*, & meritis detrahere, nec non contemtim habere, & lacerandum tradere *a*.

§. XXV. β. *Secundum*, ſeu alterum, ſpecimen non fucatæ pietatis, in ſtatu adflictionis, vel ſuæ, vel aliorum, præbitum, per *fletum* in jejunio & *ſaccum*, nunc etiam ab hoſtibus illuſum, & in contumeliam ejus raptum, his verbis exprimitur, verſ. 11, 12. *Et compreſſi in jejunio animam meam, fuitque mihi opprobrio: & dedi veſtimentum meum ſaccum, & factus ſum ipſis proverbium.* h. e. Sicut zelum meum in domum Dei traduxerunt, ita quævis alia pietatis meæ ſigna, tempore adflictionis, ſive meæ, ſive aliorum, per jejunium, fletum & ſaccum, demonſtrata, nunc quoque contumelioſe interpretantur, tanquam ficta, vel vana, & mihi propterea illudunt; proverbio etiam de me facto, quo contemtibile quid & vanum exprimant. Nihil in verbis ſupereſt obſcuri, quod noſtram requirit operam. Quare verbo tantum obſervo, 1. *prius* membrum verſ. 11., quod verti ſolet, *flevi in jejunio* vel *animæ meæ*, vel rectius, cum בנפש ſecundum puncta non admittat ſtatum conſtructum, ut recte Gejerus & alii, *anima mea*, ſive in aut cum *anima*, ſive in jejunio exiſtente, reddidi, *compreſſi in jejunio animam meam*, ſcilicet in fletum, convenienter primariæ poteſtati verbi בכה, quæ eſt, *preſſit*, *compreſſit*, *expreſſit*, unde ad *lacrymas* expreſſas tranſiit. Qua ratione facilis fit ſtructura, nullius ellipſios indiga; & proxime convenit ſimili phraſi, Pſ. xxxv: 13. עניתי *adflixi in jejunio animam meam*; quod ipſum verbum in origine ſiſtit *ſucci* expreſſionem, effuſionemve. Prope abſunt LXX, reddentes συνέκαμψα, & Syr. verbo מכך utens, proprie *exſuxit*. 2. *Poſterius* membrum proprie ſonare, *& factum eſt mihi in opprobria*, ad ſummum & multiplex opprobrium ſignificandum: quam emphaſin ſæpe habet, uti notum, plur. Denique 3. formam ſut. cum ו converſivo, ut dicitur, in verbis, quæ hic occurrunt, hac

Gg pollere

a Schultens ad Job. xxvii: 6. Lette ad Jud. v.

pollere emphasi, qua præt. & præs. una comprehenditur, adeoque tam ad præt. tempus, qaum ad præsens hic respici. Quod utrumque hic recte admittitur; cum & ad *præteritum* tempus, & *præsens* hic intendatur digitus. Quæ unica est clavis hæc verba recte intelligendi. De quo nunc paucis exponam.

§. XXVI. Observari itaque velim, voces utriusque versus, quæ *consequens* continent, ad *præsens* tempus pertinere, quæ vero *antecedens*, æque ad præteritum ac præsens. *Opprobrium* enim & *dicterium* non antea fuit, sed erat in præsentia; quod hic intendit. Licet enim simile quid tempore Sauli fuerit passus, de quo Ps. xxxv. conquestus est, hic tamen de eo agit, quod nunc experiebatur, ut facile liquet; quemadmodum vers. 10. præcedente habuimus & explicuimus. Erat autem *opprobrium* & *dicterium*, ut exemplum de ipso fuerit vulgo sumtum, ad hominem irridendum, cum in genere, quatenus contemtus & illusus est, ut ex historia liquet, & supra vidimus, tum in specie respectu humiliationis suæ piæ tempore adflictionis, in primis suæ propriæ, adeo ut signa pœnitentiæ & luctus fuerint irrisa hoc tempore, tanquam vel hypocritica, vel vana & inutilia, ansa ex præsente ejus statu misero arrepta. Ad ejusmodi enim signa pœnitentiæ & luctus tempore calamitatis, vel suæ, vel aliorum, phrases *jejunii*, *fletus & sacci*, manifeste ducunt. Prætulit vero David ea, & antea tempore præterito, & nunc coram Absolomo fugiens: cujus utriusque hic habenda est ratio. De præsente tempore illud facile constat ex 2 Sam. xvi. & ipse clare testatur, Ps. xxxviii. quæ ipsa ejus humiliatio dubium non est quin in ejus contumeliam fuerit versa, uti a Simei constat esse factum. Sed antea duo in historia notati sunt casus, qui hic apte in censum veniunt, *alter* est in principio regni super toto Israele, occasione necis Abneris, e familia Sauli, quam ea ratione publice luxit, 2 Sam. iii. in signum innocentiæ suæ; sed quod ipsum fuit a Simei tanquam hypocriticum traductum,

&

& ipſi exprobratum, quum Davidem adpellat *virum ſanguinum*, & *domus Sauli deſtructorem*, 2 Sam. XVI. *alter* eſt, quo acerbe luxit, his ipſis ſignis adhibitis jejunii, lacrymarum & ſacci, ſe & domum ſuam, tempore morbi filii ex Bathſeba, 2 Sam. XII. quod ipſum hoc tempore ipſius in contumeliam trahi potuit, tanquam vel hypocriticum, vel vanum, cum, regno ab Abſolomo rapto & occupato, videretur excidiſſe ſpe de Salomone ſucceſſuro, quam eo tempore pœnitentiæ & luctus conceperat; ut ibid. narratur. Hac ratione facile intelligitur, quo ſenſu de ſe dicere potuerit David, ſingulare hoc ſuæ pietatis ſpecimen fuiſſe ipſi in opprobrium hoc tempore verſum.

§. XXVII. Quod vero ad Meſſiam adtinet: in eum non proprie, ſed inproprie & figurate, quadrant hæc verba; cum de jejunio ejus & ſacco nihil conſtat; quid? quod traductus ſit tanquam non *jejunans*, ſed *edens* & *bibens*, Matt. IX & XI. Sicut itaque verba præcedentia, verſ. 10., majore emphaſi in Meſſiam, ita hæc in Davidem conveniunt; cum uterque hic in ſcenam prodeat, ut ſupra vidimus. Meſſiæ itaque non niſi figurate adplicanda ſunt, quatenus *partim* vitam degerit vilem, pauperem & adflictam, contemtus ejus materiam apud Judæos, inſtar jejunantis & lugentis, ac ſaccum, loco veſtitus honoratioris, ferentis, *partim* peccatores & ipſe luxerit, *uti flevit ſuper* Hieroſolyma, & *duritie cordis* Judæorum, & ad pœnitentiam in ſacco & cinere excitaverit, Matt. XI. *partim* denique tempore paſſionis ultimæ talem perſonam prætulerit, & materiam illuſionis præbuerit hoſtibus: uti conſtat. In quibus acquiescendum eſt.

§. XXVIII. γ. Subjungit illuſionis modum, & univerſalitatem, verſ. 13. *Exſpatiantur in me ſedentes in porta, etiam modulationibus potatores ſiceræ*, vel *modulationes ſum potatoribus ſiceræ:* habet enim poſterius membrum aliquid ambigui, cum, ut jam obſervatum eſt, ſuppleri poſſit ex præcedentibus, vel, *exſpatiantur in me modulationibus*, vel, *ſum modulationes potatorum*, uti Job. XXX: 9. & Thren. III: 14.

Sed, quoad ſenſum, parum intereſt; cum idem maneat, & eo tendat, ut, ſe graviter & a cujuscunque ſortis hominibus illuſum, indicet, adeo ut & primores, judices, ac eminentioris dignitatis viri, *ſedentes in porta*, ubi de rep. deliberari, & judicia exerceri ſolebant, dicti, & vilioris ſortis homines, aut genio indulgentes, *potatores ſiceræ*, ſive potus qualiscunque inebriantis, quem vox שכר in genere denotat, adpellati, de ſe materiam fecerint longioris discurſus contumelioſi & injurioſi, inſtar Sycophantarum, & canticis ſuis ac modulationibus ſe riſui expoſuerint, ut fieri ſolet in popinis & tabernis, ubi potu ac muſica tempus fallitur. Quæ nihil habent obſcuri, vel ſatis illuſtrata ſunt: tantum not. emphaſis verbi שוח, cujus primaria vis eſt in *reciprocatione motus*, qualis eſt, ex. gr. hominis huc illuc ambulantis, & ſpatiantis liberius; unde ad animum exſpatiantem in aliquam materiam, & libere discurſantem, transfertur, etiam in malum, ut hic; ubi denotat, capere materiam, in quam exſpatientur, atque unde oblectamentum captent, eum ludibrio exponentes more Sycophantarum *a*. Significat itaque his verbis orator 1. irriſores ſuos læte, laute & jucunde, agere, 2. primas tenere in civitate, 3. ſe invicem ſuper miſera ſua ſorte oblectare, 4. & nihil non arripere, quod in contumeliam ſuam flecti poſſit, 5. denique in popinis & tabernis ſe inter pocula & cantus eſſe ludibrii materiam quibuscunque perſonis, genio indulgentibus. Quæ in Davidem minore, in Meſſiam majore emphaſi conveniunt; ut ex utriusque hiſtoria patet. Ipſe Abſolom, ne de Simei & aliis dicam, cum ad concubinas Patris intravit coram toto populo, 2 Sam. XVI. illuſtre dedit hujus contumeliæ in Davidem ſpecimen, & materiam ſine dubio præbuit multiplicem toti populo Davidem irridendi, & ei inſultandi.

§. XXIX. β. *Altera* pars deductionis pertinet ad *preces* pro liberatione: in qua א. occurrit præfatio, verſ. 14. in priore

a Schultens ad Prov. IV: 22.

priore membro 2. *preces* ipſæ, duplice inſtantia fuſæ, verſ. 14—19. 8. Exordium ita habet, verſ. 14. *Et*, vel *at*, *ego precatio mea ad Te, Jehova! tempore complacentiæ, o Deus!* h. e. Equidem longe aliter & antea fui, & nunc ſum adfectus, ac illi me traducunt, o Jehova Deus! cum, tempore complacentiæ tuæ erga me, & antea totus fuerim, & nunc adhuc ſim, in *precatione* ad te fuſa, pro me non tantum, ſed & illis ipſis, quibus ſum ludibrio. Referri poſſunt verba, quæ conſpectum exordii precum, mox ſequentium, habent, ad *præteritum* & *præſens* tempus; habentque aliquid ambigui, forte captati ad utrumque exprimendum, quod loco eſt adcommodatum. *Præteriti* ſi habeatur ratio, ſenſus erit, ſe, tempore benevolentiæ Dei erga ſe, ſolitum fuiſſe preces cum fiducia ad Deum fundere, ſive pro ſe, ſive pro aliis, etiam illis, qui nunc tam hoſtili erant erga ſe animo, adeoque *ſcopus* erit demonſtrandi, ſe longe aliter fuiſſe erga hoſtes illos ſuos olim adfectum, & meliorem ab ipſis meritum fuiſſe ſortem, quam nunc experiebatur, dein ſe rationem habere ſperandi exauditionem præſentium precum, mox ſequentium, ex ſuperiorum temporum experientia, quibus tempore benevolentiæ Dei ſolebat cum fiducia fundere preces, & exaudiri a Deo. *Tempus benevolentiæ* Dei hoc ſenſu eſt, quo Deus ipſum favore ſingulari fuit *complexus*, & multiplicia ejus dedit ſigna, ex quo ad regnum evectus eſt: cujus ipſe quoque hoc ſub nomine meminit Pſ. xxx: 8. Conf. etiam Pſ. v: 12. & iii: 6. Hoc tempore *benevolentiæ* Dei declarat, ſe totum fuiſſe *in precibus*, easque cum fiducia ſemper feciſſe, & exauditum fuiſſe; quam emphaſin habet phraſis, *& ego, precatio mea ad te*, h. e. talis fui ego totus, hæc mea præcipua occupatio, ſicut Pſ. cix: 4. *& ego precatio;* hoc fuit meum opus, hoc unice ſemper refugium, hoc præſentiſſimum auxilium & remedium. Sed cum non exprimat, pro *quibus* oraverit, extendi poterit quoque ad alios quoscunque, etiam hoſtes illos ſuos; uti Pſ. xxxv: 13. expreſſe dicit: quod huc recte

quadrat, ut ſuum erga eos adfectum opponat illorum erga ſe; illi miſeriæ ejus nunc illudebant, & pietati ejus inſultabant; ſed ſe, dicit, longe aliter fuiſſe erga eos adfectum, & aliud longe ab iis meruiſſe; uti in ſimili caſu Pſ. xxxv. & in hoc eodem xxxviii: 21. exponit. Sed ſi ad *præſens* referatur tempus, *exordium* precationis ſequentis erit, quo *partim* ſe a pietate ſua per hoſtium inſultationes nihil remittere, *partim* ſe cum fiducia, vel ſpe exauditionis, preces ad Deum facere, cum tempus benevolentiæ Dei adhuc ſit, declarat: acſi haberetur; illudant illi, quantum velint, & pietatem meam traducant tanquam hypocriticam, vel vanam; perſevero tamen, & me in precibus ad te converto, Jehova, Deus! facio etiam illud cum ſpe exauditionis, quam desperata mea quoque videatur conditio; cum *tempore benevolentiæ*, quo tu exaudire ſolus, adhuc gaudeam. Eſt vero illud tempus reſpectu Davidis, quo Deus declaraverat per Nathanem, ipſum quidem a Deo ſibi caſtigandum, ſed *gratiam* & *benevolentiam* Dei ab ipſo non auferendam, 2 Sam. xii., quod ipſum dein Davidi eſt obſignatum tempore nati Salomonis, verſ. 24. Verum longe majore emphaſi pollet reſpectu Meſſiæ, in cruce pendentis, & orantis, quo denotat *gratiae* Dei tempus, tantopere celebratum in Script., ut recte hic notavit, & demonſtravit locis adductis, Coccejus, qui vid. Ceterum voces, רצון, ſive vertantur *tempore beneplaciti*, pro רצו, ſive *tempus beneplaciti*, ſcilicet, ſicut fuit, ita *eſt* etiamnum; perinde eſt, & utrumque ſtylo loquendi congruum.

§. XXX. 2. *Preces* ipſæ duplici funduntur inſtantia, vel cum inſigni emphaſi, nec ſine variatione, repetuntur, verſ. 13—19. *a*. Prior articulus, verſ. 14—16. continet *a*. preces generales, verſ. 13. *b*. ſpeciales, materia earum expreſſa, verſ. 14—16. *a*. In genere, his verbis orat, *In ſpiſitate beneficentiae tuae responde mihi, in firmitate ſalutis tuae*, h. e. votis & deſideriis meis responde, mihique opem feras, propter ſummam tuæ beneficentiæ, continua fluentis

tis venâ, copiam, & ſalutis tuæ, mihi olim præſtitæ & promiſſæ, firmitatem ac veritatem conſtantem. Voces, *in ſpiſſitate beneficentiae*, omnino cum ſeq. conjunguntur, licet ſeſe ad utrumque, præcedens & conſequens, ut ſæpe fit, cenſeri queant extendere; *cum* quod ſeq. recte conveniant, *tum* quod verſ. 17. eum conſpectum ferant. Subjungit apte, & emphatice, *in veritate ſalutis tuae*, reſpiciens, & inde urgens preces, ad ſuperiorem ſuam liberationem, quam Deus declaraverat fore *firmam* & *perpetuam*, 2 Sam. VII. Sed majore longe emphaſi hinc liberationem ſuam a morte urgere potuit Meſſias, cum *gratia* & *veritas* ſit *per* ipſum, Joh. I. & *ſalus* Dei, ſive hominum a Deo, inde pendeat: quæ firma & ſalva eſſe non poſſet, niſi Chriſtus ſervaretur.

§. XXXI. *b.* Speciales preces ita ſonant, verſ. 15, 16. *Extrahe me e luto aeſtuante, & ne immergas*, (vel, ut non immerſus peream,) *vindicatus liberer ab oſoribus meis; & e profundis aquarum*, (ſcilicet *extrahe me*, cum hoc enim verbo cohærent, proxime præcedentibus per parentheſin inſertis, ad cauſam proximam calamitatis, in *hoſtibus* quærendam, deſignandam.) *Ne inundent me fluctus aquarum, & ne abſorbeat me aeſtuatio vehemens, & ne circumvinciat ſuper me puteus os ſuum*, (h. e. ne oſtio putei firmiter religato omnis ſpes evadendi pereat. Radix בר primigeniam poteſtatem habet, ut ex lingua Arab. patet, in *torquendo*, unde nata eſt ſignificatio *retorti*, *torquendo religati*, & *circumvincti*; nervo firmius conſtricto. Ad *os*, ſeu orificium, aut marginem & oram, putei relatum ſignificat orificii & oræ putei firmam circumſeptionem & religationem, ac concluſionem; ſicut Orientales *puteos* ſuos diligenter claudere ſolebant.) Quæ omnia, ſupra illuſtrata verſ. 3, eo redeunt, ut ſumme periculoſis ac exitialibus calamitatibus, quarum proximæ cauſæ erant hoſtes ac oſores, quorum propterea fit ſpecialis mentio, potente Dei vindicis manu eripiatur, ne iis ſuccumbat, & ita pereat. Quæ primo quidem & directo

ſenſu

ſenſu *Davidi* conveniunt, cum eo tendant, ne *moriatur*, ſed indirecto, ac maxime emphatico, ſenſu *Meſſiae*, quatenus continent liberationem a paſſionibus, & morte per reſurrectionem ac exaltationem; adeoque ne paſſionibus & morte intereat; eaque ratione *puteus* oram ſuam firmiter accipiat religatam ſuper ipſo: quod fieret, ſi morti maneret obnoxius. Pluribus ad intellectum opus non eſt: nam de vocibus & phraſibus ſupra ad verſ. 3. egimus.

§. XXXII. β. *Poſterior* articulus, quo preces cum nova inſtantia repetuntur, verſ. 17—19. *duo* continet *a.* precum repetitionem, verſ. 17. *Responde mihi, Jehova! quia uberrima eſt benignitas tua, ſecundum multitudinem miſericordiarum tuarum reſpice me.* Quæ nihil obſcuri habent. Ad elegantiam ſermonis facit, notaſſe, ענה proprie eſſe *fluere*, adfluere, inde ſuccurrere, respondere, טוב in origine ſiſtere *ſuccoſitatem uberem*, ubertatem; & חסד proprie dici de *ubere*, cujus lac continuo confluit & manat; unde ad Deum refertur, vena benignitatis continuo fluentem in homines: uti notum, & ſæpe obſervatum eſt. *b.* Earum inſtantiam, productis rationibus moventibus ex relatione ſua ad Deum, ſtatu ſuo calamitoſo, & hoſtium inſultatione, his verbis, quæ proferam, & ſimul exponam, verſ. 18, 19. *Et ne velo obtegas faciem tuam a ſervo tuo*, (ſcilicet, ſicut, me in hanc adflictionem inmittendo, viſus es feciſſe, ne ita pergas, ſed preces meas ad te penetrare ſinas, meque faciei tuæ luce & favore frui facias, quemadmodum ſervo tuo, intimæ admiſſionis ad te, convenit. Egregia voces pollent emphaſi, per omnia minus percepta, quam pandit verbum סתר, & phraſis; *velare faciem a ſervo tuo.* Respicitur ad regem, qui in thalamo ſuo promiscuum aditum *velo* præpanſo arcet, & intimæ admiſſionis miniſtros tantum intra aulæum admittit: ut eſt Pſ. xxxi: 21. ubi vid. dicta. *Facies* itaque Dei eſt ejus majeſtas, & præſentia gratioſa ac favorabilis, *ſervus* Dei eſt intimæ admiſſionis miniſter, & *faciem velare ab ipſo* eſt, eum ab aditu Dei arcere, adeoque

que longe aliter tractare ac perſonæ *ſervi* Dei congruit. Senſus itaque eſt: cum ſervus tuus honoratior & intimior ſim, cujus eſt ſingulare privilegium petitiones cum fiducia coram expromere, & exaudiri, ac favore tuo gaudere, ne nunc hoc velo me excludas, ut te cum fiducia adire nequeam, ſeu favore tuo frui opeque in miſeria mea. Ex quo manifeſta eſt ratio movens, qua preces urget:) *quia arctum mihi, feſtina reſponde mihi* (h. e. cito adnue deſiderio & petitioni meæ, quia ad incitas redactus perire alias debeo quantocyus. Petit itaque non tantum opem Dei ad liberationem, ut modo, ſed *citam* opem, & urget ab *anguſtia* ſua, qua ad incitas erat redactus.) *adpropinqua ad animam meam, libera eam.* (h. e. ſubito te animæ meæ præſta *propinquum* & *goelem* ejus, eam liberando, & tibi adſerendo. Emphatica, & elegans, eſt oratio, ex verbis קרב & גאל recte intellectis ſeſe tantum pandens. Duplex latet in verbo קרב vis, *una*, qua feſtina & *proxima* indicatur liberatio, *altera*, qua cognationis proximitas exhibetur, tanquam ratio movens ad liberationem; ut ſenſus ſit: admove te mox animæ meæ ad liberandam eam, & te ea ratione demonſtres *propinquum* ejus, ſeu goelem, qui vi *propinquitatis* fratrem ſuum vindicare debet; quare mox ſequitur, גאלה *libera eam ut goel*, juſte & potenter, ut mox dicam. Quæ duplex verbi קרב vis, ſicut in rem præſentem aptiſſima eſt, ita ex ipſo ejus uſu ſeſe facile effert, cum & intimiorem conjunctionem denotat, & rem mox futuram deſignat. Pro inſtanti, & brevi ſpatio, jam jam futuro ſumi, obſervavit alibi Cl. Schultens *a*. Sic & *propinqui* ad *bellum* audiunt, qui mox adgreſſuri ſunt Deut. xx: 4. De *cognatione* & propinquitate ſanguinis ſumi, res eſt ex Lex. quoque nota. Eam vero hic omnino eſſe adtendendam, ſequens verbum גאל evincit, cum illud comprehendat liberationem *propinqui* & *conſanguinei*: quod in vulgus notum eſt. Cum vero duplex ſit Goel, vel *ſanguinis* propinqui fuſi vindex

a ad Pſ. LXXIV: 11. & Job. XVII: 12.

per necem homicidæ, vel ſervitutis ac miſeriæ vindex, qui propinquum liberat, ſoluto pretio, vel vi, manu forti injecta, ſibi adſerit; utriusque ratio hic recte habetur, ita ut petat *cum* vindicias animæ adflictæ, vel effuſæ, per hoſtium ſeveram poenam, *tum* animæ ſeu vitæ liberationem ſeu reſtitutionem, intuitu etiam pretii ſoluti pro redemtione; quo utroque conſpectu Deus dicit, Jeſ. XLIII: 1. *ne timeas, ego vindicias tuas ſuscepi,*) *propter hoſtes meos redime me.* (h. e. ſi vel tanta non eſſet tua ad me relatio, qualem *Goelis* perſona requirit, hoſtium tamen meorum conſideratio te moveat ad me in libertatem vindicandum, *cum* quod me gratis odio habeant & perſequantur, verſ. 5., *tum* quod mihi, & pietati meæ, adeo inſultent, & de innocentia oppreſſa triumpharent, ſi me perire ſineres; quod fieri nefas foret. Utitur verbo נאל paulo generaliore, cum in genere ſignificet perſonæ in ſervitutem ac miſeriam redactæ liberationem, ſoluto quoque pretio, vel manu inferta. Videtur enim proprie notare *vi erumpere*, unde *liberare* captivum, *ruptis catenis;* ſed uſurpatur etiam pro *emulgere*, facere ut *erumpat* lac, unde *redemtionis* ſignificatus fluere potuit, q. d. per lac emulſum ſolvere pretium redemtionis; cum in prisca hominum ſimplicitate, deficiente pecunia, *lac emulſum* potuerit fuiſſe *pretium* redemtionis). Verba ea ratione expoſita in Davidem & Meſſiam recte quadrant, ſed ita ut alia in Davidem, alia in Meſſiam directius, & majore emphaſi conveniant. Titulus *ſervi* Dei, intra velum faciei ſeu Majeſtatis Dei admitti ſoliti, nec non *propinquitatis* Dei conſpectus, etiam *animæ* effuſæ vindicatio, utique Meſſiæ propius competunt, ut facile cernitur; ſed *pretii* intervenientis reſpectus, ſimul *hoſtium* ratio, Davidi directius. Quæ latius non neceſſe eſt exſequi.

§. XXXIII. II. *Secunda* Pſ. pars, quæ inprecatoria eſt, א. rationes & cauſas inprecationis, quæ eam juſtam reddant, repræſentat, verſ. 20—22. ב. inprecationem ipſam exhibet, verſ. 23—29. א. Verba, quæ rationes juſtificantes

tes continent, ita habent, verſ. 20—22. *Tu noſti opprobrium meum radens, perplexum meum pudorem, & calumniam meam frangentem; coram te ſunt hoſtes mei coarctantes; opprobrium fregit cor meum, ut animi pendeam, & exſpectavi complorare, ſed nihil eſt, & conſolatores, ſed non invenio: imo,* contra, *dederunt in cibum meum fel, & ad ſitim meam potarunt me aceto.* Quæ licet conſpectum rationis moventis ad redemtionem, cujus modo facta erat ſupplicatio, quoque contineant, eaque ratione cum ſuperioribus etiam cohæreant, proprie tamen, & vero ſuo ſcopo, rationes exhibent juſtificantes inprecationem mox ſequentem, & ideo ei præmittuntur, *cum* quod ratio tam prægnans alias non fuiſſet ſeſe in calumniæ & calumniantium deſcriptionem denuo diffundendi, *tum* quod inprecatio mox ſubjungatur, & verba ita concinnata ſint, ut hoſtium inportunitatem, barbariem, & obſtinationem invincibilem ob oculos ponant, adeoque, eos ulla ulteriore longanimitate ac clementia Dei judicis indignos eſſe, declarent. *Rationes* vero, quibus mox ſuperſtruitur inprecatio, ſunt *duæ*, vel *tres*, a. *Prima* petitur a Dei, qua inſpectoris & judicis juſti, perſona, & hoſtium improbitate, qua coram Deo, nulla ejus habita ratione, tam ſcelerate & contumelioſe cum hoc innocente, illuſtri Dei ſervo, agant, his verbis, verſ. 20. *Tu noſti opprobrium meum, pudorem meum, & ignominiam meam, coram te ſunt omnes hoſtes mei.* h. e. Cum tu ſis inſpector & judex hominum omniſcius, & juſtus, ferenda a te amplius non eſt contumelia mea & perſecutio, ſed ſevere vindicanda, *cum* quod probe ſcias, quanta ſit & quam injuſta, *tum* quod hoſtes me, non obſtante præſentia tua, tui nulla habita ratione, violenter oppugnent, & coarctent. Deum hic deſcribit tanquam *inſpectorem* & *judicem* hominum, & ad eum, qua talem, provocat, cum dicit, *tu noſti*, & *coram* te *ſunt*, ut, Deo non amplius ferendum eſſe hoc facinus hoſtium, & calumniantium, demonſtret, cum quod Deus injuſtitiam ſummam facinoris probe *ſciat*, tum quod

hoſtes ſeſe improbos plane & obduratos præſtent, qui talia coram oculis ſupremi & juſtiſſimi judicis agant. Hanc enim emphaſin habent voces, *tu noſti*, & *coram* te ſunt: h. e. quam gravis & iniqua ſit mea contumelia, *tu noſti*, adeoque ad animum revocas nec ferre amplius poteris, *coram te* ſunt *hoſtes mei*, qui, te inſpectante & præſente, tui nulla habita ratione, me coarctant; adeoque a te puniendi ſunt. Memorat diſtincte *coarctatores* ſuos, & *contumeliam* ſuam, ut hoſtium facinora omnia complectatur, quæ *duo* generalia erant, *alterum*, quo virum hunc in ſummam & exitialem præcipitarunt calamitatem, quo epitheton *coarctatorum*, quo hoſtes inſigniuntur, tendit, quorum, tanquam autorum miſeri ſui ſtatus, etiam ſupra verſ. 15. meminerat, *alterum*, quo ipſum eo in ſtatu inſultabant, & multiplici adficiebant *ignominia*; uti ſupra late expoſuit. Adcumulat autem voces *ignominiam* denotantes, ut, multiplicem & ſummam eſſe, ſignificaret; ſimul *effectum*, quem in animo ſuo habeat, explicaret; quo *pudoris* vox tendit. Plura de vocibus, quas ſupra habuimus, non addo.

§. XXXIV. β. *Secunda* ratio petitur ab effectu ignominioſæ tractationis, tam gravi, & moleſto, ut ferre amplius nequeat, & a desperatione prope abſit, verſ. 21. in principio, his verbis: *opprobrium fregit cor meum, & animi pendeo*: h. e. tanta & tam acerba obruor contumelia, per verba & facta hoſtium meorum, ut vis vigorque animi per ſummam triſtitiam & pudorem adeo ſit debilitatus, ut, ne ſuccumbam tandem, & mala morte in hoc ſtatu peream, ſummopere metuam; quo in ſtatu cum te inſpectante ſim, & talia mihi ab hoſtibus *coram te* fiant, vindicta tua non poteſt non ſeſe in hoſtium perniciem exſerere. In verbis nihil eſt difficilis, niſi in אמשה, cujus ſenſum verbo tradam. Fut. eſt in Kal, cum ה paragogico, ſignificationem ſimul intendente, rad. מוט, ut recte poſt R. Nathan Gejerus, qui tamen male cum אוש confundit, niſi forte ejusdem ſint originis hæ duæ radices, quæ ſita eſt in *quatiendo*, & ita frangen-

gendo ad ſummam usque debilitatem; vu vero ſpeciatim Arabibus eſt, *ultro citroque motitari*, & pendulum hærere; adeoque animi ſtatum anxium, quo ſe vertat neſcium, & a desperatione proximum, depingit. Quod huc recte quadrat, cum *fractioni cordis* ſubjungatur, tanquam ejus adjunctum vel effectum. Significat itaque, ſe moribundo eſſe ſimilem, & inſtar deliquium patientis, jam jam animam exſpiraturi. Qualem ſeſe Pſ. XXXVIII: 9—11., vivis coloribus depinxit David, de hoc ipſo tempore agens, *ſingultio & tundendo comminutus ſum valde, rugio præ fremitu cordis mei — — cor meum vagatur, deſeruit me vis mea, lumen quoque oculorum meorum, etiam ipſi, non eſt meum.* Ubi vid. dicta. Unde patet, hoc majore emphaſi & directius in Davidem, quam Meſſiam, quadrare; licet ab ipſo, ſed minore emphaſi, non ſint aliena, cum & ipſi adſcribatur *metus*, Heb. v. & ipſe in cruce quoque clamaverit, *Deus mi, quare me dereliquiſti?*

§. XXXV. γ. *Tertia* ratio deſumta eſt ab inflexili & immani barbarie hoſtium, in eo maxime conſpicua, quod nulla non tantum miſericordia fuerint erga miſerum hunc tacti, ſed ipſi in eo ſtatu inſultaverint, ac acerbiſſime eum tractarint, verſ. 21, 22. *Et exſpectabam condolere, ſed nihil ſimile, & conſolatores, ſed non inveni: &*, quin, *dederunt in cibum meum amariſſimam herbam, & ad ſitim meam potarunt me aceto.* h. e. Tantum abeſt, ut, quod jure exſpectare potuiſſem, condoluerint, aut conſolati fuerint me, verbis aut factis, ut me felle & aceto cibaverint ac potaverint; loco conſolationis auxerint adflictionem meam: ſeſe eo ipſo demonſtrantes inflexiles hoſtes, ac inmaniter ſævos; qui itaque nulla amplius miſericordia digni ſunt, ſed merentur, ut gravi poena a Deo judice, coram quo hoc fecerunt, e medio tollantur. Hic enim verborum ſenſus, & ſcopus eſt. Cum dicit, ſe *exſpectaſſe*, non tam proprie dictam *exſpectationem* ſuam exprimit, quam quid deſideraſſet, & voluiſſet, ut facerent, quidve debuiſſent, & feciſſent

quoque, niſi ſceleratiſſimi fuiſſent & obdurati in peccato: cum ſummus corruptionis gradus ſit, ne miſeria alicujus tangi, ſed ei inſuper in eo ſtatu inſultare. Sed *quid*, & a quibus exſpectavit? *prius* ex ipſis verbis manifeſtum eſt, exſpectaſſe enim ſe dicit *condolere* & *conſolatores*, h. e. qui miſericordia adfecti aliquid ad miſeriam ejus levandam, ac animum fractum erigendum, præterea ipſum liberandum, conferant. Quod eſt *condolere* & *conſolari*, uti facile patet. *Poſterius* quæſitum de perſonis, a quibus illud exſpectabat, ex nexu ſermonis, & irrito exſpectationis effectu, facile ſolvitur, licet Interpretes etiam aliena fuerint ſectati, quum ad amicos & discipulos Davidis ac Meſſiæ adplicant: in quos nec verba quadrant, nec orationis nexus. Etſi enim amici *& ipſi ſteterint coram plaga ejus*, ut David de ſe tradit Pſ. XXXVIII: 12., Chriſtus etiam expertus eſt: eos tamen *non condoluiſſe*, dici nequit, præterea virium & occaſionis, non voluntatis & pii animi, defectus fuit, ut non fuerint *conſolati;* cum tamen hic ipſis, tanquam grave crimen, inputetur, quod id non fecerint. Præterea, cum hic de hoſtibus & coarctatoribus agat, & mox ſubjungat, eos, a quibus complorationem & conſolationem exſpectaverat, ipſius miſeriam contra auxiſſe, fel & acetum, ad refocillationem ſcilicet, præbendo, dubium eſſe nequit, quin hoſtes & irriſores ſuos in oculis habuerit. Quibus denique vera ſua emphaſi competit, quod dicat, eventum exſpectationis fruſtraneum exponens, *non eſt*, *non inveni*, h. e. nihil ſimile ab iis expertus ſum, quin *contrarium; non* אין eſt ipſa *vacuitas*, pura puta *inanitas*, quæ propria eſt poteſtas voculæ אין, dein *non* inveni conſolatores eſt emphatice, ut ſolet לא ſumi, nihil minus quam tales inveni, ſed contrarium potius; ut mox additur, *non* inveni conſolatores, ſed contra *irriſores* & crudeles in media calamitate mea; *dederunt enim mihi fel in cibum, & ad ſitim meam acetum;* argumento, eos eſſe inmaniter & obſtinate ſævos, nulla Dei miſericordia dignos.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Verba, quibus contrarium exſpectationis effectum, ſeu ſævam hoſtium indolem, ipſo facto demonſtratam; exprimit, parum habent difficilis. Significant enim, acerbo cibo & potu eum fuiſſe ab hoſtibus cibatum ac potatum, loco *cibi fel*, & *potus acetum* datum ad ſitim exſtinguendam. Vox Hebr. רֹאשׁ, quæ communiter *fel* redditur, proprie denotat herbam, vel plantam, amariſſimam; & inde ad *fel draconum* transfertur *a*, ſive ſit *cicuta*, quod disputat Olaus Celſ. *b*, ſive potius, cum *cicuta* non ſit *amara*, qualem tamen requirit uſus vocis, *centaurium minus*, quod vult Hillerus *c*. Herbæ quoque vel plantæ convenit magis quam *felli*, quod cum *cibo* conjungatur, ut *acetum* cum *potu*. Sed quæritur, num proprie an improprie capiendum ſit? reſp., utrumque hic admitti poſſe, cum utrumque Meſſiæ contigerit ab hoſtibus, Davidi tamen *poſterius* tantum. Dederunt enim Meſſiæ *acetum* cum *hyſſopo* loco cibi & potus, *ut* ex Euangelio conſtat, & a Joh. c. XXX. additur, in *eo fuiſſe impletum*, *quod prædictum erat*; ad noſtrum locum reſpiciens. Ex quo clare eluceſcit, mentem Davidis in hoc Pſ. ita fuiſſe a Spiritu directam, ut ſævam & inhumanam hoſtium indolem, ſeſe tempore afflictionis ſuæ erga ſe exſerentem, iis verbis expreſſerit, quæ proprie in Meſſia inplerentur; ſed ita ut figurate quoque ſibi, licet minore gradu, conveniant. Spectant itaque verba proprie & directe ad Meſſiam, & ad eum Joh. XIX. ex intentione Spiritus, qui Davidem egit, directe referuntur. Figurate vero ſignificant in genere, hoſtes, quicquid ad illudendum & miſeriam augendam facere poſſit, præſtitiſſe; adeoque non *condoluiſſe*, & *refocillaſſe*, ſed contrarium feciſſe, & verbis & factis. Conf. de ſenſu figurato & proverbiali, Jer. VIII: 14. IX: 14. XXIII: 15.

§. XXXVII. 2. Ipſa imprecatio, vel, qui verus ejus eſt conſpectus, denunciatio prophetica malorum, quæ obſtinatis & truculentis iſtis hoſtibus ordine evenirent, usque in

a Vid. Bochartus H. p. 1. l. 11. c. 50. *b* Hiero-bot. p. 11. p. 47. *c* Hiero-phyt. p. 11. p. 54.

in finem ſeculorum, ea ratione eſt inſtituta, ut directe quidem, & vera verborum emphaſi, in Judæos, qui Meſſiam ſcelerate tractarunt, conveniat, & iis adplicanda ſit, attamen indirecte quoque & leviore ſenſu in præcipuos illos Davidis hoſtes, tempore fugæ coram Abſolomo, adeo ut ad eos ſit perpetua adluſio. Hoc oculo ſi pericopam conſideremus, ejus ſenſus & ſcopus ſeſe facile offeret. Pandam, hac jacta hypotheſi, quæ ex ſupra disputatis ſponte ſua ſeſe commendat, *ſenſum* verborum, & dein *imprecationis* verum conſpectum & ſcopum. Recenſentur in hac pericopa *mala*, quæ hoſtibus evenirent, non confuſe, aut oratorie, acſi diverſis orationis figuris tantum exhiberentur, ſed diſtincte & ordine, quo ſe invicem exciperent, usque ad finem ſeculorum. α. *Primum* ita habet, verſ. 23. *ſit*, eritque, *menſa ipſorum coram ipſis in laqueum, & ipſiſſimæ paces*, ſeu *id quod ad paces, in tendiculam*, h. e. proſperitas & ſecuritas ipſorum, qua unice delectantur, quamque ſibi tribuunt, quicquid etiam ad eam firmandam, & durabilem reddendam, ab ipſis peragatur, in ruinam & exitium iis cedat & cedet, vel occaſionem ejus præbeat. *Menſa coram ipſis* figurate denotat *cum* proſperitatem, abundantiam omnium; & pacem ac ſecuritatem, uti habuimus, Pſ. XXIII: 5. vid. & Job. XXXVI: 16. *tum* etiam mutuam amicitiam, animorum conſpirationem & conſiliorum conjunctionem, cujus emblema & ſignum ſolent eſſe *convivia*, ut Pſ. XLI: 10. & Dan. XI: 27. ubi vid. comm. noſter. Quod poſterius ne nos fugeret, additur in membro ſeq., ad ſuperioris illuſtrationem, ut fieri adſolet in Pſalmis, *paces* in *tendiculam*, h. e. omnimoda, quam firmiſſime etiam facta, *pax*, ſeu quicquid ejus cauſa factum eſt, occaſionem & cauſam excidii præbeat. Vox לשלומים proprie *ad paces* utrumque illud comprehendit, ut ſit ipſiſſima pax, & quod ad pacem ſit, prout ל pro articulo cum emphaſi abundante, ipſamque rei eſſentiam & præſtantiam exprimente, habeatur, vel ellipſis voculæ שים ſtatuatur & vertatur,

tur, *quod ad pacem*, *in tendiculam* fit, vel erit, ex præced. membro. Prius jam obſervavit Dieu; & uſus iſte litteræ ו eſt frequentiſſimus: uti nunc fatis conſtat. Plur. vero num., alias rarior, captatus eſt ad augendam emphaſin, ut *paces* ſint multiplex, ſumma, & firma pax. Interpretes aliter & varie inſtituunt; quos ſuo loco relinquere debeo: noſtra interpretatio ſeſe facilitate ſua, & nexu cum præced. membro, ſatis commendat. Alluditur vero ad conſpirationem Abſolomicam, ſeu animorum conſenſionem, & prosperitatem eorum, qui cum eo faciebant contra Davidem; quæ cauſa & anſa foret excidii ipſorum, fuit quoque *laqueus* ſummi conſiliarii Achitophelis, uti notum, & dein Abſolomi, & aliorum. Sed vero ſuo ſenſu respicitur ad Judæos, qui per ipſam ſuam prosperitatem, ac ſecuritatem, nec non pacis fœdera cum Romanis, in exitium ſe præcipitarunt; ut egregie fuit prædictum Jeſ. XXVIII: 14, 15, 17, & 18. ubi vid. Cl. Vitringa. Addatur, ipſam Chriſti necem huc pertinere, quatenus ex prudentia politica facta eſt, ne resp., Chriſto ſalvo, periret. Joh. XI. 50. Acceſſit mutua & inteſtina diviſio ipſorum Judæorum, qui ſecum uniti fuerant inſtar eorum, qui ad *eandem menſam* adſidebant: de quo luculenter vaticinatus eſt Zach. XI: 6, 14.

§. XXXVII. β. *Secundus* articulus his verbis eſt expreſſus, verſ. 24. *Stricti obtenebrentur oculi ipſorum*, *ne videant*, *& lumbos eorum jugiter flexos & vulſos redde*, h. e. Sapientia & prudentia eorum infatuetur, & vis vigorque eorum infringatur judicio tuo, ut nec ſana ac ſalutaria ineant conſilia, nec vires habeant ad ſtatum ſuum tuendum; ſed propriis conſiliis pereant, & fracti ſuccumbant. Nihil hic eſt difficile. *Oculi* expingunt ſapientiam, & prudentiam, *lumbi* vires & potentiam, uti facile cernitur: utriusque hic fit mentio relate ad ſtatum ſuum, & reip. & Eccleſiæ, firmandum, ac tutandum. Sed oculi *ſtringerentur* arctius, quod proprie eſt קמץ, & ita ſtricti obtenebrarentur, *lumbi* mollefa-

ſti infringerentur, ut cadere debeant, quod proprie eſt עוה *flexit vulſim*, flecti præ mollitie *a*. Respicitur rurſus manifeſte ad id, quod factioni Abſolomi contigit, cujus conſilia ſunt infatuata, & vires fractæ, ſicut ex hiſtoria conſtat, & David quoque inprecatus eſt Achitopheli, 2 Sam. XV: 31. *infatua quæſo conſilium Achitophelis, Jehova!* Sed vera emphaſi in Judæos, poſt Chriſtum exaltatum, quadrant hæc exacte, uti conſtat, & prædictum eſt, ut Zach. XII: 15. &c.

§. XXXVIII. γ. *Tertius* articulus continet ipſam hoſtium totalem deſtructionem, cum claris juſtitiæ divinæ ſignis conjunctam, verſ. 25, 26. *Effunde ſuper ipſos ſpumantem tuam iram, & æſtus naſi tui ſe adnectat iis* hoſtiliter: *Sit arx ipſorum ſiderata, in tentoriis eorum ne ſit habitator.* Quæ omnimodam eorum deſolationem, una cum arce & domibus, juſto, ſed ſevero, Dei judicio efficiendam, deſcribunt, nec aliquid habent obſcuri: tantum elegantia ſermonis & emphaſis notanda eſt, quam in verſione expreſſi. Vox זעם ſignat iram ebullientem, & vehementiſſimam, quæ in effervescentiam ſpumantem ſeſe exſerit. Radix enim proprietatem habet in *ſpumando*, ſpumas ore agendo: unde liquet, quam apte jungatur verbum *effundere;* ad abundantiam ſpumantis iræ exprimendam. *Æſtus naſi*, quæ propria, ut notum, eſt vocum poteſtas, eleganter & emphatice dicitur *adſequi* eos, proprie, *ſe iis adnectere*, & hoſtiliter tenere. Rad. נשג proprie respondet Gr. ἅπτεσθαι, *necti, adnecti*, inde *adſequi*, & ſic *hoſtiliter invadere*. Iræ Dei, effuſæ inſtar ignis, recte & eleganter ſubjungitur, *ſit arx ipſorum deſolata*, proprie *ſiderata*, fulmine tacta, & ita in cineres redacta. Quisque hic facile videt elegantem picturam deſolationis Hieroſolymæ & Templi, cum toto illo tractu; adeo ut ne veſtigium fere ſuperfuerit. *Arx* recte adpellatur Hieroſolyma & Templum: uti facile patet. Sed adluditur ſimul ad hoſtium Davidis deſtructionem, in primis præcipuorum

a Schultens ad Prov.

puorum conspirationis virorum, ut Achitophelis, Absolomi, & aliorum. Eadem enim ratione ad Achitophelem ex. gr. adplicatur, qua ad Judam proditorem, Act. 1: 20.

§. XXXIX. Interseruntur verba, quæ aut *rationis* ultimi excidii hostium, aut *confirmationis* ejus conspectum habent; pro ut vertuntur, & intelliguntur, vers. 27. *Quia* sicut *tu quem percussisti persequuntur, & ad luridum vulnus profanatorum tuorum numerabunt, vel numerant.* Quæ communiter accipi solent de Christo, a Deo percusso, & Christianis cædi a Deo traditis, quorum *illum* Judæi non clementer & misericorditer illo in statu tractarunt, sed inhumanites, *hos* autem cum gaudio tanquam occisos memorarunt, & de iis, tanquam talibus, *narrarunt*; quod ipsis est no. Sed gravibus hæc interpretatio premitur difficultatibus. 1. Messias non dicitur, nec dici potest, *percussus Dei*, ac ad cædem profanatus a Deo, nisi vel secundum hostium pravam opinionem, vel ob peccata nostra, quod utrumque Jes. LIII. expresse additur; non itaque *absolute*, ut hic capi solet. 2. Messias in hoc Ps. introducitur, non a Deo, sed hostibus *percussus*, idque gratis & sine causa, sicut & Zach. XIII: 7. ubi *gladio* id tribuitur, ad violentam cædem a Magistratu, seu Judice, inflictam denotandam: tantum figura orationis est, qua vox Dei ad *gladium* excitandum dirigitur, ut Dei permissio & directio sapiens indicaretur. Unde est, quod Matth. XXVII: 31. legatur πατάξω *percutiam*, nisi, ut LXX. codices nonnulli habent, quis malit πατάξον *percute* legere apud Matth. 3. *Persequi* non est simpliciter, a Deo percussum inhumaniter tractare, sed necis Messiæ causam esse; minus recte itaque Judæi dicerentur *persecuti*, quem *Deus* percusserat, quatenus ad Christi mortem refertur. 4. Phrasis *confossorum Dei*, seu profanatorum ad cædem a Deo, nusquam in bonum sumitur de martyribus, ut hic accipi solet, sed in malum de iis, qui judicio Dei exemplari pœna e medio auferuntur. Vid. Jes. LXVI: 16. Jer. XXV:

33. Denique 5. illud *narrare* de plaga confoſſorum Dei nimis leve & dilutum eſt, quam ut hic, ubi ratio daretur excidii totalis reip., locum habere poſſit.

§. XL. Quid itaque? ex noſtra hypotheſi verba dupliciter capi poſſunt, adeo ut vel *rationem* judicii, modo memorati, & mox uberius exponendi, contineant, vel ejus *confirmationem*, & adgravationem. *Priore* modo, a quo parum abeſſe Kimchium, &, qui eum ſequitur, Bucerum, deinceps intellexi, vertenda ſunt, ut feci, & de hoſtibus intelligenda perſonam hanc conſiderantibus tanquam divinitus percuſſam, & lurida plaga confoſſam, a Deo, adeoque improbam & ſceleratam, eoque nomine eam, ejusque ſocios, perſequentibus, & miſeram eorum ſortem cum delectatione commemorantibus, ac de eo materiam confabulationis & dicterii facientibus. Quod in Davidem ex parte convenit, ut ex maledictione Simei liquet, & ex ſiniſtro rumore de Davide, ejusque injuſto regimine, per Abſolomum ſparſo, eaque ratione odium & contemtum ipſi apud populum conciliando, 2 Sam. xv. facile colligitur; ſed in Meſſiam, ejusque discipulos, longe plenius & verius quadrat, *cum* quod ipſum tanquam blasphemum tractarint, *tum* quod ipſum, ejusque ſocios, perſequi eo nomine & diffamare, poſtquam *percuſſus* eſſet, perrexerint, *tum* quod verba hic occurrant, tanquam rationem continentia, quare hoſtes, poſt facinus in hanc perſonam commiſſum, tam ſevere fuerint tractati a Deo, ita ut resp. fuerit exciſa, & illi obdurati in reprobam mentem fuerint traditi, & a communione Dei & populi ejus plane excluſi. Verba enim ſubjuncta ſunt deſcriptioni plenarii excidii reip., & præmiſſa prophetiæ de miſero & reprobo eorum ſtatu ſequente; adeoque *rationem*, & deſtructionis reip., & reprobæ populi Judæi conditionis ſecuturæ comprehendere debent, ſeſe ad præced. & ſeq. porrigentia. Quod non in Davidis, ſed præcipue Meſſiæ hoſtes quadrat: ut facile cernitur.

§. XLI.

§. XLI. Explicemus in hanc mentem & illuſtremus verba. *Prius* membrum habet: *quia tu quem percuſſiſti perſequuntur*, h. e. me ad necem inſectantur, & poſt necem perſequi pergunt, tanquam ſceleratum, & blasphemum, quem tu divinitus inflicta plaga ſoles e medio tollere. Senſus non eſt, perſonam hanc de ſe fateri, ſe a Deo eſſe percuſſam, quod abhorret, & modo removi, ſed ab hoſtibus talem haberi, & eo nomine eorum paſſam eſſe perſecutionem: quod ſequens membrum clarius exponit, hic involutius latet, &, ſuppleta ellipſi particulæ ſimilitudinis כ *ſicut quem tu percuſſiſti*, ſeſe offert; adeo ut plena foret oratio: *quia, ſicut quem tu percuſſiſti*, perſequuti ſunt, & perſequuntur me. Ellipſis litteræ כ *ſicut* frequens eſt, & eo facilior, quod ſimilis litteræ vocula כּ præceſſerit; cujus exempla produxi ad Malach. *a*. Referenda ſunt in hunc ſenſum verba *tum* ad Meſſiæ, *tum* discipulorum ejus, perſecutionem a Judæis inſtitutam. *Meſſiam* ad necem perſecuti ſunt, tanquam ſceleratum & blasphemum, quem Deus ipſe *percuſſerat*, eum neci tradendo, quo oculo ſupplicium ejus conſiderarunt Judæi, ut Jeſ. LIII: 3, 4. diſerte traditur, ſed eundem & deinceps, poſtquam a Deo cenſitus erat percuſſus, poſt necem ejus, *perſecuti* ſunt in discipulis ejus; quod Chriſtus ipſe Saulo exprobravit, *quare perſequeris me*, Act. IX. ſicut *paſſionum Chriſti* reliquias adpellat Paulus, Col. I. quibus ipſe erat ſubjectus. Quod vocum ſtructuræ proxime convenit, ut facile intelligitur; cum *percuſſioni* Dei ſubjungatur perſecutio, tanquam ea poſterior; & occurrat tanquam *cauſa* meritoria deſtructionis *palatii* ac *tentoriorum*, ac totalis reprobationis populi; quæ mox ſequitur. Quæ ratio, quod probe notandum, non in nece Meſſiæ tam quærenda eſt, quam in populi Judæi impœnitentia, & perſeverantia obſtinata in odio Meſſiæ, & ejus perſecutione in discipulis ejus. Potuiſſent enim hanc miſeram ſortem ſuam prævenire Judæi, ſi reſipuiſſent, & ſe ad Meſſiam convertiſ-

a p. 212.

ſent: uti Apoſtoli ſæpe iis declararunt, Act. II, III. & alibi. Ex quo ſimul elucescit, preces Chriſti in cruce, *Pater remitte ipſis*, &c. huic inprecationi non adverſari, quod putat Clericus, & alicui videri poſſet, cum illæ preces *pœnitentiam* pro hypotheſi habeant, & eo tendant in ſpecie, ut Deus non mox populum exſcindat, ſed tempus & locum pœnitentiæ concedat; uti factum eſt: quo finito, hoc judicium iis a Chriſto recte potuit denunciari; quemadmodum hic fit, ut ex dictis patet.

§. XLII. *Alterum* membrum, ad prioris illuſtrationem additum, duplicem admittit ſenſum, qui uterque recte conjungitur; *alter* eſt, quo verba redduntur, *& ad plagam luridam profanatorum tuorum numerant*, h. e. meam & meorum adflictionem adnumerant *plagæ profanatorum* tuorum ad eandem, & quævis mala; pro tali plaga, quæ ſceleratis & blasphemis infligi a te ſolet, habent quicquid mihi & ſociis meis evenit: *numerare ad* utique recte exponitur de *adnumerare*, accenſere, pro eodem habere, uti facile cernitur. Quo facit uſus particulæ עם pro *una cum*, vel *inter* *a*. Sed reddi quoque poſſunt, *& de plaga lurida profanatorum tuorum enarrant*, ut ſenſus ſit: promulgant ubique, & dicterii inſtar cum delectatione loquuntur, ut me & meos contemtui & odio exponant, de adflictione noſtra, tanquam lurida plaga *profanatorum tuorum*. Vocula עם cum ספר *narrare* materiam narrationis exprimere poteſt, & *de* verti, ut Pſ. II: 7. *Narrant de plaga confoſſorum tuorum* eſt, pro tali plaga venditant noſtram adflictionem, & ita de ea narrant: quod clarius evadet, ſi uſus vocula עם admittatur, quo *convenientiam* exprimit, & *ſecundum*, juxta, ad modum, vertitur; quo ſenſu aliq. ſumitur *b*, & idem erit, ac על דבר: quo ſenſu *narrare ad plagam* erit, ſecundum eam, ad ejus modum, tanquam talem. Quæ omnia eodem redeunt, & ſenſum conſtituunt facilem ac abundantem; hoſtes nim. accenſere adflictionem hujus perſonæ, & ſociorum, plagæ luridæ confoſſorum

a Vid. Schultens ad Job. XVI: 11. *b* Vid. Coccejus in Lex.

fossorum Dei, & secundum eam de ea loqui, & eam divulgare. Phrasis, מכאב חלליך, est selecta & emphatica, proprie dicit, *plagam luridam profanatorum Dei*, h. e. hominum scelestorum & improborum, ad omnem cædem, seu omne malum, solutorum & traditorum a Deo judice & vindice. De quo alibi egimus, ut Jer. xxv. & alibi.

§. XLIII. Demus nunc & *posterioris* modi, cujus memini, conspectum, secundum quem *prius* membrum confirmationem superioris judicii continet, & *posterius* ejus consequens; quum hac ratione vertenda sunt & explicanda verba: *quia tu es, qui*, vel *tu, percussisti* eos *qui persecuti sunt, & ad luridam plagam profanatorum tuorum numerabunt, & narrabunt*, scilicet, quicunque & ubicunque: h. e. judicium, cujus memini, in hostes meos merito exspecto, quia hac ratione solitus semper es persecutores tractare, eosque alte inflicta plaga percutere; eritque plaga quoque hæc publica, quæ materiam narrationis præbebit universalis & perpetuæ inter homines, &c. *Prius* membrum itaque, vel erit ellipticum, & vocula אשר ante דרפו *persecuti sunt* supplenda, ut plena sit oratio; *quia tu, qui percussisti, qui persecuti sunt*, seu eos, qui persecuti sunt, quemadmodum & alibi ejusmodi ellipsis occurrit, ut Job. xxiv: 19. *Siccitas, etiam calor, rapiunt aquas nivis, infernus* חטאו *peccarunt*, pro אשר חטאו eos, qui peccarunt, rapit; ubi vid. Schultens: vel potius vocabula אשר הכית, transposita sunt, & sic ordinanda: *quia tu* הכית *percussisti* אשר דרפו, *eos qui persecuti sunt*. Qualia exempla alia non deficiunt. Sic Deut. xxxii: 5. *corruptio* לו לא *ipsi non*, pro לא לו *non ipsi*, 1 Sam. xx: 7. *Si sic dixit* Saulus de Davide, *bene pax servo tuo*, pro *pax servo tuo, bene* est, 2 Sam. xviii: 20. *hodie non nunciabis* כי על *quia propter*, pro על כי, *propterea quod filius regis mortuus est*. Prov. ii: 30. *ne litem intendas homini gratis*, אם לא *si non*, pro לא אם *non, si vel tibi malum retribuerit*. Num. xi: 6. אל חמן, pro חמן אל עינינו, *nihil nisi manna ad oculos nostros*, vel coram oculis nostris. Alia mitto, & tantum addo, vulgatam

gatam interpretationem admittere ejusmodi quid in אשר אתה pro אתה אשר. Qua ratione verba hæc inserta sunt per modum parentheseos, vel per reticentiam connectenda cum seq., ut plenus sit sermo: *quia tu es, qui percussisti eos, qui persecuti sunt*, percuties etiam meos hostes, *& ad luridam plagam confossorum tuorum numerabunt* & *narrabunt*. Respicient vero, hoc admisso, verba ad vias providentiæ Dei in puniendis persecutoribus, & respectu Davidis ad judicium in Saulum ac domum ejus, *Messiæ* vero ratione latius, in specie ad judicium in Syro-Macedonas, & impios Judæorum, temporibus Maccabaicis. Eligat quis, quod sibi rectius fuerit visum, mihi maxime *prius* placet, quod supra exposui, tanquam facilius & orationis seriei congruentius, licet *posterius* non plane spernam.

§. XLIV. ℸ. *Quartus* articulus continet obdurationem in peccatis, indeque ortam privationem justitiæ Dei, in peccatis condonandis & vita danda conspicuæ, tanquam triste consequens resipiscentiæ, ipsis tempore opportuno oblatæ, spretæ; in quem statum Judæi post excidium reip., modo memoratum, inciderunt, vers. 28. his verbis: *da iniquitatem super iniquitatem eorum, & ne veniant in tuam justitiam*, h. e. permitte, nec extraordinaria gratia miraculose intervenias ac impedias, sed sine, ut peccata addant peccatis, eaque ratione justitia tua justificante, pœnitentibus promissa, excludantur, tuæque iræ maneant continua objecta. Judicium describitur obdurationis & excæcationis, indeque ortæ privationis justitiæ Dei, qua peccatores absolvit, & ad communionem suam admittit, hostibus Messiæ infligendum, posteaquam gratiam ipsis oblatam proterve respuerunt, contra, in Messia persequendo perseverarunt, tempore longanimitatis, a Deo ipsis præfixo, neglecto & finito. Qua ratione si verba capiantur, & secundum seriem versuum, a nobis ostensam, referantur ad statum Judæorum, post iram Dei in eos effusam, nihil habent difficultatis; cum, judicio obdurationis fuisse tunc traditos

traditos Judæos, ex verbo prophetico, Jeſ. VI. & alibi, manifeſtum ſit. Tantum not. illud *dare* Dei nihil aliud eſſe, quam permittere, gratia extraordinaria negata, ſinere: quemadmodum illud *dare* & *tradere* alibi quoque ſumitur, ut Ez. XX: 25. *dedi ipſis præcepta non bona*, &c. Act. VII: 42. *tradidit eos Deus ſervire exercitui cœlorum*, Rom. I: 24, 26. & alibi. Plura non addo, cum a *Tarnovio* & *Mollero*, ac aliis, hæc ſatis illuſtrata ſint. Ceterum *venire in juſtitiam Dei* eſt, ejus participem fieri juſtitiæ, qua juſtificat impium, reſipiscentem in Chriſto; ut ex Script. ſatis eſt ab aliis demonſtratum. Conveniunt itaque hæc aptiſſime in Judæos poſt Meſſiam occiſum, & reſipiscentiæ tempus, iis conceſſum, finitum; nec aliquid habent Meſſia indignum, quatenus prophetam agit & judicem, aut precibus ejus in cruce pro populo contrarium; ut ſupra jam obſervavi: Apoſtoli quoque ſimile quid Judæis impœnitentibus denunciarunt, ut Act. XIII: 46. XVIII: 6. XXVIII: 25. Sed quæritur, num in tempora Davidis quoque conveniant? resp. aliquo, ſed exili, ſenſu, reſpectu Simei & ſimilium; quorum facinora, a Davide licet impunita relicta, velle cenſeri poteſt a Deo ſuo tempore vindicanda, cum nova crimina commiſerint, ita ut felicitatis ſub Salomone participes non fiant; quod tenui admodum ſenſu eſt in *Dei juſtitiam non intrare.* Conf. I Reg. II: 8.

§. XLV. 1. *Quintus* articulus habet, verſ. 29. *Deleantur e libro vitarum, & cum juſtis ne ſcribantur.* Quæ verba *duplicem* ferunt ſenſum & conſpectum; *alterum* generalem & abſolutum, *alterum* ſpecialem & relativum. a. *Prior* ſimpliciter & in genere comprehendit mortem infamem divinitus inflictam, impiorum, & non juſtorum, ſortem: quæ duplici phraſi figurata proponitur, *una* a catalogo viventium, *altera* a libro memoriali bene & male merentium, præmia vel pœnas conſecuturorum, petita. *Prioris* reſpectu dicitur, *deleri e libro vitarum*, pro morte adfici violenta & infami, a Deo judice inflicta, eaque ratione catalogo

viventium expungi. Quo ſenſu manifeſte occurrit Exod. XXXII: 32. ne alia memorem: quod alias eſt *e terra viventium deleri.* Ad *poſteriorem* metaph. pertinet altera phraſis, *non ſcribi cum juſtis*, ſcilicet in libro memoriali, qui bonorum & malorum comprehendit catalogum, quibus præmia adſignata ſunt & pœnæ. Qualis liber memoratur Mal. III: 16. ubi vid. comm. noſter. *Cum juſtis vero non ſcribi*, ſed, quod mente eſt ſupplendum, cum *impiis*, denotat, locum inter juſtos in eo libro non habere, ſed improbos, adeoque non præmia, ſed pœnas pro ſorte. Vult itaque orator, ut mala morte pereant, & non juſtorum ſed improborum ſortem conſequantur; Pſ. I: 5. & hæc verba tanquam ſuperiorum ſummam per modum concluſionis ſubjungit. *b. Poſterior*, qui ſpecialior eſt, & ad ſtatum Judæorum, tanquam populi Dei, & hæredum promiſſorum Patriarcharum, reſpicit, habet, improbos & impœnitentes Meſſiæ hoſtes, qui in eo perſequendo obſtinate perrexerunt, catalogo populi Dei eſſe delendos, ſeu populum Dei eſſe ceſſaturos, nec ullam ſortem habituros in communione juſtorum ſub Oeconomia N. *Liber vitæ* eo ſenſu eſt, qui Iſraelitarum, tanquam populi Dei, nomina comprehendit, quibus promiſſum vitæ factum eſt, & præcepta data ſunt, *quæ qui fecerit homo vivet per ea.* Conf. Ez. XIII: 9. *Quo ex libro* delentur, qui nomen & prærogativam populi Dei perdunt, a Deo plane abjecti & anathemate devoti, Mal. III. fin. ubi vid. comm. noſter, *rami fracti*, &c. adpellati Rom. XI. *Cum juſtis* vero *non ſcribi*, eſt, eorum ſocietati non accenſeri, nec eorum ſortem conſequi, patriarcharum promiſſa & bona Spiritualia, in ſemine benedictionis, non adipisci. Sunt itaque *juſti* cum *patriarchæ*, ut vidimus ad Mal. III. fin. *tum* ſancti primogeniti Eccleſiæ Chriſti Jeſ. IV. & ſenſus eſt, eos antiquis privilegiis eſſe privandos, nec novis gaviſuros. Quæ latius non exſequor, cum Cl. Coccejus fere idem ſenſerit, & deduxerit, qui conſuli poteſt. Quod ſi quis librum vitæ ſumſerit pro

catalogo

catalogo prædeſtinatorum ad ſalutem; *deleri* ac *non ſcribi* tanquam ſe mutuo explicantia capienda ſunt: quemadmodum Arab. *deleri* ſumitur pro non ſcribi, uti apud Harir., ubi dives a paupere ad liberalitatem invitatur hac ratione, *quod ſic nomen ſuum deleret ex avaris*, h. e. non iis accenſeretur, ſed pro liberali haberetur: quæ eſt expoſitio Cl. Schultens *a*. Senſus itaque erit, eos palam & publice eſſe tanquam reprobos, & *vita aeterna indignos* manifeſtandos, ac cognoscendos, quibus nihil commune eſt cum *juſtis & vitæ hæredibus*. Conf. Jeſ. IV: 3. & ibi Cl. Vitringa.

§. XLVI. De vero hujus imprecationis *conſpectu*, quem ſupra promiſi, verbo potero abſolvere, cum ad Pſ. ex. fuſius & ex profeſſo de eo acturus ſim, nihilque aut Davidi, aut Meſſiæ, minus congruum continere demonſtraturus. Eſt itaque vero ſuo conſpectu, 1. denunciatio prophetica judicii divini, improbis hoſtibus facta, 2. a Davide & Meſſia non ſecundum proprias animi ſedati adfectiones, ſed tanquam prophetis, a ſpiritu prophetico agitatis, promulgata. 3. quæ pro hypotheſi habet impœnitentiam, indeque ortam obſtinationem in peccatis, nec levibus illis, ſed gravissimis, ſalva juſtitia Dei non ferendis, ſed ſevere puniendis. 4. Denique per *modum imprecationis* propoſita, ut juſtitiæ ac judicii Dei adprobatio, tanquam juſti & neceſſarii, ſignificaretur, & Deus quoque hac parte glorificaretur; non itaque ex animo maligno, & vindictæ cupido, ſed gloriæ Dei ſtudio, & felicitatis promiſſæ deſiderio, alia ratione per hoſtes obſtinatos non implendo, orta. Quæ nunc ſufficiunt.

§. XLVII. III. Conſequens liberationis ſupplicatæ, & hoſtium illorum excidii, quæ *tertia* Pſ. pars eſt, memoratur *triplex*, reſpectu ipſius oratoris, reliquorum juſtorum, & totius mundi, in lætitia & glorificatione Dei ſuper hac liberatione ſitum, verſ. 30—37. Cujus itaque pericopes *tres* partes ſunt; quarum memini. 1. *Prima* exhibet laudatio-

a In Mſſ.

tionem Dei ab ipso oratore tunc instituendam, quum a Deo impetraverit pleniſſimam liberationem & exaltationem; verſ. 30—32. Ubi α. præmittitur liberatio, quam ſupplicavit, tanquam antecedens & laudationis Dei cauſa ac materia, verſ. 30. *Et*, vel at, *ego depreſſus & lurens, ſalus tua, o Deus! exaltaverit me*, h. e. Ad me vero quod adtinet, adflictum nunc, miſerum & triſtem, ſalutem & liberationem tuam, o Deus! quum fuero conſecutus, & per eam in ſublimi loco ac ſtatu poſitus, quod ſupplico non tantum, ſed & mihi promitto, tunc ego iſte adflictus & lurens *laudabo nomen Dei*, &c. Verba non tam preces continent, quam *antecedens* laudationis Dei, quod *exſpectationem* ejus una comprehendit; ut in paraphraſi expoſui. Cohærent enim cum ſeq., & antecedens ac materiam laudationis Dei exprimunt; acſi haberetur, *ſalus tua quum me exaltaverit*; per defectum particulæ אם *ſi*, *quum*, ante משגבי, qui facilior eſt propter concurrentiam litterarum in voce אלהים. Nec tamen *dubie* loquitur, quin ſibi promittit exaltationem, tantum præmittit id, quod exſpectabat, tanquam antecedens, ut gratam mentem tunc demonſtrandam teſtificaretur. *Prius* vero membrum, *ego adflictus & lurens*, accipi poteſt, vel abſolute, & per ſe ſtans, pro ad *me* adflictum quod adtinet, uti ſæpe alias, vel cum ſeq. verſu connexum, ut ſit; *ego ipſe ille adflictus & lurens, quum me exaltaverit ſalus tua, laudabo te*, &c. Ceterum *liberationem* non tantum ab adflicto & lurido ſtatu ſuo memorat, ſed ulteriorem ejus gradum addit, quo in ſublimi & glorioſo ſtatu collocaretur; quod eſt, *per ſalutem Dei exaltari*, h. e. ſervatum a Deo exaltari. Quod Davidis reſpectu pertinet ad regnum recuperatum, & glorioſius quam antea redditum in Salomone, quo ſeq. nos etiam ducunt, ſed *Meſſiæ* ratione ad ſublationem in cœlum, & ſeſſionem ad dextram Dei, &c. quod ſatis notum eſt. Sed majore adhuc emphaſi pollet phraſis ſelecta, *ſalus tua me exaltaverit*, qua exaltatio derivatur ab *ipſa ſalute Dei*, ipſi & populo promiſſa, quæ

quæ ut effectum habeat, exaltandus erat; ut verſ. 14. habuimus.

§. XLVIII. β. Sequitur ipſa laudatio, tunc præſtanda, verſ. 31. *Laudabo nomen Dei cantico, & magnificabo ipſum confeſſione*, ſeu protenſa celebratione. Licet modo *antecedens* laudationis expreſſerit, oratione ad Deum verſa, ipſam laudationem effert ſermone alio flexo, & de Deo loquens, quaſi alios adlocutus, ut, ſe iis in laudando Deo præire, indicaret; quemadmodum mox pios adloquitur eum in finem. In quo nihil eſt inſoliti. Verba nihil habent, nobis relictum notandum, niſi illud unum, voce תודה exprimi confeſſionem ſalutis Deo tantum acceptæ ferendæ, & celebrationem ejus, denique utramque ſummo ſtudio & publice faciendam; uti ex intrinſeca vocis poteſtate quoque elucescit. Radix ידה proprie eſt *tendere*, *exſerere prolixius*, unde יד *manus* extenſa, hinc *jactare* cum ſtudio & fervore ſummo, nec non uſus *confitendi* & *celebrandi*, q. d. oſtendere, oſtentare, ob oculos aliorum in publico protendere. Quare Pſ. XXII: 23. idem orator dicit, *narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio cœtus laudabo te.* Ceterum, Davidem illud magis proprie dicere potuiſſe, Meſſiam non niſi improprie, quatenus per fideles ſuos id facit, qui Deum ſuper ipſius exaltatione laudant, facile intelligitur.

§. XLIX. γ. Subjungit hujus generis laudationis commendationem & præſtantiam præ cultu rituali, verſ. 32. *Et placebit*, ſuavis odoris erit, *Jehovæ præ bove, juvenco cornificante, ungulas dividente*, h. e. ſuavius longe & gratius hoc confeſſionis & laudationis ſacrificium erit Jehovæ, quam cujuscunque animalis puri, præſtantiſſimi alias, & ſecundum legem ritualem offerri ſoliti, adeo etiam, ut non hoc, ſed illud Deo ſit acceptum futurum. Senſum enim habent verba vel reſtrictiorem, vel ampliorem; *priorem*, quo non rejiciuntur ſacrificia legalia, ſed poſtponuntur tantum cultui rationali, qui directe & primo loco ſeſe offert, *poſteriorem*, quo loco moventur, & iis ſubſtituitur rationalis, uti Pſ. XL.

Uterque hic admittendus eſt, cum *prior* in Davidem, *poſterior* in Meſſiam rectius quadret. Cum vero *laudatio* Dei comparatur cum *bove* &c. facile intelligitur, quod tamen notandum eſt, utrumque hic conſiderari tanquam *ſacrificium*, quemadmodum *ſacrificium laudis* alibi plenius dicitur, Pſ. L. adeo ut *bos*, *juvencus*, ſit pro *ſacrificio* bovis, &c. quo verbum טוב etiam nos ducit, cum pro bonæ fragrantiæ odore, apud Arab. & in Script. Eccleſ. VII: 1. Cant. I: 3. Jer. I: 20, uſurpetur; quod ſacrificiis ſolet aptari, ut Gen. VIII: 21. & alibi. Ceterum quid ſibi epitheta velint *cornificantis & ungulas dividentis*, ut voces vertendæ ſunt, quod jam obſervavit Guſſetius *a*, & quare ſint addita, vix expedire poſſum; poſſunt in ſpecie ad *juvencum* referri, quum *cornua* emittit, & ungulas habet firmas, quo ſtatu vegetiores erant, & ſacrificio aptiores, uti Bochartus *b* cum aliis exponit, nec non *bovi & juvenco* cenſeri addita, ut in genere quævis animalia *cornigera* & *bifidas ungulas* habentia, quod *purorum* animantium criterium erat Lev. XI., ſignificarentur.

§. L. 2. Secunda pars ad pios & cultus Dei ſtudioſos inter Israelitas pertinet, &, eos ex hac liberatione ſua materiam lætitiæ ac conſolationis carpturos eſſe, declarat, verſ. 33, 34. Ubi *a.* ipſum conſequens eorum reſpectu exhibetur, verſ. 33. *Viderunt manſueti lætabuntur*, *quærentes Dei*, *etiam vivat cor veſtrum*, h. e. Cum viderint hanc meam liberationem & exaltationem manſueti & modeſti, Deo ſeſe ſubmittentes & hominibus cedentes; curis & anxietatibus ſoluti lætabuntur, Dei ejusque cultus ſtudioſi coagmentato & corroborato corde exſultabunt, utique lætandi materiam habebunt illi, &, ut conſolatione ac hilaritate gaudeant, quod poſſunt, ipſis injungo, & eos ad id exhortor. Ad ſtructuram orationis recte percipiendam 1. notandum eſt, verbo *viderunt* exhiberi antecedens, & prærequiſitum lætitiæ, & idem eſſe ac, *quum viderint*, lætabuntur:

a In Lex. in נוה. *b* H. p. II. l. III. c. 26.

tur: quæ ratio eſt, quare in præt. occurrat. Ita Pſ. XXII: 23. *exaudiviſti me, narrabo nomen tuum fratribus meis*, h. e. *cum exaudiveris me*, id faciam. Conjungendæ enim ſunt hæ voces, & ea ratione intelligendæ, ut ad eum Pſ. obſervavi, & alia ſimilia exempla produxi. Non exprimitur quidem, *quid* viderint, ſed ex ſerie orationis illud ſeſe ſponte ſua offert; cum ſupra de liberatione ac exaltatione ſua, hoſtiumque excidio, locutus fuiſſet. 2. Voces, elegantiæ cauſa diviſæ, ut ſæpe ſolet, ſecum hac ratione ordinandæ ſunt: *viderunt manſueti, quærentes Dei lætabuntur, & vivat cor veſtrum.* Verba enim *lætari* ac *vivere* ad utrosque pertinent, & *manſueti* iidem ſunt, qui *quærentes Dei:* quæ duo ſunt epitheta eorum, qui lætarentur & viverent, ſæpe recurrentia in Pſ., & a nobis expoſita. Conf. Pſ. XXII: 27., qui locus noſtro parallelus eſt: quare moras non necto. 3. Denique obſervari meretur, ſermonem, & *de iis* hic fieri, & *ad eos*, ut indicaretur, eos id *partim* eſſe facturos, *partim* facere debere: *prius*, cum dicitur, eos *lætaturos*, *poſterius*, cum excitantur ad cor firmandum, & exſultandum: acſi haberetur, *viderunt manſueti, quærentes Dei, lætabuntur, & vivet cor ipſorum; lætemini* itaque omnes vos, & *vivat cor veſtrum*, habetis enim materiam & rationem id faciendi. Phraſis, *vivere cor*, quæ in loco parallelo etiam occurrit Pſ. XXII: 27., eſt ſelecta & emphatica; denotat enim cor *coagmentatum* & firmum, quæ propria eſt radicis מן poteſtas, ſimul tranquillum & ſecurum, denique exitatum & exſultabundum. 4. Tandem not. eſt; hoc liberationis conſequens opponi contrario, verſ. 7. memorato, quod ex perſonæ hujus excidio fuiſſet ſecutum, & unde rationem petiit orator, ad preces pro liberatione ſua urgendas; dicens, *ne pudefiant in me quærentes te* &c. Loco itaque confuſionis lætaturos eſſe & exſultaturos pios, & ſtudioſos Dei cultores, cum *liberationem* hujus adflicti viderint. Quod facile adplicatur ad Davidem, & majore longe emphaſi ad *Meſſiam.*

§. XLI.

§. LI. β. Conſequentis, ſeu conſolationis & lætitiæ, materiam & rationem ſubjungit poeta, verſ. 34. his verbis: *quia audit pauperes Jehova, & vinctos ſuos non ſpernit*, h. e. lætandi, & animum in quovis caſu firmandi, habent rationem pii, habetis vos, quicunque eſtis, Dei cultores! quia meo exemplo vident, Deum ſuos non deſerere, ſed votis eorum respondere, adeo ut inde ad qualemcunque ſtatum adflictum, in quem inciderint pii, concludi poſſit, ſive ſit pauperrimus & adflictus eorum ſtatus, ſive ſub potentum & tyrannorum dominio gemant, inſtar vinctorum, permiſſu Dei, vel cauſa Dei & religionis, Deum eorum querelas audire, & tantum abeſſe ut eos ſperneret, ut erepturus ſit tempore opportuno. Ad quorum intellectum in genere notandum eſt, provocari quidem ad exemplum liberationis hujus perſonæ, ſed conſolationem, inde petendam, latius ad qualicunque in ſtatu miſero poſitos, licet diſſimilis ſit hujus perſonæ, extendi; adeo ut inde colligi non debeat, perſonam hanc quoque fuiſſe *vinctam Dei;* licet ſenſu commodo id de ea quoque adfirmari poſſit, ſive ſit David, coram Abſolomo fugiens, ſive Meſſias, cruci adfixus. In ſpecie obſervandum eſt 1. idem hic locum habere, quod verſ. ſuperiore, voces, elegantiæ cauſa divulſas, eſſe concinnandas, ut uno tenore legatur, *quia pauperes & vinctos ſuos audit Jehova, & non ſpernet*, h. e. tantum abeſt, ut ſpernat, ut eos quærentes, & Deum inclamantes, audiat, & liberet. Hanc enim emphaſin habet ſermo, *audit & non ſpernit*, ut facile nunc intelligitur. 2. *Pauperes* eſſe in genere qualicunque calamitate gravi preſſos, & ope deſtitutos, & *vinctos Dei* eſſe in ſpecie, qui, proprie magis, vel inproprie, potentum & tyrannorum ſub dominio gemunt; utrosque tamen pios, & fideles Dei, eo etiam nomine ſubinde adflictos, *ut vincti Dei*, & *pauperes* ejus, adpellari poſſint; ſicut Paulus Philem. 1. ſe *vinctum Chriſti* adpellat. *Pauperes* enim æque *Dei*, ac *vincti ejus*, intelligendi ſunt, licet de vinctis tantum dicatur;

dicatur; cum *relativum* ſufficiebat uni epitheto addidiſſe, ut ad alterum quoque extendatur. *Pauperes* vero proprie ſunt, ratione habita originariæ poteſtatis vocis Hebr. אביון, cujus radix אבה proprie ſedem habet in *curvatione flexa*, *incurvati*, proni, humiles, inde pondere miſeriæ oppreſſi, etiam vexatione tyranica; ſimul gementes, אבוי *heu*, *ebeu!* clamantes, & opem implorantes; quare hic habetur, & alibi, Deum *eos audire*; uſu autem ſuo de piis & probis adhibetur, qui *pauperes Dei* propterea adpellantur. Sed *vincti* peculiari uſu ſunt *bello capti*, & inde in genere tyrannide aliorum oppreſſi, & potentum dominio ſubjecti, uti Job. III: 18. ubi vid. Schultens. Conf. Pſ. LXVIII: 7. & ibi dicta. 3. Denique, *audire pauperes* & *non ſpernere vinctos*, eſſe, ut jam dixi, non tantum, eos clamantes, & opem Dei implorantes, non ſusque deque habere, ſed *audire*, & *eripere*: quod hic addendum eſt, & verbo *audire* comprehenſum; ut facile intelligitur; conf. Pſ. L: 15. Vocula vero את ante אביונים uſum articuli habet; ejusdem poteſtatis ac את ante אסיריו: qui uſus Arab. eſt frequens, Hebr. non inſolens.

§. LII. ג. *Tertia* pars reſpicit ad totum hoc univerſum, quod ad Deum laudandum excitatur, intuitu ſalutis, indeque ortæ felicitatis, in populum Dei conferendæ, verſ. 35--37. Ubi iterum α. occurrit excitatio orbis ad Deum celebrandum, verſ. 35. β. ejus materia & ratio, verſ. 36, 37. α. *Prius* his verbis, verſ. 35. *Laudent ipſum coeli & terra; maria, & quicquid in iis ſe vibrat.* h. e. univerſæ rerum creatarum naturæ intereſt, ut Deum celebrent, & officium omnium creaturarum foret, eo etiam defungerentur, ſi intelligentia pollerent, & ſapientia. Apoſtrophe eſt, ut facile patet, poetica ad totum univerſum, quam late patet, &, per modum perſonæ fictionis, excitatur ad Deum laudandum, ut ſignificetur, ſummum eſſe beneficium, hic memoratum, cujus ſimul eſt peculiaris relatio ad univerſum, adeo ut lætari & Deo jubilare deberet, ſi intelligeret. Quales fictiones, & apoſtrophæ, non ſunt a

ſtylo poetico & prophetico alienæ, uti ſatis conſtat. Vid. Jeſ. XLIV: 23. & ibi Cl. Vitringa. Partes autem univerſi recenſeri, ſatis patet, ſed quorſum pertineat ultimum membrum, & *omne ſeſe vibrans in iis*, dubium eſt. Verbum רמש ad pisces non tantum, ſed & animantia, ac aves, ſeſe transferri patitur, ſicut *animantibus* terræ adplicatur Gen. I: VII, VIII, IX. 2. licet paſſim *piscibus*, ut Pſ. CIV: 25. Hab. I: 14. Gen. I. Lev. XI: 46. Vera quoque vocis poteſtas quibusvis animatis competit: habet enim radix propriam notionem *vibrandi*, ſeu cum vibratione *palpitandi*, unde רמש derivatum de eo dicitur, quod ſe vibrat, ſeu huc illuc, & in ſpecie *agiliter*, ſeſe movet. Structuram vero ſermonis ſi adtendamus, primo cogitandum eſt de *natatilibus*; ſicut enim *coelum & terra* junguntur, ita in altero membro *maria & quicquid in iis ſeſe movet*, h. e. in *maribus*: ſed licet proxime adjungatur *maribus*, & iis adplicandum ſit, ulterius tamen ad coelum & terram extendi poteſt; uti fecit Druſius *a*. Quod tanti non eſt.

§. LIII. β. Majoris eſt, materiam & rationem celebrationis Dei, univerſæ naturæ rerum imperatæ, recte explicuiſſe; quæ his verbis exprimitur, verſ. 36, 37. *Quia Deus ſervabit Tſionem, & ædificabit urbes Judæ, & habitabunt ibi, & hæreditabunt eam, & poſteritas ſervorum ejus cretam tenebunt eam, & amantes nominis ejus tentoria figent in ea.* Quæ pro hypotheſi habent, Tſionem, ſeu metropolin civitatis & Eccleſiæ, in arctum eſſe redactam, & oppreſſam, urbesque Judæ deſtructas, ac incolis orbas: ſignificant vero earum inſtaurationem, & frequentem inhabitationem hæreditariam a ſervis Dei & nominis ac cultus ejus ſtudioſis, in longum poſteritatem, ſimul tutam, tranquillam, & proſperam poſſeſſionem. In verbis nihil eſt obſcuri: quod verſ. 36. fin. in genere dictum erat de frequente inhabitatione hæreditaria, illud verſ. 37. exponitur ratione *incolarum*, qui pii forent, & *perpetuitatis* ejus, cum *ſemen* ſervorum Dei eam dici-

a Anim. l. II. c. 45.

dicitur poſſeſſuram. Hac enim ratione verba cohærent. Sed in ſenſum & ſcopum verborum inquiramus. Admittunt *duplicem* intellectum, *litteralem*, ut adpellatur, & *ſpiritualem*. Poſterior, ut ab eo tanquam, magis recepto, incipiamus, pro hypotheſi habet, *Tſionem* & *urbes Judæ* eſſe Eccleſiam Chriſtianam, in primævam Apoſtolicam, in Tſione fundatam, & varias particulares, cum ea tanquam metropoli unitas, per totum orbem, diviſam; ſub emblemate Tſionis & urbium Judæ, phraſi, a Judæo populo petita, proponi ſolitam in Script. V. & N. T., uti notum. Quo admiſſo, prædicitur his verbis, tanquam conſequens exaltationis Meſſiæ, & materiam jubilationis univerſæ naturæ rerum, Eccleſiam Judaicam, valde corruptam, quin Spiritualiter ſubverſam, etiam litteraliter deſtructam per Romanos, eſſe renovandam & in melius mutandam, Eccleſiæ Tſionea per orbem propagata, & in varias Eccleſias diſtincta, eamque eſſe in perpetuum duraturam, & floriturum, cujus membra forent pii, & Dei amantes. Quæ cum ab Interpretibus ſint latius deducta, moram nobis injicere non debent.

§. LIV. Quæ licet recte ſeſe habeant, & *partim* ex hypotheſi, ſupra jacta, de Meſſia hic loquente, ſponte ſua fluant, partim ex eo firmentur, quod jubilationis univerſi argumentum conſtituant juſtiſſimum & præcipuum, cum univerſum in eo ſuam ſubſiſtentiam habeat & firmitatem, quod Eccleſia Chriſti ſit in mundo, cujus cauſa omnia conſervantur & durant, præterea per Eccleſiam Chriſti Deo gloriam det, & ſcopo creationis ac conſervationis ita reſpondeat, denique renovationem ſuam inde ſuo tempore exſpectet, Rom. VIII. 2 Pet. III. & alibi: hæc, inquam, licet vera ſint, ſenſum tamen litteralem, ad Tſionem & urbes Judæ pertinentem, non excluſerim; cum David quoque in ſua hic loquatur perſona, ut ſupra vidimus, & verba ita ſint formata, ut ad populum Judæum, a Deo ſervandum ac inſtaurandum, nos manifeſte ducant, & aliis

prophetiis de hoc populo reſpondeant: uti conſtat. Accedit, populi Judæi inſtaurationem ad eam Eccleſiæ Chriſtianæ reſpicere tanquam ſcopum, complementum & fundamentum ſuum, ejusque ſimul typum eſſe & emblema: adeo ut uterque ſenſus, litteralis & myſticus, recte conſiſtere poſſit, & ſoleat.

§. LV. Sed *duo* tunc inprimis ſunt, quæ expediri merentur, *alterum* eſt, qua ratione Judæi populi inſtauratio, & proſperitas, poſſit conſiderari, tanquam materia & ratio jubilationis totius univerſi, *alterum* eſt, quo ſenſu David ejus mentionem facere potuerit hoc in caſu, & tanquam conſequens ſuæ liberationis conſiderare. *Prius* illud nos non detinebit, cum Cl. Vitringa illud jam illuſtraverit ad Jeſ. XLIV: 23., ubi idem fere occurrit: quare uno tantum verbo notaſſe ſuffecerit, Eccleſiam Judaicam easdem ob rationes, licet minore gradu, ob quas Eccleſia Chriſtiana, materiam jubilationis univerſæ rerum naturæ præbere, *cum* quod vera Dei notitia & religio ab ea pendeat, *tum* quod, ſine ea conſervata, Eccleſia Chriſtiana, inde quippe oriunda, & eam conſummatura, locum invenire non poſſet. Sed *poſterius* explicatus habere videtur difficiliores, in primis, cum verba deſtructionem Tſionis & urbium Judæ pro hypotheſi habeant, quod ab hoc tempore Pſ. eſt valde alienum. Ad quem nodum ſolvendum, 1. dici poſſet, Davidem, ſi ejus ſint verba, de quo mox, ut Tſionis & populi Judæi perpetuam conſervationem eo fortius exprimeret, quod proprie in animo habuit, Tſionem cum urbibus Judæ ſibi tanquam deſtructam repræſentaſſe, quod in Spiritu potuit prævidere, quod Muiſius quoque obſervavit, eamque ne ſic quidem eſſe perituram, ſed identidem a Deo inſtaurandam, declaraſſe, & qua talem univerſæ naturæ exhibuiſſe materiam jubili: denique cum ſua & Meſſiæ exaltatione arcte connexam conſideraſſe, ut pro utriusque conſequente haberi poſſit. Utique durare debebat Tſion usque ad Meſſiam, in quo conſummaretur, & in Salomone pro-

promiſſum regni perpetui, Davidi factum, impleretur; quod ſine reſtituto Davide fieri non poterat. David ſi præſenti calamitati ſuccubuiſſet, videri poſſet actum eſſe de Tſione & urbibus Judæ, ac tranquilla & proſpera populi in iis habitatione, quæ per ejus liberationem denuo eſt confirmata, & ſub Salomone mox illuſtriſſimo ſpecimine manifeſta facta. Addatur, Davidem ſuam adflictionem & liberationem potuiſſe reſpicere tanquam imaginem calamitatis, & liberationis, ſicut piorum, ut verſ. 34., ita populi Tſionei in genere, cujus rex erat, & foret in Salomone ejusque poſteris in perpetuum.

§. LVI. Sed 2. verba verſ. 35—37., haberi quoque poſſunt pro adſumento, eo tempore a propheta aliquo addito, quo populus Judæus, Tſione, cum urbibus Judæ, deſtructa, manus admoveret rebus inſtaurandis poſt exilium Babyloniçum, ad fidem & ſpem populi de pleniſſima rerum reſtitutione & proſperitate exprimendam & confirmandam. Quod adſumentum huic Pſ., quo Davidis & Meſſiæ adflictio & liberatio depicta erat, aptiſſime conveniebat, ut ex ſupra dictis liquet; nec exemplo caret. Exſtat utique ſimile, ne nunc alia proferam, Pſ. LI: 20, 21. ubi vid. dicta. Quando omnis ſublata eſt difficultas, & idem ſenſus litteralis & Spiritualis retinetur.

PSALM. LXX.

1. *Præfecto, Davidis ad commemorandum.*
2. *Deus! ad eripiendum me, Jehova! ad auxilium meum, festina.*
3. *Perplexi sint & ignominia notati qui quærunt animam meam: retrocedant & pudore frangantur qui delectantur malo meo.*
4. *Redeant super vice pudoris ipsorum, vel super vestigio pudore ipsorum, qui dicunt, evax, evax!*
5. *Exsultent & lætentur in Te omnes quærentes Te, & jugiter dicant, magnificetur Deus! amantes salutem tuam.*
6. *Et ego humilis ac pauper, Deus! festina mihi ad auxilium meum, & ereptor meus tu, Jehova! ne moreris.*

PSALM. LXXI.

1. *In te, Jehova! patrocinium habeo; ne erubescam in æternum.*
2. *Pro justitia tua extrahes me potenter, & evadere facies; inclina ad me aurem tuam, & serva me.*
3. *Esto rupes commodæ habitationis ad intrandum jugiter; præcepisti ad me servandum. Quia petra mea & munitio mea Tu,*
4. *o Deus mi! evadere me fac e manu inprobi, e vola iniqui & fermentescentis.*
5. *Quia Tu exspectatio mea, Domine Jehova! fiducia mea a pueritia mea.* 6. *Su-*

6. *Super Te fultus sum ab utero, a visceribus matris meæ. Tu promus condus meus, in Te splendor meus corusca jugiter,*
7. *Sicut portentum fui multis. Et, vel etiam, Tu perfugium meum, robur invictum,* es erisque.
8. *Implebitur os meum magnifica tua laudatione, omni die excellentia tua.*
9. *Ne projicias me tempore senectutis, quum absumta fuerit vis mea, ne deseras me.*
10. *Quia dixerunt inimici mei de me, & observantes animam meam consultarunt uniter:*
11. *Dicendo, Deus deseruit ipsum, persequimini ipsum, & prehendite ipsum, nam non est vindex.*
12. *Deus! ne longe sis a me, ad auxilium meum festina, Deus mi!*
13. *Erubescant, consumantur, adversarii animæ meæ, opprobrio & ignominia involvantur quærentes malum meum.*
14. *Et ego jugiter lentus exspectabo, & addam ad universitatem laudationum tuarum.*
15. *Os meum narrabit justitiam tuam, omni die salvationem tuam. Quia non novi recensiones,*
16. *Veniam cum fortitudinibus Domini Jehovæ, memorabo justitiam tuam, Tui soltus.*
17. *Deus! instigasti me a pueritia mea, & hucusque promulgabo mirabilia tua.*
18. *Itaque etiam usque ad senectutem & canitiem, o Deus! ne deseras me, donec publicavero brachium tuum ætati omni venturæ, fortitudinem tuam,* & justitiam tuam.
19. *Et justitia tua, o Deus! usque ad altissimum est, qui fecisti mirabilia, o Deus! quis sicut Tu?*
20. *Qui videre nos fecisti angustias strictas, spissas & quassantes; denuo vivificasti nos, & ex abyssis terræ nos denuo emergere fecisti in altum.*
21. *Mul-*

21. *Multiplicaſti magnificentiam meam, & avertiſti Te conſolatus es me.*
22. *Etiam ego celebrabo Te inſtrumento nablii, pſallam Tibi citbara, ſancto Israelis.*
23. *Tinnulum ſonabunt labia mea, quum Tibi pſallam. Et anima mea, quam redemiſti,*
24. *Etiam lingua mea omni die ferviđe ebulliet juſtitiam tuam, quia pudore confuſi, quia ignominia notati, ſunt quærentes conquaſſationem meam.*

PROLEGOMENA.

§. I.

DUos hosce Pſalmos conjungimus, & *priorem* conſideramus tanquam partem Pſ. XL: 14--18. repetitam, & Pſalmo LXXI. ſimpliciter præmiſſam ad ſtatum perſonæ loquentis calamitoſum depingendum, precesque tum fuſas repræſentandas, ex quo nunc vel plene, vel ex parte præcipua, erat erepta, ita ut Deum glorificare potuerit & celebrare ſuper liberatione ſua, ac cum fiducia ejus patrocinium & tutelam implorare usque ad finem vitæ: quod Pſ. LXXI facit, & precibus pro liberatione fuſis in ſtatu adflicto, tanquam exauditis, ſubjungit, ad gratum ſuum animum teſtificandum, ſuamque fiduciam in Deum exprimendam. Decurrunt enim hi Pſ. uno filo, & priori tantum præfixus eſt titulus, poſterior ei immediate, ſine ullo novi Pſ. indicio, eſt adnexus. Eſt quoque *prior* Pſ. pura puta repetitio laciniæ Pſ. XL. ut ex collatione liquet, adeoque non pro integro Pſ. haberi debet, ſed pericopa inde excerpta, & huic Pſ. LXXI præmiſſa, per modum exordii, & introductionis, quæ itaque preces in ſtatu adflicto fuſas, adeoque alio tempore, continet, & hic repetuntur ad ſtatum perſonæ loquentis

eo

eo tempore deſcribendum; ad quem Pſ. LXXI. reſpicitur, quo preces illas ſuas eſſe exauditas, & fiduciam ſuam in Deum eſſe auctam, indicat; denique, ſeſe in poſterum eſſe celebraturum, ac fiduciam in ipſo collocaturum, declarat. Digitus quoque Pſ. LXXI: 12, 13. manifeſte intenditur ad preces Pſ. LXX. comprehenſas, ut ſuo loco patebit. Reſpiciunt itaque duo Pſ. ad eandem calamitatem, ſed prior tanquam præſentem, poſterior præteritam & finitam, ſeu ex parte præcipua, vel perfecte. *Prioris* itaque Pſ. partis, inſtar prologi præmiſſæ, quæ Pſ. LXX. nunc conſtituit, *argumentum* eſt ſupplex viri pii, ab hoſtibus ad necem quæſiti, precatio pro cita ſua liberatione, ad hoſtium, qui excidium ejus jam læti ſibi promittebant, confuſionem, & piorum conſolationem ac lætitiam. *Poſterioris* vero partis, quæ Pſ. hoc tempore compoſitum abſolvit, argumentum eſt ejusdem pii, provectioris jam ætatis, ab ea calamitate vel plene vel ex parte liberati, oratio ad Deum, qua Deum, liberatorem & redemtorem ſuum, *partim* cum fiducia ſupplicat, ut vel perfectam concedat liberationem, vel eam perpetuam reddat, nec in ſenectute, cum vis vigorque defecerit, ſe deſerat, rationibus a conceſſa liberatione, & aliis multiplicibus favoris Dei ſignis, ab ipſa pueritia hucusque ſibi præſtitis, petitis, *partim* pium & gratum ſuum animum, in Deo laudando, & operibus ejus celebrandis, demonſtrandum, teſtificatur, & explicat. Quæ duæ orationis partes eo, quo dixi, ordine, *tribus* articulis, cum inſigni emphaſi & variatione, repræſentantur; ut ex *diviſione* Pſ. patebit.

§. II. *Poſterioris* partis, ſeu Pſ. LXXI., cujus ratio hic in primis habenda eſt, cum *prior* pars ejus tantum ſit, ut dixi, introductio, ſeu prologus, ex Pſ. XL. petita, ubi de ea dixi, *criteria* ſeſe offerunt ſequentia, quæ argumenti conſpectum in lucem proferunt. 1. *Primus* character, ad morales loquentis qualitates pertinens, habet, eum ab ipſa pueritia fuiſſe Deo conſecratum, & eum ſtudioſe coluiſſe, eique ſemper fidiſſe, verſ. 5, 6, 17. *Secundus* 2. eſt, eum ſingu-

laria accepisse a Deo promissa, ad quæ in omni vitæ statu, quam difficili etiam, provocare possit, & a Dei justitia ac veracitate petere liberationem & conservationem: sicut in hoc Ps. facit ubique; in specie, vers. 2, 15, 19, 22. 3. *Tertius* continet varia singularis favoris Dei specimina, in hominum oculos incurrentia, quæ antea & per totam vitam expertus erat; adeo etiam ut *portenti* instar fuerit, vers. 6, 7. 17. 4. *Quartus* est, eum & antea, & novissime, e gravissima calamitate, & hostium persecutione fuisse, cum hostium confusione & prostitutione, ereptum: ut clare exprimitur, vers. 23, 24. Significatur quoque vers. 3. & innuitur pericopa, vers. 9—14. recte intellecta; ut postea patebit. 5. *Quintus* est, aliquid adhuc perfectæ liberationi ipsius deesse; quod a Deo petit perfici, vers. 4. 6. *Sextus* habet, eum in eo jam versari statu, in quo vota, ante concepta, solvere, & Dei virtutes ac opera publice cum gratiarum actione celebrare possit; quod, se quoque facturum esse usque ad finem vitæ, testificatur, vers. 14— & 22—24. Denique 7. *Septimus* est, eum jam provectioris esse ætatis, integris tamen viribus, qui nihil admodum metuendum habeat amplius, quam ut in senectute instante deseratur: quare orat supplex, ut Deus sit, maneatque, præsidium suum in perpetuum, *vers.* 3, 9. 18.

§. III. Ad hos qui adverterit characteres, is profecto facile intellexerit, quæ etiam communior est Interpretum hypothesis, circa tempus calamitatis Absolomicæ canticum esse compositum; quod ex lacinia Ps. XL., hic repetita Ps. LXX., uterius confirmo; cum & illa Psalmi XL. ad idem tempus pertineat, ut ad eum Ps. demonstravimus. Sed, quæ nostra est opinio, non vigente, sed jam finita illa adflictione, & Davide Hierosolymis jam restituto, Ps. est ab ipso factus; ut ex criteriis, modo prolatis, manifestum est. Tantum dubium quodammodo est, num pleniſſima jam fuerit gavisus liberatione, an aliquid adhuc superandum, & e medio tollendum, restiterit, cujus in *quinto* charactere memini.

Uti-

Utique cum verſ. 4. orare videatur, ut e manu impii, & nullius frugis hominis, eripiatur: *tempus* Pſ. recte ſigitur in eo, quo, Abſolomo ſuperato, & a Juda receptus, Hieroſolymam redux, Joabum miſit ad *Zebam* cum Israele rebellantem in ordinem redigendum, 2 Sam. XX. in quem recte quadrant epitheta, quæ verſ. 4. huic hoſti dantur. Confirmat traditio, in verſione Syr. conſervata, ſed Pſ. LXX. male præmiſſa, quæ habet, Pſ. ad litteram eo pertinere. De quo quicquid ſit, ſive plene, ſive præcipue, fuerit finita calamitas Abſolomica, David, ea ſuperata, & in ſedem ſuam reſtitutus, aptiſſimam inde ſumere potuit *occaſionem* ſeſe in favoris Dei ſigna, quæ hucusque expertus erat, diffundendi, & ſeſe cum fiducia Deo in poſterum commendandi, ſuumque propoſitum Deum ſemper celebrandi teſtificandi; quod hoc Pſ. fecit.

§. IV. Unde de *ſcopo* & *uſu* Pſ. quoque facile conſtat; modo inter laciniam Pſ. XL. hic repetitam Pſ. LXX., & ipſum Pſ. nunc compoſitum, diſtinguatur. *Pericopam* illam repetiit, & Pſ. præmiſit, qua, quanto fuerit in periculo, & quas tunc preces fuderit, exponit, ut calamitatem, quam in oculis habebat in hoc Pſ. LXXI., accuratius definiret, & preces ſuas eſſe exauditas, doceret. In ipſo vero Pſ. intendit gratum ſuum animum erga Deum, pro hoc & aliis beneficiis in eum collatis, in lucem proferre, ſimul fiduciam ſuam in Deum exponere, &, qua ratione ſeſe Deo per preces commendaverit contra fenectutis ingravescentis mala, cum publico communicare; ut pii inde conſolationem adiſcerentur, & exemplum, quod imitentur, ſibi fumant. Quam ob cauſam *præcentori* demandatus eſt Pſ., ut inter ſacra cantaretur, & titulum quoque meruit לשלמה; de quo dixi ad Pſ. XXXVIII., ad eandem calamitatem pertinentem.

§. V. *Structura* Pſ. nihil habet ſingulare: continua eſt ad Deum oratio, ſed in introductione *precatoria* tota, in ipſo Pſ. partim *precatoria*, partim *laudatoria* cum gratiarum actione

conjuncta. *Stylus* est planus & facilis, emphaticus tamen & adfectuosus. Partes sunt *duæ* generales, quarum *altera* laciniam alterius Ps. repetit, & per modum introductionis præmittit, Ps. LXX.; tota precatoria ad liberationem e calamitate præsente impetrandam; *altera* materiam Ps., nunc compositi, comprehendit Ps. LXXI., cujus *tres* partes sunt, eodem fere modo, sed cum insigni variatione, decurrentes, quatenus *precationem* continent cum testificatione *laudationis* Dei, qua studiose defungeretur. א. *Primus* articulus est, vers. 1—8. ב. *Secundus* vers. 9—16. ג. *Tertius* vers. 17—24.

ANACRISIS.

§. VI. Ps. LXX*mum* Interpretes alii ad Davidem vel a Saulo, vel Absolomo, adflictum, referunt, alii pro adpendice Ps. præcedentis habent, & vel preces Messiæ patientis continuari, vel Ecclesiæ, aut piorum sub cruce ad Christi exemplum gementium, querelas hic fundi, autumant, sese in eo tantum fundantes, quod eum conspectum hæc pericopa gerat Ps. XL: 14—., unde petita est. Sed cum ad eum Ps. demonstraverim, pericopam agere de Davide coram Absolomo fugiente, facile liquet, subsestum esse eorum fundamentum, qui ad Christum aut Christianos adplicant, & omnino ad Davidem tempore adflictionis Absolomi pertinere. In quo hic acquiesco. Ps. LXXI., licet alii de Christo patiente, alii de Ecclesia in adflictione posita, sive Judaica sub Babyloniis, Persis & Syro-Maced., ut Tillius, inscriptioni LXX. Interp. aliquid tribuens, aut a Romanis a vers. 20. ut Kimchius, sive Christiana, ut alii, interpretentur: communior tamen hypothesis habet, eum de Davide, coram Absolomo fugiente, esse explicandum; quæ unice vera est, ut ex supra dictis liquet; hoc tantum cum discrimine, quod non durante, sed finita hac adflictione fuerit compositus, & ad Davidem jam libera-

beratum adplicandus. Præterquam quod nulla ſit ratio a Davide, autore Pſ., discedendi, nullus ſeſe offerat Meſſiæ, aut Eccleſiæ Chriſtianæ, character, absque quo ſi Pſ. eo referatur, arbitraria plane & imaginaria fieret Pſ. interpretandorum methodus; adſunt nonnulla, quæ ad Chriſtum aut Eccleſiam vix adplicari poſſunt; ut quod ex. gr. de *ſenectute ſua*, ejusque incommodis, hic habet autor. Acquiescimus itaque in vulgatiore hypotheſi, paululum immutata, ut modo notavi, & ad Davidem, modo adflictionibus Abſolomi ereptum, & ſedi reſtitutum, adplicamus Pſ.: ſecundum quam hypotheſin exponere adgredior.

EXPOSITIO.

§. VII. Pericopa introductoria, de cujus ſcopo jam dixi, Pſ. LXX. comprehenſa, cum ex Pſ. XL: 14. ſit deſumta, & ibi explicita, nos non detinebit; tantum de una alterave notabiliore differentia inter hunc Pſ. & XL. verbo monebo. 1. Omiſſa hic eſt periculi & calamitatis deſcriptio, quæ occaſionem precum dedit, & mox preces ipſæ incipiunt; quia ex Pſ. XL: 13. repeti facile poterat, & ex ipſis precibus etiam ſeſe offerebat. 2. Loco verborum Pſ. XL: 14. *benevole velis Jehova me eripere, Jehova ad auxilium meum feſtina;* hic habetur verſ. 2. *Deus ad eripiendum me, Jehova ad auxilium meum feſtina;* ſive prius membrum, quod incompletum eſt, per ſequens compleatur, verbo *feſtinare* eo etiam translato, uti ſæpe alias fit, ut Pſ. XCIII. & ſeq., ſive per reticentiam ſit verbum omiſſum, mente ſupplendum, ut ſit, *Deus ad eripiendum me* ſis benevolus, ut Pſ. XL., vel *veni;* quando recte additur, imo *veni cito*, ſeu feſtina. Sed poteſt infin. etiam pro imperat. ſeu optativo ſumi, ut *eripere me* idem ſit, ac *eripe me:* prout vertit Syr. & Gr. 3. Majoris eſt, ut alia leviora mittam, quod Pſ. XL: 16. habeatur יחמו *ſiderentur ſuper vice pudo-*

pudoris ipſorum, hic occurrat שוב *revertantur ſuper vice pudoris ipſorum*; quod difficilius eſt explicitu. Verba Pſ. XL., ut a nobis expoſita ſunt, habent, eos eſſe *ſiderandos*, ſeu adtonita mente & deſolatione adficiendos, cum vices pudoris & confuſionis ad eos venerint: ſed quid erit, *redeant ſuper vice pudoris ipſorum*? ſi recepta lectio ſit retinenda, & non שוב legi, ut legiſſe videtur Syr., *alterutrum* dicendum eſt, vel *redire* hic eſſe pro *retrocedere*, ut Chald. & Gr. acceperunt, & verbum protritum eſt in *retroactione* cum ignominia & clade in bello, vel *redire* exſerere uſum haud inſolitum, quo ſcenæ exitum & finem denotat, ut Lat. *huc rediit* res, vel *perſona*, hunc habuit exitum. Quod utrumque huc apte quadrat. Sed aliud habeo, quod hic obſervem; voces nimirum, עקב על, quas Pſ. XL: 16. reddidi *ſuper vice*, forte rectius reddi *ſuper veſtigio*, pro ſtatim, ut Lat. *e veſtigio*, ſic LXX. Pſ. XL. παραχρῆμα, & hic παραυτίκα. Quod eruditus admodum criticus, Fr. Hare *a*, jam occupavit. Verti ergo debebit, *redeant ſuper calcaneo*, vel confeſtim, cum *pudore ſuo*. Quod alias כרגע *ſicut momento* dicitur, uti Pſ. LXXIII: 19. & quod propius accedit, רגע *in via* Pſ. II: 12. ubi vid. dicta. 4. De differentia lectionis verſ. 6. & Pſ. XL: 18. in verbis אדני, ut hic, & לי יהוה ut ibi, dixi ad eum Pſ., in noſtro Pſ. nulla eſt difficultas.

§. VIII. *Prima* pars Pſ. LXXI., verſ. 1--8. comprehenſa, continet *precationem*, diverſis phraſibus cum rationibus moventibus expreſſam, & *laudationis* perpetuæ teſtificationem; ſed pericopam de favoris Dei ſignis, a pueritia hucusque, mediam inſertam, *cum* ad preces urgendas, *tum* ad laudationis materiam & obligationem tradendam: adeoque recte in *tria* dividitur membra; quorum א. primum complectitur preces pro conſervatione & ulteriore liberatione cum rationibus moventibus, verſ. 1—4. ב. ſecundum recenſionem beneficiorum per omnem vitam, verſ. 5—7. ג. tertium *laudationis* Dei a ſe faciendæ teſtificationem, verſ. 8.

א. *Pre-*

a Ad Pſ. librum metrice diviſum.

α. *Preces*, rationibus moventibus munitæ singulæ, quatuor articulis proponuntur, vers. 1—4. quarum α. primus generalis est, & his verbis effertur, vers. 1. *In te, Jehovæ patrocinium habeo, ne erubescam in æternum.* h. e. cum tu sis, Jehova, patronus meus, sub cujus clientela fui & sum, magna cum fiducia oro, & exspecto, ne unquam pudore confusus destituar tua tutela, & spe mea excidam. Supplicat, simul promittit sibi, *ne pudore confundatur in perpetuum*, adeoque non nunc tantum, sed nunquam per totam vitam, sed tutus & securus degat, & votorum compos prosperitate in posterum fruatur: אל *ne* est *deprecantis* non tantum, verum & inficiantis, ac longe a se removentis: ut sit, *absit*, ut *confunderer pudore*; & negativa loquendi formula simul contrarium involvit; *non confundar*, sed votorum damnas lætus & prosper degam. Fundat precationem & exspectationem in eo, quod *Deum* veracem illum & summum, *Jehova* adpellatum, habeat *patronum*; sub cujus ala & umbra undique clausus sit, sicuti antea semper, ita & nunc. Quod וחלוני involutum est; ut sæpe observavi.

§. IX. β. *Secundus* specialior, superiorem explicans, & ad præsentem statum adplicans, ita habet vers. 2. *Pro justitia tua extrahes me potenter & evadere facies, inclina ad me aurem tuam, & serva me.* h. e. cum tu sis patronus meus potentissimus, simul justus & verax, cujus itaque est me potenter vindicare, & tibi adserere, eaque ratione efficere, ut periculis & oppressionibus eripiar, ac evadam, qualem te mihi semper præstitisti, & præstiturus es ut confido; precor cum fiducia, ut me, Te invocantem, audias, & in latum pacis, securitatis ac prosperitatis, campum educas, in eoque statu conserves. Quod modo dixerat, *Jehovam esse patronum suum*, illud nunc explicatius tradit, & inde deducit liberationem suam multiplicem, qua gavisus erat, ac spem certam ejus in posterum; *precationem* vero, negative expressam, *ne confundar in perpetuum*, vertit in positivam, & ad præsentem casum adplicat, cum dicit, *inclina ad me au-*

surem & ſerva me. Prius itaque verſus membrum comprehendit fundamentum ſpei & exſpectationis, precumque exauditionis, in Dei, patroni ſui, *juſtitia*, indeque ortis liberationibus ſuis præteritis, de futuris quoque teſtantibus, ſitum, his verbis: *pro juſtitia tua extrahes me, & evadere me facies*, h. e. pro ea, qua fulges, virtute, per quam in dictis & promiſſis conſtans es, eaque imples ſemper, injurias & in juſtitias vindicas, ac innocentes oppreſſos liberas, quæ eſt *juſtitia Dei*, tibi etiam convenit me liberare ab omni oppreſſione, quod ſicut feciſti hucusque, ita non dubito, quin facturus ſis in poſterum. Verba non ſunt *orantis*, quibus a Deo petitur, ut id faciat, cum precatio mox ſubjungatur, & in fut. occurrant, ſed *fundamentum* precationis continent, & exponunt, quid Deus, qua *juſtus*, facere debeat, ſoleat, & facturus ſit: quem uſum forma fut. ſæpe habet: adeoque ad præteritum ſeſe etiam extendit. *Juſtitia* vero Dei hic ea eſt virtus, qua dictis fidem præſtat, quæ alias *veracitas* dicitur, & injuſtitias ulciſcitur, ac pietati remuneratur: ad quam David hic provocat, non quod coram Deo innocens ſit, ſed quod, ſicut promiſſis Deus ſeſe ei obſtrinxerit, ita coram hominibus, eum perſequentibus, ſit innocens & juſtus, adeoque dignus, qui eripiatur, quemadmodum Deus hucusque ſeſe erga eum geſſerat, etiam noviſſime ex tanta calamitate, in quam per Abſolomum inciderat, liberando. Quo fundamento nunc orat, ut Deus ipſum inclamantem audiat, & *ſervet*, h. e. ulterius & in perpetuum, ut verſ. 1. vidimus. In quo nihil eſt difficilis.

§. X. *γ. Tertius* articulus, quo preces latius extenduntur, & earum fundamentum clarius exponitur, his verbis proponitur, verſ. 3. *Eſto mihi rupes commodæ habitationis, ad intrandum jugiter, præcepiſti ad me ſervandum*: reliquæ enim voces ad verſ. ſeq. pertinent, ut mox adparebit. Senſus eſt, oro, ut te mihi præſtes firmiſſimam & omnibus rebus abundantem habitationem, quam ita intrem, ut eam in-

incolam jugiter, absque ut eam deſerere neceſſe habeam: quod cum fiducia oro, dum adpareat, te meam liberationem perfectam præcepiſſe, & effecturum eſſe, me periculis eripiendo, & ſedi reſtituendo. In *precibus* reſpicit ad Tſionem, arcem Davidis, & petit, ut per Deum commodum ac munitum habeat habitaculum, quod ita *intret*, ut ibi maneat in perpetuum. Vox מעון, quæ vera eſt lectio, & non מעוז, ut recte Buxtorfius *a*, quæ vox etiam reſtituenda eſt Pſ. XXXI: 3., & occurrit Pſ. XC: 1., denotat commodam, & omnibus adfluentem, habitationem, a עין, ut ad Pſ. XXXI. & alibi obſervavimus. Verbum vero בוא eſt *intrare*, & divitem inſuper habet ſenſum, quo intrantis habitationem involvit, absque ut eam deſerere neceſſe habeat, quare additur תמיד *jugiter* in perpetuum; quod cum *intrare* non cohæret, niſi reſpectu *habitationis* ejus, qui intravit. Verbum בוא ſubinde dicit *introire*, oppoſite ad *foras*, ut ibi *ſedeat*, vel habitet; uti Pſ. XXVI: 4., ubi vid. dicta. LXX, reddentes εἰς τόπον ὀχυρὸν, legerunt, vel legendum judicarunt, לבית מצודה pro לבוא תמיד צוית ex Pſ. XXXI: 3. Fundat preces in eo, quod Deus *præceperit ipſum ſervare* in præt., adeoque jam inceperit, & demonſtraverit ipſo facto, ipſum perfecte eſſe liberandum. Ex quo liquet, ipſum jam fuiſſe ereptum, & inde concludere poſſe, Deum liberationem perfecturum & durabilem facturum.

§. X. *Quartus* articulus redit ad præſens periculum, nondum plane ſuperatum, & preces continet pro liberatione, fundatas in relatione Dei, qua rupis & munitionis, ad eum, verſ. 3, 4. his verbis: *quia petra mea & munitio mea tu, o Deus mi! evadere me fac e manu improbi, e vola iniqui, & fermenteſcentis.* Conjungenda enim ſunt hæc verba, prava verſuum diviſione ſeparata, cum voces, *quia petra mea* & *munitio mea tu es*, non ad præced. ſed ſeq. pertinent, *partim* quod, cum dixiſſet *eſto mihi petra*, minus apte adjungeretur, *quia es mea petra*, *partim* quod ſeq. recte conveniant,

a Anticrit. p. 379.

veniant, cum alias deficeret ratio movens, seu fundamentum precationis, quæ antea semper fuerunt conjuncta, *partim* quod Ps. XXXI: 4. ea ratione occurrant. Respicitur in precibus ad novam rebellionem Sebæ, Benjaminitæ, 2 Sam. XX. quam David in initio valde metuebat, ut ibi narratur, in quem virum recte quadrant epitheta improbi, iniqui, & acore vitiorum corrupti, ut ex l. c. liquet, ubi diserte etiam vir *Belial* adpellatur. Liberatus itaque a persecutione Absolomi, & in munitam suam arcem redux, cum denuo infestaretur a Seba, cui Israel sese adjunxerat, recte orat, ut, cum Deus sese jam arcem munitam sibi præstiterit, liberationem hanc consummet, & ipsum potestati hujus factionis eripiat. Ceterum epitheta hujus viri nihil habent obscuri, nisi ultimum חומץ *fermentescentis*, quod tamen a Doctis, in primis Bocharto, *a* satis expeditum est. Denotat *perversum*, *corruptum*, ut massa fermento corrumpitur, *vappam* dictum Lat., & Gr. ὀξίνην *b*, simul ira & exacerbatione tumidum, & insolentem. Sicut θυμὸν ὀξίνηε πεπείκοτος Aristophanes *c*, & Plautus *d*, *ira mihi pectus peracuit*, Arab. etiam חומץ לב *fermentescens corde* est in specie superba & acerba iniquitate præditus, notante Cl. Schultens *e*. Inest radici partim *aceti*, partim *fermenti* ratio.

§. XI. ב. Recensio beneficiorum per omnem vitam hucusque, cum spiritualium tum corporalium, vers. 5—7., quod *secundum* est primæ partis Ps. membrum, subjungitur precibus pro perfecta liberatione & conservatione, ac præmittitur testificationi laudationis Dei faciendæ in perpetuum, quia beneficia illa *partim* pro rationibus moventibus ad preces exaudiendas haberi poterant, *partim* materiam Deum celebrandi exhibebant uberrimam; adeo ut hæc pericopa per כי *quia* cohæreat aptissime cum præced., æque ac seq., & utrumque, quem dixi, conspectum habeat. Quo præ-

a H. p. 1. l. 11. p. 113. *b* Aristoph. Equit. vers. 1301.
c Vesp. vers. 1077. *d* Aulul. act. III. sc. 4.
e In Mss.

præmisso, ejus explicationem paucis tradamus. Tria memorantur favoris Dei signa, per pronomen אתה *tu* ter repetitum, & singulis præmissum, distincta. a. *Primum* est in singulari pietate erga Deum & fiducia in ipsum, ab ipsa pueritia, & arcta relatione ad Deum ab ipsa nativitate, situm, vers. 5, 6. his verbis: *quia tu exspectatio mea, Domine Jehova! fiducia mea a pueritia mea, super te fultus sum ab utero, a visceribus matris meæ.* h. e. statim ac ratione inceperi uti, Tibi me docendum, ducendum & tuendum, commisi, tanquam Deo & patrono meo, usus etiam ab eo tempore sum, spe & expectatione mea non pudefactus; imo vero ab ipsa nativitate mea te expertus sum fultorem & doctorem meum; qui me peculiaris tuæ curæ facit objectum, tanquam ad magna destinatum. Duo itaque de se prædicat David, *alterum* ad pietatem suam, *alterum* ad Dei erga se curam spectans; *prius a pueritia, posterius* ab ipsa nativitate repetitum. *Prius* habet, se fiduciam suam habuisse in Deum reposita, adeoque toto animo ipsi sese adjunxisse, in pietate & cultu religioso, ab ipsa *pueritia*, h. e. ex quo rationis usum habuerit: uti vox Hebr. sumi solet: quemadmodum eorum *figmentum cordis hominis* adpellatur *malum a pueritia*, Gen. VIII: 21. & alibi. Denotat enim vox omnem ætatem inter infantilem & virilem; ut ex Lex. constat, ipsa etiam originaria potestas, in *agilitate exuffa*, ac in motum exprompta, sita, demonstrat. *Posterius*, quod ulterius ad ipsam nativitatem tendit, de fiducia & pietate ejus non agit, nec aliam fiduciam hoc loco denotat, quippe ab ejusmodi infante alienum, sed *tutelam* Dei, qua usus fuit ab ipsa nativitate, tanquam peculiaris Dei curæ erga ipsum signum, adeoque, quæ vera verbi potestas est, se Deo, tanquam fulcro & sustentaculo suo, semper fuisse usum. Radix enim סמך proprie est *fulcire* palis, & ita in altum erigere; hinc in Niph. *niti*, nisu premente incumbere; sed & fulcimento imponi, & eo uti. Quem usum hic habet, & clare

confirmat locus parallelus, Pſ. XXII: 11. *ſuper te conjectus ſum ab utero, a ventre matris meæ;* ubi vid. dicta.

§. XII. β. *Secundum*, quod ad ſingularem Dei directionem, conſervationem & liberationem, ad hoc usque tempus, pertinet, his verbis verſ. 6, 7. exhibetur: *tu promus condus meus, in te ſplendor meus coruscans jugiter; ſicut portentum fui multis.* h. e. Sicut ab ipſa nativitate me ſingularis tuæ curæ objectum feciſti, ego quoque tibi amore & fiducia intime a pueritia adhæſi; ita tu mihi per omnem vitam ſufficienter omnia ſuppeditaſti, & in ſplendida felicitatis & potentiæ conditione collocaſti, ac tuitus es, adeo ut mirabilis, & portenti inſtar, fuerim in oculis hominum. Quæ quam apte in Davidem per omnem vitam conveniant, nemini non conſtat: adeo ut nihil nobis agendum ſuperſit, quam ut verſionem & paraphraſin demonſtremus & illuſtremus; quod paucis fieri poterit obſervatis. 1. *Primum* eſt, voces מי ראשי non cohærere cum præced., ut putatur, quod vel ſenſum vel emphaſin non habet, ſed per ſe ſtare, & novum ſignum favoris Dei per omnem vitam continere, in eo ſitum, quod Deus ipſi ſufficienter prospexerit, & omnia ad vitam abundanter ſubminiſtraverit. Vox ראשי *tu* præmiſſa indicat, novum hic incipere beneficium, quo gaviſus eſt poſt pueritiam, cujus modo meminerat, & גמל recte verteris *promum-condum:* eſt enim a rad. גמם pro גמה *ſecare*, inde *partiri*, ſubminiſtrare cuique idonea, nec non copiam abundantem, ad inſtar *promi* alicujus; uti Gr. ταμίας a τάμνειν *ſecare:* unde גמל Arab. *retribuere, penſare*, notat, idem quod גמם *cumulare bonis:* quod Cl. Schultens *a* jam adtulit. 2. *Secundum* eſt, phraſin, *in te ſplendor meus radians ſemper*, ſc. fuit, ut ex ſeq. patet, *fui portentum*, pertinere ad ſummam felicitatis & potentiæ ſtatum, in quem per Deum evectus fuit, & in quo conſtanter fuerat conſervatus contra quævis hoſtium conamina. Qui ſenſus ſicut in rem eſt aptiſſimus, Davidi adprime congruus, ut facile patet

a Anim. h. l.

tet, ſuperiori etiam per gradationem recte ſubjunctus; ita ex genuina vocis תהלה ſignificatione ſeſe ſponte ſua offert. Primigeniam enim poteſtatem habet in *ſplendore ex alto radiante*, unde inter alia transfertur ad *inſigniter eminentem felicitatis & potentiæ gradum a.* 3. *Tertium* eſt, augeri hæc favoris Dei ſigna per ſequentia verba, *inſtar portenti fui multis*, h. e. pro mirabili perſona, a Deo in mundo ſuſcitata, vulgo & paſſim habitus ſum. Conf. quæ Cl. Vitringa de hac phraſi protulit ad Jeſ. VIII: 18. & adplica ad Davidem, quæ ipſi conveniunt.

§. XIII. γ. *Tertium*, ad præſentem ſtatum pertinens, ita ſonat verſ. 7. *& tu perfugium meum, robur invictum*, ſcilicet etiamnum es, & eris in poſterum. Interpretes conſtruunt cum præced., & interpretantur, *licet* portenti inſtar fuerim reſpectu miſeriæ meæ habitus, *tu tamen fuiſti perfugium meum;* ſed præced. male ad ſtatum miſeriæ referuntur, ut modo vidimus, & pronomem *tu* repetitum indicat, quid novi hic proferri; quod facile invenitur, ſi ad præſentem ſtatum referatur, & futurum, ut ſit: ſicut *fuiſti promus meus, & in te fuit ſplendor meus* coruſcans, ita ut portenti inſtar fuerim, ſic & nunc es, ac eris, *perfugium meum, & turris munita;* ו in והיה eſt *etiam*, & mente ſuppleri debet *es* ac *eris:* uti verſ. 3. habuimus, quo hic reſpicitur. Vox vero עי, quod tantum reſtat notandum, ſine copula cum præced. connexa, inſtar epitheti eſt *perfugio* addita, vel elliptica, ut ſuppleatur *arx;* quemadmodum Pſ. LXI: 4, & alibi. Quæ non ſunt difficilia.

§. XIV. 1. Laudationis Dei, a ſe faciendæ, teſtificationem his verbis exprimit, verſ. 8. *Implebitur os meum magnifica tua laudatione, omni die excellentia tua*, h. e. tot tantisque beneficiis a te mactatus, tot majeſtatis & excellentiæ tuæ ſigna cum dederis, nunc & in poſterum ero quotidie in eo totus, ut gratum meum animum quoque demon-

a Vid. Cl. J. W. Schroeder ad Pſ. X: 3.

rem, in summa tua excellentia, & virtutibus tuis cœlestibus, laudandis, ac splendide & magnifice publice quovis modo celebrandis. Voces, elegantiæ causa, ut sæpe fit, divisæ, hac ratione concinnandæ sunt: *implebitur os meum quotidie magnifica laudatione excellentiæ tuæ*, nec votum continent, sed occupationem a nunc per omnem vitam, quam confitetur ac promittit, in animi grati signum: quem significatum habet verbum fut. temp.; oratio est valde emphatica. Vox תְּהִלָּה non qualemcunque, sed magnificam, & splendide sese efferentem, laudationem comprehendit, ut ex originaria ejus potestate, modo tradita, facile patet: altera vox הוֹד summum denotat decus, & majestuosam excellentiam, a propria notione, *tumuit*, *intumuit*, *bullivit a. Laus tua & excellentia tua* idem est, ac splendida excellentiæ tuæ laudatio: ut modo dixi. Denique phrasis, *os meum replebitur*, exhibet copiosam, & publicam laudationem, summo studio factam; & *omni die* est quotidie, ac per omnem vitam: quod facillimum est.

§. XV. 2. *Secunda* Pſ. pars, eodem ordine decurrens, 2. continet preces pro continua conservatione in statu prosperitatis, ne amplius, ut modo, turbaretur, maxime cum tempus senectutis, quo vires deficiunt animi & corporis, instaret, vers. 9. *Ne projicias me tempore senectutis, quum absumta fuerit vis mea, ne deseras me*, h. e. cum me hucusque tam benigne foveris, & curaveris, tot ac tanta favoris & curæ tuæ signa mihi dederis, cum fiducia oro, ut ad finem vitæ talem te mihi præstes, nec, cum senectus ingruerit, & vires animi ac corporis defecerint, curam mihi subtrahas, meque mihi relinquas. Vocabula rursus disjuncta secum hac ratione conjungenda sunt: ne tempore senectutis, cum vis mea me deseruerit, me cura tua exsolvas, & a te, tuaque directione & conservatione longe removeas. *Tempus senectutis* non tanquam præsens, sed futurum & instans memorat, quod probe notandum, ut vis par-

a Cl. N. G. Schroeder ad Jes. III. c. 7.

particulæ ל & ב indicat, illudque deferibit, tanquam quo vigor animi ac corporis ſolet discedere, adeoque homo ad res ſuas agendas & tutandas eſt ineptior: contra quæ incommoda petit muniri per Dei tutelam & curam peculiarem; quam itaque ſibi conſervari & continuari ſupplicat; cum dicit, *ne me deſeras, ne me projicias*, h. e. cura tua ſolvas, & me mihi permittas: quam emphaſin habent verba עזב & רחק: ut ſæpe alias obſervatum eſt. Nihil hic obſcuri.

§. XVI. β. Urget preces, fiduciamque ac certam exauditionis ſpem ſignificat, ſimul materiam celebrationis Dei, a ſe faciendæ in perpetuum, exponit, commemorationem ſtatus ſui periculoſi, in quo hoſtes putabant cum ipſo actum eſſe, ipſe preces pro liberatione cum hoſtium confuſione fudit, & exauditus eſt; verſ. 10—13. *Quia dixerunt inimici mei de me, & obſervantes animam meam conſultarunt inviter, dicendo, Deus deſeruit ipſum, perſequimini, & prehendite ipſum, nam non eſt vindex: Deus, ne longe ſis a me, Deus mi! ad auxilium meum feſtina, erubeſcant conſumantur adverſarii animæ meæ, opprobrio & ignominia involvantur quærentes malum meum.* h. e. Quantam habeam rationem a te cum fiducia implorandi conſervationem tuam tempore ſequenti, quantamque materiam te laudandi in perpetuum; *ſtatus* mei præteriti recordatio facile ſuggerit: etenim hoſtes mei, mecum actum eſſe putantes, ſe ad me e medio tollendum excitarunt, ego vero Dei auxilium imploravi, & liberatus ſum, magisque ut eripiar oro. Pericopa itaque periculoſi ſtatus Davidis, non præſentis, ſed proxime præteriti, & piæ ejus adfectionis in eo, ſiſtit imaginem, eo, quo dixi, ſcopo. Rationes ſunt, 1. quia verſ. præced., cui tanquam ratio ſubjungitur, non pro liberatione ex præſente periculo precatus erat, ſed conſervatione tantum tempore ſenectutis, argumento manifeſto, ipſum non de præſente, ſed futuro, ſtatu fuiſſe ſollicitum, adeoque nunc nihil adeo metuendum habere: cujus contrarium in hac pericopa occur-

currit. 2. Quia ſequens pericopa, cui hæc præmittitur, pro hypotheſi habet, eum habere in præſenti ſummam materiam Dei celebrandi, & rationem in eo ſperandi; quod ſeſe in perpetuum facturum eſſe declarat: quod clarius adparebit, ſi quis conferat Pſ. LXX: 1. ubi longe aliter ac hic loquitur. 3. Quia ex argumento Pſ., ſupra in lucem producto, liquet, eum non amplius in ſtatu illo periculoſo & deſperato verſari, ſed jam ereptum eſſe, verſ. 23., & *hoſtes* jam eſſe *confuſos*, verſ. 24., pro quorum tamen *confuſione* hic orat. 4. Denique accedit, collationem pericopæ cum introductione Pſ., quæ Pſ. LXX. conſtituit, manifeſtum facere, pericopam noſtram ejus eſſe repetitionem, & ad eam eſſe referendam, adeoque preces continere tunc fuſas, quum fuit in illo ſtatu, qui ſupra in parte introductoria deſcriptus erat. Ad intellectum itaque pericopæ notanda eſt *ellipſis* & *reticentia;* ellipſis verbi אמרתי *dixi* in principio verſ. 12., & *reticentia* effectus ſeu eventus læti, preces eas ſecuti, ad finem pericopæ: ita ut plena fuiſſet oratio: *quia dixerunt inimici mei* —— *dicendo*, *Deus deſeruit ipſum* —— *ego dixi*, *Deus ne ſis longe a me* —— & exauditus ſum, ac exaudias magis. Ellipſis verbi אמר ſatis frequens eſt, ut ad Mal. notavi, & *reticentia* eventus eo facilior, quod ſequens pericopa eum ſponte ſua offerat, ut modo obſervavi. Potuiſſet quidem dixiſſe, *Deus non longe a me fuit* &c. ſed formam precationis retinuit, ut ſimul ulteriorem liberationem, & hoſtium confuſionem imploraret; uti verſ. 4. eum inſtituere vidimus. Agit itaque pericopa, verſ. 10 & 11., de ſtatu periculoſo, in quo fuit in principio fugæ coram Abſolomo, quo cum ipſo actum videbatur, ipſe a Deo rejectus, & auxilio neceſſario deſtitutus, adeoque tuto & certo prehendendus ac occidendus; conf. 2 Sam. XVII: 1, 2. & Pſ. III: 2, 3., & preces exhibet eo in ſtatu fuſas, verſ. 12, 13. quas & nunc repetit ad ulteriorem liberationem, & totalem hoſtium confuſionem, impetrandam. Ceterum in verbis & phraſibus nihil ſupereſt impediti; de quibus alibi quoque

ad

ad Pſ. XL. diximus. Tantum notetur, 1. verbum נגד conſtrutum cum ל ſignificare *loqui de me*, & non *mihi*, de quo vid. Cl. Schultens *a*. 2. Verba verſ. 13. *pudore confundantur*, *conſummantur*, ſignificare vel, pudore confuſi pereant, pudenda morte intereant, ut Achitopeli, & Sebæ, etiam Abſolomo, contigit, vel pudefiant plene, ad conſummationem usque; adeoque & Seba cum ſuis, qui nunc ſeſe ipſi opponebant; quando ſpeciem precationis quoque hoc tempore habet, ut modo notavi.

§. XVII. γ. Adfectionis & occupationis ſuæ, impetrata hac mirabili liberatione & rerum ſtabili inſtauratione, conſpectum apte ſubjungit, verſ. 14—16. Ubi occurrit, *a*. propoſitio, verſ. 14, 15. *b*. ejus deductio, verſ. 15, 16. *a*. Propoſitio ita habet, verſ. 14. 15. *Et ego jugiter lentus exſpectabo, & addam ad univerſitatem laudationum tuarum; os meum narrabit juſtitiam tuam, omni die tuam ſalvationem.* h. e. Tam certus itaque de tua conſervatione usque ad finem vitæ ſum, ut eam jugiter ſumma cum tenacitate exſpectaturus ſim, & in eo tantum occupatus futurus, ut immenſæ te laudandi materiæ hanc continuo additurus ſim, qua ſalvationem tuam, mihi præſtitam & præſtandam, & in ea conſpicuam tuam juſtitiam, quotidie enarrem publice & celebrem. Declarat itaque & fiduciam ſuam in Deum, qua, preces modo fuſas pro conſervatione ſua eſſe exaudiendas, ſibi promittebat, & piam ſuam occupationem in Deo laudando, in ſignum quoque grati animi; oppoſite etiam ad hoſtes confuſos & oppreſſos. Quam emphaſin habet vox ואני *itaque* vel *at* ego, quacum orditur pericopam; *itaque* ego, qui Dei conſervationem oro, cum votorum compotem me futurum eſſe confidam, *exſpectabo itaque* Deum, & laudabo jugiter; præterea, *at*, vel *ſed*, ego, ita ero adfectus & occupatus; ſecus ac hoſtes mei, qui confuſi jacebunt. *Duo* ſunt verſuum horum membra, quorum *prius* lentam & ſecuram exſpectationem continet, *poſterius* piam

a Anim. ad h. l.

& lætam ejus occupationem. *Prius* his verbis, *jugiter exſpectabo*, ſcilicet lentus, tenax & ſecurus, ſine ulteriore anxietate, & moleſta luctatione: quam emphaſin præfert verbum ממ, de quo alibi ſæpe dixi, ut ad Pſ. XXXVIII: 16. LXIX: 4. Sed quid *exſpectaret?* id quod oraverat, verſ. 9. adeoque conſervationem ſtatus, & auxilii Dei præſentiam, usque ad finem vitæ: quare etiam addit, *jugiter*, in perpetuum, tempore quoque ſenectutis, usque ad mortem. *Poſterius* ita habet: *& addam ſuper univerſitatem laudationis tuæ, os meum enarrabit juſtitiam tuam omni die ſalutem tuam*, mihi præſtitam, h. e. univerſitati laudationis tuæ hoc in ſpecie addam, quod os meum juſtitiam tuam, in me ſervando conſpicuam, ſit enarraturum & celebraturum. Declarat itaque, 1. ſe aliquid additurum celebrationi laudis Dei; & mox, 2. exponit illud additamentum, quid ſit, & in quo ſitum. Hac enim ratione coheret oratio, & facillime expeditur: quod non obſervatum Interpretes reddidit impeditos in phraſi exponenda, *addam ſuper omnem laudem tuam*. Senſus, ex noſtra hypotheſi facillimus, habet, ſe *univerſitati laudis & laudationis Dei* hoc additurum, quod *juſtitiam Dei & ſalutem ſit enarraturus* pleno & libero *ore:* indicat multiplicem eſſe laudationis Dei materiam, & ſe etiam eam pro captu & viribus eſſe manifeſtaturum, ſed ei additurum nunc eſſe, & in ſpecie celebraturum, laudationem *juſtitiæ* & *ſalutis Dei*, ſeu *liberationis* a Deo conceſſæ, & *juſtitiæ* Dei in ea elucescentis. *Juſtitia Dei* & *ſalus Dei*, eſt ſalus a Deo cum juſtitiæ demonſtratione conceſſa, & concedenda in perpetuum. Conf. verſ. 2. *pro juſtitia tua eripies me*; & ibi dicta.

§. XVIII. *b.* Propoſitionis deductio his verbis fit verſ. 15, 16. *Quia non novi recenſiones, veniam cum fortitudinibus Domini Jehovæ, memorabo juſtitiam tuam, tui ſolius.* h. e. Quod dixi, me omni laudi Dei additurum eſſe narrationem juſtitiæ, & ſalutis Dei, ejus hæc eſt ratio, quod laudum Dei enumerationem inſtituere nequeam, cum omnem nu-

me-

merum excedant, quare, quod repeto, contentus ero ſummam Dei præpotentiam & juſtitiam in me liberando, & beneficiis cumulando, præſtitam, celebraſſe; quod ſtudioſe & palam faciam, venturus cum Dei præpotentiis & juſtitia, easque laudaturus. Cohærent itaque hæ voces, per *verſuum* diviſionem male ſejunctæ, & priores, *quia non novi recenſiones*, reſpiciunt ad *omnes Dei laudes*, ac *rationem* dant, quare non tam eas ſit celebraturus, quam iis quid additurus, ſeu præter & ſuper alias omnes laudationes Dei ſit in ſpecie ejus ſalutem ac *juſtitiam* celebraturus: quam rationem ponit in innumerabili copia earum laudum, *dicens*, *quia non novi recenſiones*, h. e. *plures* ſunt, quam ut enumerare poſſim; ſicut Pſ. XL: 6. *plures ſunt non quam ut recenſere* quis poſſit. Hic verus videtur vocum ſenſus, & ſcopus, qui ſeſe facile adprobat; quas aliorum interpretationes mitto. *Poſteriores* vero voces cum emphaſi & variatione repetunt, quod modo de *juſtitia & ſalute Dei laudanda* dixerat, & exprimunt præſentem occupationem, qua *fortitudines & juſtitiam Dei laudaturus ſit*. Quod itaque modo *ſalutem Dei*, illud hic *fortitudines* Dei adpellat, quia fortitudinis & præpotentis Dei virtutis ſignum erat & effectum; & ſicut modo *juſtitiam ac ſalutem Dei* conjunxerat, ita nunc *fortitudines & juſtitiam* Dei; adeoque *fortitudines* Dei hic conſtituunt quoque materiam laudationis Dei, quam inſtitueret; quod ſeq. confirmant, ubi verſ. 18. ipſis verbis dicit, ſe coram poſiturum & adnunciaturum *brachium Dei & vim* ejus *præpotentem*. Phraſis itaque, *venire in*, vel *cum*, *fortitudinibus Dei*, non dicit, per eas, & earum ope ac auxilio *venire*, ut multis videtur, cum quod nox illuſtria ac fortia Dei facinora denotare ſoleat, *tum* quod *materiam* laudationis deſignet, ut vidimus. *Venire* vero *cum fortitudinibus Jehovæ*, ut verti debet, quod recte vidit Dieu, & ex Arab. illuſtrat, eſt, iis quaſi cinctum, cum iis tanquam *materia* laudationis, *venire*: ſive *venire cum* ſit, ut apud Arab., proferre ſimpliciter, ſive per ellipſin *veniam*, quocunque *veniens*

aut in *publicum* in *domum Dei*, Pſ. v: 8. mecum habens *fortitudines Dei*, tanquam materiam celebrationis, ſive denique *venire & commemorare* conjungantur, & *venire commemorare* nihil aliud ſit, ac adgredi & inſtituere commemorationem; uti Belgæ dicunt, *komen doen.* Ita & alibi *venire* denotat rem cum ſtudio adgredi, ut Jer L: 5. ubi vid. dicta. Ceterum ſimilis phraſis occurrit, Pſ. v: 8. *in*, vel *cum*, *ſpiſſitate beneficentiæ tuæ veniam in domum tuam;* eodem ſenſu. Denique not. *fortitudines* & *juſtitiam* Dei connecti, ut modo *ſalvationem* & *juſtitiam* Dei, & membra verſus, elegantiæ cauſa disjuncta, connectenda eſſe, acſi legeretur: *veniam cum fortitudinibus* & *juſtitia Jehovæ*, *celebrabo fortitudines* & *juſtitiam tuam;* h. e. præpotentia tua facta *juſtitiæ* plena: plane uti verſ. 16.

§. XIX. 1. *Tertia* Pſ. pars, easdem fere res eodemque ordine repræſentans, *a.* preces continet pro continuatione beneficii, quo a pueritia gaviſus erat, usque ad vitæ finem, in eo ſiti, quod, ſicut a Deo a pueritia doctus & ductus fortitudinem & juſtitiam Dei hucusque adnunciabat, ita ſibi in poſterum, ſenectute etiam ingravescente, idem facere liceat, verſ. 17, 18. *Deus! inſtigaſti me a pueritia mea, & usque huc promulgabo mirabilia tua; itaque etiam usque ad ſenectutem & canitiem, o Deus! ne deſeras me, donec publicavero brachium tuum ætati omni venturæ fortitudinem tuam, & juſtitiam tuam.* Quibus *a.* beneficium commemorat, hucusque in eum collatum a pueritia, verſ. 17. *b.* ejus continuationem petit ad decrepitam ſenectutem usque, verſ. 18. adeo ut verba *preces* proprie contineant, & beneficium, quod petitur, alte repetitum, tantum præmittatur, ut indicaretur, ipſum nihil novi ſupplicare, & rationem habere eo majorem hoc orandi, cum a pueritia usque tam diu eo gaviſus eſſet. *a.* In beneficii commemoratione, quod a pueritia repetit, nihil admodum obſcuri occurrit: quare uno alterove defungar obſervato. 1. *Primum* eſt, voces, *a pueritia*, & *usque huc*, ſecum cohærere, & ſeſe ad præced. æque

que ac ſeq. porrigere; acſi haberetur: *inſtigaſti me a pueritia & huc usque; & ab inde hucusque promulgabo mirabilia tua.* Qua ratione cuncta optime fluunt, & ſenſus fit amplior ac plenior; qui habet, Deum a pueritia hucusque Davidem docuiſſe mirabilia, iisque adſuefeciſſe, & ipſum quoque per omne illud tempus ſtudioſe occupatum fuiſſe in mirabilibus iſtis Dei promulgandis, quæ a Deo erat doctus. 2. *Objectum* inſtitutionis divinæ & promulgationis Davidis, utriusque illius operis & Dei & Davidis, conſtituunt *mirabilia Dei;* quippe quæ vox, licet ad finem addita, ſeſe æque ad informationem divinam, ac promulgationem, extendit: ut facile intelligitur. Significantur autem illuſtria Dei & mirabilia facinora, in primis in gratiam Davidis & populi Dei, quæ de Dei præpotente vi, & juſtitia, teſtabantur. De quo ſicut ex præced., verſ. 15, 16. ita ex ſeq. verſ. 18. clare conſtat. Denotat verbum פלא aliquid magno conatu & molimine producere; a propria *findendi*, *ſcindendi*, idque altius adacto cuneo, poteſtate: uti ſæpe alias obſervavimus. 3. *Docere* Dei, & *publicare* Davidis, ſibi respondere, adeo ut Deus declaretur doctor, ipſe publicator mirabilium Dei, facile intelligitur. *Docere* autem Dei eſt *cum* materiam publicandi præbere, *tum* in notitiam mirabilium ducere, *tum* denique *excitare* ad ea celebranda. Verbum למד proprie dicit *pungere*, unde Jud. III: 31. derivatum pro *ſtimulo*, ſeu fuſte præacuto & pungente, quo boves aguntur, uſurpatur, hinc *pungendo inſtimulare*, & inde tum *docere*, informare, tum *adſuefacere*, tum *excitare.* Quid vero ſit *publicare* Davidis, facile patet; comprehendit verbum claram, & publicam, manifeſtationem, qua quid *ante oculos* ponitur, & palam promulgatur. Quæ vis verbi נגד eſt, ut ſæpe alias notavi.

§. XX. *b.* Petitio ipſa ita ſonat, verſ. 18. *Et ad ſenectutem ac canitiem usque, Deus! ne deſeras me, usque eo publicabo brachium tuum ætati omni venienti fortitudinem tuam & juſtitiam tuam.* Quibus verbis manifeſte ad præcedentia reſpici-

ſpicitur, & eorum continuatio ad finem vitæ usque ſuppli-catur; adeoque & *inſtitutionis* divinæ & *publicationis*, a Davide faciendæ, continuationem hic exhiberi, obſervandum eſt; unde verborum genuinus intellectus pendet. *Duo* itaque petit, *alterum*, ut Deus ipſum inſtituat porro, *alterum*, ut publicandi facultatem retineat. *Prius* his verbis comprehenſum eſt, *usque ad ſenectutem & canitiem ne deſeras me*, o Deus! h. e. durante ſenectute, ad ultimum terminum ejus usque, ne me deſtituas tua informatione ac inſtigatione, ſed inſtigare & vires ſufficere pergas: quam ſenſus amplitudinem hic habet illud *non deſerere*; adeoque *poſitivi* quid involvit, quod ex nexu facile eruitur. Vult enim, ut in illuſtribus Dei facinoribus celebrandis continuare poſſit, ad quod opus erat *cum* informatione & excitatione divina, *tum* virium animi & corporis neceſſariarum ſuppeditatione: quam utramque intendit phraſi negativa, *ne deſeras me*, ne me inſtigatione ac influxu tuo prives: ſuperesſe autem ſibi utrumque illud cupit *ad usque ſenectutem & canitiem*, h. e. durante ea ad finem ejus usque. Vocula ע duplicem exſerit uſum, quo & *durationem* rei, & *terminum* deſignat, adeo ut ſit, durante ſenectute, & usque ad terminum ejus. Ita pro *dum*, *durante* hoc, ſumitur, Jud. III: 27. 2 Reg. IX: 22. & alibi. *Terminum* vero hic denotat, non a quo, ſed ad quem rei, non ergo usque quo incipiat ſenectus, ſed donec finiatur, & in mortem tranſeat, *ad ſenectutem* itaque eſt, ad *finem* ejus usque. *Poſterius*, cujus memini, his verbis profertur, *usque eo nunciabo brachium tuum generationi omni venturæ fortitudinem tuam & juſtitiam*, h. e. ſicut hucusque a Te inſtigatus fui, ita peto, ut, adveniente ſenectute, & usque ad ejus finem, eadem informatione tua gaviſus, in hoc eodem opere pergere poſſim, quod ut faciam mihi fixum eſt, eo itaque usque promulgem, uti promulgabo, præpotentiſſima tua facinora & juſta, in uſum & hujus, & ſequentium temporum generationum omnium. Ad quam paraphraſin intelligendam 1. notetur ע abſolute po-

positum respicere ad præcedens עד־כה, adeoque esse pro עד־זה, ut alibi habetur, *usque eo*, vel, *ad eam*. Sensus enim est, se eo etiam usque velle publicare laudes Dei, quousque petierat a Deo instigari. 2. Membra duo sunt, quæ sibi ad illustrationem sunt subjuncta, ita ut posterius prioris sit explicatio, & amplificatio: *brachium* itaque Dei est ejus *præpotens fortitudo*, & *justitia*, quæ, ut mos dicam, additur, ad brachii præpotentis qualitatem moralem explicandam. Significatur itaque illustre Dei facinus, de potentia & justitia Dei testans: quemadmodum supra habuimus. Præterea voces לדור לכל יבוא *ætati omni venturæ*, quoque se invicem illustrant, adeo ut voces, *omni venturæ*, notionem *ætatis* ulterius extendant, ne de præsente generatione tantum cogitemus. Respiciunt utique voces, לכל יבוא, ad superiorem דור *ætatem*, & per ellipsin דור dicunt, *omni* ætati, *quæ ventura est*; sicut Eccles. 1: 4. *ætas abit*, *ætas venit*. Quod ab aliis jam est observatum. Sed quid est *promulgare ætati venturæ*? nihil aliud existimem, quam in gratiam quoque & usum omnium ætatum sequentium; ut ad earum notitiam veniant præclara hæc facta, sive per oralem traditionem, sicut parentes liberis narrare debebant Dei præclara facta, sive per *scripta*, quibus odæ Davidicæ commissæ per sæcula seq. durarent, & instruerent; quod factum esse novimus. Quo sensu etiam Ps. XVIII: 50. dixit, *se Deum celebraturum inter gentes*: ubi vid. dicta. 3. Denique not. vocem, vers. 19. *& justitiam tuam* pertinere quoque ad hunc versum; ut ex superioribus, ubi *fortitudo* & *justitia* conjunguntur, quoque confirmatur. Sed separatæ sunt, ut utramque vocem cum præced. & seq. construeremus; aciis bis legeretur; *promulgabo fortitudinem* & *justitiam tuam*. *Fortitudo & justitia tua*, *o Deus! sunt ad usque altum* &c. Quadia exempla vocum cum præced. & seq. junctarum plura sunt, alibi etiam ad Mal. producta, & ad Dan. XI.

§. XXI. §. Secundo pars, quæ beneficia, *justitiæ* & *fortitudinis* Dei signa & effecta, in populum & Davidem collata,

ta,

ta, & ulterius conferenda, comprehendit, *precibus* ſubjungitur, inſtar rationis moventis & fundamenti exauditionis, ſed *celebrationi* Dei faciendæ a Davide præmittitur, inſtar *materiæ* & rationis ad eam excitantis; plane ut in præcedentibus partibus habuimus. Occurrit autem hic *a.* generalis propoſitio, verſ. 19. *b.* ſpecilior deductio, & adplicatio ad populum & Davidem, verſ. 20, 21. *a.* Generalis propoſitio ita ſonat, verſ. 19. *Et juſtitia tua*, (vel ו *& etenim*, ut idem fere dicat ac כי *quia* verſ. 5, 10.) *o Deus! usque ad altiſſimum eſt; qui feciſti magnifica, o Deus! quis ſicut tu?* h. e. ſpem exauditionis precum, modo fuſarum, & materiam te laudandi in poſterum habeo, Deus! uberrimam: etenim juſtitia & fortitudo tua illuſtriſſimo admodum modo ſeſe in gratiam noſtram, populi & meam, conſpiciendam præbuit in facinoribus tuis præclariſſimis, quæ feciſti; adeo ut te ſummum demonſtraveris Deum, cui nihil ſimile eſt. 1. *Juſtitiam Dei dicit ad cœlum pertingere;* ſeu eſſe illuſtriſſimam & ſummam, maximeque conſpicuam, & copioſam, ſupra omnia, etiam captum hominum, evectam; his verbis: *juſtitia tua, o Deus! usque ad ſublime*, ſcilicet eſt; ſive usque ad cœlum, uti alibi habetur, Pſ. XXXVI: 6, 7. LVII: 11. & vox מרום uſurpari ſolet, ut vidimus ad Pſ. LXVIII: 19. In quo nihil eſt difficilis. Tantum not., voce *juſtitiae* una comprehendi *fortitudinem* Dei; de qua modo dixi. 2. Addit mox ſigna & effecta, quibus juſtitia & fortitudo Dei tantopere fuit illuſtrata, dicens: *qui feciſti magnifica;* ut recte vertitur. Vid. Gejerus. Intelliguntur illuſtria & majeſtuoſa Dei opera, juſtitiæ & fortitudinis ejus effecta, in ſpecie in ſalutem populi Dei & Davidis, ut ſeq. demonſtrant. 3. Amplificat, quum addit, *quis ſicut tu, o Deus!* h. e. nemo tui ſimilis eſt in cœlo aut terra; nemo, qui talia patrare poſſit opera; nemo tam juſtus, tam potens, quam tu. Talem te clariſſime manifeſtaſti, & demonſtraſti, ut inde colligi

ligi ab omnibus debeat, *neminem esse tui similem*, seu, Te esse omnibus justis & potentibus superiorem.

§. XXII. *b.* Propositionis specialior deductio, & adplicatio, comprehendit facinora Dei in gratiam *populi Israelis* & *Davidis*, vers. 20, 21. Ubi 1. præmittit, quæ ad populum Israelis, cujus ipse erat pars eminentior, pertinent. vers. 20. *Qui videre nos feciſti anguſtias ſtringentes, ſpiſſas & quaſſantes; denuo vivificaſti nos, & ex abyſſis terrae nos denuo emergere feciſti in altum.* h. e. Quam magnifica sint tua opera, justitiæ & fortitudinis tuæ signa & effecta, nos, qui populum tuum constituimus, ô Deus! maximopere sumus experti: Tu enim ille es, qui, cum nos in summas & multiplices conjecisses anguſtias, quæ nos conquassarunt, nos denuo quasi e mortuis vivificasti, & ex infimo ac miserabili statu in sublimem eduxisti locum, non semel, sed sæpius: nec dubitamus, quin in posterum eadem ratione nobiscum acturus sis. Pertinent verba non speciatim ad Davidem, sed totum populum, cujus rex ipse erat, ut ex num. plur. liquet, & seq., ubi de se loquens sing. rursus utitur. Præpostera itaque est Masoretharum crisis, qua *plurali* substituerunt sing. Præterea respiciunt verba ad statum populi præteritum, ad præsentem usque; ita tamen ut spem instaurationis in simili casu in posterum simul exprimant: quare verbis fut. temp., *vivificabis*, *extolles nos*, utitur. Fut. temp. hic primo ad præteritum respicit, quo præced., *videre nos feciſti*, cui subjungitur fut. temp., ducit, & *consuetum* agendi morem denotat, ut sæpe alias, sed simul ad fut. se extendit, & *spem* in fut. continet: ut sensus sit, *vivificare* & *extollere* nos consueviſti, & idem, quæ spes nostra est, facies in posterum. Continent vero verba status adflicti, & glorioſæ liberationis ex eo, descriptionem ad justitiæ & fortitudinis Dei celebrationem producendam. Ex quo elucescit, *ſtatus miſeri* commemorationem hic occurrere, tanquam antecedens, & ad liberationem extollendam; non itaque tanquam *juſtitiæ* & *fortitudinis* signum,

quod in ſola liberatione ponitur, ſed tanquam occaſionem earum virtutum illuſtrandarum per vindicationem & eductionem ex eo: acſi haberetur, *qui*, *quum videre nos feciſti anguſtias*, iterum *vivificaſti nos*. Qualia exempla plura ſunt. Vid. ad Pſ. LXVI: 10—12. *Status* adflictus his verbis deſcribitur: *videre* (experiri, ſentire, quod facillimum eſt,) *nos feciſti anguſtias ſtringentes*, (radix צור, proprie *ſtringere*, *arctare*, denotat ſtringentem arctationem ad ſummum usque discrimen,) *multas* (proprie *ſpiſſas*, & denſas, adeoque multiplices & frequentes, ſimul graves & magnas) *& conquaſſantes*, vel *quaſſationes ſpiſſas*, (vox רעות conſtrui poteſt, æque ac רבות, cum ארות, etiam pro ſubſt. ſumi; *priore* ratione dicet *conquaſſantes* anguſtias, quæ deſtructionem patientiæ & virium adferunt, *poſteriore* vero, *quaſſationes* ipſas, quæ *anguſtiis* ſubjiciuntur, & cum *ſpiſſis* etiam conſtruuntur, ad emphaſin augendam. Perinde eſt, quo modo accipiatur; modo not. רעות non ſimpliciter *mala* denotare, ut putatur, quod *anguſtiis*, per ſe ſemper *malis*, ſine emphaſi adderetur, ſed *conquaſſandi*, *frangendi* habere poteſtatem, unde mali, & moralis, & *phyſici*, uſus fluxit. vid. ad Pſ. X: 15.) *Liberationem* ab hoc ſtatu exhibent ſequentia verba: *rediiſti vivificaſti nos*, & *ex abyſſis terræ rediiſti evexiſti nos*. h. e. denuo, iterum iterumque repetitis vicibus, nos quaſi ex orco & morte in vitam revocaſti, eamque proſperam & glorioſam. Quæ nihil habent impediti. Significatur rerum collapſarum & desperatarum populi illuſtris inſtauratio, cum reſuscitatione e mortuis, & vivificatione, comparari ſolita. De quo dixi ad Dan. XII. nec eſt ignotum. Ceterum digitus intenditur ad omnes anguſtias præteritas, & liberationes ex iis, quas populus Israeliticus ab adflictione Aegyptiaca expertus erat ad hoc tempus, usque quo Pſ. eſt compoſitus. Quæ quam variæ, multiplices & graves, fuerint, nemini non ex hiſtoria conſtat.

§. XXIII. 2. Subjungit David mox ſingularia juſtitiæ & fortitudinis Dei ſigna & effecta, quæ ipſe expertus erat verſ. 21.

21. *Multiplicasti magnificentiam meam, & avertisti te consolatus es me.* h. e. Quod populo evenit, idem mihi accidit: utique spissam, multam & magnam, fecisti magnificentiam meam, me e vili statu in summe gloriosum evehendo, ex adflicto in summe prosperum; deinde, cum faciem tuam avertisti, & me tua gratia privasti, ac iram sentire fecisti, quasi pœnitentia ductus, meæque miseriæ adgemens, & suspiria mea recipiens, iterum *consolatus* es me, & favoris tui signa, justitiæ & fortitudinis tuæ effecta, denuo experiri fecisti, me liberando, & in pristinum statum inducendo. Quæ paraphrasis, scopo & nexui verborum unice congrua, ut intelligatur, notandum est, *tria* hic de se declarare Davidem. 1. *Primum* est, suam excellentiam fuisse a Deo magnam & multam factam; scilicet cum ad regnum super toto populo evectus est, illudque longe lateque, domitis populis vicinis, extendit, ac prosperum reddidit. 2. *Secundum* est, Deum *se avertisse* ab ipso, favorem suum ipsi substrahendo, & iræ signa dando: quod hoc verbo exponit, ומ *& avertisti te;* qui satis usitatus est conj. Niph. usus; quo reciprocam adfert potestatem, uti notum est. Deus autem *se vertere* dicitur in *bonum* & in *malum*, prout se vel *convertit* ad aliquem, vel *ab eo avertit:* quem utrumque usum habet, ut ex Lex. quoque constat; & hic censeri potest exserere, acsi bis legeretur, *avertisti* te, *convertisti* & *consolatus* es *me;* quod ipsum præsupponeretur in *convertendi* significatu, si ille solus adoptaretur: *reverti* enim *consolari* involvit, & pro hypothesi habet, *consolationis* interruptionem. Sed rectius primo sensu ad *aversionem* Dei ab ipso refertur, indeque ortam adflictam Davidis conditionem, qua excellentiam illam spissam, cujus modo meminerat, perdidit; ut tempore fugæ coram Absolomo, quo Ps. confectus est. Subjungitur enim *multiplicationi excellentiæ*, & præmittitur *consolationi;* adeoque indicat statum excellentiæ contrarium, & ea posteriorem, in quo indigebat, ut liberaretur, *consolatione* Dei. Confirmat hunc sensum comparatio cum

fatis populi, quorum modo meminerat, triſtibus primum, dein lætis, quæ, & ſe ea expertum fuiſſe ut indicaret, requirit. Conf. Pſ. xxx: 8. ubi idem de ſe eodem fere modo confitetur. Ceterum כִּי eodem ſenſu capi debet, quo verſ. 20. *& videre nos feciſti*, ut ſit, *& quum avertiſti te, conſolatus es me.* Interpretes aliter inſtituunt, & varie; quos mitto. *Tertium* 3. eſt, Deum, qui ſe averterat, ipſum iterum *conſolatum* fuiſſe; quod hoc verbo exprimit, *conſolatus es me*, & conſolaberis in poſterum; utrumque enim fut. temp. forma eſt comprehenſum, ut modo habuimus. Debebat dixiſſe, ut modo, שַׁבְתָּ *rediiſti conſolatus es*, ſed reticuit, *cum* quod facile ex præced. repeti poſſet, *tum* quod ipſo verbo כִּי involutum ſit, ut modo notavi. Verbo *conſolandi* utitur divite ſenſu, qui *liberationem* & *inſtaurationem*, quæ realis eſt conſolatio, includit. Quod non eſt difficile.

§. XXIV. γ. *Tertia* pars, laudandi Deum propoſitum complexa, quæ reſpondet pericopæ verſ. 14—16. ubi de ejus ſcopo & conſpectu dixi, ita ſonat, verſ. 22—24. *Etiam ego celebrabo te inſtrumento nablii, veritatem tuam, Deus mi! pſallam tibi citharæ, ſancto Israelis. Tinnulum ſonabunt labia mea, quum tibi pſallam: & anima mea, quam redemiſti, etiam lingua mea omni die fervide ebulliet juſtitiam tuam, quia pudore confuſi, quia ignominia notati, ſunt quærentes conquaſſationem meam.* Quæ verba, ſi quæ elegantiæ cauſa diviſa ſunt connectantur, hac ratione formanda forent. Deus mi, & ſancte Israelis! celebrabo etiam ego te, & in te inprimis veritatem & juſtitiam tuam, nablio & cithara pſallam tibi, tinnulum ſonabunt labia mea cantu, anima mea & lingua eructabit fervide meditando & loquendo, quia tu redemiſti animam meam, & hoſtes mei, qui meam quaſſationem quærebant, confuſi ſunt, & proſtituti. *Partes* orationis itaque ſunt ſequentes. 1. *Objectum* eſt Deus, quem adpellat *Deum ſuum & ſanctum Israelis*, ut ſupremum ſupra omnia creata evectum Numen, Deum Israelis proprium, & ſuum, deſignaret. Hanc enim emphaſin habet titulus *ſanc-*

ti

ti Israelis. Vid. Jeſ. XL: 25. & ibi Cl. Commentator. 2. *Materiam* celebrandi memorat *veritatem* & *juſtitiam* Dei: de quibus virtutibus ſupra dixi. 3. *Rationem* celebrandi quærit in *redemtione animae*, ſeu vitæ ſuæ, ac hoſtium, qui ejus quaſſationem quærebant, confuſione & proſtitutione, jam facta. 4. *Modum* celebrandi recenſet *triplicem* *a.* per inſtrumenta muſica, *nablium* & *citharam;* de quibus alibi diximus, & alii abunde egerunt. *Nablium* eſt inſtrumentum, chordis inſtructum, quæ digitis utriusque manus pulſabantur, a forma *utris*, quæ vocis נבל poteſtas eſt, ſic dictum. Vid., præter Tillium *a*, Relandus *b*. *Citbara* כנור κιννυρα eſt inſtrumentum chordis conſtans, quæ plectro pulſabantur *c*. Apud Arab. ex vetuſtis libris notatur, part. eſſe paſſ. cum ſignificatione, quæ originem præfert *motus tremuli & vibrantis.* *b.* Per *carmina* voce canenda, his verbis: *labia mea tinnulum ſonabunt*, læta carmina accinendo. De qua rad. רנן poteſtate alibi ſæpe diximus. *c.* Per *meditationes & praedicationes* publicas; his verbis expreſſas: *& anima — etiam lingua mea ebulliet* &c. ſc. meditando & proferendo. Hæ enim voces conjungendæ ſunt, & verbum תהגה æque ad *animam* ac *linguam* pertinet: dicit exæſtuationem, ebullitionem, cum *cordis* per meditationem, tum *linguae* per pronunciationem. Conf. Pſ. XLV: 2. XLIX: 4. & alibi.

a De Muſica S. *b* Diſſ. v. de Nummis Samarit. *c* Id. Ib.

PSALM. LXXII.

1. *Salomonis. Deus! judicia tua regi da, & justitiam tuam filio Regis.*
2. *Judicabit populum tuum in justitia, & humiles tuos in æquitate.*
3. *Proferent montes pacem populo, & colles in justitia.*
4. *Judicabit humiles populi, servabit filios egeni, & conteret oppressorem.*
5. *Timebunt Te cum sole & coram luna, generatio generationum.*
6. *Descendet copiose sicut pluvia super resectum, sicut spissæ guttæ* super *adustum terræ*, vel, *exprimens fluxum terræ.*
7. *Efflorescet in diebus ejus justus, & spissa copia pacis erit, ad usque consummationem lunæ.*
8. *Et dominabitur a mari ad mare, & a fluvio ad terminos terræ.*
9. *Ante faciem ejus procumbent deserticolæ truces, & hostes ejus pulverem lingent.*
10. *Reges Tarsis & insularum donativa adferent, reges Schebæ & Sabæ gratitudinis munus offerent.*
11. *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.*
12. *Quia extrahet pauperem quiritantem, & humilem, & cui patronus deest.*
13. *Connivebit super tenui & paupere, & animas egenorum servabit.*
14. *A dolo & violentia vindicabit animas ipsorum, & pretiosus erit sanguis ipsorum in oculis ejus.*

15. *Et*

15. *Et vivet! & dabit ipsi de auro Schebæ, & orabit pro ipso jugiter, omni die benedicet ipsi.*

16. *Sit exspiramentum tritici in terra in vertice montium, perstrepet instar Libani fructus ejus, & enitescent præ largissima pluvia, instar graminis terræ.*

17. *Sit nomen ejus in æternum! coram sole copiose soboleſcet, & benedicent sibi in eo omnes gentes, beatum ipsum prædicabunt.*

18. *Benedictus sit Jehova Deus, Deus Israelis, qui facit mirabilia solus.*

19. *Et benedictum sit nomen gloriæ ejus in æternum, ejusque gloria repleatur tota terra. Amen & amen!*

20. *Desinunt preces Davidis, filii Isai.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum præclarissimi hujus Ps. est illustris alicujus viri, qui se *regem* & *filium regis* κατ' ἐξοχὴν adpellat, oratio *partim* precatoria, qua a Deo instrui & duci petit, ut secundum leges & jura Dei regnum administret, cuique jus & æquum dispenset, pauperes & adflictos vindicet, & regno gaudeat prospero & pacifico, *partim* prophetica, qua regnum Dei sub longe excellentiore rege, sequente tempore erigendum, vivis coloribus depingit, tanquam coeleſtibus donis & bonis plenum, pacificum, & æternum, simul longe lateque per orbem inter gentes diffusum, justum, æquum, & quibuscunque, seu cujuscunque conditionis, subditis salutare, & regi glorioſum, qui muneribus & donis ab omnibus honoraretur, & votivis precibus ac benedictionibus excipieretur, *partim* denique *votivus*, per mandum

dum concluſionis, qua, ſuperioribus lineis ſummatim repetitis, regno & regi omnia illa, quæ memoraverat, adprecatur. Quibus omnibus, adpendicis inſtar, ſubjungitur δοξολογία Dei, cum ſolenni formula, qua liber Pſalmorum claudi ſolet.

§. II. Ad cujus argumenti verum conſpectum in genere notandum eſt, & ante omnia, duas eſſe ejus partes, quæ diverſæ ſunt naturæ, *alteram* precatoriam, *alteram* propheticam, in voto deſinentem; cujus utriusque indicium in eo eſt, quod *priori* parti directa præmittatur *precatio*, verſ. 1. cujus ſcopus & conſequens tantum repræſentatur, verſ. 2—4.; *poſterior* vero pars tota, ſine ullo indicio precationis, decurrat per modum prædictionis, verbis fut. temp.; niſi quod terminari videatur verbis *optativæ formæ;* ut poſtea videbimus. Accedit, illud ipſum, quod in priore parte ſupplicaverat perſona loquens, in poſteriore exhiberi tanquam a rege, quem ibi in oculis habet, eſſe præſtandum, & quidem longe luculentius, quam oraverat, verſ. 12. &c. In *ſpecie* vero ad animum revocari velim, 1. *priorem* partem vero ſuo conſpectu eſſe introductionem Pſ., & partem ejus antecedentem, ac occaſionalem; *alteram* vero proprium conſtituere & præcipuum Pſ. argumentum. Priore enim parte brevibus abſoluta, autor ſeſe fuſius in poſteriore parte depingenda diffundit, & deſinit in ea, 2. in priore parte virum illuſtrem, pro quo oratur, adpellari *regem* & *regis filium*, ſed in poſteriore nominatim non exprimi, tantum tanquam illuſtrem & coeleſtem regem, ſimul potentem & optimum deſcribi, ita tamen, ut tacite inſinuetur, eodem ſub titulo *regis* & *regis filii* ipſum comprehenſum fuiſſe, licet ſenſu ſublimiore & magis emphatico, quæ ratio eſt, quare expreſſe non adpelletur; 3. denique in priore parte ſupplicari tantum, ad regimen juſtum & æquum, pacificum ſimul & proſperum, conſtituendum, divinam informationem & directionem; præterea reſtringi illud regimen ad *populum* Dei, & proprios regni cives: ſed in *poſteriore*

riore regem delineari tanquam coeleſtem, potentiſſimum, & a regibus ipſis adorandum, ac muneribus religioſe colendum, in quo ſibi quoque benedicerent gentes, quique pauperes, mites, oppreſſos redimeret, & potenter vindicaret, ſeſeque iis indulgentiſſimum præberet patrem & rectorem: *regnum* vero ob oculos ſiſti, tanquam donis & bonis coeleſtibus plenum, pacificum, populoſiſſimum, ex tenuibus licet originibus ortum, verſ. 16., longe lateque per orbem extenſum, & univerſale; denique æternum, nunquam ceſſaturum, quamdiu ſol & luna forent, verſ. 5, 7, 17.

§. III. De *tempore* & *occaſione* Pſ. ante quam dispiciamus, *autor* definiendus eſt, ſitne *David*, an *Salomo*: de alterutro enim cogitandum eſſe, communis habet Interpretum hypotheſis; ſed alii *Salomonem*, alii, qui plures ſunt numero, *Davidem*, pro autore habent: audiendi enim non ſunt, qui *materiam* Davidi, *formam* & ſtructuram Pſ. *Salomoni* adſcribunt, quippe quod ne ſpeciem quidem probabilitatis habet. *Priores* vero ſeſe in titulo לשלמה *Salomonis* fundant, cum præf. ל in titulis Pſ. *autorem* deſignare ſoleat. *Poſteriores* provocant *cum* ad mentionem *regis*, pro quo oratur, *tum* ad clauſulam Pſ. verſ. 20. qua, *Davidis preces finitas* eſſe, dicitur. Quod neutrum ſufficit; cum *clauſula*, ab alia manu profecta, non hujus ſit Pſ., ſed omnium præcedentium, in *duos* libros collectorum; qui, paucis exceptis, ſunt omnes a Davide; ſecus ac in ſeq., qui longe maximam partem alios habent autores; *autorem* vero pro ſe in tertia perſona orare, ſeſeque regem, & filium *regis*, dicere, nihil habet inſolti, multum etiam emphaſios; ut in ſeq. dicam. Placet vero & mihi *prior* ſententia, quæ *Salomonem* pro *autore* agnoſcit; quia hic conſtans eſt in Pſ. inſcriptionibus præfixi ל uſus, a quo ſi discedas, fluxa erit & ambigua titulorum ſignificatio, nec usquam certi de *autore* aliquo eſſemus. Retinet quoque eandem poteſtatem Pſ. cxxv., qui *Salomoni* quoque tribuendus eſt. Quod ſi Davidi Pſ., tanquam autori, eſſe dandum aliunde conſtaret, vocem לשלמה non pro

titulo Pſ., ſed prima voce haberem & verterem: *Salomoni, o Deus! judicia tua regi da, & juſtitiam tuam filio regis*, adeo ut voces, elegantiæ cauſa divulſæ, ut ſæpiſſime fit, hac ratione decurrant: *Salomoni, regi, & Filio regis, o Deus! da judicia tua & juſtitiam tuam.* Sed, cum titulus Pſ. ita ſoleat præmitti, ab eo uſu non auſim discedere; maxime cum Pſ. recte in Salomonem quadret, tanquam *autorem*, qui, brevi pro ſe & regno ſuo præmiſſa precatione, cogitationibus ſuis per Spiritum defigitur in Meſſiæ, cujus typus erat, regnum; ut mox dicam.

§. IV. *Tempus* Pſ. recte conſtituitur, ut facile adparet, quo in regno confirmatus, &, ſomnio divino beatus, promiſſum accepit ſapientiæ ac proſperitatis in regno adminiſtrando, 1 Reg. III & 2 Chron. 1. Cum enim in viſione nocturna hoc deſiderium ſuum expectoraſſet, & Deus ei adnuiſſet, ſimul reliqua hujus vitæ bona ipſi & regno ejus pollicitus eſſet; ipſe recte cenſetur excitatus ad hanc odem componendam, qua idem illud ſuum deſiderium, quod in ſomnio expoſuerat, repetit & confirmat, ſimul promiſſi Dei implementum ſupplicat. Aptiſſima præterea erat occaſio, meditationes ad regnum Meſſiæ, in ſuo, tanquam emblemate & typo, conſpicuum, ſimul ſui regni proſperi fundamentum & complementum, transferendi; quemadmodum David etiam ſubinde fecerat, ut Pſ. XL. & LXIX. & alibi. Salomonem autem jam regem fuiſſe, & in regno confirmatum, titulus *regis* evincit, & perpetua ad regnum ſuum adluſio in regni Meſſiæ pictura confirmat: cum vero *jura* & juſtitiam Dei ſibi dari ad regnum rite adminiſtrandum, & in pace conſervandum, tam ardenter petat, & inde mox incipiat Pſ., commodius tempus eo, cujus memini, excogitare nequeo. Quare in eo acquieſco.

§. V. *Scopus* Pſ. eſt, ut facile cernitur, deſiderium, in ſomnio expreſſum, confirmare, & promiſſi, ſibi tunc facti, implementum implorare, ut in regno ſuo floreat juſtitia, pax & proſperitas: præterea illuſtriſſimi & proſperrimi regni

ni Meſſiæ, ad quod ſuum reſpiciebat, & in quo terminaretur, lineas ducere, ſimul illud tanquam exemplum ſibi imitandum proponere, ut in ſuo regno ſe ita gerat, & tali fruatur regno, ut dignum ſit Meſſiæ & regni ejus emblema. *Uſus* cantici ſive privatus, ſive publicus, definiri enim nequit, num inter ſacra fuerit publice adhibitus, ſeſe facile quoque in oculos ingerit, ad fidem & ſpem fidelium exercendam & corroborandam, qua Meſſiæ regnum, in eo Salomonis conſpicuum, ante oculos habebant, & exſpectabant; ſimul formulam ipſis in manus dandam, qua, pro Salomonis regno orantes, uti, & fidem ſuam ac ſpem, modo memoratam, exprimere & alere poterant.

§. VI. *Structura* Pſ. nihil habet difficilis; continuum continet ad Deum adloquium, ſed diverſo modo inſtitutum, partim ſupplicatorio, partim prophetico, partim votivo; ita tamen ut perſona, pro qua oratur, ſicut de qua ſermo fit propheticus & votivus, in tertia perſona memoretur, cujus rationem mox pandam. Adloquium vero ad Deum in parte quoque prophetica continuari, ex verſ. 5., de quo mox, eluceſcit. *Stylus*, licet hic illic figuratus, non eſt difficilis, ſed planus & emphaticus, una alterave voce, poſt illuſtranda, excepta. *Partes* Pſ. generales *duæ* ſunt, *altera* precatoria, verſ. 1—4. *altera* prophetica, ſed in *votum*, quod ſubjungitur, deſinens, verſ. 5—17. Utriusque partes ſpeciales poſt recenſebo. Ultimos *tres* verſus in analyſi omiſi, quia clauſulam continent, ab alia manu additam, nec hujus tantum, ſed & præcedentium Pſ. omnium: de quo poſtea.

ANACRISIS.

§. VII. Interpretes circa hypotheſin Pſ. exponendi fere omnes, uno alterove excepto, conveniunt, Meſſiæ regnum hic depingi, ſed alii unice & directe, licet cum continua ad Salomonis regnum adluſione, alii indirecte & myſtice,

ita ut primo ſenſu *Salomonis*, ſecundo & typico Meſſiæ deſcribatur. Ex noſtra vero hypotheſi *partes* Pſ., modo memoratæ, diſtinguendæ ſunt, & *prior* referenda eſt ad Salomonem ipſum, *poſterior* ad Meſſiam, utraque directe, ſed poſterior, cum perpetua ad Salomonem adluſione. Cujus diſtincta nobis reddenda eſt ratio. *Priorem* partem, quæ *precatoria* eſt, verſ. 1—4, directe ad Salomonem retulerim, & pro introductione, ſeu parte occaſionali Pſalmi, quem ſeq. pars proprie conſtituit, habuerim. Rationes ſunt, 1. quod titulus *regis* & *filii regis* Salomonem directe definire videatur. Etſi enim Meſſias quoque *filius regis* adpellari queat, quatenus eſt & vocatur *filius Davidis;* non eo, ſed alio titulo ſublimiore uſus fuiſſet poeta, ut videtur, ſi *Meſſiam* directe deſignare voluiſſet; quemadmodum Pſ. cx. *Dominum ſuum* eum adpellat David, & *dominatorem*, 2 Sam. XXIII. 3, nec usquam, quantum ſuccurrit, a Davide, aut in Pſ., *filius Davidis* cognominatur, nequidem 2 Sam. VII. 2. *precatio*, ut Deus ipſi *det jura ſua* &c. longe rectius pro Salomone fiat, quam Meſſia; qui ejusmodi *precatione* opus non habet, cum jura Dei, tanquam ſibi propria, habeat. Aliud eſt orare, ut regnum ejus veniat, aut feliciter ſuccedat, de quo ad verſ. 15., aliud, ut Deus ipſum informet & dirigat in jure & juſtitia Dei: quod phraſis proprie denotat. 3. Quod regni adminiſtratio juſta & pacifica, precum ſcopus & effectus, reſtringatur ad *populum Dei*, ſeu Israelem eo epitheto inſigniri ſolitum; cum in ſeq. parte regnum univerſale per orbem depingatur. Denique 4. quod regi hic tantum adtribuatur vindicatio pauperum per juſta & æqua judicia, eorumque executionem, ſed in altera parte longe illuſtrior & potentior liberatio ac redemtio: rex ipſe quoque ibi proponatur tanquam objectum adorationis, & cauſa benedictionis, &c.

§. VIII. *Poſteriorem* vero partem directe ad Meſſiam pertinere, licet cum manifeſta adluſione ad Salomonem, de qua omnes phraſes teſtantur, ſequentes mihi perſuadent ratio-

tiones. 1. Quia ſub ejus regno *Deum verum timerent* per univerſum orbem, & in perpetuum, verſ. 5. 2. Ipſe rex *adoraretur* a regibus omnibus, & omnibus gentibus, verſ. 11. & *in nomine ejus* ſibi *benedicerent* omnes verſ. 17. quod conſtans eſt Meſſiæ criterium, ſecundum promiſſum Abrahæ factum, *in ſemine tuo ſibi benedicent gentes*. 3. Quia *tenuium* & oppreſſorum, ad ipſum clamantium, ſiſtitur potentiſſimus vindex, & animarum redemtor, ſimul ſuorum indulgentiſſimus pater, verſ. 12—14. Quæ Meſſia propria ſunt criteria, ut notum eſt. 4. *Nomen ejus* in æternum vigeret, & celebraretur quaquaverſum tanquam unicum *nomen*, in quo ſibi benedicerent gentes omnes, verſ. 17. 5. Quia regnum ejus floreret, & *pace* gauderet usque ad finem mundi, verſ. 7. 6. Denique improborum & hoſtium ejus & regni ejus foret ſtatus miſer & depreſſus, verſ. 9.

§. IX. Quibus admiſſis, *tria* ſunt addenda obſervata. 1. *Primum* eſt, regnum Meſſiæ hic depingi ſecundum veram ſuam indolem, & quale ſuo tempore, omnibus hoſtibus ſuperatis, & offendiculis e medio ſublatis, foret, & erit. De quo ex lineis regis & regni, hic ductis, facile conſtat, & comparatio cum regno Salomonis, quo hic adluditur, quoque teſtatur. Convenit denique regni Meſſiæ deſcriptio apud Prophetas, qui, fata intermedia ſilentio prementes, regnum Meſſiæ repræſentare ſolent, tanquam univerſale per orbem, pacificum & proſperum ac glorioſum. De quo alibi fuſius ad Dan. viſa emblematica diſſerui. Connecti ſolet initium & finis regni Meſſiæ ſecum, & depingi in ſtatu ſuo vero & glorioſo; quem non niſi poſt varia fata intermedia conſequetur. 2. *Secundum* eſt, regnum Meſſiæ depingi coloribus a regno Salomonis mutuatis, eo etiam ſcopo, ut eodem penicillo felicitas regni Salomonis duceretur, & hoc fundamento, quod arcta ſit inter utrumque illud regnum connexio, tanquam typicum & antitypicum: de quo plura dixi ad Gen. XLIX. *a*. Adluſio ad regnum Salo-

a. §. LXXXIII.

monis eſt clarior, quam ut negari queat: in ſpecie animadverſionem meretur, quod univerſalitas regni Meſſiæ deſcribatur terminis regni Salomonis per totam Cananæam, & loca vicina; & reges, Meſſiam veneraturi, iis adpellentur nominibus, quæ ſub Salomone fuerunt nota; ipſa quoque veneratio phraſibus deſcribatur a tempore Salomonis petitis. 3. *Tertium* eſt, *duas* Pſ. partes, modo memoratas, ea ratione connecti; ut *poſterior*, quæ de Meſſiæ regno agit, præcipuum Pſ. argumentum & ſcopus haberi debeat, quare etiam totum fere Pſ. abſolvit, inſuper *priori*, quæ ad Salomonem pertinet, ſubjungatur, tanquam ejus fundamentum, ſcopus & complementum; quippe cui innitatur felicitas regni Salomonis, & precum ſuper ea exauditio, quo reſpiciat regnum Salomonis, tanquam ad antitypum ſuum, & in quo conſummandum ſit: quemadmodum omnia præclara & felicia, quæ populo Israeli contigerunt unquam, eo ſpectarunt. Quæ ratio eſt, quare poetæ & prophetæ ex rebus, ad ſe aut Israelem pertinentibus, ſoleant occaſionem ſumere de Meſſia prophetandi: uti ſæpe obſervavimus. Quod itaque hic monuiſſe ſufficiat.

EXPLICATIO.

§. X. *Prior* Pſ. pars, quæ, ut recte Jun. & Amama, continet *precationem pro juſta gubernatione*, addo & pacifica ac prospera, *Salomonis*, *prophetiae praemiſſam*, quatuor, & non, ut illi, tribus, verſibus comprehenſa, recte in duo dividitur membra, quorum *prius* precationem, *poſterius* ejus ſcopum & conſequens, exhibet *a*. *Precatio* ita ſonat verſ. 1. *Deus! judicia tua regi da, & juſtitiam tuam filio regis*, h. e. mihi, qui rex ſum, & regis filius ac ſucceſſor, in emphaſi ſic dictus, eam facias gratiam, ut in jure dicundo, ac tota regni adminiſtratione, ad tuum me componam exemplum, & ſecundum tua ſtatuta & præſcripta ſciam, velim

velim & valeam, omnia agere, absque ut ad siniſtram aut dextram deflectam, rigido tenore & conſtanter ac potenter, ſimul nomine tuo, tanquam vicem tuam gerens, ut Te regnare adpareat. Salomo, qui, ut dixi, autor Pſ. eſt, & loquitur, de ſe in tertia perſona loquens, ſe adpellat *regem*, & *regis filium*, non ſine elegantia & emphaſi, ut *perſonam*, quam gerebat, in medio populi, definiret, & ſe pro hac perſona, non pro ſe abſolute, hæc petere indicaret. *Regem* ſe cognominat abſolute, & ſine articulo demonſtrativo, ut, ſe unicum eſſe in medio populi regem, & omnibus notum ac receptum, indicaret; præterea *filium regis* addit, non ſimpliciter, ut, ſe tanquam ex rege natum, & ejus ſucceſſorem legitimum eſſe, indicaret, verum etiam, & præcipue, illum eſſe *filium*, qui Davidi regi promiſſus erat, & in quo regnum ejus propagaretur, filium illum eximium, & notum, qui Deo charus erat, & Templum ipſi ædificaret. 2 Sam. VII. 1 Chron. XXVIII: 5, 6. propterea *Jededjah* adpellatus 2 Sam. XII: 25. & *Lemuel rex*, Prov. XXXI: 1. *Judicia* vero & *juſtitia* Dei, quæ materiam precum abſolvunt, ſunt cum *judicia juſta*, tum *aequitates* & recto-rigidus tenor in actionibus & judiciis; quam propriam habent voces Hebr. ſignificationem: נשר enim proprie eſt *coaequavit*, met. *judicavit*, q. d. *aequavit cauſas*, & alio flexu *benignus* fuit. נכח autem eſt, *recto-rigidus fuit*; inde verax, juſtus, conſtans & æquus: uti notum eſt. *Judicia* vero & *juſtitia Dei* ſunt *cum* quæ ipſe in mundi gubernatione obſervat, Prov. VIII: 20. *tum* quæ populo ſuo præſcripſit, *jura* Dei dici ſolita, ſecundum quæ populum gubernari, & judicari, voluit. Quæ ſatis plana & trita ſunt. *Dare* vero cum ſibi, qua regi, hæc ſupplicat, *ſcientiam*, *zelum & praxin*, ut adpoſite & nervoſe Tirinus, petit, ut cognoſcat jura & juſtitiam Dei, ſtudio & amore in ea feratur, denique ea in omni vita & tota gubernatione exerceat, ſimul nomine Dei, & potenter, ut Deum regem populi præferat Vid. 1 Chron. XXIX: 23. ubi *in throno Jehovae* ſediſſe legitur. Convenit hæc precatio

tio perfecte ei, quam Salomo in somnio expromsit, 1 Reg. III. & 2 Chron. 1. Quæ cum facilia sint, & sua sponte sese adprobent, lubens suo loco relinquo subtilem viri magni interpretionem, qua Messiam censet regem adpellari divinum, & Dei regis filium, ac ei adpeti vult judicium divino modo exercendum, uti Deus, non homo, potest & solet: quæ valde remota & coacta sunt.

§. XI. β. *Scopus* precationis, & exauditionis consequens ac effectus *triplex*, vel tribus articulis, proponitur vers. 2—4. *a. Primus* his verbis effertur, vers. 2. *Judicabit populum tuum in justitia, & humiles tuos in aequitate.* h. e. Eo tendit mea supplicatio, & hic erit exauditionis, ac boni impetrati, consequens, ut populo Israelis in genere, & humilioris sortis hominibus, qui nec vires, nec opes habent, quibus se defendant, in specie, qui omnes peculiarem ad te habent relationem, qua populus & humiles tui sunt, suum cuique tribuam, & secundum jus ac æquum eos tractem. Forma fut. temp., *judicabit*, utitur, ut, quemadmodum dixi, *scopum* & *consequens* precum repræsentet; quod jam est observatum ab aliis. Verbum דין proprie est *premere*, inde *pendere*, q. librando subigere cum pressione, *ponderare* examinare, & omnibus ponderatis *decidere*, ac *judicare*. Extendit sese ad totam gubernationem, qua cuique suum tribuitur, quisque secundum statum & merita tractatur, quæstiones decidantur, & judicia exercentur. *Judicare* vero *in justitia*, & *aequitate* est, secundum jus & æquum omnia decidere & agere. *Populus Dei* in genere denotat Israelem, in specie honoratiores & potentiores; qui subinde, ut alibi notavimus, עם *populus* adpellari solent; quibus mox *humiles* opponuntur, pauperes, abjectioris & vilioris sortis, opibus & viribus orbi, nec se contra oppressores tueri valentes: qui proprie עניים adpellantur, quatenus *vires iis effluxerunt*, & deficiunt, a ענה *fluere* a. Quorum specialis fit mentio, ut

a Vid. ad Ps. x. Cl. Schroeder p. 202.

ut juſtitia & æquitas gubernationis extolleretur, tanquam univerſalis, & ſine perſonarum discrimine inſtituenda, in ſpecie tenues, & humiles, protectura.

§. XII. *b. Secundus* articulus comprehendit pacem & prosperitatem, ex juſta illa & aequa gubernatione orituram, verſ. 3. *Proferent montes pacem populo, & valles in juſtitia.* h. e. Eo etiam ſcopo peto mihi jura & æquitatem tuam, eritque etiam, ſi votorum compos fuerim factus, ut populus per totam terram, ex montibus & vallibus frugiferis conſtantem, fruatur pace ac prosperitate, una cum juſtitia mutua, quæ *commutativa* adpellatur; ſimul per *eam*, a me exercitam, cujus fructus & conſequens erit *pax*, & omnium rerum abundantia. *Montes & valles*, quæ partes ſunt Cananææ, eæque frugiferæ, cum hic ſiſtuntur tanquam *pacem* producturæ populo, inſinuatur quidem, copioſos & lætos fore in uſum populi per univerſam Cananæam *proventus* omnium terræ partium, respectu frugum, fructuum, & gregum, ſed directe & proprie ſignificatur, populum per totam terram *pace* & prosperitate ac ſecuritate copioſe gaviſurum eſſe, acſi ex ipſis montibus & vallibus, ut fructus & fruges, oriretur: quemadmodum Pſ. LXXXV: 11, 12. ubi plura hanc in rem dicam. In quibus nihil eſt difficilis. Sed quid ſibi vult בצדקה *in juſtitia?* duo, ni fallor, ea voce in fine addita indicantur, pacem eam fore conjunctam cum *juſtitia*, quam populus ipſe habebit & exercebit, & medio *juſtitiæ* eſſe procurandam, ſicut *opus juſtitiae pax* dicitur, Jeſ. XXXIII: 17. Poteſt enim verti *cum juſtitia*, & *per juſtitiam*, & ita utrumque, quod dixi, locum tenere.

§. XIII. *c. Tertius* articulus in ſpecie respicit ad humiles & pauperes ſpoliatos ac oppreſſos a potentibus, a rege vindicandos & in latum ac amplum ſtatum educendos, verſ. 4. *Judicabit humiles populi, ſervabit filios egeni, & conteret oppreſſorem.* h. e. Humiles, opibus & viribus deſtitutos, in medio populi, a potentioribus oppreſſos & defraudatos, nec ſe vindicare valentes, ipſe rex vindicabit, eos manui

oppreſſoris eripiendo, ac in libertatem adſerendo, oppreſſorem vero puniendo & conterendo, ut nec auſit, nec poterit, amplius in eos graſſari. Quod verſ. 2. in genere de populo ſine discrimine, juſte et æque tractando, ac judicando, erat dictum, illud hic extenditur et adplicatur ad humiles et pauperes, ab aliis oppreſſos et defraudatos, qui liberandi forent, cum violentorum illorum contritione: quod ad pacem et prosperitatem regni, cujus proxima mentio erat facta, quoque requirebatur. *Humiles* et *filii pauperis*, ſeu pauperes et egeni, quod phraſis denotat, uti notum, homines vilioris ſortis et conditionis, qui nec opes nec vires habent, hic occurrunt, quod probe notandum eſt, tanquam *oppreſſi* et defraudati, ita ut in ſervitutem rediganter, ac mercede ſua defraudentur, variisque modis vexentur; uti liquet *ex oppreſſoris contritione* addita: eos itaque *judicare* eſt vindicare, in libertatem adſerere, et ab oppreſſione liberare; uti ex verbo שפט ſubjuncto patet; adeoque, non tantum *judicare*, ſed potenter *vindicare*, quo ſenſu ſubinde venit, & *judices* Israelis, qua *ſervatores* populi, adpellati ſunt. Quod tralaticium eſt. Conf. Pſ. 81. quo de hoc ipſo juſto regimine ex profeſſo agitur.

§. XIV. *Altera* Pſ. pars, vel potius ipſe Pſ., cujus prior pars fuit introductio & occaſio, ut ſupra vidimus, continet 1. propheticam regni Meſſiæ deſcriptionem, verſ. 5—15. 2. votum Pſaltæ pro ejus implemento, in quod deſinit prophetia, verſ. 16, 17. 1. Prophetica pars recte dispeſcitur in *propoſitionem*, & ejus *deductionem*. a. Propoſitio verum iſtius regni conſpectum, ejusque univerſalitatem & perpetuam durationem, ſermone ad Deum continuato, repræſentat his verbis, verſ. 5. *Timebunt te cum ſole, & coram Luna, generatio generationum.* h. e. ut a meo regno, pro cujus juſta & proſpera conditione oravi, meditationes meas ad verum & antitypicum regnum, mei fundamentum, ſcopum & complementum, transferam, & in ejus deſcriptionem diffundam, generalem ejus conſpectum præmitto; ſecun-

undum quem divinum & religioſum, per orbem late diffuſum, ac perpetuum, erit regnum; utique te, patrem & dominum, unicum & ſupremum omnis boni fontem & largitorem liberaliſſimum, reverebuntur, amabunt & timebunt, non una generatio, ſed una poſt alteram ſine interruptione in perpetuum, nec unius regionis, ſed per totum orbem, adeoque quam late regnant ſol & luna, & quam diu durant. Verba continent regni Meſſiæ verum *conſpectum*, & duo ejus attributa *univerſalitatis* ac *æternitatis*, in terra. *a.* Veram regni naturam pandunt hæc vocabula, *timebunt te generatio generationum;* quæ ſecum conectenda ſunt, cum voces, *generatio generationum*, ſubjectum contineant religioſi cultus Dei: quod ceteroquin ſilentio fuiſſet involutum: cum ſuperioribus enim male connectuntur, acſi humiles & pauperes a rege liberati hic declararentur Deum reverituri; quia latius longe extenditur timoris Dei exercitium, ad omnes per orbem; nec ratio eſſet, quare de illis hoc ſpeciatim memoraretur. Nomen vero יִרְאוּךָ geminatum, tam in ſing. quam plur., diſtributionem ſolet involvere, & *ſingulas* ſibi ſuccedentes generationes denotat, ut recte Gejerus, qui etiam pro *nominativo* habet, & cum verbo *timere* connectit. *Timere* autem omnem religioſum cultum, ex amore & reverentia Dei ortum, comprehendit, ut alibi ſæpe. Pro hypotheſi autem habet, Deum ſeſe præſtare Patrem & Dominum, & qua talem amandum, timendum, ac colendum. Conf. Mal. I. 6. III: 20. et ibi dicta. *Objectum* vero timoris non eſt Meſſias rex, ſed Deus Pater, cum mox de Meſſia in tertia perſona ſermo fiat, et ipſe deinceps tanquam objectum adorationis proponatur, modo etiam de Deo in ſecunda perſona fuiſſet poeta locutus. Senſus itaque eſt, Deum, qui nunc ab Israele tantum celebratur, et ab una ſæpe ſolum generatione, quæ ſæpe pravam et idololatricam producebat aliam, ſuo tempore ſub regno Meſſiæ eſſe a quacunque generatione, et per continuam ſucceſſionem, colendum; quam vim habet phraſis, *generatio gene-*

rationum, h. e. quævis generatio, non Israelitica tantum; et continua: adeoque regnum Meſſiæ natura ſua in eo ſitum eſſe, quod Deus ibi ſeſe patrem demonſtret, et ametur, ac reverenter colatur. Quæ genuina eſt regni Meſſiæ, uti notum, facies, verus conſpectus. *b.* Ut, quod phraſi *generationis generationum* involutius erat comprehenſum, apertius et clarius exponeretur, addit poeta, *cum ſole & coram luna* h. e. cum et coram ſole et luna; ita enim voces divulſæ ſunt connectendæ, ut paſſim fit alibi, et ſæpe a nobis notatum eſt. Senſus eſt, Deum eſſe colendum, ubicunque ſol et luna luxerint, et quamdiu ſuperſtites erunt; *cum* ſole et luna eſt, quamdiu erunt, *coram* iis eſt, ubicunque lucem ſparſerint; adeoque *univerſaliter* per orbem, et in *perpetuum* usque ad conſummationem mundi: quod alias Pſ. LXXXIX: 37., dicitur, *thronus ejus ſicut ſol coram me, ſicut luna ſtabilietur in ſeculum.* Conf. etiam Job. XIV: 12. XXVI: 10. et infra verſ. 7.

§. XV. *β.* In propoſitionis deductione depingitur, *a.* ſumma populi, ſub rege Meſsia, proſperitas, ſpiritualis et corporea, a coeleſti ejus influxu oriunda, et duratura in perpetuum, tanquam paterni Dei favoris indicium et effectum, ac amoris et timoris Dei, modo memorati, ratio et fundamentum, verſ. 6, 7. *Deſcendet* copioſe *ſicut pluvia ſuper reſectum, ſicut ſpiſſæ guttæ ſuper aduſtum terræ*: vel, *exprimens fluxum terræ; efflореſcet in diebus ejus juſtus, & ſpiſſa copia pacis* erit *ad usque conſummationem lunæ*, h. e. toto tempore coeleſtis regis et regni, quod, quamdiu luna erit, durabit ſine interruptione, ſumma erit bonorum cujuscunque generis, coeleſtium et terreſtrium, copia per omnes terræ partes, antea et in ſe plane aridas et ineptas, a rege coelitus demittenda, qua ſubditi, qui juſti erunt omnes, gaudebunt, & læte ac fructuoſe agent. Verba continent proſperitatis duraturæ regni Meſſiæ deſcriptionem *emblematicam*, & magis *propriam*; ita ut *prior* ſimul *cauſam* ejus comprehendat, & *poſterior effectus* quoque conſpectum gerat:

rat: ut facile cernitur. *Figurata* deſcriptio verſ. 6. petita eſt a copioſa pluvia, in ſectum & aduſtum terræ coelitus deſcendente, qua abundantiſſime humectatur, & in rivos fluentes mutatur, aptumque redditur ad efficiendum, ut arbores & plantæ excreſcant, & reflorescant. Cujus ſenſum myſticum antequam tradam, *littera* emblematis verbo eſt illuſtranda; cum aliquid difficultatis habeat reſpectu *ſubjecti recipientis* pluviam. Voces enim, quæ *pluviam* denotant in utroque membro, nihil habent obſcuri: tantum notetur, pluviam copioſam, & imbrem ex ſpiſſis guttis conſtantem, denotari, quam emphaſin habet vox רבבים, a rad., quæ propriam vim habet in *concreſcendo*, quando quid ſpiſſatur, & denſius concreſcit. Sed quodnam eſt ſubjectum recipiens? duplex memoratur, in *priore* membro גז, in *poſteriore* ארץ זרזיף, quorum *illud* facilius, *hoc* difficilius expeditur, licet nec *illud* recte paſſim ſit intellectum. Solet enim גז vel de *vellere* detonſo, vel de *prato* reſecto exponi, quod neutrum admittit vox; quæ & vera ſua poteſtate, quæ eſt *reſecare metendo*, & uſu ſuo non *vellus*, *caput*, *pratum*, demeſſum vel detonſum, de illis enim adhibetur, ſed lanam reſectam, crines detonſos, ac herbam demeſſam, conſtanter denotat; adeoque גז hoc loco erit vel *lana*, vel *herba* reſecta; quæ, quam inepta etiam, pluvia coeleſti madefacta & copioſe irrigata repræſentatur, ut refloreſcat: digitus videtur intendi ad ſignum Gideoni datum Jud. VI: 37. quod a Cl. Haſæo quoque deinceps vidi obſervatum *a*, vel ad *herbam* demeſſam reſpici, quæ denuo revireſceret: de quo mox diſtinctius dicam. Sed quid in altero membro eſt זרזיף? mihi, miſſis aliorum conjecturis, quæ Rabbinorum apud Kimchium *b* proſtant, & aliorum facile in Lex. inveniuntur, nihil videtur probabilius, quam ut per *aduſtum*, vel percuſſum, adeoque aridum, & ſciſſum præ ariditate, vertatur, & tale *terræ* ſolum intelligatur, ac pro ſubjecto pluviæ habeatur, repetito ex præced. על *ſuper*. Quod

a Bibl. Brem. cl. III. p. 69. *b* Libr. Rad.

firmatur, 1. ex comparatione cum membro præced., cui hoc noſtrum reſpondet. Sicut itaque ibi גז *reſectum* occurrit, tanquam ſubjectum recipiens pluviæ, ita hic non ארץ *terra* ſimpliciter, ſed זרוף *aduſtum* vel *ſciſſum terræ*, oportet ſit, æque ineptum ad fructificationem, ac gramen reſectum. 2. ex collatione ſimilium locorum Jeſ. XXXV: 1. XLIV: 3. in primis Jud. VI. quo in priore membro reſpici dixi; ubi *lanæ reſectæ* additur *terra* arida vel *ſicca*. Quæ vox חרב ibi adhibita eandem fere poteſtatem habet, quam noſtra זרוף. Quod 3. ad noſtram ſententiam firmandam obſervo, חרב originem habet in fiſſione & laceratione, unde inter alia orta eſt *ſiccitatis* ſignificatio, cum *fiſſio* ſit materiæ *aridioris* ſignum, & *ſicca* facile radantur, ac findentur. Eandem fere poteſtatem præfert זרף, unde per duplicationem primæ rad. uſitate oritur זרוף. Proprietatem enim habet in *ſcindendo* & *findendo*, inprimis æſtu; unde reliquæ notiones apud Chald., Syr. & Arab. fluxerunt. Proxime reſpondet Hebr. צרב proprie percuſſit, verberavit, inde aduſſit, & שרף, סרף, *uſſit*, *combuſſit*: nec non שרב, qua voce in ſimili caſu utitur Jeſ. c. XXXV: 7. *Et erit locus æſtuoſus*, *torridus*, *in ſtagnum*.

§. XVI. In quibus licet acquieſcere poſſim, addam tamen alium intellectum ex conjectura *Avenarii* & *Schultenſii*: *ille* enim vocem זרוף derivat ex זרה *ſparſit*, & זוף *fluxit*, inundavit, ut ſignificet ſparſionem inundantem, vel rectius *lentius* trahentem, veluti longo ſyrmate tractam & ſparſam; quæ vis eſt verbi זוף; unde זפת *pix* Hebr. a tractu lentiore, quo ſe tendi patitur. *Hic*, neſcio ubi, (Mſſ. enim ejus ad Pſ. mihi hic & in ſeq. deficiunt) confert Arab. ذرف, cujus poteſtas eſt in *lacrymatione*, lacrymis ſparſim fluentibus, unde derivatum pro *fluentibus aquis* ſumitur. Utraque conjectura in abundantem rorationem, & inundationem, qua aquæ late fluunt, tendit: quæ ſi recipiatur, vox זרוף, quod obſervo, non pro pluviæ adtributo erit habenda, & cum רביבים conſtruenda, ut illi volunt, quod minus congruum eſt,

eſt, ſed pro *effectu*, & cum *terra* connectenda; ut ſit, deſcendet inſtar pluviæ denſæ & ſtipatæ in terræ inundationem, ut longo tractu fluant ejus aquæ; littera ל ante גזז intellecta & ſuppleta; & proxime conveniet loco Jeſ. XLIV: 3. *effundam aquas in ſiticuloſum, & profluentes in aridam*, h. e. pluviam copioſam, *quæ rivos ac fluentes* faciat in terra arida. Forte utraque idea conjungenda eſt, & ambiguum ſtudio captatum, ut aduſtum & ſciſſum terræ indicetur in fluenta mutandum; de גזז ſiſſo ſolo terræ faciendum גזזים *fluentum* terræ; ad quod utrumque ſeſe vox, ſecundum diverſam originem, porrigit, uti expoſui.

§. XVII. Senſum emblematis myſticum ut recte percipiamus, *perſona* definienda eſt, quæ hanc copioſam aquam, & felicem rerum mutationem, adferret. Expreſſe quidem non adpellatur, ſed haud obſcure indicatur, cum mox ſubjungitur, *florebit juſtus in diebus ejus*, utique, qui modo dictus erat *deſcendere inſtar pluviæ*, & deinceps deſcribitur tanquam dominaturus & regnaturus: adeoque *rex* coeleſtis indigitatur, *regi* & *regis filio*, ſupra memorato, ſimilis, ita ut eodem titulo quoque, ſed ſublimiore ſenſu, comprehenſus cenſeri potuerit, eamque ob rationem non expreſſe nominatus ſit. Meſſias itaque eſt, de quo hæc prædicantur, *filius* & ipſe Davidis, ſed ſimul Dei, ſupremi orbis Domini & regis, cujus perſonam gereret; ſed *rex*, non in terra, verum in *coelo*, qui inde inſtar *pluviæ* deſcenderet in terram, ad eam irrigandam & aquis replendam, quod mox exponam. Sed notari meretur, *deſcenſum* ejus hic non intelligi *perſonalem*, verum *virtualem*, ut ſic loquar, & *effectivum*; cum *inſtar pluviæ* dicatur *deſcenſurus*; adeoque *in pluvia & per eam*; ita tamen, ut in modo pluviæ dandæ ipſe cenſeri debeat quaſi *deſcendiſſe*: non enim ſimpliciter dicitur, *demittet pluviam*, ſeu deſcendere faciet, ſed *deſcendet inſtar pluviæ*. Quo manu quaſi ducimur ad *Spiritum S.*, de coelo mittendum, alterum, & vice Chriſti, *advocatum*, qui de ipſo omnia ſumeret, & ejus nomine effecta illa ederet. Meſſias ita-

itaque hic non ſiſtitur, tanquam in terra adpariturus, cum repræſentetur jam *rex* factus, in coelo verſatus, cujus regnum hic depingitur, Salomonis antitypicum; ſed per *Spiritum S.* inſtar pluviæ, *deſcenſurus;* quemadmodum exponitur Jeſ. XLIV: 3., & hiſtoria apoſtolica docet, ſolenniter factum eſſe in primordiis regni ejus Act. II. *Spiritu* enim *deſcendente* in Apoſtolos, & ſic per orbem diffuſo, ipſe *deſcendit*, quatenus Spiritus ejus erat, ab ipſo miſſus, & ejus vicem gerens, ejusque nomine agens.

§. XVIII. Comparantur vero bona & dona gratiæ, quæ Chriſtus per Spiritum cum hominibus communicat poſt exaltationem ejus, cum *pluvia*, eaque *ſpiſſa* & *copioſa*, relate ad *terram*, ut hic conſideratur, quatenus coeleſtia ſunt, & divina, pura & ſancta, quæ *ſitim* explent, vel deſideriis ſatisfaciunt, facultates noſtras intellectus & voluntatis vera cognitione, ſapientia, prudentia & virtute, imbuunt, nosque aptos reddunt & excitant ad loquendum & operandum, lætitia ac zelo gloriæ Dei ac ſalutis hominum replent, frugiferos & foecundos denique reddunt in omni opere bono. Quæ verbo tetigiſſe ſuffecerit, cum aliunde ſatis nota ſint *a*. Exponuntur etiam mox verſ. 7., ut ſtatim videbimus. Peculiarem meretur animadverſionem, quod inſtar pluviæ deſcenderet ſuper *lanam* vel *herbam reſectam*, idque primum, dein ſuper *aduſtum*, ſeu *ſciſſum*, h. e. aridum & ſiccum ſolum *terræ*, in genere quaquaverſum, ut *fluenta* in ea exiſtant. Exhibent enim aptiſſimam & elegantem picturam Eccleſiæ *Judaicæ*, in ſpecie Apoſtolicæ, & *gentilis* per orbem univerſum, quæ hisce bonis ac donis repleretur. Quo ſignum Gideoni præbitum, ad quod hic reſpicitur, ut ſupra dixi, quoque tendit: ſed quod ibi habetur, primum *ſolam lanam* reſectam fuiſſe rore humectatam, dein *ſolam terram*, illud hic latius ad utramque extenditur, ut, Judæos & gentiles hanc gratiam eſſe participaturos ſub Meſſia, ſignifi-

a Vid. Vitringa ad Jeſ. XXX: 23. XLIV: 3. & alibi; ne alios, ſatis notos, memorem.

nificaretur: ſic per *ſitientem* & *aridam* Judæi & gentiles cenſentur expicti Jeſ. XLIV., ut exponit Cl. Vitringa. Eccleſia vero *Judaica* hac pluvia irriganda eleganter comparatur cum *reſecta* herba, quatenus conſtabat ex hominibus a ſocietate Judæorum carnalium abſciſſis, rejectis, & abjectis, nullius frugis & ſpei &c. quæ prima imbibit hanc pluviam coeleſtem, & ea cumulatiſſime repleta eſt, adeo ut *aqua* inde expreſſa ſit, & cum aliis communicata, uti in *lana* Gideonis obtinuit, etiam illa inſtar herbæ denuo *refloruerit:* ſed negligi non debebat, illud ipſum fuiſſe *miraculi* inſtar, & *ſigni* conſpectum ferre, ut tempore Gideonis; quod in Eccleſiam primævam luculenter quadrat. Miraculoſa plane fuit Spiritus S. effuſio, & portendebat ſimul gratiæ per orbem diffuſionem. De Gentilibus, cum *aduſto & fiſſo terræ* comparatis, nihil addo, cum faciles habeat explicatus. Tantum not. *terram* in genere memorari, ut de toto orbe cogitaremus; cum Meſſiæ regnum hic in complemento ſuo repræſentetur.

§. XIX. Hisce ſcriptis, incidit cogitatio ſilentio non premenda; epitheton nimirum *reſectæ lanæ*, vel herbæ, eſſe vocabulum גזיז, & ſignificare vel *ſparſionem fluxus*, vel *compreſſione fluentem* longo ſyrmate, ac inundantem terram; adeo ut ſenſus ſit, reſectum illud, coeleſti pluvia copioſe humectatum, *compreſſione* ſui terram longe lateque eſſe irrigaturum; fere ſicut lanam reſectam, rore madefactam, compreſſit Gideon, & expreſſit multum aquæ; ubi etiam adhibetur verbum מצה *extorquere*, *exprimere ſuccum;* cujus prior pars, eſt in גזיז; quæ vox itaque recte vertitur, *expreſſio fluxus*, ut aliquid denotet, quod compreſſum fundit humorem. Pertinebit itaque ad גז & pro ejus epitheto haberi debet, quo indicatur, reſectam illam lanam, multa pluvia perfuſam, & compreſſam, abundantem ſuppedituram aquam ad irrigandam terram: quando facile expeditur, quare abſolute occurrat גזיז, ſine præpos.,

voci ו præmissa, quia ei adjungitur tanquam epitheton, elegantiæ sermonis causa inde avulsum, inserta voce כרביבים *instar guttarum spissarum*, quæ cum מטר *pluvia* cohæret; acsi haberetur uno tenore: *descendet instar pluviæ, instar guttarum spissarum* (pluviæ spissis guttis destillantis) *super resectum exprimens fluxum terræ*, vel compressum inundans terram. Elegans profecto est emblema Ecclesiæ Apostolicæ, Spiritus S. effusione irrigatæ, & aquam illam Spiritualem cum tota terra communicantis, quatenus studio gloriæ Dei & salutis hominum pressa, *striata* 2 Cor. v: 14. & excitata, bona & dona coelestia ad omnes homines per orbem transtulit, non sine multis adflictionibus & pressuris. Quæ facile explicari, & exornari, possunt. Confirmat hypothesin, quod idem fere, sed alio emblemate, vers. 16., tradatur, in voto prophetæ subjecto: ut postea videbimus.

§. XX. *Inundationis* terræ explicatio, & *resecti* madefacti consequens, traditur vers. 7. his verbis: *efflorescet in diebus ejus justus, & spissa copia pacis* erit, *donec non erit luna*, h. e. terra inundatio in eo erit sita, & hoc Ecclesiæ Apostolicæ, instar *resecti* madidi pluvia coelesti, consequens, quod quivis sine discrimine justus vim vigoremque vitæ Spiritualis sit summo gradu exerturus, & quævis prosperitas, Spiritualis ac corporalis, abundante copia locum sit habitura, toto tempore regni Messiæ, usque ad consummationem seculorum. Continent verba, ut dixi, mysticam explicationem emblematis pluviæ coelestis, per terram diffundendæ medio resectæ lanæ, vel herbæ, abundanter irrigatæ, adeoque simul consequens tradunt ejus irrigationis, nec habent aliquid difficilis. Cives regni hic describuntur tanquam *justi*, justitia & imputata & inhærente, ut dicitur, pleni, adeoque vera pietate & virtute prædíti; quales sunt veri *credentes*, & genuini hujus regni cives, nomine *justi* in sing. insigniti, ut quivis sine discrimine intelligeretur, alias *gens justa* dicti Jes. xxvi: 2. Quæ constans est verbi prophetici de regno Messiæ doctrina Jes. xxxv. lx. Zach. xiv. Dan.

Dan. II & VII. & alibi, quod in vulgus notum eſt. Declaratur vero de his *juſtis*, eos *efflorituros eſſe*, & *ſpiſſam pacis copiam* futuram, durante hoc regno, ſeu *diebus Meſſiæ* regis coeleſtis, *Effloreſcerent* inſtar arborum vel plantarum, aqua Spiritus S. copioſe irrigati, quatenus in ſe *oſtentarent omnem vim, robur, vigorem, decus vitæ Spiritualis, lætis ac glorioſis ſtatus ſui Spiritualis incrementis; quod fit, ubi fides, ſpes, prudentia, charitas, dotes docendi, prophetandi, zelus divinæ gloriæ, & ſtudium regni Chriſti Jeſu propagandi, continuis gratiæ divinæ ſignis auctæ ac excitatæ omnem vim ſuam exſerunt ad ædificationem publicam.* Verba ſunt Cl. Vitringæ ad Jeſ. XLIV: 4., qui adeundus eſt. *Pax ſpiſſa* pacem & ſecuritatem non ſimpliciter, ſed quamvis proſperitatem, Spiritualem & corporalem, ſimul comprehendit: quod tralaticium eſt. Additur denique continuitas & duratio perpetua hujus regni & felicitatis ejus, ubi dicitur, *usque conſummationem lunæ*, ut voces proprie dicunt, h. e. *donec non erit luna*, de quo ad verſ. 5. neceſſaria monui. Quare plura non addo.

§. XXI. *b. Secunda* pars deductionis propoſitionis comprehendit vim ſuprematam & univerſalitatem regni Meſſiæ per totam terram, verſ. 8-11. Quod regni ejus attributum, *a.* in genere exhibetur, verſ. 8. *β.* in ſpecie declaratur reſpectu hoſtium & amicorum, verſ. 9—11. *a.* In genere his verbis, verſ. 8. *Et dominabitur a mari ad mare, & a fluvio ad terminos terræ.* h. e. imperium juſtum quidem & æquum, ſimul pacificum, ac ſuprema cum autoritate ac potentia, habebit & exercebit per totam terram, quam late patet, ab uno mari ad aliud, quaquaverſum verſus orientem & occidentem, a fluvio Euphrate ad fines terræ longiſſime remotos, ad fines Aethyopiæ, adeoque quaquaverſum verſus ſeptentrionem & auſtrum. Quæ ut recte capiantur, notandum eſt, adludi quidem ad limites regni Salomonis late admodum protenſi, & pro hypotheſi habere verba, imperium Salomonis hoc tempore tam amplum

fuiſſe, quam unquam ſecundum promiſſum Dei foret, adeo ut pro limite orientali habeat mare Mortuum & Rubrum, pro occidentali Mediterraneum, pro Septentrionali Euphratem, denique auſtrali deſertum Arabiæ, late extenſum ad auſtrum: quemadmodum deſcribitur, Exod. XXIII: 31. Joſ. I: 4. Hunc enim ſenſum litteralem fundunt verba, ſecundum quem *mare* & *mare* ortum denotant & occaſum, quia terminus Cananææ *orientalis* erat *Mortuum* & Rubrum mare reſpectu mediterranei, utrumque verſus ortum, *occidentalis* Mediterraneum, Septentrionalis *Euphrates*, *fluvius* κατ' ἐξοχὴν dictus, *auſtralis* deſertum Arabiæ & Aethyopiæ, quaſi *fines terræ*, quia longius remota erant loca. Conf. Jeſ. XLIII: 5, 6. Attamen dubium non eſt, quin limites regni Meſſiæ hic latius longe extendantur, & per totum orbem ducantur; cujus duo ſunt certi characteres in ipſis verbis obvii: *alter* eſt, quod *a mari ad mare* in genere, ſine ulla reſtrictione, habeatur, & non, ut alias, a mari mortuo aut algoſo ad mare: *alter* eſt, quod *fines terræ* memorentur, quæ notio nusquam de limitibus Cananææ uſurpatur, nec poteſt, cum longe diſſita loca in genere denotet. *Prior* itaque phraſis, *a mari ad mare*, vel in genere dicit, ab uno mari ad aliud, ut Am. VIII: 12. vel *a mari rubro ad mediterraneum*, & ſic quaquaverſum, verſus *ortum* & *occaſum*; ita ut pro illis plagis coeli latiſſime ſumtis accipiatur; quemadmodum phraſis *ad fines terræ*, mox addita, indicat: poſterior, *a fluvio ad fines terræ*, dicit a termino ſeptentrionali ad auſtralem longiſſime remotum, ſeu *Aethyopiam*, hoc epitheto inſignitam ſubinde. Utique *termini terræ* ſunt ſtylo Script. loca longe diſſita, quæ horizontem cum terra copulare videntur populariter. Plura non adfero, cum fuſius de eo agendum ſit ad Zach: IX: 10. ubi regnum Meſiæ iisdem plane limitibus circumſcribitur, ubi etiam de implemento abunde & accurate diſſeram. Tantum notari meretur emphaſis verbi רדה *dominari*, proprie gravi pede premere cervicem, & calcare ſubjectum, unde tranſiit ad *dominationem* auto-

autocratoricam & graviorem, ſive in bonum, ſive in malum; *illud* reſpectu *civium*, *hoc* vero *hoſtium* ſubjugatorum: quod utrumque mox ſpecialius exponitur. Conf. Pſ. LXVIII: 28. & CX: 3. & ibi dicta. Indicatur itaque, Meſſiæ imperium fore αυτοκρατορικὸν, ubi ejus voluntas ſola lex eſt, & vim obtinet irreſiſtibilem, *hoſtibus* vero terribile, qui penitus forent adtriti & ſubjecti, *civibus* & amicis amabile, æquum & pacificum, ut modo habuimus, & mox fuſius traditur. Eodem tendit vox חמר Zach. IX: 10.

§. XXII. β. Quod in genere de ſupremo & potente dominio per totum orbem dictum erat, explicatius mox in ſpecie traditur reſpectu *hoſtium* & *amicorum* populorum per totam terram, quorum *illi* procumberent coram terribili ejus Majeſtate, omni potentia & conſolatione orbi, *hi* vero regi ſeſe in fide & amore ſubjicerent, eumque religioſe colerent. *Prius* his verbis profertur, verſ. 9. *Ante faciem ejus procumbent deſerticolæ truces, & hoſtes ejus pulverem lingent*, h. e. hoſtes ejus & regni ejus, hoſtilem animum non depoſituri, truces, duri & potentes, *feræ* deſerti, ſeu feles agreſtes, & *ſerpentes*, ſive mali Spiritus fuerint, ſive homines ſævi, omni potentia nocendi privati, coram terribili ejus majeſtate *procumbent*, e medio ſublati, vel omni conſolatione & dignitate privati in ſtatu vili ac miſero degent; *pulvere*, inſtar ſerpentis damnati, pro cibo utentes. Cum illis, licet paucioribus, facio interpretibus, qui non de voluntaria & religioſa ſubjectione, ſed coacta, & violenta ſubjugatione hoſtium, eorumque conditione abjecta & miſera, verba interpretantur. 1. Quia diſerte *hoſtes* ejus adpellantur, oppoſite ad alios, mox memorandos, qui *reges*, Meſſiam culturi, adpellantur & deſcribuntur. 2. Cum felibus agreſtibus & ſerpentibus comparantur, ut mox patebit, trucibus itaque & venenatis animalibus. 3. Quia phraſis, *lingere pulverem*, ſtatum abjectum & infelicem depingit, qualis eſt ſerpentis antiqui, ad *pulverem* comedendum damnati, Gen. III. adeoque in malum ſumitur, quemadmodum ſemper alibi,

bi, ut Jeſ. LXV: 25. Mich. VII: 17., ubi eodem modo, quo hic, regni Meſſiæ, in terra dominantis, ſtatus deſcribitur, reſpectu hoſtium pernicioſus, ſed aliorum populorum ſalutaris. Occurrit quidem Jeſ. XLIX: 23., *lingere pulverem pedum alicujus* in bonum, ut Cl. Commentator ibi expoſuit, ſed non, ut hic, abſolute *lingere pulverem*: quod diſcrimen probe notandum eſt. Duo itaque de hoſtibus Meſſiæ prædicantur, eos eſſe coram ipſo *procubituros*, & *pulverem* carpturos *lingendo* cum ſibilo ac ſtrepitu: quæ ita diſtingui poſſunt, ut *prius* necem, vel totalem *ſubactionem*, *poſterius* miſerum ſtatum vitæ denotet. Verbum כרע proprie dicit, in extremas partes corporis cum niſu procumbere, ut adnotat Cl. Schultens *a*, inde non *ingeniculationem*, ſed totius corporis incurvationem ſuper genibus denotat, ſive ad *procumbendum* Gen. XLIX: 9. ſive ad potandum, ore admoto, e fluvio Jud. VII. ſive *adorandum* Pſ. XCV: 6. Jeſ. XLV: 23., ſive denique ad ſeſe victori ſubjiciendum, etiam mortem ſubeundam: ſic de homine adhibetur ictibus adverſarii ſuccumbente, nec de ſtatu graduque tantum dejecto, verum etiam in genua procumbere adacto, cum corporis incurvatione & projectione. De quo vid. Cl. Schultens *b*. In ſpecie de *morte* violenta adhibetur, qua quis inſtar victimæ maſtandæ ſub ictu procumbit, Pſ. XXII: 30. XX: 9. *ipſi procubuerunt & ceciderunt*, LXXVIII: 31. *Altera* phraſis, *lingere pulverem*, ſtatum depingit, quo alicui omnis nocendi vis eſt ſublata, ſimul *abjectiſſime* degit, & omni caret *ſolatio*; ut expoſuit Cl. Vitringa *c*, qui omnino videndus eſt. Ceterum ſicut in hac phraſi manifeſte reſpicitur ad *ſerpentes*, quibus hoc proprium eſt, & Satanæ etiam poenæ loco injunctum ſub emblemate *ſerpentis*, eorum quoque expreſſa fit mentio Jeſ. & Mich. l. c. ita in priore membro videtur adludi ad feras ſylveſtres, ſeu *feles agreſtes*, qui ציים adpellantur, Jeſ. XIII: 21. & alibi, in defertis & aridis locis degentes, ac truculentos & ſævos, hominum ſævorum & potes-

a ad Job. XXXIX: 3. *b* Ib. IV: 4. *c* ad Jeſ. LXV: 25.

tentum apta emblemata, quales hic omnino ſunt intelligendi *a*. Aptatur quoque hoſtibus Meſſiæ, ab ipſo delendis, epitheton פרוץ Pſ. VIII: 3. quod proprie ſævum, & *truculentum* denotat, qui nulla tangitur miſericordia: quæ propria eſt verbi poteſtas; unde ad *ultionem* & *vindictam* transfertur: cui quoque concinit nomen קשה *rigidus*, *flecti neſcius* Jeſ. XLIX: 24. Quibus in locis cum Diabolus, & poteſtas Satanica, intelligatur, ut & Jeſ. LXV. ex interpretatione Cl. Vitringæ; eosdem hoſtes & hic intendi exiſtimaverim, ſed una cum hominibus Satanicis, Chriſti regno inimicis &c. quorum poteſtas, & nocendi vis, ſub regno Meſſiæ, cum in pleno fuerit vigore, plane abolebitur, illis ſubjugatis, & miſero ſtatui addictis. Quæ ulteriore non indigent explicatione, aut demonſtratione; cum verbum propheticum in eo ubique conſentiat, una cum doctrina euangelica.

§. XXIII. *Poſterius*, reſpectu amicorum & ſociorum, his verbis expreſſum eſt, verſ. 10, 11. *Reges Tarſis & inſularum donativa adferent, reges Schebæ & Sabæ gratitudinis munus offerent, & adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſervient ei.* Quibus verbis reſpicitur quidem verſ. 10. ad Salomonem, ſed, illud ipſum, quod Salomoni contigit, longe abundantius & majore emphaſi in Meſſia locum habiturum eſſe, declaratur, dein, cujus nihil ſimile in Salomone fuit, Meſſiæ longe diviniorem honorem, & a multo pluribus per orbem totum, eſſe deferendum, additur, ut oculi plane a Salomone abſtraherentur. Præterea reſpici videtur ad generalibus terminis circumſcriptum regnum Meſſiæ, verſ. 8., populis hic memoratis eodem ordine, ita ut verſ. 10., *a mari ad mare*, ſeu ortum & occaſum verſus, memorentur, diſtinctius dein verſ. 11. *a fluvio ad fines terræ*, ſeu verſus Septentrionem & Auſtrum. Occurrunt autem verſ. 10. *reges Tarſis & inſularum*, dein *Sabæ & Schebæ*, qui *donativa adferrent, & munus gratitudinis offerrent*: debent enim illa ad utrosque reges, modo memoratos, adplicari, licet ele-

a Vid. comm. noſter ad Dan. XI: 30.

elegantiæ ſermonis ergo ſeparata ſint, ut ſtylus Script. habet. *Reges Tarſis & inſularum* ſpectant ad occidentem, *reges ſchebæ & ſabæ* ad ortum. *Tarſiſum* eſſe Tarteſſum Hispaniæ, alibi disputari & demonſtrari ſolet, & a Bochartо ſatis evictum eſt: quæ cum ſit remotiſſima omnium, tunc notarum, regio verſus occaſum, *inſulas* intelligendas eſſe intermedias, inde usque ad Cananæam, facile colligitur; ſive inſulæ, ſive peninſulæ, ſive regiones quæcunque maritimæ, ac transmarinæ, quæ omnes, ſtylo Script., nomine אִיִּים *inſulæ* veniunt. Vid. Vitringa *a*. Radix eſt אוה, eadem ac אוי, & dicit *flexit;* cujus derivatum denotat *flexionem*, adeoque *flexum littoris*. Comprehendere itaque fas eſt hoc nomine Europam & Africam, in ſpecie Aſiam minorem, & inſulas maris mediterranei, usque ad *Tyrum*, etiam inſulam. Orbis ergo terræ intelligitur, quam late ſeſe extendit, Cananææ reſpectu, ad occaſum. Alii populi ad tractum orientalem pertinent, quorum remotiores memorantur *Schabæi*, & propiores *Sabæi*, ſpeciminis loco memorati, ut de remotioribus quibusvis & propioribus cogitaremus verſus ortum. Schabæi ſunt Joktanidæ trans ſinum Arabicum in Arabia Felice, & ultra verſus ortum, ubi *Ophir* regio aurifera, & *Sabæi* ſunt Cuſchi filii ac nepotes, ſinus Arabici proximi accolæ. De quibus vid. Cl. Vitringa *b*, & Bochartus *c*. De hisce omnibus prædicitur, eos *donativa* reddituros, & munera *gratitudinis oblaturos* Meſſiæ. Salomo quidem legitur commercia exercuiſſe cum Tarſiſiis & *Schabæis*, claſſe ad loca Tarſis & Ophir continuis vicibus miſſa, ad aurum & alias merces pretioſas inde deportandas, ſed ab iis non legitur *dona* & *munera* honoraria recepiſſe, niſi a ſola regina *Schebæ*. *Meſſias* autem, ſicut a longe pluribus, ita alio modo honoraretur, per *donaria* & *munera gratitudinis*, in ſignum religioſæ ſubjectionis, & gratitudinis pro acceptis beneficiis, pro more antiquo; ad quem

a Ad Jeſ. xx: 5. & alibi. *b* Ad Jeſ. xliii: 3. *c* in Geogr. lib. 11.

quem reſpicitur, ut religioſa ſubjectio, cum omnibus officiis, inde oriri ſolitis, ſignificaretur, quemadmodum verſ. 11. explicatius traditur. Vocabula ſunt ſelecta, quibus poeta utitur; paucis illuſtranda. *Prior* phraſis, מנחה השיב & vi vocum, & uſu earum, denotat munera copioſa tributi loco, continuis & ſtatis vicibus, in ſignum ſubjectionis, adferri & pendi ſolita. Radix מנח, unde מנחה, Arab. uſitata, continet vim donandi liberalius & largius; & verbum שוב, de aquis tritum apud Arab., poteſtatem habet *confluendi, exuberandi*, & *efferveſcendi*, ac adhibetur in æſtu maximo identidem & ſtatis vicibus recurrente; in ſpecie phraſis de *penſione tributi* quoque uſurpatur, liberaliter facta ad ſuperiorem honorandum, ut 2 Reg. III: 4. XVII: 3. *Poſterior* phraſis, propius ad religioſam venerationem & cultum ducit, adeoque præcedenti recte additur, & quid plus dicit. Vox אשכר proprie denotat *munus* remuneratorium, & gratiarum actionis, pro beneficiis acceptis, a rad.; quæ apud Arab. ſupereſt, & *gratias agere* denotat, ut a Coccejo jam eſt obſervatum; ſed addo, originem eſſe a *mercede danda*, unde ad *celebrationem laudis*, proprie ob beneficia accepta, quæ eſt inſtar *mercedis* pro iis, tranſiit; quæ radix Hebr. ſupereſt שכר unde Arab. habent שבר, quæ litteræ facile permutantur. Reſpondet itaque voci אשכר, quæ dicit *mercedem*, & inde *remunerationem* ac celebrationem, a rad. מנח *mercedem dare*, inde *laudibus celebrare*, q. d. *reddere mercedem* a. Verbum הקריב in *oblationibus* & *ſacrificiis* eſſe tritum, conſtat.

§. XXIV. Amplificationis & explicationis ergo ſubjungitur, verſ. 11. *Et adorabunt ipſum omnes reges, cunctæ gentes ipſi ſervient.* Scilicet ortum & occaſum non tantum verſus, modo memorati, ſed & ſeptentrionem ac auſtrum, uno verbo *omnes reges* & *gentes omnes*, a quibus ita honorabitur Meſſias muneribus, ut religioſe colatur, & adoretur, ipſiusque leges ab iis ſtudioſe obſerventur, tanquam quæ ſo-

a Vid. Schultens ad Pſ. VIII: 2.

le valiturae sint inter eos. Quae non sunt difficilia: sed quorum vix umbra fuit sub Salomone; ut facile intelligitur: fuit tamen aliquid simile tempore Salomonis, ut patet ex 2 Chron. IX: 23, 24, 26. Respicitur vero ad regnum Messiae, quatenus sese in summo suo vigore haberet; & sese ultimo tempore conspiciendum praebebit, quando omnia regna erunt ejus. Solent autem Prophetae regnum Messiae depingere, quatenus in summo ejus complemento foret, satis intermediis missis; ut alibi disputavi ad visa *Dan. emblematica*.

§. XXV. c. *Tertia* pars deductionis propositionis *modum* administrationis regni secundum aequitatem & justitiam, nullo personarum discrimine facto, exponit, eumque considerandum exhibet, tanquam *rationem* & *medium* regni per orbem propagati, cum reges & populi terrae sese huic tam aequae & justae gubernationi lubentes subjicerent, & impii hostes regni delerentur, qui fraude & violentia sese ei opposuerant. Hic sensus & conspectus est pericopae, vers. 12—14., his verbis comprehensae. *Quia extrabet pauperem quum tantum, & humilem, & cui patronus deest. Connivebit super tenui & paupere, & animas egenorum servabit. A dolo & violentia vindicabit animam ipsorum: & pretiosus erit sanguis ipsorum in oculis ejus.* Quae cuncta tendunt ad justitiae & aequitatis demonstrationem in gubernando populo, sed relate *cum* ad quamvis miseriam in genere, *tum* ad lapsus subditorum & peccata, *tum* denique ad fraudulentas & violentas oppressiones eorum ab hostibus & improbis. Quae speciminis ergo proferuntur, ut inde de modo administrationis aequo & salutari judicaretur in genere. Adpellantur subditi, & cives regni, *pauperes*, *humiles*, simul modesti & *tenues*, de quibus epithetis alibi saepe dictum est, 1. ut, viles & pauperes eandem curam regis experturos esse, ac reliquos alios, indicaretur, quod ad regni administrationem aequam & justam commendandam multum facit, 2. ut, ex ejusmodi sortis hominibus regnum Messiae ut plurimum, utique in

in principio, constiturum esse, insinuaretur, 3. denique ut qualitatum moralium, quibus omnes cives vestiti essent, lineæ ducerentur; secundum quas sunt *pauperes spiritu*, *modesti*, & *tenues*, omni auxilio, carnali & mundano destituti; uti Matt. v. & alibi sæpe inculcatur. De quibus cum satis constet, & ab Interpretibus abunde expositum sit; moras non nectam. Vid. Cl. Vitringa *a*. *Tres* vero memorantur æquitatis & justitiæ partes, pro tribus civium relationibus. *α*. *Prima* versatur circa qualescunque miserias in genere, quibus eriperentur, vers. 12. *β*. *Secunda* respicit ad continuas infirmitates morales civium, quæ ad animum non referrentur a rege, vers. 23. *γ*. *Tertia* pertinet ad adflictiones & persecutiones improborum, quibus forent obnoxii, sed non succumberent, vers. 14.

§. XXVI. *α*. *Prima* his verbis continetur, vers. 12. *Quia eripiet pauperem quiritantem, & humilem, & cui non est patronus.* h. e. Omnibus suis civibus, quam vilibus etiam & inbecillibus, omni auxilio & patrocinio humano destitutis, benevola sua cura in omni statu ipsorum misero & adflicto, cujuscunque sit naturæ molestia, qua premuntur, quam desperata etiam, ut omne remedium humanum respuat, aderit, & salutarem dabit exitum. Status calamitosus, *qualiscunque sit, vel spiritualis, vel corporalis*, indicatur & amplificatur per epitheta pauperis, & humilis, addita, quibus dicuntur *quiritantes*, & *patrono carentes*; pertinent enim illa duo ad utrosque memoratos, *pauperes* & *humiles*, elegantiæ ergo tantum divulsa. *Quiritari* est querelas non tantum ciere, sed & opem implorare, propriis *guttur præfocatum sibi levari* cupere *b*: adeoque summam anxietatem & molestiam præfocantem continet, unde ortam. Ultima phrasis, *& non adjutor ei*, miserum pingit desperatum, qui omni patrono, & patrocinio, destitutus est. Vox ny absolute aliquando vindicem promptissimum denotat, & phra-

Tt 2

a Ad Jes. XI: 4. *b* Schultens ad Job. XXX: 24. & Har. conf. III. p. 141.

phraſis, *non eſt adjutor illi*, ex formula Arab. notat hominem perditiſſimæ rei & ſpei, quem nemo ſua cura velit dignari *a*. Hoc in ſtatu poſitis civibus ſuis rex Meſſias declaratur *adfuturus*, eosque *erepturus*, ſeu potenter *extracturus*, conſolando, tuendo, & liberando. Quæ ab unoquoque facile extendi poſſunt. Conf. Pſ. xxxiv: 18—21. & ibi dicta.

§. XXVII. β. *Secundum* ſpecimen æquitatis ponitur in ſumma regis indulgentia erga cives, qua eorum lapſus fert, ut animas eorum ſalvas præſtet, verſ. 13. *Connivebit ad tenuem & pauperem, & animas pauperum ſervabit*. h. e. clementer & indulgenter aget cum civibus ſuis, ſenſu peccati tactis & ſpiritu contritis, eorum lapſus ad animum non referendo, ſed remittendo, eo ſcopo & effectu, ut animæ eorum ſalvæ fiant. Membra verſus ita cohærent, ut poſterius ſit prioris ſcopus & conſequens; adeoque veram animarum ſalutem, ex clementia & indulgentia regis oriundam, comprehendunt. In quibus nil eſt difficilis. Tantum not. poteſtas verbi בן in *contractione* ac *reductione oculi* ſita, unde ad conniventiam et indulgentiam tranſiit *a*: *oculus* itaque ſuppleri debet, ubicunque hæc phraſis occurrit; ſicut aliquando additur, ut Deut. vii: 16. Jeſ. xiii: 18.

§. XXVIII. γ. *Tertium* ſpecimen continet civium vindicationem potentem e manu fraudulentorum et violentorum hoſtium, cives qua fraude qua vi opprimere conantium, inde ductam et confirmatam, quod cædes civium ſit gravis et pretioſa in oculis regis, qui eam ferre non poteſt, verſ. 14. *a fraude & violentia vindicabit animam ipſorum, & gravis erit ſanguis eorum in oculis ejus*: h. e. Ceſſare tandem faciet omnes fraudulentas et violentas perſecutiones civium ab hoſtibus factas, eosque ab iis penitus vindicabit, pace et ſecuritate ubique conceſſa; eaque ratione demonſtrabit, cædes eorum ſibi non amplius eſſe ferendas. Duo ſunt *verſus* membra, quæ ita cohærent, ut poſterius ſit prioris ra-

a Id. Ib. xxx: 13. *b* Id. clav. p. 263.

ratio et fundamentum; quo declaratur, Deum pios tandem ab omni perſecutione vindicaturum, quod *ſanguis eorum* ſit *gravis* in oculis ejus, ſeu, quia nimis moleſte ipſi accidit cædes ipſorum, quam ut eam diutius tolerare poſſit. Hunc enim ſenſum fundunt voces poſterioris membri, ex vera vocis יקר poteſtate eruendum. Denotat enim *grave* et *ponderoſum*, unde ad *pretioſitatem* tranſiit, ut יקרה: adeoque ſenſus eſt, Deum, ſeu regem hunc, non pro re vili ac levi habere, pios ignominioſæ morti ſubjici, ſeu *ſanguinem* eorum fundi, ſed ſummi momenti ac pretii, adeoque ad animum revocare, & non amplius permittere. Vid. Pſ. cxvi: 14. & ibi dicenda, 1 Sam. xxvi: 21. 2 Reg. 1: 13, 14. Præſupponitur, cives regni Chriſti multis perſecutionibus & vexationibus, qua arte qua marte factis, fore obnoxios, quarum exacta tamen & clara non traditur notitia; declaratur vero, eas plane ceſſaturas aliquando, cum regnum Meſſiæ in vero ſuo flore & vigore fuerit, ut verſ. 7 & 9. habuimus: quo phraſis tendit, *a fraude & violentia vindicabit animam ipſorum;* quippe quæ vero ſuo ſenſu liberationem juſtam & potentem denotat, a Goele factam, qua non ſuccumbunt, ſed glorioſe & triumphabunde eripiuntur, & in libertatem pleniſſimam adſeruntur, ab omni ulteriore fraudulenta vel violenta inſectatione liberi. Conf. Jeſ. xi. & alibi ſæpe.

§. XXIX. *d. Quarta* pars, per modum concluſionis, ſummariam comprehendit proſperitatis regni propoſitionem in civium fauſtis adclamationibus & adprecationibus, donisque oblatis, ab initio ad finem per omne tempus duraturis, conſpicuæ, verſ. 15. *Et vivat, & dabit ipſi de auro Schebæ, & orabit pro ipſo jugiter, omni die benedicet ipſi.* h. e. Ut itaque concludam, & dicta ſummatim ob oculos ponam; tanta erit regni felicitas, ac gubernationis æquitas & juſtitia, in perpetuum duratura, ut per totum orbem & vocibus, & aliis ſignis, lætitiam ſuam ſint demonſtraturi cujuscunque ſortis homines, ipſi reges & potentes; nec illud in prin-

cipio tantum regni inter ipſos conditi, ſed in perpetuum, & continuo per omne tempus ſine intermiſſione. Declarat poeta, in ſignum felicitatis & æquitatis hujus regni, quam modo deſcripſerat, per modum concluſionis, cives regni ſummam ſuam lætitiam continuo & in perpetuum eſſe teſtificaturos per fauſtas adclamationes, huic regi factas, & donorum oblationes, quibus vota ſua pro rege & regno ejus expromerent, & amorem ac gratitudinem ſuam demonſtrarent. Reſpicitur manifeſte ad regum inaugurationem per fauſtas adclamationes, *vivat rex*, & dona ac munera, fieri ſolitam; uti conſtat. Conf. 2 Sam. XVI: 16. 1 Reg. I: 39. 1 Sam. X: 27. 2 Chron. XVII: 5. Sed additur, non in initio tantum regni, ſed per omne tempus, quo regnum duraret, continuo & in perpetuum illud locum habiturum eſſe, ut cives lætitiam ſuam ea ratione per vota & munera ſignificarent, in ſignum duraturæ proſperitatis & æquitatis regni. Duo ſunt verſus membra, quæ ſe mutuo illuſtrant, adeo ut *vivat* connectendum ſit cum *orabit pro ipſo*, & inde ſupplendum, *alterum* vero, *dabit ipſi de auro Schebæ*, conſtruendum cum *benedicet ipſi*: acſi haberetur, *orabit pro ipſo jugiter*, hac ſolenni formula, unusquisque, *vivat; benedicet ipſi omni die, dando ipſi de auro Schebæ.* Reſpicitur itaque in *priore* membro ad fauſtas adclamationes, & donorum oblationes, quibus cives regem proſequi & honorare ſolebant tempore inaugurationis, & in *altero* membro declaratur, cives, præ lætitia, qua ſemper gauderent, durante regni felicitate in perpetuum, ita ſemper erga regem fore adfectos, & acturos. Duo itaque amoris & benevolentiæ civium ſigna memorantur, alterum *verbale*, alterum *reale; prius* in votis & ſuppliciis pro rege & regno ejus, ſolenni formula, *vivat*, his verbis: *vivat* & *orabit pro ipſo jugiter* h. e. formula ſolemni, *vivat*, utetur in votis & ſupplicationibus ſuis unusquisque, non in principio tantum, ſed *jugiter* & in perpetuum. Verbum *vivat* abrupte poſitum eſt, & mox per *orabit pro eo jugiter* exponitur & illuſtra-

ſtratur, eo, quo dixi, ſenſu, & ſcopo: ex quo ſimul elucesſcit, *orare pro rege* nihil aliud eſſe quam votis & precibus regi adprecari felix & perpetuum regnum, cujus formula erat, *vivat* rex: uti fere in oratione Dominica, *adveniat regnum tuum*, nec ulterius eſt extendendum. *Poſterius*, ſeu reale ſignum, eſt donorum oblatio, quæ his verbis effertur, *dabit ipſi de auro Schebæ*, & per *benedictionem* regis exponitur, ut oblationis verus conſpectus, & ſcopus traderetur. Digitus manifeſte intenditur ad verſ. 10., & ſignificatur, regem eſſe a civibus honorandum & colendum quibusvis pretioſis, ipſi oblatis: ut ſupra ad verſ. 10., expoſui. *Benedicere* itaque hic eſt *dona* & *munera*, in ſignum reverentiæ & ſubjectionis, offerre; ſicut ברכה *benedictio* pro *munere* ſumitur, ut in vulgus notum eſt. Ceterum in verbis tertiæ perſonæ, nominativo carentibus, & imperſonaliter ſumendis pro *unusquisque*, nemo hærebit, opinor, cum uſitatum hoc ſit ſatis.

§. XXX. 2. Subjungitur prophetiæ de Meſſia ejusque regno, *votum* prophetæ & poetæ, ſuperiori civium voto, modo memorato, apte ſubnexum, quod ſimul prophetitum eſt, & numeroſiſſimam ac florentiſſimam regis progeniem, in perpetuum duraturam, & regem celebraturam, comprehendit, partim figurata, partim ſimplici, oratione, huic ad illius explicationem adjuncta, verſ. 16, 17. *Sit expiramentum tritici in terra in vertice montium, perſtrepet inſtar Libani fructus ejus, & enitescent pra largiſſima pluvia inſtar graminis terræ. Sit nomen ejus in æternum; coram ſole copioſe ſoboleſcet, & benedicent ſibi in eo omnes gentes, beatum ipſum prædicabunt.* Quæ omnia ad numeroſiſſimam & proſperrimam, æternumque duraturam, regis familiam, ex ipſo orituram, & regis nomen ab omnibus gentibus, tanquam benedictionis cauſam, celebrandum, tendunt; eaque ratione ordinata ſunt, ut *figurate* proponantur, & ſimplici oratione mox exponantur, *prius*, verſ. 16., *poſterius*, verſ. 17. Pertinet enim, ut poſt alios nonnullos exiſtimo,

verſ.

verſ. 16. æque ad regem Meſſiam, ac verſ. 17., *cum* quod poſterior ſit manifeſta prioris explicatio, ut mox patebit, *tum* quod verbum maſc. יהי *ſit* alio referri nequeat, ſequitur enim vox foem. נשא, & relativum *ejus*, in פריו *fructus ejus*, ut per totum Pſ., ad Meſſiam regem ducat. Conſideremus *a.* orationem figuratam, verſ. 16. *Sit exſpiramentum tritici in terra in vertice montium, perſtrepet inſtar Libani fructus ejus, & eniteſcent præ largiſſima pluvia inſtar graminis terræ.* h. e. Sit, eritque, inſtar grani unici & ultimi tritici, in quo exſpirat, tanquam unico ſuperſtite, omne triticum terræ, *ſit*, inquam, quaſi ex alto cadens, in *vertice montium*, loco omnium celebratiſſimo, radices agens; proferet fructum multiplicem & celeberrimum per orbem, cujus fama orbem perſonabit, inſtar arborum Libani perſtrepentem, in immenſa hominum copia, qui ex ipſo ſunt & ad ejus imaginem orituri; quique donis & virtutibus quibuscunque ſummum vigorem & ſplendorem vibrabunt, per abundantem Spiritus S. operationem, qua inſtar pluviæ irrigati floreſcent tanquam gramen terræ. Comparatur, 1. cum *exſpiramento tritici in terra*, hæ enim voces conjungendæ ſunt, & ſubjectum, vel perſonam, definiunt, cui votiva fit adprecatio, mox exponenda. Quæ comparatio ut fortius exprimeretur, Meſſias adpellatur *exſpiramentum tritici in terra*, ſicut alibi *fructus terræ* Jeſ. IV:, *germen Davidis* Jer. XXIII., *ſurculus radicum Iſai* Jeſ. XI., *vitis* Joh. XV. & quæ ſunt ſimilia alia; quatenus inter ipſum & *exſpiramentum tritici in terra* exacta eſt convenientia; quam paucis exponam. *a. Triticum* vocatur, quod vox Hebr. בר denotare ſolet, ſicut & ipſe ſeſe adpellat Joh. XII: 24. quia *ex terra natus* homo, quare *fructus terræ* dicitur Jeſ. IV., ſimul præſtantiſſimus, ſelectus, purus, & optimus hominum, quæ vis vocis בר eſt, a ברר, cujus proprietas eſt in *nitido & raſili politura*, quare *pulchrior* adpellatur *filiis hominum* Pſ. XLV: 3. ſanctus, mundus, & a *peccatoribus* ſeparatus Hebr. VII. inſtar grani tritici a paleis purgati, denique aptus & deſti-

deſtinatus ad homines alendos, quare *panis vitæ* vocatur Joh. VI. & multam proferendam prolem, uti hic mox ſequitur, ubi *fructus* ejus memoratur. *b.* Sed ſingulare eſt, & valde emphaticum, quod *exſpiramentum tritici* adpellatur, ſeu extremum, in quo exſpirat, & evaneſcit. Hanc enim adfert notionem vox נפש, minus intellecta. Radix נפש, unde נפ, & foemin. נפה, cui reſpondet נפח, proprietatem habet in extremitate, ora rei exſpirante, & proprie dicit, crepitu ultimo & flatu facto exſpiravit, verbo a *ſono* facto, cujus naturam imitatur: hinc נפחי ארץ proprie *exſpirationes terræ*, ubi evaneſcit; ידי נפה Dan. IV. *exſpirans particula manus*, extrema ejus pars cum digitis, & obſcurius adumbrata: ſic & hic, ne plura congeram, נפה כי *exſpirans particula* tritici, in qua evaneſcit, tritici ultimum, & ipſum parvum, exile, ſimul in partes diſſolutum & evaneſcere viſum. Quo plura ſignificantur, ſtrictim exhibenda, quæ Meſſiæ ſtatum depingunt, & verum conſpectum illuſtrant, 1. reſpectu *mundi* in genere, cujus unica ſpes erat, & ſolum *tritici* granum, quod ſupererat, & in quo vel exſpirare & evaneſcere, vel reviviſcere, debeat: quare *exſpiramentum tritici in terra* adpellatur, ut mox videbimus, adeo ut ſalus vel exitium mundi ab ipſo ſolo pendeat. 2. Relate ad *domum* Davidis, vitam & ſalutem populi Israelis, cujus jam prolapſæ, & ad finem vergentis, ipſe erat ultimus ſuperſtes, in quo vel finiretur, vel refloreſceret, imo finiretur ſecundum carnem, & reviviſceret ſecundum Spiritum: quare *virga* adpellatur *e trunco exciſo Jeſſæ* Jeſ. XI: 1. ubi vid. Commentator, & *tentorium* Davidis repræſentatur *collapſum* Am. IX: 11. recte itaque eo ſenſu *exſpiramentum tritici*. Sicut & 3. reſpectu ſtatus externi, vilis, pauperis & abjecti, inſtar *grani exſpirantis*. Vid. Jeſ. LII: 14. Nec non 4. ſtatus mortis, in quo granum quaſi exſpirare videtur, & evaneſcere: quo etiam phraſis, *exſpiramentum tritici in terra*, nos ducit. Dominus ipſe, forte huc reſpiciens, ſe confert ad granum tritici, quod *in terram cadit*, & *moritur*.

Joh. XII: 24. Quæ omnia tetigisse sufficerit. τ. Denique *exspiramentum tritici in terra* quare adpelletur, ex modo dictis non est obscurum; cum jam observaverim, eum esse *exspiramentum tritici terræ*, & in *terra* reconditum; potest enim commode *in terra* construi cum *tritico*, & *exspiramento* tritici, adeo ut significetur, ipsum esse *tritici terræ* ultimum, & in terra esse *exspiramentum*, quatenus in eam est projectum, & in ea, ut dissolvatur, politum semen. Sed *terræ* mentio, oppositæ ad *verticem montium*, de quo mox, nos simul ducit ad statum abjectum in *morte*; ubi videbatur evanescere debere, utique gloriose non posse reviviscere. Vulgo construitur *in terra* cum verbo *sit*, & cum seq. *in vertice montium* connectitur, acsi sensus esset, exspiramentum tritici *fore* in terra, imo in vertice *montium*; sed longe rectius sibi opponuntur *in terra*, & *in vertice montium*, ut sunt revera oppositæ, & *in terra* cum tritico ac exspiramento, eo, quo dixi, sensu, conjungitur, *in vertice* vero *montium* cum verbo יהי *sit*, hoc sensu; ut, *exspiramentum* illud *tritici in terra* in longe excelsiorem locum & statum esse transplantandum, prædicatur.

§. XXXI. 2. Ipsum *votum* propheticum circa Messiam, tanquam *exspiramentum tritici in terra*, *duo* complectitur, statum ejus sublimem, et immensam ejus multiplicationem per terram, ex eo statu orituram. α. *Prius* his verbis expressum est; *sit in vertice montium*, scilicet illud exspiramentum tritici in terra, aut ipse, tanquam tale: est enim verbum יהי in masc., et non cum נסא foemin., sed cum persona per illud figurata construitur, ut exposui. Respicitur ad granum tritici, terræ mandatum, et inde, in verticem montis transplantatum, ut fructus ejus sit magis conspicuus & celebrior: adeo ut sensus sit; granum tritici, quod sicut ejus exspiramentum erat, ita exspirans in terra, transferendum esse in locum sublimem supra omnia excelsa terræ, & ibi fixam habiturum sedem, indeque in se immensam fructuum copiam exerturum. Quæ, licet litteraliter insolita,

ta, hic ad ſenſum figuratum exprimendum adſumuntur; nec habet figura aliquid, quod natura rei reſpuit. Quales ſimilitudines non raro in Script. occurrunt; proxime accedit, quod *mons domus Dei* dicatur *ſtabiliendus in vertice montium* Jeſ. II. & de ſummitate ſtolonum ejus (regni Davidici in Jechonia deſtructi) *tener excerptus* plantatusque in *monte altifronte* (quod in Zerubbabele impletum eſt) promittatur transplantandus in *montem elatum* Iſraelis &c. quod directe ad Meſſiam ſpectat, Ezech. XVII: 22, 23. ita hoc loco granum illud tritici in terra exſpiramentum ſedem haberet fixam *in vertice montium*; quod per phraſin, *ſit in vertice montium*, exprimitur. Verbum enim יהי ſæpe hanc habet emphaſin, qua firmam & fixam exiſtentiam denotat; uti obſervavi, & variis exemplis adſtruxi, ad Mal. III: 4., *ſit* itaque *in vertice montium*, eſt, ſtabilem ibi & fixam, ac perpetuam, habeat ſedem, ibique excreſcat in magnam & glorioſam fructuum copiam. Senſus figuratus vero habet, Meſſiam, qui tanquam exſpiramentum tritici in terra erat verſatus, & in ea mortuus ac ſepultus, inde, ut fructus ferat, eſſe in locum & ſtatum ſublimem transferendum, ut terra, & omnibus in ea excelſis, in ſpecie regnis mundi, eſſet ſuperior, & excellentior, in coelis ſedem habiturus firmam, ſimul terræ, & omnium regnorum ejus, *dominus* ac *rex*. In *capite montium* eſſe, denotat, 1. in loco ſtatuque ſublimi & excellente eſſe, 2. in ſpecie in *coelo*, omnibus montibus ſublimiore; 3. omnium regnorum mundi, quorum emblemata ſatis nota ſunt *montes*, dominum & regem, per *caput* montium apte depictum. Simile quid habet, quod *mons domus Dei ſit ſtabiliendus in vertice montium*: ubi vid. Cl. Commentator, & Jeſ. alibi c. LIII: 8. dicat, Meſſiam eſſe *adſumendum*, ſcilicet in ſublime, *e judicio* &c.: nec non Jeſ. LII: 13.

§. XXXII. β. Conſequens, copioſiſſimam & glorioſam progeniem per totam terram, ex Judæis & gentibus, cujuscunque ſtatus illuſtrioris & vilioris, comprehendens, duplici metaphora repræſentatur, *altera* ab *arboribus* Libani,

elatis, proceris & amœnis, *altera* a gramine terræ petita; his verbis: *perſtrepet inſtar Libani* (arborum Libani) *fructus ejus*, & *nitescent præ larga pluvia ſicut gramen terræ*. Subjectum orationis eſt *fructus* Meſſiæ, qua *exſpiramenti* tritici in terra, in ſublimi loco & ſtatu collocati, de quo *duo* prædicantur, *alterum*, eum daturum inſtar Libani ſtrepitum, *alterum*, ejus nitorem fore vibrantem inſtar graminis terræ: poſterius enim hoc, *enitescent præ pluvia copioſa inſtar graminis terrae*, æque ad *fructum* ejus pertinet, ac *prius* illud, *perſtrepet*, licet in plur. occurrat; cum de *fructu* ex variis ſpicis conſtante æque plur. ac ſing. adhiberi queat; nullum autem aliud præceſſit, aut memoratur, ſubjectum, cui illud, *nitescent* &c., adplicari poteſt, huic autem aptiſſime convenit. *Fructus* autem Meſſiæ, qua grani tritici in terra, ſed in loco ſublimi nunc collocati, alios ſignare nequit, ac eos, qui ex ipſo nati ejus imaginem præferunt, & eandem vim vitalem habent, ac aptitudinem ad homines exhilarandos ac alendos; adeoque omnes Chriſti discipulos & credentes: qui & alibi *fructus* ejus, tanquam grani mortui, adpellantur Joh. XII., & alias nomine *ſeminis* Meſſiæ veniunt Jeſ. LIII: 10. & *roris juventutis* ejus Pſ. CX: 3. Quæ ſatis nota ſunt, & facilia.

§. XXXIII. *Duo* de hoc Meſſiæ populo adfirmantur, quæ noſtram merentur adtentionem, *alterum* eſt, eum *edicturum* præ *vento ſtrepitum inſtar Libani*, *alterum* vero, *nitorem* vibraturum inſtar *germinis terrae* præ largiſſima pluvia. In *priore* respicitur ad arbores Libani, proceras, firmas, & pulchras, a quibus mons *Libanus* eſt celebratiſſimus, vento concuſſas & perſtrepentes, eaque ratione gratum edentes ſonum: *poſterius* petitum eſt a gramine terræ, largiſſima pluvia irrigato, & florente, ſeu nitide ſplendente. In *priore* itaque ellipſis *venti* notanda eſt, quæ in verbo *vyn* latet, & ſeſe ſponte prodit; propria enim ejus vis eſt, *tremuit*, *concuſſus fuit*, motu potiſſimum *exteriore*, adeoque involvit *ventum*, quo concuſſæ arbores ſtrepitum edunt; *inſtar*

inſtar Libani vero eſſe, inſtar *arborum* Libani, tralaticium eſt. In *poſteriore* nihil eſt niſi in voce מעיר difficilis; quam Interpretes *ex urbe* reddentes expedire non potuerunt, cum ſenſus tolerabilis, nedum emphaticus, inde extundi nequeat. Verti *prae pluvia largiſſima*, Cl. Schultens viam præeunte. Radix enim עיר, proprie *fervere*, ſpeciatim teritur in *aemulatione* ac *zelo*, etiam in bonum, ad alterius felicitatem promovendam, uti obſervavit Cl. Schultens *a*, hinc ſpecialiore uſu tranſiit ad pluviam largiſſimam & fœcundantem: ſic terra, æmulatione divinitus adfecta, Arab. eſt *largiſſime irrigata*, & copioſe respondens. Ita פקד *viſitavit* ſpeciatim ſumitur pro *effuſione imbrium*: de quo ad Pſ. LXV: 10. Nihil autem hac *largiſſima pluvia* aptius eſt hoc loco, cum inde nitor & vigor *graminis terrae* pendeat; ſicut arborum ſtrepitus a *vento*; quod utrumque ſolet eſſe *Spiritus S.* emblema, uti notum eſt, & huc recte quadrat.

§. XXXIV. Significatur vero utroque hoc emblemate, 1. credentium fore maximum *numerum* per orbem quaquaverſum, inſtar *arborum*, quibus Libanus abundat, & *graminis* terræ copioſiſſimi & denſiſſimi, ubique ſeſe oſtentantis per terram. 2. Spiritus S. donorum & bonorum fore abundantiſſimam copiam; inſtar *venti* & *pluviae* largiſſimæ: de quo ad verſ. *6tum* dixi. 3. Statum eorum fore lætiſſimum, prosperum & glorioſum, inſtar *arborum* Libani, & graminis virentis ac nitide ſplendentis, æque *externum* ac *internum*, corporalem & Spiritualem. 4. Denique occupationes & actiones eorum fore gratas, jucundas & utiles, ſimul agiles, magno cum zelo conjunctas, & exſultabundas, ac ſonoras, inſtar arborum ſtrepentium, & graminis nitorem vibrantis. Quæ ab unoquoque facile dilatari poſſunt. Tandem 5. addatur, emblemata ita poſſe diſtingui, ut *prius* ad perſonas in regno Meſſiæ illuſtres, dignitate & auctoritate conſpicuas, *poſterius* ad tenuiores ſeu vulgaris ſortis homines referatur; adeoque ſignificetur, divites, potentes,

a Ad Job. VIII: 6.

reges & principes, in regno Christi futuros instar *arborum* strepentium in Libano, & *vulgares* credentes, cujuscunque sortis, instar *graminis terrae*. Conf. Jes. XLIX. 7, 23. & ibi Cl. Commentator. Posset quoque *prius* aptissime transferri ad Ecclesiam Apostolicam, fundatam in Tsione super *vertice montium*, Jes. II., illis vocibus cum seq. etiam connexis, & Spiritu, tanquam *vento*, plenam, magnum edentem per orbem *strepitum*, ut in festo Pentecostis obtinuit litteraliter, & rumori per orbem praelusum; *posterius* vero recte refertur ad multiplicationem credentium per terram. Quod verbo monuisse sufficerit.

§. XXXV. *Orationis* figuratae nuda & simplex repetitio, explicationis & illustrationis ergo subjuncta, ita habet, vers. 17. *Sit nomen ejus in aeternum coram sole, sobolescet nomen ejus; & benedicent sibi in eo omnes gentes, beatum ipsum praedicabunt.* Quae verba continent *propositionem*, & ejus *deductionem;* qua ratione recte in duo membra dividuntur. Quorum *prius*, propositionem comprehendens, *duo* de Messia adfirmat, *nomen* ejus glorioſum futurum *in aeternum* coram sole, & per totam terram in immensam sobolem, de ipso nominandam, esse multiplicandum, his verbis, *sit nomen ejus in aeternum coram sole, sobolescet nomen ejus.* h. e. Sit maneatque firmiter in æternum, simul agnoscatur, celebretur, & glorificetur, Messias in veris & characteristicis personae, quam gerit in mundo, qualitatibus, tanquam unicus & supremus propheta, sacerdos, & rex; idque non a paucis, & hic aut illic terrarum, sed ubique terrarum, ab immensa hominum multitudine, ex ipso oriundorum, & de nomine ejus nominandorum. *Duo* itaque de Messia praedicantur; quorum *prius* est, *nomen ejus fore glorioſum in perpetuum coram sole*, seu usque ad finem seculorum & consummationem omnium, quamdiu fuerit *sol*; ut vers. 5, 7. habuimus. *Nomen* Messiae hic characteristicas personae ejus qualitates denotat, quae vera est *nominis* significatio, quibus dignoscitur, & a reliquis omnibus distinguitur, nomine

ne *Jesu*, *Messiae* & *Christi*, comprehensas, & in eo sitas, quod sit *unicum sub cœlo nomen*, *per quod salvari oporteat*, unicus & supremus propheta, sacerdos, & rex. Conf. Jes. IX: 5. & alibi. Sed hoc satis notum est. Hoc vero *nomen* ejus *esse* dicitur, quatenus *firmiter* & *immotum* stat, & agnoscitur ac celebratur: ut mox explicatius traditur; denique *in aeternum coram sole* est usque ad consummationem mundi.

§. XXXVI. *Posterius*, quod de ipso adfirmatur, immensam, & per orbem totum diffusam, hominum multitudinem complectitur, qui de ipso cognominarentur, tanquam ejus *filii*, his verbis: *coram sole sobolescet nomen ejus*. h. e. ubicunque fuerit & luxerit sol, seu per totam terram erunt immenso numero, qui de nomine ejus adpellabuntur, & ejus erunt filii, seu discipuli. Voces, *coram sole*, cum præcedentibus non tantum, ut modo exposui, sed & seq. cohærent, ut sæpe alias sit, & diffusionem seminis Messiæ per totam terram denotant, adeo ut, ubicunque *sol* fuerit, semen ejus futurum sit; quod hic quoque est, *coram sole*, uti supra vers. 5. *cum sole* & *coram luna*. Sed quid est, *sobolescet nomen ejus*? nihil aliud, autumo, ac multa erit soboles, de nomine ejus adpellanda, vel nomen ejus per magnam sobolem propagabitur & diffundetur. Respicitur ad *nomen* per liberos superstes, qui ex una stirpe nati progenitoris nomen gerunt, et agnoscunt. Utitur poeta verbo singulari, cujus simile non exstat in reliquiis linguæ Biblicæ, derivatum tantum superest נון vel נין; quod non denotat, ut putatur, *filium*, ne primam quidem generationem, sed prolem copiosam, generationem longe fusam, quæ veluti ex suo fonte copiosius scaturiat, et diffundatur in familias: unde pro genere *piscino* quoque sumitur; et proprietatem habere videtur in *fœtatione*, *fœtificatione*; ut observavit Cl. Schultens *a*. Est autem ינין in fut. Niph., adeoque vertendum *fœtificabitur*, vel copiose *sobolescet nomen ejus*, h. e. copiosa sobole nominabitur & diffundetur nomen ejus; uti expo-

a Ad Prov. XXIX: 21.

expoſui. Magis proprie itaque illud exprimitur, quod figurate modo erat dictum, de *fructu* graminis tritici, *ſtrepitum* edituro inſtar Libani, & nitorem vibraturo inſtar *graminis terræ:* ubi vid. dicta.

§. XXXVII. In propoſitionis *deductione*, his verbis facta, & *benedicent ſibi in eo omnes gentes, beatum ipſum dicent*, duo clarius exponuntur, *alterum*, ſobolem ejus tam late fore diffuſam & multiplicatam, ut *omnes gentes* comprehenſura ſit, quæ eam etiam conſtituent: quod enim modo dictum erat, *ſobolescet nomen ejus coram ſole*, illud ad *omnes gentes* extenditur, argumento, eas eſſe copioſam eam ſobolem, de nomine ejus adpellandam: *alterum* eſt, Meſſiam, tanquam patrem & progenitorem, eſſe ab iis, qui de nomine ejus adpellarentur, *celebrandum* ac glorificandum, tanquam omniſufficientem, omni beatitate adfluentem, & omnis boni fontem ac cauſam: quod phraſis, *benedicere ſibi in eo*, ut verbum reddi debet, vero ſuo uſu denotat, uti in promiſſo Abrahamo facto, quo hic respicitur, *benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes:* quod ab aliis jam obſervatum eſt, & demonſtratum. Conf. quoque Jer. IV: 2. & ibi dicta: quare plura nòn neceſſe eſt addere. Tantum notetur, *omnes gentes* ad præced. & ſeq. ſeſe quoque porrigere, ut modo etiam habuimus. Sed nec negligenda eſt emphaſis verbi אשר cujus primæva notio eſt in *coruscatione*, ſeu *tremula micatione*, quæ *notam* ſui relinquit, unde nata eſt poteſtas *veſtigii*, a pede coruscante impreſſi, dicitque *terrae clarum* pedis *imprimere veſtigium.* Alia vero metaph., ut reliqua mittam, *nota* hæc *micans*, אשר, ei adtribuitur, quod in ſuo genere eſt eximium & præcellens, *nota* quippe *corusca* diſtinctum ab aliis, ut Lat. *inſigne*, quaſi ſigno notatum & antecellens; inde plur. אשרים *inſignitates*, ſeu multiplex præſtantia, nobilitas & felicitas; & per uſum adverbialem אשרי, quo quis præcellens & felix prædicatur, cum pathetica exclamatione, *o inſignitates illius viri.* Unde emphaſis phraſios, אשרוהו hoc loco ſponte ſeſe offert; qua denotat, Meſſiam

cum

cum exclamatione esse prædicandum ac celebrandum, tanquam insignem, & nota coruscum, omnique felicitate abundantem, omnisufficientem, qui & ipse *satietatibus lætitiarum apud faciem Dei, ac jucunditatibus dextrae Dei* fruitur, Pſ. XVI: 11. ac eas cum hominibus communicat, tanquam *causa salutis;* quare *servatus* adpellatur, Zach. IX: 9. seu in statu amplissimæ salutis & felicitatis positus.

§. XXXVIII. Sequitur clausula non hujus Pſ., sed omnium præcedentium *secundi* hujus Pſ. libri, ab alia manu, seu a collectoribus Pſ., ut probabile est, visum quoque Muysio, profecta; quemadmodum ad Pſ. XLI. observavi, ac demonstravi. Eadem enim hic, & in reliquis Pſ. libris, in quos olim distincti sunt Psalmi, occurrit *benedictionis* formula; tantum hic circumductior & fusior, forte relate ad Pſ., cui proxime adnexa est, & cui recte convenit, quod vers. 19. *de tota terra Dei replenda* habetur. Nihil hic, quod præterea observem, habeo. De sensu verborum, *desinunt preces Davidis filii Jessae*, Interpretes satis exposuerunt. Pertinent ad omnes præcedentes Pſ., in duos hosce libros collectos, qui, paucis exceptis, omnes *Davidem* habent autorem, & omnium primi videntur collecti in unum volumen, forte tempore Hizkiæ; quod his verbis fuit *clausum a.* Reliqui postea collecti sunt, forte tempore Ezræ, qui variorum continent autorum carmina; paucis tantum Davidis insertis.

a Vid. Gataker. in Cinno l. 1. c. 10.

PSALM. LXXIII.

1. *Psalmus Asaphi.* *Profecto*, vel *veruntamen*, *bonus & bonum Israeli Deus est puris corde.*

2. *Et ego prope inclinatus pedes meos fui*, *tantum non effusi sunt gressus mei.*

3. *Quia æmulatione inflammatus fui in splendida fortuna se jactantes*, *pacem improborum vidi continuo.*

4. *Quia nulli sunt nodi stringentes ad mortem ipsorum*, *& concreta eorum crassitudo pœnitet.*

5. *In vexatione tundente mortalium non sunt ipsi*, *& cum hominibus plaga non adficientur.*

6. *Idcirco collum ipsis erigit*, *& collari cingit elatio iniquis*, *tegit vestibus crudæ violentiæ ipsos.*

7. *Emicant præ pinguedine oculi ipsorum*, *transgrediuntur præ imaginationibus cordis.*

8. *Purulenti crepant & loquuntur maligne*, *injustitiam*, vel *insolentiam*, *ex alto loquuntur.*

9. *Ponunt in cœlum os suum*, *& lingua eorum grassatur in terra.*

10. *Propterea redibit populus ejus huc*, vel *redire faciet populum ejus contusio*, *quod*, vel *quum*, *aquæ pleni exsugentur ipsis.*

11. *Ut dicant*, *quomodo Deus cognoscit? & est cognitio Altissimo?*

12. *Ecce inprobi illi sunt*, *& tamen defœcate tranquilli & felices seculi*, *multiplicant opes.*

13. *Pro-*

13. *Profecto in vanum nitidavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas.*

14. *Et plagis adfectus sum omni die, & castigatio mea singulis matutinis.*

15. *Si dicam, subductis calculis concludam secundum hæc, ecce! erga generationem filiorum tuorum perfide me gero.*

16. *Itaque ratiocinatus sum subtilius ad cognoscendum hoc, molestum & operosum illud fuit in oculis meis.*

17. *Donec sacraria Dei intravi, & novissimam eorum sortem distincte percepi.*

18. *Profecto in lubricitatibus instabis ipsis, cadere ipsos facies in confragosa.*

19. *Quomodo facti sunt sideratio, tanquam momento? rapti, consumti sunt præ,* vel *ab, execrationibus, & furiis insultationibus.*

20. *Instar somnii post evigilare, ita, Domine! in suscitatu imaginem eorum contemtim tractabis.*

21. *Quum peracuerit sibi cor meum, & renibus meis me compunxero,*

22. *Et,* vel *tunc, ego brutus, qui nihil sciam, magna bestia sum tecum.*

23. *Et,* vel *at, ego jugiter tecum eo: prehendisti manum meam dextram,*

24. *Consilio tuo duces me, & post gloriam adsumes me.*

25. *Quis mihi in cœlis? & tecum nihil volupe habeo in terra.*

26. *Consumta sit caro mea: &,* vel *at, cor meum, petra cordis mei, & portio mea, Deus est,* vel *es, in æternum.*

27. *Profecto, ecce! longe a Te remoti peribunt, omnem fornicatione a Te discedentem exscindes.*

28. *At ego, adpropinquatio Dei mihi bonum est, ponere meum in Domino Jehova perfugium meum, ad enarrandum omnia opera tua.*

§. I.

Argumentum Pſ. eſt *theſios*, *Deum* ſeſe Israelitis, qui pietati ſtudent & virtuti, benevolum & beneficum præſtare, vindicatio & demonſtratio contra impiorum, quibus cuncta ex voto ſuccedunt in hoc ſeculo, profanas cogitationes & voces, ipſorumque piorum, qui cum malis luctantur, dubitationes & tentationes circa providentiam Dei, qua res humanas gubernat, *ratione* demonſtrationis petita a ſtatu futuri ſeculi, impiorum miſerrimo, & piorum beato; de quo ex arcana & divina inſtitutione conſtabat: indeque ortum *propoſitum*, per modum concluſionis declaratum, de quavis indignatione ſuper impiorum felici, & piorum infelici, ſorte in hac vita miſſa facienda, & Deo in fide & ſpe unice adhærendo, eumque pie colendo. Poeta, cum *theſin* memoratam, tanquam certiſſimam & notiſſimam veritatem, Deum Israelitis piis bene velle & facere, expreſſiſſet, in medium mox profert difficultates ei oppoſitas, quas experientia ſuppeditabat, in eo ſitas, quod impii hic floreant vigeantque usque ad mortem, pii vero quotidie ſæpe multis miſeriis ſint obnoxii, adeo etiam, ut *illi* inſolenter ſeſe contra Deum & homines gerant, ac Dei providentiam contemnant, piis quoque, tanquam fatuis, inſultent; *hi* vero ſæpe in graviſſimas incidant de providentia Dei dubitationes, ex ſtatus ſui miſeri conſideratione. Quas difficultates ut magis exaggeraret, ſe quoque ad eas obhæſiſſe, nec potuiſſe ſe extricare, confitetur; cum *theſin* non potuerit in dubium vocare, nec tamen eam ab hac objectione vindicare noverit. Quando tandem fontem ſolutionis ex arcana & divina aperit inſtitutione, & ſummi momenti

menti doctrinam de impiorum ſtatu miſero, & piorum beato, poſt mortem in ſeculo futuro, in medium adducit, & in ea ſeſe fundat, adeo ut, omni difficultate e medio ſublata, declaret, ſe *cum* omnem indignationem ſuper fortunata impiorum ſorte in hoc ſeculo, tanquam hominis inſipientis, & ratione, inſtar bruti animalis, carentis, eſſe conſideraturum & damnaturum, *tum* Deo in fide & ſpe firmiter & conſtanter adhæſurum, eumque pie culturum.

§. II. Quod argumentum ut in vera collocetur luce, ſequentia probe ſunt obſervanda. 1. *Primum* eſt, *impios* & *pios*, ex quorum diverſa ſorte objectio petitur contra æquam & juſtam providentiam Dei, hic conſiderari tanquam unius ſocietatis externæ Israeliticæ membra; utrosque ergo Israelitas, & non gentiles & Israelitas; ut alibi fit, ubi de ſimili re agitur; ſed alios Dei & legis contemtores ac violatores, alios utriusque ſtudioſos, ac pios & probos. Rationes ſunt. *a.* Quia nullo nomine, titulo aut charactere gentilium deſcribuntur, ſed in genere *impii* adpellantur, & fortuna ſua inſolentes. *b.* Quod non in genere Israelitæ qualescunque, ſed inter eos *puri corde*, & veræ pietatis ſtudioſi, in ſcenam producantur, qui cum miſeria luctentur; qui verum Dei *populum*, & *filios ejus* præ reliquis conſtituunt, oppoſite ad impios. *c.* Quod adflictio piorum hic occurrat, non quam pii & impii inter Israelitas communem habent, ſed pii propriam, & a qua impii immunes ſunt: non itaque Gentilium prosper & Israelitarum infortunatus ſtatus, ſed impiorum felix, & piorum infelix ſors tantum memoratur. *d.* Quod non tam gentilium felix conditio, quam impiorum in medio Israelis, dum pii male degerent, difficultatem contra providentiam Dei parere poſſet: promiſſa enim *piis* facta erant, & *minæ* impiis e populo; quæ cum nunc aliter acciderent, videri poſſet, Deum non adtendere ad hominum actiones, ut verſ. 11.

§. III. 2. *Secundum* eſt, ſtatum reip., cujus utrique membra ſunt, repræſentari pacatum, ſecurum, & nullis

hoſtium oppreſſionibus obnoxium; *cum* quod nihil mali, quo resp. adfligatur, memoretur, *tum* quod impii occurrant florentes & prosperi usque ad mortem, *tum* quod communia hominum mala tantum memorentur, a quibus liberi ſunt impii, & quibus *pii* proponuntur obnoxii. 3. *Tertium* eſt, ſtatum reip. depingi *corruptum*, ubi impii maximum faciunt numerum, opibus abundant, & dominantur; pii, contra, viles, pauperes, adflicti multis malis, contemnuntur, irridentur & opprimuntur. De quo etiam teſtatur, quod pii alias vix tantam habuiſſent rationem de providentia Dei dubitandi. 4. *Quartum* eſt, *impios* in ſcenam produci, ſicut per omne vitæ tempus vigentes, florentes & fortunatos ac potentes, ita ſuperbos, ſibi fidentes, inſolentes, Deum ſusque deque habentes, & piis inſultantes; adeoque ſummo gradu improbos, Atheos ſeu Epicuræos, verſ. 6—9. *pios* vero, tanquam corde & manibus puros, attamen paupertatis, & aliorum vitæ incommodorum, ac plagarum ſub onere gementes, & propterea de Dei providentia bona ac juſta dubitare incipientes. 5. *Quintum* eſt, difficultatem contra providentiam Dei circa populum Iſraelis tantam eſſe, ut ex legali œconomia externa, quæ præmia & pœnas hujus ſeculi diſpenſat legis transgreſſoribus ac obſervatoribus, vix e medio tolli potuerit, adeoque pios ipſos apta nata ſit in gravem conjicere dubitationem, nec niſi ex arcana doctrina, in ſanctuario Dei docenda, de præmiis & pœnis futuri ſeculi tollenda; quam vates hic inculcat, & ad quam, tanquam ſacram anchoram, ſeſe in piorum dubitatione, & ſua propria tentatione, recipit, verſ. 18—28. quæ tota pericopa ad eam doctrinam inculcandam tendit, ut poſtea videbimus.

§. IV. Quod ad *tempus* Pſ. compoſiti adtinet, nihil aliud de eo definiri poteſt, quam illud fuiſſe fortunatum & pacatum quidem, attamen depravatum, quo longa prosperitate plures fuerunt in ſecuritatem carnalem præcipitati, & inſolentes in Deum & homines facti, piis oppreſſis & gementibus;

mentibus; præterea *tempus* fuiſſe, quo hæc quæſtio de impiorum felici & piorum infelici ſorte in hoc ſeculo cum bona & juſta providentia concilianda fuit mota & agitata, ac ex futuri ſeculi conſideratione ſolvi cœpit a viris divinitus inſpiratis, eaque doctrina de pœnis & præmiis poſt hanc vitam facta eſt vulgatior. Qui duo temporis characteres recte conveniunt in ultima regni Davidis, vel in Salomonis tempora, quibus impiorum, longa proſperitate anſam præbente, numerus & inſolentia videtur creviſſe, & arcana hæc doctrina in lucem protrahi potuit. In quæ tempora ætas *Aſaphi*, autoris Pſ., etiam recte quadrat, uti notum eſt, alii quoque duo Pſ. ſimilis argumenti, XXXVII & XLIX., ad ea reſpicere videntur; ne dicam, librum Jobi, quo eadem quæſtio ex profeſſo ventilatur, eodem hoc tempore videri compoſitum, ut probabile eſt, ex antiquis monumentis. Sed plura poſſunt excogitari tempora ſub Oeconomia legali, quibus Pſ. argumentum convenit, nec tanti eſt, *tempus* præciſe definiviſſe; cum ad Pſ. intellectum parum faciat: præterquam quod caſus, in hoc Pſ. obvius, fingi potuerit a vate, ad piorum tentationes tollendas, & arcanam illam doctrinam ſalutarem de futuro ſeculo inculcandam. Qui *ſcopus* utique Pſ. eſt, & egregius ejus *uſus*; uti ad Pſ. XLIX. expoſui, quare plura non addo.

§. V. *Structura* Pſ. nihil habet ſingularis; conſtat ex oratione partim de Deo, partim ad Deum. In theſios propoſitione, & difficultatis, indeque ortæ tentationis piorum, expoſitione, quæ *priorem* dimidiam Pſ. partem facit, loquitur de Deo in tertia perſona; ſed in ſolutione difficillimæ quæſtionis, & propoſiti ſui de Deo fidendo ac colendo declaratione, ſermonem ad Deum vertit, quæ *poſterior* dimidia pars eſt. *Stylus* non eſt impeditus, attamen emphaticus & adfectuoſus, nec non figuris, tanquam luminibus, interſtinctus; in doctrina de ſeculo futuro tradenda etiam obſcurior & involutior, pro natura œconomiæ Veteris. *Partes* Pſ. generales tres ſunt: *prima* continet theſios de bona Dei erga

pios

pios providentia vindicationem ac confirmationem, verſ. 1—20. *Secunda* vero firmum pii viri propoſitum, per modum corollarii ex præcedentibus formatum, de omni indignatione ſuper impiorum fortunata ſorte miſſa facienda, & Deo in fide ac ſpe pie adhærescendo, verſ. 21—26. *Tertia* concluſionem, verſ. 27, 28.

ANACRISIS.

§. VI. Cum nimis clarum ſit, quam ut in dubium cum aliqua ſpecie vocari poſſit, Pſ. eſſe argumenti generalis, didascalici & moralis, quo fides & ſpes credentium & piorum reſpectu futuræ vitæ confirmatur & vindicatur; vix opus eſt *anacriſi*, ſeu inveſtigatione hypotheſios Pſ. exponendi, de qua ex ſupra dictis de argumenti vero conſpectu ſatis conſtat: nec audiendi ſunt, qui ad caſum Abſolomi, aut Nabalis, aut Senacheribi, adplicant, aut prophetice de Eccleſia Antichriſtiana, vel Zadducæis tempore Chriſti & Eccleſiæ Chriſtianæ, interpretantur; a quo etiam abhorret arcana inſtitutio divina de ſeculo futuro, quippe tunc vulgatiſſima. Quare mox ad *explicationem* pergo.

EXPLICATIO.

§. VII. In *prima* parte 1. theſis ponitur, verſ. 1, 2. vindicatur & confirmatur verſ. 2—20. 1. Theſis, multa cum adſeveratione propoſita, habet verſ. 1. *Profecto bonus eſt Israeli Deus, puris corde.* h. e. Certiſſima eſt, & teſtatiſſima veritas, Deum bene velle & facere iis ex Israele, qui conſcientiam habent puram, a reatu immunem, nullumque peccandi, ſed ſincerum ac fixum bene agendi, propoſitum. *Objecta* bonitatis Dei adpellantur *Israel* & *puri corde*, non *diſtributive*, acſi diverſi intelligerentur, Israelitæ

&

& quicunque alii inter gentes puri corde, ut nonnulli capiunt, ſed corrective & explicative, epitheto *purorum corde* addito Israeli ad generalem Israelis notionem reſtringendam, vel eam explicandam, ut, ſe non de Israelitis ſecundum carnem ſimpliciter, ſed veris & genuinis, qui eo titulo digni ſunt, & Israelis imaginem præſtant, loqui, indicaret poeta: non enim dicitur, bonus eſt *Israeli & puris corde*, ſed *Israeli puris corde*, per adpoſitionem, argumento, non quosvis, ſic dictos, Israelitas, ſed veros & pios eorum intelligi, quia non *omnes ex Israele ſunt Israel* Rom. IX., adeoque qui *Judæi* ſunt in *occulto* Rom. II., & genuina Jacobi, ſeu Israelis, *progenies*, cujus Jacobum non *pudet*, Jeſ. XXIX: 23. *generatio quærentium Dei ſicut Jacob* Pſ. XXIV: 6. Illi itaque ex Israele, qui *puri corde* ſunt, hic occurrunt, tanquam quibus *Deus bonus* eſt. Quæ phraſis & *conſcientiæ*, & *animi* ſeu propoſiti & adfectionum, *puritatem* comprehendit α. *Conſcientiæ*, quæ *cordis* nomine quoque venit, ut 1 Joh. III. *Si cor noſtrum nos non condemnet*, *puritatem*, in eo ſitam, quod a *reatu* peccati ſimus immunes, *mentem* non habeamus *pollutam*, ſive peccata non commiſerimus, quæ eam turbant, ſive fide & pœnitentia animum purgaverimus, & remiſſionem acceperimus: qui alias *puri manibus* adpellantur, ut verſ. 13. & Pſ. XXIV. *puri corde & manibus* junguntur. β. *Animi*, ſeu adfectionum & propoſiti, puritatem, reſpectu peccati omiſſionis æque ac commiſſionis, quæ comprehendit itaque odium omnis peccati, & ſtudium omnis virtutis ac pietatis; ſeu ſincerum propoſitum, alte radicatum, omne malum vitandi, & omne bonum faciendi, coram Deo & hominibus ſincere, integre, juſte, ſancte & pie ambulandi. *Purus corde* eſt *cum* integer & ſincerus animo, oppoſite ad hypocriſin & dolum, cui nihil ineſt heterogenei, aut adulterini, *tum* qui nullum habet in animo peccatum, ſeu nullum fovet, nullius propoſitum habet. *Cor* enim ſæpe adfectus & deſideria, cum motu cordis conjuncta, exprimit. De quo itaque dici poteſt, quod Domi-

nus de Nathanael, Joh. 1: 48. *Ecce Israelitam in veritate! cui nullus dolus ineſt.*

§. VII. Hisce ex Israele ubi declarat poeta *bonum eſſe Deum*, varia, ſed vicina & connexa, ſignificat, quæ ſtrictim exhibebo. 1. *Primum* eſt, Jehovam, ſummum Numen, eſſe *Deum* ipſorum, qui ipſis eſſe vult, quod Deus omniſufficiens poteſt. Non quidem illud expreſſis dicit verbis, ſed haud obſcure inſinuat, Jehovam non eo nomine, Dei Israelis proprio, ſed *Dei* inſigniendo; cujus hæc ratio apte datur, quod illo nomine ſupremum Ens omniſufficiens, ſimul fœderatum, ſoleat inſigniri, ſecundum formulam fœderalem, *ego ſum Deus tuus*; adeoque ut ſimul ſignificaret, Jehovam talem eſſe, & ſe præſtare veris Israelitis, puris corde: quemadmodum Pſ. xxxiii. *beatam gentem cujus Jehova Deus eſt!* 2. *Secundum* eſt, Deum, qua talem, eſſe *bonum* erga eos, quatenus ipſis bene vult & facit; bene erga eos adfectus, et eorum felicitati intentus, omnaque bona, ad eam promovendam, in eos conferens. Phraſis enim recte vertitur, *bonus eſt Deus Israeli, puris corde*, vocibus, *bonus* et *Deus*, ſecum conſtructis; quemadmodum et alibi *bonus* adpellatur, Pſ. cxviii: 1. xxv: 8. xxxiv: 9. et alibi, etiam *ſolus bonus*, Matth. xix. 3. *Tertium* eſt, *bonum* Israeli eſſe, quod Jehova ſit ejus Deus; voce per *bonum* verſa, et cum Israele conjuncta; hac ratione: *bonum Israeli Deus*, quod idem eſt ac Pſ. xxxiii. *beatam gentem, cujus Jehova Deus!* quemadmodum in ſeq. verſ. 28. *adpropinquatio Dei mihi bonum eſt.* Senſus itaque erit, veram et ſummam felicitatem Israelis in eo eſſe ſitam, quod Jehova ſit *Deus* ipſius, omnis boni, quod hominem perficere poteſt, poſſeſſor et largitor liberaliſſimus. 4. Denique *quartum* eſt, veros Israelitas, puros corde, pro *bono* ſuo habere, et in eo felicitatem ſuam cenſere poſitam, quod hunc habeant *Deum*; adeo ut *bonum Israeli Deus* idem dicat, ac Israel *bonum* ſuum ſtatuit, et firmiter credit eſſe in Deo, ac ejus communione: quemadmodum verſ. 28.

adpropin-

adpropinquare Deo mihi bonum est: quod vers. 24. emphatice exprimit, *quis mihi est in cœlo? & tecum non delector in terra*, oppositè ad verba ex indignatione super impiorum felicitate, et tentatione, temere prolata, *quomodo novit Deus* etc. vers. 11.

§. VIII. Hæc omnia magna cum adseveratione pronunciat, et tanquam certissimam ac testatissimam, semperque agnitam, veritatem, præmittit; cum mox in principio in hæc verba erumpit, *profecto bonus & bonum Israeli Deus, puris corde.* h. e. Sicut certissimam ejus thesios veritatem probe cognovi et agnovi ante meam fluctuationem, in quam, hoc non obstante, mea culpa incidi, ita, omnibus probe ponsitatis, et a Deo rectius instructus, deprehendi eam veram esse et manere, non obstante impiorum adparente felicitate, ac piorum infelici sorte, indeque orta fluctuatione animi mei et aliorum, adeo ut me condemnare debuerim, quod me eo fiverim abripi, ut de veritate hac, mihi probe cognita, dubitare inceperim, et nunc, omnibus difficultatibus superatis, majore cum confidentia adfirmem, *bonum esse Israeli Deum*, quantopere etiam impii floreant, et pii adfligantur in hoc seculo. Quæ paraphrasis ut intelligatur, et se commendet, notandum est, verba *duplicem* admittere conspectum, *alterum*, quo, tanquam certissimam et agnitam veritatem complexa, præmittuntur tentationi, ad ejus indecentiam exaggerandam, *alterum*, quo instar conclusionis, ex seq. ratiocinio eductæ, thesin continent, cujus veritas post tentationem superatam clarius et certius eluxerat. *Priore* modo thesis præmittitur, quæ deinceps vindicatur et demonstratur; *posteriore* thesis, tanquam vera contra omnes difficultates et tentationes deprehensa, adfirmatur, et in seq. modus traditur, quo ad eam adseverationem venit poeta post aliquam fluctuationem. *Priore* ratione recte vertitur, *profecto* bonus vel bonum est Israeli Deus, & *posteriore* rectius, *veruntamen* est, non obstante scilicet adparente felicitate impiorum, & miseria piorum. Secundum *priorem* conspectum verba seq., *& ego*,

propemodum nutarunt greſſus mei &c. idem dicunt, ac *attamen*, non obſtante hac veritate, mihi probe nota, & admiſſa, *ipſe ego* in gravem incidi fluctuationem: ſed ſecundum *poſteriorem* voces, *& ego* &c., recte vertentur, *equidem nutavi* &c. ſed recollegi me, & veritatem theſios, quam poſui, deprehendi certiſſimam; adeoque *modum* exponunt, quo ad theſin illam adfirmandam venerit. Quacunque ratione ſumatur, vel alterutra, vel potius utraque, particula כי retinet adſeverandi vim, ipſi propriam, et verba ſignificant, theſin illam, *bonum eſſe Israeli Deum*, eſſe indubiam, & ab omnibus piis per omnia tempora agnitam, in recta ratione & revelatione fundatam; quam & natura Dei, ejusque ad pios relationes, & promiſſa Dei, ſæpe repetita, extra omnem dubitationis aleam ponunt, quæque nulla contraria refelli aut labefactari poteſt experientia, nullo ratiocinio carnali, nulla impiorum quoque jactantia, aut piorum fluctuatione.

§. IX. 1. Theſios in vindicatione & demonſtratione, a. difficultatem, ſeu objectionem, proponit & exaggerat, verſ. 2—16. β. ſolvit verſ. 17—20. *a.* In priore parte ita inſtituit, ut *a.* fluctuationem ſuam confiteatur, ex proſperitate impiorum, ac piorum adflictione, & utriusque conſequentibus in improbis & probis, ortam, verſ. 2—14. *b.* difficultatem eam ſuperandi exaggeret, verſ. 15, 16. *a.* In fluctuatione ſua exponenda 1. eam ſimpliciter profert, verſ. 2. dein 2. ejus *rationem* reddit, verſ. 3—14. 1. Propoſitio tentationis his verbis fit, verſ. 2. *Et ego prope inclinatus pedes meos, tantum non effuſi ſunt greſſus mei* h. e. Parum, imo nihil fere abfuit, quin fidei in Deum rectorem univerſi, ac juſtum & æquum judicem, renunciaſſem, omnemque ſpem remunerationis pietatis abjeciſſem, adeoque a recto vitæ & actionum tramite præceps in vitam diſſolutam ruiſſem. Duo ſunt verſus membra, eandem fere rem cum inſigni variatione & emphaſi exprimentia, adeo ut ſermonis emphaſis creſcat. Quod enim in *priore* membro non

parum

parum, illud *in posterum* כמעט *tantum non*, instar *nihili*, fortius exprimitur; & quod in priore *inclinatus* pedes, illud mox fortius per *gressuum effusionem* exponitur. Sed *prius* membrum propius ad fidem & spem, *posterius* ad vitæ institutum, referri potest. Prius ita habet, *& ego prope inclinatus pedes meos*, scilicet fui: ita enim reddenda sunt vocabula secundum textualem lectionem, quæ נטוי in particip. præt., quod Pahul dicitur, habet a rad. antiqua נטי pro נטה; cum marginalis substituerit נטו in præt. Kal *inclinarunt*, forte quod elegantia orationis non fuerit percepta, & ut cum שפכו *effusi sunt* rectius cohæreret. Sed sana est lectio textualis, quam etiam pronomen אני *& ego* aliquatenus tuetur, cum sic cum verbo *inclinari* construi possit; alias seorsim capiendum pro, *ad me quod adtinet*. Rectius & majore cum emphasi dicitur, *& ego ferme inclinatus pedes meos fui*. h. e. pedibus meis divergentibus lapsus fere fui. Verbum נטה proprie est *tendere* cum *inclinatione*, Lat. *vergere*; unde inter alia transiit ad *declinationem* ad graviorem lapsum, pedibus divergentibus, & nutantibus. *Pedes* vero, qui corpus sustinent & ferunt, stylo figurato significant subinde *fidem* & *spem*, quibus quis innititur, & in vita ac moribus dirigitur, ac ducitur. *Inclinatio pedum* vero denotat fidei & spei remissionem, vel abnegationem, in specie hoc loco respectu *providentiæ Dei*, & præmiorum ac poenarum justæ ac æquæ dispensationis. *Posterius* membrum, ad vitæ institutum spectans, ita sonat: *tantum non* (proprie, *secundum vacuitatem* seu nihilum, *instar nihili*, ut nihil interfit; sed e vestigio fiat) *effusi sunt gressus mei*. h. e. dissoluti, & quaquaversum ruentes, instar aquarum effusarum; absque ut retineantur, & dirigantur. *Gressus*, quos pedes faciunt, recte expingunt vitæ institutum, actiones, & totam conversationem; eorum vero *effusio* exhibet institutum vagum, impetuosum, & dissolutum, prout fors tulerit, & concupiscentia exegerit, simul irrequietum & pernicioſum, in graviorem lapsum exire solitum. Ceterum de שפכו pro שפכו

vid. Schultens *a*. Cohærent vero hæc verba cum verſu præcedente, ſecundum duplicem ejus conſpectum, duplice ratione, *altera*, qua ſuam fluctuationem cum admiratione expromit, *altera*, qua *modum* ſimpliciter tradit, quo ad eam theſios certitudinem pervenerit. *Prior* obtinet, ſi verſ. præcedens theſios adfirmationem, dubitationi præmiſſam, contineat, hoc ſenſu; certiſſima licet mihi fuerit veritas, *bonum eſſe Israeli Deum, puris corde; & ego*, pro at, attamen, ego, non obſtante ea veritate, mihi probe nota, *prope inclinatus fui pedes* &c. ipſe ille *ego*, qui pro certo habebam, Deum Israeli eſſe bonum, in hanc fluctuationem incidi; quanta hæc fuit mea ſtultitia, quanta tentatio carnalis! uti verſ. 22. confitetur. *Poſteriori* vero locus dandus eſt, ſi *verſus* præcedens cenſeatur continere theſin, ex ſeq. ratiocinio eductam; hoc ſenſu: theſios, quam memoravi, veritatem non niſi poſt gravem tentationem, & ratiocinia carnis ſuperata, didici, & ex ſanctuario Dei depromſi; *etenim*, ut rem fuſius enarrem, *ego prope inclinatus fui* &c: ipſe etiam *ego*, qui aliis prælucere debebam, & fluctuantes confirmare, in hanc tentationem cecidi. Utraque hac ratione emphaſis pronominis *ego*, expreſſe memorati, retinetur: ut ex dictis liquet.

§. X. 2. Hujus fluctuationis & tentationis cauſam, *α*. proponit verſ. 3. *β*. deducit & amplificat, verſ. 4—14. *α*. Propoſitio his verbis fit, verſ. 3. *Quia æmulatione inflamnatus fui in ſplendida fortuna ſe jactantes, pacem improborum continuo vidi*. h. e. Infidelitatis & vitæ diſſolutæ periculum, in quod incidiſſe me dixi, inde ortum fuit, quod improbos proſperitate utentes, & ſplendida felicitate ſeſe inſuper efferentes, ac inſolenter jactantes, continuo viderim, & indignatione ac deſiderio eos imitandi inflammatus fuerim. Verba, pro more diviſa, ſecum hac ratione ſunt connectenda: *quia improbos, ſplendida fortuna ſe jactantes, continuo vidi, ac æmulatione in eos inflammatus ſum*. Loquitur de *improbis*,

a Gr. p. 280.

probis, proprie irriquieto motu circumactis, adeoque pravarum cupiditatum impetu jactatis, & in quævis flagitia ruentibus, quæ propria & usitata est vocis רשע significatio; quibus adtribuit *pacem*, non internam, sed externam, nec veram, sed putatitiam & mundanam, quæ omnigenam bonorum temporalium copiam, usum abundantem, cum pace, sanitate & incolumitate, conjunctam, comprehendit, uti vox שלו denotat, & mox exponitur. Sed addit, eos splendida hac fortuna fuisse præfulgidos, & sese insolenter efferentes, superbos, protervos & gloriabundos: quam sensus amplitudinem adfert epitheton הוללים, cujus proprietas est in *splendore* ex *alto radiante*, unde ad splendorem coruscantem, seu præcellentem felicitatis ac potentiæ statum, in specie improbe acquisitum, indeque ortam superbiam, & jactationem sui, transfertur *a*. Conf. Ps. LXXV: 5. *Dixi* להוללים *splendida felicitate utentibus, ne* תהו *ad splendidam fortunam vos efferatis*, & *improbis*, ne *extollatis cornu*, seu protervi & feroces fiatis. Quæ omnia hic titulo הוללים comprehensa sunt. Horum hominum felicem statum, & inde natam jactantiam ac ferocitatem, dicit se *continuo* vidisse, seu solitum fuisse videre, non semel, sed perpetuo; quam emphasin hic habet forma fut. ראיתי *videbo*, quæ præced. verbo ויאמר in præt. subjungitur, ut sæpe alias. Sed *videre* insuper includit admirationem, stuporem & indignationem, adeoque videre cum adfectu commoto; quemadmodum alias, cum delectatione, aut contemtu, videre denotat, uti notum est. Ipsum verbum ראה proprietatem habet in *vibratione radiante*, unde *acri*, & intento oculo, etiam ad *splendentes radios* videre, ut oculi fuerint splendore improborum coruscantium præstricti. Addit, *emulatione inflammatus* fui; h. e. indignatione & invidia exarsi, ac ad eorum institutum imitandum me incitatum sensi, adeo ut, quod modo dixerat, *pene inclinatus fuerim pedes meos*, & *gressus mei effusi fere sint*. Ita Ps. XXXVII: 1. *ne effervescas in*

a Vid. Cl. Schroeder ad Ps. X: 3.

in maleficos, nè æmulatione inflammeris in operarios iniquitatis, quod verſ. 8. dicitur, *accendi ad male agendum*: uti Prov. XXIV: 1. *ne æmulatione inflammeris in homines maleficos, & ne cum ipſis eſſe concupiscas*: ubi de verbi קנא poteſtate vid. Cl. Schultens.

§. XI. β. In propoſitionis deductione א. Statum felicitatis improborum fuſius depingit, verſ. 4, 5. his verbis: *quia nulli ſunt nodi ſtringentes ad mortem ipſorum, & concreta eorum craſſitudo prænitet. In vexatione tundente mortalium non ſunt ipſi, & cum hominibus plaga non adficiuntur.* h. e. Tanta eſt improborum incolumitas & ſplendens fortuna, cujus memini, ut ſine ullis moleſtiis, morbis, aliisque malis, quibus aut mortales communiter & per naturalem conſtitutionem, aut multi per judicium divinum ſubjecti ſunt, & adflicti, corpore, ſtatu & vita, ſint maneantque ad mortem usque ſani, vegeti, opimi & hilares. Removet poeta quævis mala ab iis, & adtribuit iis qualemcunque felicitatem usque ad mortem, fere quemadmodum Job. XXI. In malorum negatione ita procedit deſcribenda, ut *primum* phraſi figurata, *dein* nudis & ſimplicibus utatur, ad figuratam explicandam. *Figurata* locutio eſt generalis, & quævis mala ſtringentia ac moleſta comprehendit, a quibus liberi ſunt, his verbis, *vacuitas nodorum ſtringentium ad mortem ipſorum*, h. e. nihil ipſis contingit moleſti, quo conſtringuntur, cruciantur, ac impediuntur frui felicitate, per totum vitæ ſpatium usque ad mortem, ordinarium vitæ terminum: quod eſt *ad mortem ipſorum*, ſeu usque eo; uti ab aliis recte eſt obſervatum, & facile adparet; licet alii *in morte* intelligant, ut ſenſus ſit, *eos* nihil nodoſi ſtringentis moriendo ſentire, ſed *placide* mori; quod huc non apte quadrat; nec tanti foret. Majorem difficultatem injicit vox חרצות hic, & Jeſ. LVIII: 6., tantum occurrens. Dubium eſt, ſitne vox aucta per נ in fin., quales proſtant in ling. Arab. plures per נ vel ם promiscue *a*, an ex duabus con-

a Vid. Schultens clav. ſub litteris נ & ם, & Schroeder ad Jeſ. III. cap. 2.

conflata radicibus, חרץ & צבב, quod Cl. Schultens aptius videtur *a*. *Prius* ſi ſtatuatur, חרצוב erit vel *inciſio levis*, cutim nonnihil findens, a rad. חרץ *b*; vel funis tortus & ſtringens, pro חצרוב, quæ ut & חצרים, Arab. eo ſenſu ſupereſt, quod Simon *c* & Clodius *d*, jam obſervarunt; & loco Jeſ. eſt convenientius, cum verbum פתח *ſolvere*, *aperire*, ibi addatur. *Poſterius* ſi adrideat, חרצוב erit *inciſio tumefaciens*. Quacunque ratione expediatur, haud multum intererit, cum ſenſus fere idem maneat; nihil nodoſi ſtringentis & tumorem excitantis, nihil cutim findentis, adeoque nihil duri, moleſti, impediti, noxiique, vel cutem leviter ſtringentis, ipſis evenire per totum vitæ curſum. Quod mox nude & ſimpliciter effertur.

§. XII. Subjungit enim poeta, verſ. 5. *In vexatione tundente mortalium non ſunt ipſi, & cum hominibus plaga non adficientur*. h. e. nec ordinariis mortalium moleſtiis ac calamitatibus, quibus premuntur & tunduntur homines infirmi & debiles, nec extraordinariis plagis, bello, fame, peſte, lepra, ſimilibusque a Deo infligi ſolitis, adficiuntur. *Prius* membrum reſpicere videtur ad ordinarias mortalium adflictiones, ſive ſint labores operoſi, & delaſſantes, ad victum & amictum acquirendum, aut aliis inſerviendum, inſtar ſervorum & mancipiorum, ſive ſint aliæ qualescunque vexationes graves, & tundentes infirmitates, morbi, dolores, oppreſſiones: utrumque enim adfert ſignificatum vox נגע, cujus proprietas eſt *tundere e*, & utrique apte convenit titulus אנוש, quo homo debilis, viribus confectus, & ægritudini mortali obnoxius indigitatur. vid. ad Pſ. x: 21. *Poſterius* membrum ducit ad plagas extraordinarias, divinitus inflictas, quibus humanum genus exorbitans ſolet in ordinem redigi; verbum enim נגע, cujus proprietas eſt in *adpactione*, uti & in Gr. τάγω, τάσσω, unde Lat. *tango*, &

a Gr. p. 311. *b* Id. ad Prov. XXI: 5. *c* Form. nom. p. 651. *d* Lex Sel. *e* Schultens ad Job. III: 20. & Prov. XVI: 26. & Schroeder ad Pſ. x: 7.

ἁπτω cum nexu pango, in Script. ſolet graviorem plagam, vehementius incuſſam, & *נגע* ſpeciatim lepram denotare.

§. XIII. *Mala* non tantum hæc ab iis aliena eſſe, ſed & quævis fortunata ipſis accidere, eosque genio indulgere, declarat poeta, his verbis: & *concreta eorum craſſitudo præ-nitens eſt*, h. e. opimitate, vigore, opibus & viribus præfulgent. Voces Hebr. varie exponuntur, ſed noſtra verſio ex ipſis vocabulis, recte intellectis, ſponte ſua ſeſe offert, & huc apte quadrat. Radix שמן, ab אמל, ſecus ac vulgo putatur, probe diſtinguenda, proprietatem habet in *lactis aceſcentis condenſatione*, dicitque *concretam craſſitudinem*, unde inter alia partim ad *ſtolidum* & craſſum ingenium, ac animi ſtupiditatem, ut Gr. παχὺς & Lat. *craſſus*, partim ad *opulentum* & *divitem*, qui etiam Gr. παχὺς adpellatur, transfertur *a*. Verbum vero מרא, unde מריא, proprie eſt Lat. *exaſciare*, *edolare*; unde ad opus omnibus numeris perfectum, & *nitore* præfulgens transfertur; hinc מריא proprie eſt, *dedolatus*, & nitide *exaſciatus*, inde pinguis, nitide corpulentus, ut Lat. *nitidus*, præfulgidus, pulchritudine, ſanitate, hilaritate, & quavis dignitate. Senſus itaque eſt, improbos, ab omni malo cruciante & molefto liberos, fulgere opibus, potentia, & deliciis, ſanitate & quovis vigore nitente.

§. XIV. ב. Secunda pars deductionis eorum inſolentiam, ſuperbiam & tyrannidem ex ſumma illa felicitate ortam depingit, tanquam majorem adhuc rationem indignationis, a poeta conceptæ, verſ. 5—9. Quæ deſcriptio per varios articulos inſtituitur. *a. Primus*, ad ornatum & veſtitum eorum reſpiciens, eos ſuberbiæ faſtoſæ, & cruditatis ac violentiæ, plenos in vita & moribus, nec non terribiles, depingit his verbis verſ. 6. *Idcirco collum ipſis erigit, & collari cingit elatio tumida, tegit veſtitus cruda violentia ipſos*. h. e. ſumma improborum felicitas, quam deſcripſi, non tantum mihi ægre eſt, & bilem movet, ſed inprimis ejus

a Schultens ad Job. v: 3.

ejus conſequens, & peſſimus abuſus, ſeu inde orta ſuperbia, inſolentia, duritiès & ſævitia, ac violenta graſſatio, in Deum & homines, quam in habitu, inceſſu, verbis, & tota converſatione ac vita, publice oſtentant, & exercent; adeo ut, quod *primo* loco memoro, in publicum prodeant collo quaſi erecto, & collari munito, per faſtoſam elationem & graſſationem ſuperbam, cruditate & duritie tanquam veſte toti cooperti ac ornati. Particula לכן *propterea* præmiſſa, & ad ſeq. verſ. 7—9. etiam extendenda, indicat, conſequentia & effecta prava felicitatis improborum repræſentari, & tanquam alteram, etiam præcipuam, cauſam indignationis & æmulationis viri pii conſiderari. Reſpicitur autem hoc verſu ad *collum* erectum & collari munitum, nec non ad *veſtitum*; & *illud* in tumida elatione, *hunc* in cruda violentia eſſe ſitum declaratur, ita ut loco colli erecti & collaris præferant elationem & loco veſtitus crudam violentiam. Adtribuit itaque improbis, proſpera fortuna opum, gloriæ & potentiæ, ebriis, *elationem tumidam*, ſeſe quaquaverſum diffundentem, & *crudam violentiam*, quam exſerit ille tumor, adeoque elationem tumidam violentia graſſantem in alios. Qua ratione duæ hæ voces ſecum apte junguntur. Prior גאה originem habet in *elatione tumida*, unde in malum cum ad animum ſuis opibus & viribus inaniter inflatum, tum ad potentiam ampliſſime provectam & extenſam, tum denique ad vires tumidas in alios violandos ſeu perdendos porrectas & late explicatas, inſtar aquarum exundantium & ſeſe diffundentium, transfertur. De quibus vid. J. W. Schroeder, Vir Clar. *a*. Poſterior vox חמס propriam ſedem tenet in *crudo*, *duro* & *immaturo*; unde ad crudum & ſævum animum, nec non violentas actiones tranſiit *b*. Conſiderat poeta *elationem tumidam* tanquam collum erectum, & torque aut collari cinctum ac horridum, *crudam* vero violentiam tanquam veſtitum &

a ad Pſ. x: 2. *b* Schultens Clav. p. 226, 261 & ad Prov. IV: 17. XXVI: 29.

ornatum, quo toti ſunt circumplicati. Verbum פּוּד proprie adhibetur in *collo erecto altius*, unde *collaris* notio orta eſt; *erectum* vero *collum* ſenſu figurato cum *libertatem*, oppoſite ad collum contractum & jugo preſſum, denotat, ut Deut. XV: 14. ſervo manumiſſo *erectum collum facies e grege tuo*, &c. h. e. largiſſime donatum liberali quoque animo augebis, ut ex ſervo vere ſit liber, & ingenuo præditus animo, *tum* ferociam & ſævitiam deſignat, ut Pſ. LXXV: 6. *ne cornu veſtrum adtollatis, neve loquamini cum collo rancidum.* h. e. cum faſtu & ferocia. Quo etiam *collaris* imago ducit, quod horret multis acuminibus, quale grandioribus canibus ſolet circumdari, ad terrorem procul incutiendum. *Crudam* violentiam vero comparat cum *veſtitu*, totum corpus obvelante, & ornante, quum dicit, *circumplicat veſtitus violentia ipſos.* h. e. violentia tanquam veſtis eos obtegit totos, & arcte cingit. Quo ſignificatur, eos palam exercere violentiam, & in eo eſſe totos, ſimul inde notos & famoſos, nec non eo gloriari, & ornatos cenſere. Qui *veſtitus* ſignificatus figuratus ſatis tritus eſt. Senſus itaque eſt totius verſus, improbos hosce 1. animis eſſe faſtoſis, trucibus & duris, 2. potentia fulgere ampla & terrifica. 3. ſeſe in converſatione et actionibus præſtare tumidos, ſævos, & violentos raptores, ac oppreſſores, 4. ea facinora palam exercere, & ſuper iis gloriari. Conf. Pſ. X.

§. XV. β. *Secundus* articulus, ad eorum *adſpectum & inceſſum* reſpiciens, eos pingit delicatulos, protervos, contemtores aliorum ac inſidiatores, ſimul omnia repagula, recti & boni normam, transgredientes, præ ſumma proſperitate & vanis cordis imaginationibus, verſ. 7. *Emicant præ pinguedine oculi eorum, transgrediuntur præ imaginationibus cordis*, h. e. ſumma fruentes proſperitate, laute ac delicate viventes, ſimul quævis læta, tuta, & glorioſa animis concipientes, & de ſe ſtatuque ſuo quævis præclara cogitantes, ac præſumentes in perpetuum, lascivos, adrogantes, & contemtores ac inſidiatores aliorum, ſeſe palam exhibent,

hibent, & ſupra omnem humanitatem, omne jus & fas, inſolenter efferunt, & legum divinarum ac humanarum transgreſſores tumidos præſtant ac ſuperbos. *Prius* membrum proprie ſonat, *emicat præ pinguedine oculi eorum*, pro *emicant*, ſtylo orientis, quo verbum ſing. cum nom. plur. conſtrui ſolet, proprie ad hominem ſanum, vegetum, & hilarem reſpicit, cujus oculi *nitent* ac *coruscant*; quod proprie dicit יצא *emicuit*, *nitidus* fuit, & *coruſcavit*. Indicatur itaque, 1. eos læte ac laute agere, omnibus bonis abundare, ſanos & nitidos eſſe, adeo ut *præ pinguedine oculi coruſcent*; 2. hujus ipſius felicitatis ergo eſſe ſuperbos ac inſolentes, lascivos & petulantes, adrogantes & audaces, denique aliorum contemtores & inſultatores. Quas omnes cogitationes ſuggerit *oculorum emicatio*, in malum ſumta; ut hic fit. Quod facile cernitur. *Poſterius* membrum, ad *inceſſum* eorum reſpiciens, verti, *transgrediuntur* præ *imaginationibus cordis*, vocula מ pro מן *præ* ex præced. מחלב repetita, & per concurrentiam ſimilis litteræ in משכיות, ut ſæpe alias, abſorpta: qua ratione præcedenti membro aptius reſpondet, & ſenſum fundit facilem; ab omnibus non perſpectum. Vox משכיות denotat *figuras* ſpectabiles, imagines, ſive externas, ſive internas in animo, ut hic & Prov. XVIII: 11., a שכה *ſimilitudinem retulit obſcuram a*. Sunt autem *imaginationes* cordis vanæ & ſuperbæ cogitationes, præſumtiones, & exſpectationes, quas de ſe & ſtatu ſuo ſibi temere formant improbi, quibusque innituntur & ſe decipiunt. Conf. Prov. XVIII: 11. *Præ illis*, ſeu earum cauſa, itaque *transgrediuntur*; proprie æſtuantes & intumeſcentes, inſtar aquarum inundantium, ſeſe in quævis facinora diffundunt, per omne jus ac fas perrumpentes, magnifice, ſceleſte & temere graſſantes. Quæ omnia genuina verbi עבר poteſtas, in *tumido* ſeu fluvio intumeſcente, ac altius ſe efferente, ſita, & uſitata ſignificatio, quæ & *transgreſſionem* legis, et hoſtilem invaſionem, comprehendit, facile exhibet.

§. XVI. γ. *Tertius* articulus, ad verba & ſermones eo-

a Schultens ad Job. XXXVIII: 36.

rum

rum pertinens, ita habet, verſ. 8, 9. *Purulenti crepant & loquuntur maligne, injuſtitiam*, vel inſolentiam, *ex alto loquuntur; ponunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum graſſatur in terra.* h. e. verba in Deum & homines injurioſa, ac calumnioſa, temere ac ſuperbe effutiunt, fœtoremque ſuum, inſtar radicis purulentæ, aut ulceris crepantis, palam ſpargunt. Ad quorum intellectum, quem Interpretes minus recte expediverunt, ante omnia notandum eſt, *duas* eſſe *partes* orationis, quæ præcedunt, & *totidem* quæ ſubjunguntur, ea ratione ordinatas, & ad ſe invicem relatas, ut ſubjuncta *prior* respondeat proxime præcedenti, *poſterior* remotiori. Quam regulam egregie illuſtravit Cl. Iken *a*. Respondent itaque ſibi, *purulenti crepant, & loquuntur maligne*, ac *lingua eorum graſſatur in terra*, nec non, *inſolentiam loquuntur ex alto*, ac, *ponunt os ſuum in cœlum.* Adeoque *prius* verſ. 8. & *poſterius* verſ. 9. membrum ad homines, & *poſterius* verſ. 8. ac *prius* verſ. 9. ad Deum respicit; quorum *duo* priora maligna & contumelioſa dicta in proximum, *duo* poſteriora ejusmodi in Deum continent. Quæ vera clavis eſt verum pandendi verborum intellectum. *Duo* priora ſunt, *purulenti crepant & loquuntur maligne, lingua eorum graſſatur in terra;* quæ itaque ſe mutuo explicant & illuſtrant. *Crepare* eorum & *loqui maligne* in eo ſitum eſt, *quod lingua eorum graſſetur in terra.* Prius membrum eſt, *purulenti crepant & loquuntur maligne*, h. e. inſtar ulceris crepantis ex intima corruptione effutiunt verba pura puta mala, injurioſa, calumnioſa, futilia & mendacia. Nihil hic difficile, niſi in verbo ימיקו, quod reddidi, *purulenti crepant;* altera enim phraſis, *loqui in malum*, ut proprie ſonat, faciles præbet intellectus, dicit mala maligne loqui; animo itaque ex pravo & maligno proferre falſa, injurioſa & noxia proximo, ſive in judicio, ſive extra illud; ad quod utrumque ſe referri patitur verbum דבר; uti Jer. v: 28. *verba mala*, de iniquis & malignis litibus & judiciis ſumuntur. Sed quid eſt ימיקו? Interpretes varie inſtituunt, quos mitto; mihi hic aqua non hæret. Radices

a Diſſ. Philol. Theol. VII.

מקק & מוק, quarum alterutra hic est admittenda, perinde quænam, si enim מקק erit in Hiph., & *crepare facere*, scilicet ulcus suum intestinum, dicit, si מוק erit *crepare*, ulcere suo sese effundente; radices, inquam, illæ proprie signant *fissionem* & *crepationem* longius fusam, sedemque occupant in ulceribus purulentis, quæ fissa, præ copia mali succi, *crepant*, & sonum מק *mak* edunt; a quo ipso sono formatæ sunt: ita מק quoque adpellatur radix purulenta, malo succo plena, quæ crepat & dissilit, ac teterrimam suam corruptionem ostendit. Nihil autem aptius est hoc verbo, ut facile cernitur, ad latentem in animo fœtidam corruptionem, indeque orta verba putrida, prava, & maligna, exprimenda. Unde etiam ortus est usus *irridendi*, & *subsannandi*, apud Chald. & Syr., quem hic adplicuit *de Dieu*, minus restricte & tenuiter. Alia Metaph. eodem sensu, Ps. v: 10, 11. Psaltes de improbis in hæc verba loquitur: *quia nihil in ore ejus recti inest, medium eorum vasta inania, guttur ipsorum sepulchrum apertum, linguam suam glabram faciunt.* Ne autem hic ancipites hæreremus, addit mox poeta, explicationis ergo, *loquuntur malum*, vel *maligne*; ex quo clare elucescit, *purulentum crepare* hic ad sermones putridos & pravos esse referendum. Huic vero membro respondet posterius vers. seq. his verbis, & *lingua eorum grassatur in terra*, scilicet, obtrectando, maledicendo, & insultando, in aliorum contumeliam & perniciem. Quod Ps. xv: 3. *incedere super lingua sua* dicitur, & Prov. vi: 12. *ambulare tortuositatem oris*; adeoque instar grassatoris, & latrocinia exercentis publica. Quam emphasin adfert verbum הלך *a*.

§. XVII. *Posterius* vero vers. 8. membrum, cui *prius* vers. seq. convenit, his verbis effertur: *injustitiam ex alto loquuntur*, h. e. superbe & imperiose proferunt dicta profana, insolentia, in Deum & religionem injuriosa. Quod Ps. lxxv: 6. est, *efferre in altum cornu, & loqui cum collo erecto durum & rancidum*: ubi עתק dicitur, quod hic עשק, quod a *vetustate* transiit ad *durum*, intractabile, & *rancidum*, dicit-

a Schultens ad Job. i: 7. & Prov. vi. 11.

dicitque verba putida, insolentia, & contumelioſa: quo verbo in ſimili caſu alibi utitur Script. uti 1 Sam. II: 3. Pſ. XXXI: 19. XCIV: 4. Unde videri poſſet, noſtrum פּשׁע, per litterarum ש & ס permutationem, hic quoque eſſe pro פּסע; cujus uſus in hoc caſu ſolet eſſe frequentior. Sed retineri quoque poteſt vocis פּשׁע ſignificatus, quo ſummam denotat *injuſtitiam*, & *inſolentiam*, ſeſe palam efferentem, & diffundentem, inſtar fluvii tumidi, & omnia inundantis, cui aptatur Job. XL: 23. *ecce* פּשׁע *injuſtus ſæviat fluvius*, &c. ubi vid. Schultens: uſurpatur quoque Jeſ. LIX: 13. de ſermonibus inſolentibus & rebellibus in Deum; uti hic. Pertinere enim non ad verba injuſtitiæ & oppreſſionis in homines, ſed in Deum, ſequentia demonſtrant, quibus *os ſuum in cœlum* dicuntur *ponere*, nimirum hoſtiliter Deum, ejusque providentiam, leges & ſanctiones, religionemque omnem invadendo: qualem impetum hoſtilem adfert verbum נתן *ponere* uſu ſuo. Quod uberiore non indiget luce. Superest notetur, nos vocem פּשׁע non cum præced., ſed ſeq. conſtruxiſſe, ſecutos Vet. Interpretes, quia cum præced. minus apte & emphatice, cum ſeq. vero recte cohærent, & neceſſario, quia ceteroquin nihil occurreret, quod *locuti fuerint ex alto*, & alibi פּסע locis citatis ita ſumitur.

§. XVIII. 1. *Tertia* pars deductionis *alterum felicitatis*, indeque ortæ inſolentiæ, impiorum conſequens reſpectu ipſorum proborum, & Dei legisque ſtudioſorum, repræſentat, in eo ſitum, quod, ex comparatione miſeræ ſuæ et fortunatæ impiorum ſortis, in dubias & fluctuantes de Dei providentia cogitationes incidant ſubinde, vel periculum ſit, ut eo recidant: quod ipſum indignationem & æmulationem poetæ ſuper hac impiorum felicitate augebat; quemadmodum modo de impiorum prospere agentium inſolentia confeſſus erat: adeo ut hic novam proferat rationem indignationis ſuæ, ex altero conſequente felicitatis impiorum, reſpectu ipſorum piorum fluctuationis, eductam. Qui genuinus conſpectus eſt pericopæ, verſ. 10—14. a

quo

quo nimium aberrarunt, qui de impiis & eorum calumnioſis ac profanis dictis agi verſ. 10, 11., & dein poetam de ſe incipere loqui, contendunt, verſ. 12. Alterum enim & novum conſequens prosperitatis impiorum, & inde natæ inſolentiæ, tradi, ex vocula לכן *propterea*, quæ ſuperiori verſ. 6. reſpondet, manifeſtum eſt; nec non, *pios*, non impios, introduci loquentes, titulus, *populus ejus*, utique *Dei* verſ. 1. memorati, & nexus orationis cum ſeq., quibus pii omnino loquuntur, demonſtrat; denique verſ. 15., ubi ipſe poeta demum ſermonem orditur, & ad modo memoratas piorum dubitationes clare respicit, extra dubium collocat. Duo ſunt pericopæ membra, quorum *a. prius* ipſius populi Dei fluctuationem, ex impiorum felici, & ſua infelici, conditione ortam, in medium adfert, verſ. 10, 11. *b. poſterius* rationes recenſet, quibus fluctuationem ſuam adſtruunt, verſ. 12—14.

§. XIX. *a. Prius* ita ſonat, verſ. 10, 11. *Propterea redibit populus ejus huc*, (vel *redire faciet populum ejus contuſio*,) *quod*, vel *quum*, *aquæ pleni exſugentur ipſis*, *ut dicant*, *quomodo Deus cognoscit? & eſt cognitio Altiſſimo?* h. e. Præter inſolentiam improborum, ex prosperitate ipſorum natam, cujus modo memini, & hoc inprimis alterum ejus conſequens me vehementer cruciat, quod ipſi pii, quum fuerint adflicti & miſeriarum cumulo oppreſſi, ita ut aquæ ipſis largiſſime ſint exprimendæ, exſugendæ, eo deventuri ſint, ut, contuſione retroacti cum pudore & tædio, in Deo injurioſas hasce voces inconſulto erumpant: fieri non poteſt, ſeu vix credibile eſt amplius, ut Deus, altiſſimus & excelſus, longe a nobis remotus, res humanas recognoscat & dirigat. Quæ paraphraſis ut in clariorem lucem prodeat, verba relegemus, & illuſtrabimus. *Propterea* (ſcilicet propter ſupra memoratam improborum prosperitatem, & inde ortam inſolentem ac tyrannicum vivendi, ac loquendi, modum, quod alterum eſt conſequens, me vehementius torquens & irritans:) *propterea redibit populus ejus huc*, vel *redire faciet populum ejus*

contuſio, (h. e. ipſe populus ejus, quem dixi Israeli eſſe bonum, adeoque Dei, ſeu melior ejus pars, Dei & legis ac religionis ſtudioſi, eousque, metus eſt, & præſentiſſimum periculum, ut abrepti & retro-acti recidant, ſive per *contuſionem* ſuam, aut mala continuo tundentia, redigantur. Utramque interpretationem & verba & nexus admittunt; ſenſu fere eodem manente, quem pandit verbum שוב *redire* recte perceptum, ſecundum peculiarem uſum, quo *exitum* & *finem* rei denotat, ut Lat. *res huc rediit*; ſic & de perſonis, huc redierunt, evaſerunt; hunc finem habuerunt & exitum, ſive in bonum, ſive malum. Vid. Pſ. XXII: 6. XCIV: 15. Jer. XXX: 10. in malum vero in ſpecie ſumitur de *retroactione* in bello cum clade ignominia & confuſione. Indicatur itaque, ſtudioſos Dei & legis, in contentione cum impiis retro ceſſuros eſſe pudibundos & victos, ac eo redituros tandem, ut minus ſanas de Deo voces proferant, uti mox traditur. Sed ambiguum quid habet vox מלם, quæ reddi poteſt, vel *huc*, vel *contuſio*, prout pro particula vel voce accipiatur. Particulæ uſum cum habet, non tempus, ſed *locum* vel *rem* ſignat, & *huc* vertitur, ſeu ad hunc locum aut hanc ad rem *a*, (proprie dicit *adpactum*, ita prope, ut quaſi *pangatur*: quod hic adſumi poteſt, hoc ſenſu: *redit populus ejus adpactim*, h. e. eo conditionis adſtrictæ & anguſtæ) quando lectio marg. שוב præferenda erit. Sed pro voce quoque ſumi poteſt, & per *contuſionem* reddi, uti מלם 1 Sam. XIV: 16. cujus radicis primaria vis eſt *pangendi*, *impingendi*, unde *gravius ferire*, impingere ictum, unde *contuſi vino*, Jeſ. XXVIII. proprie compacti, quos vinum ſuis ictibus adliſit & ſtravit; & Prov. XXVIII: 35. *contuderunt me* compotores mei, uvidis me poculis provocantes, magnifice me *dedolarunt*, ac *depoſuerunt vino*; ubi vid. Schultens. Vertendæ ſic ſunt voces *redire ea facit populum* Dei *contuſio*, qua percuſſi ſunt ictibus & plagis, ut verſ. 14. habetur. Commendat interpretationem 1. lectio textualis שיב *redire* facit, quæ requirit nomen, un-

a de Dieu ad Gen. XVI: 13.

de

de *redire* illud ortum eſt, quod eſt *contuſio*: 2. nexus cum proxime ſeq., & *aquæ pleni exſuguntur ipſis*, quæ *contuſionem* illam adferunt; ſicut modo *contuſos vino* habuimus. Ceterum *populus ejus* cum memoratur, manifeſte respicitur ad *Deum* & *Israelem*, verſ. 1. ac theſin ibi poſitam, cui contradicere videbatur *contuſio populi ejus*. Loquitur enim in priore parte Pſ. de Deo in tertia perſona; & recenſet hic difficultates, quæ theſin illam videbantur premere, et poetæ concitaverant æmulationem ſuper improbis. *Populus* vero Dei hoc loco meliorem Israelis partem, ſeu Israelitas eo nomine dignos, denotat, improbis oppoſitos, qui dicere poterant, *mundavimus cor & manus*, verſ. 13. & ſupra verſ. 1. *puri corde* adpellati erant.)

§. XX. Subnectitur ſtatus eorum adflicti deſcriptio, ſive ad *contuſionem* eam explicandam, ſive ad rationem reddendam confuſionis & retroactionis, qua eo redierant, ut voces temerarias effuderint; his verbis, *& aquæ pleni exſugentur ipſis*, (h. e. quia, vel quum, magno calamitatum cumulo, ingente malorum copia, quaſi inebriati ſunt, aut in tantam conjecti triſtitiam, ut lacrymæ ipſis exprimantur, et in potum cedant. Alterutrum, vel utrumque, hic admittendum eſt: audiendi enim non ſunt, qui in bonum ſumunt de bonorum ac deliciarum copia, & ad impios florentes referunt; ſerie orationis illud non ferente, cum de populi Dei adflictione modo erat actum, & mox piorum temerariæ voces exhibeantur. Ambiguum, quod in paraphraſi memoravi, antequam exponam, de vocibus & phraſibus verbo aliquid eſt monendum. *Aquæ pleni*, ut phraſis proprie ſonat, ſunt vel pleni *calicis*, uti alibi plene occurrit, vel *plenitudinis*, adjectivo neutraliter poſito pro abſtracto; quod ab aliis jam eſt obſervatum. *Aquæ pleni* ſunt copioſæ & magno numero, proprie *plenitudinis fartæ*, & bene ſtipatæ; radix enim מלא proprie eſt, *farcire*, *differcire* ad diſtenſionem rei refertæ; & de ſummo rei gradu ac cumulo ſolet uſurpari; uti Jer. IV: 5. XII: 6. Job. XXXVI: 17. Verbum

vero מצץ, מוץ & מיץ, quæ radices fororiæ ſunt, inde enim eſt ימצו, & non, ut alii, a מצא *invenire*, quod facile cernitur, proprie denotat *fricare*, *effricare*, inde fricatione *exprimere*, & ſpeciatim adplicatur *ſuctioni* & *ſorbitioni*, quæ fit *fricto labiorum*; ſic de poculo usque ad fæces exſugendo, & quaſi *effricando*, Jeſ. LI: 17. Pſ. LXXV: 9. Quam utramque ideam, *exprimendi* & *exſugendi*, hic recte locum habere, mox obſervabo. Ambiguum vero, cujus memini, inde oritur, quod *aquæ* intelligi queant, vel ipſis ad potandum præbitæ, vel ipſis expreſſæ & reſorptæ. *Priore* ratione *aquæ* ſignificabunt quævis mala, quæ piis eveniunt, & recipere coacti ſunt, ſive ſint plagæ divinæ, ſive adflictiones hominum. Quo ſenſu *aquæ* ſumuntur, quibus quis immergitur, Jeſ. XLIII: 2. Pſ. LXVI: 12. Commendat quidem hanc interpretationem præcedens vox תלכם *contuſio*, quæ ſpeciatim ad *inebriationem* adplicatur Jeſ. XXVII. Prov. XXIII. locis modo citatis; ſed obſtat parumper, quod *vini turbidi* vel *venenati*, non *aquæ*, emblema hoc in caſu ſoleat adhiberi, ut Jeſ. LII: 17. Jer. XXV. Pſ. LXXV. & alibi; *aquæ* præterea tanquam inundantes & ſuffocantes, quibus quis immergitur, eum ſenſum ferre ſoleant, non quæ epotantur; niſi quis eo referendum velit, quod Pſ. CX: 7. habetur, *de torrente in via bibet*, vel *aquas* turbidas, venenove infectas, aut *amaras*, intelligendas cenſeat; ſicut *aqua* videtur pro *urina* ſumi, Jeſ. I: 22. ubi apud Arab. Sed alter ſenſus forte aptior eſt, quo *aquæ*, lacrymarum intelliguntur, piis expreſſæ, & ab iis pro potu ſumtæ, vel exſuctæ; adeo ut ſummus triſtitiæ gradus emphatice exprimatur: quemadmodum Pſ. LXXX: 6. *feciſti* ut *pane lacrymis vescerentur, & lacrymas plenis cyathis biberent*, & Job. III: 24. *quia ad modum panis mei venit meum ſuſpirium*, & *effunduntur ſicut aquæ rugitus mei*. Concinunt quoque proverbiales formulæ, *comedendum dare panem anxietatis*, & *bibendam aquam anxietatis*, 1 Reg. XXII: 27. Jeſ. XXX: 20. Emphatica hæc & elegans eſt phraſis, ad ſummam anxietatem & triſtitiam exprimendam, qua

qua lacrymæ pleniſſimæ alicui exprimuntur, & expreſſæ reſorbentur, inſtar cibi & potus quotidiani, ut in locis citatis. Quam utramque cogitationem ſuggerit verbum מצה *exprimere* & *exſugere* fricando. Qua ratione cum ſumma calamitas, tum vividus ejus ſenſus, qui hominem extra ſe rapit, & animum *contundit*, ſignificatur, ita ut in querulas ſubinde & temerarias voces erumpat; quemadmodum mox ſequitur. In quibus acquiescimus.)

§. XXI. Sequitur, *& dicunt* (vel *ut dicant*, qui voculæ frequens eſt uſus, ſcilicet, *redit populus* ejus eo, cum calamitate preſſus, & ſummo mœrore adfectus eſt, *ut dicat*, vel *dicant*, voce populi collective ſumta,) *quomodo Deus cognoscit? & eſt ſcientia altiſſimo?* (h. e. fieri vix poteſt, ut Deus rerum humanarum aut cognitionem habeat, aut curam gerat. Poſſunt verſus membra pro ſynonymis haberi, vel ita diſtingui, ut prius de practica, poſterius de theoretica ſcientia, ut adpellatur, capiatur, & ו in ויש *& eſt* pro *aut* ſumatur; ita ut alterutrum videatur ſtatuendum, vel Deum non adtendere, curare, gubernare, præmia ac pœnas dispenſare, quod eſt *cognoſcere* inſtar patris, rectoris & judicis, quo ſenſu *cognoscere* dicitur cum curat, viſitat, & ſe judicem præſtat, uti Gen. XVIII: 21. Exod. II: 25. III: 7. vel Deum rerum noſtrarum laborare ignorantia; quod phraſis proprie indicat, *non eſt ſcientia in Deo.* Cui diſtinctioni recte aptatur nomen Dei, quod hic occurrit, עליון, non eſt ſcientia *in altiſſimo*, quippe nimis a nobis remoto, quam ut per nubes noſtras res videret ac ſciat: uti alibi dicitur. Ceterum, cum dicant, *quomodo*, vel, quod proprie dicit, *ubi hic*, ex אי *ubi*, & כה *hic*, non abſolute & adſeverative negant, ſed dubitanter, & cum inclinatione ad negandum; hoc ſenſu: vix intelligi poteſt, aut credi, Deum *cognoscere* res humanas; fieri enim non poſſet, ut videtur, ſi cognosceret, ut impii adeo floreant, & inſolescant, pii tantopere adfligantur; cum Deus ſit *juſtus* & *bonus*, ſimul potentiſſimus & excelſus, ſupra omnes & omnia eminens.

§. XXII. *b.* Sed quæ ratio tantæ dubitationis, quæ de negatione quid trahit? eam mox addunt, qui hic loquuntur, quæ posterior pericopæ pars est, his verbis, vers. 12—14. *Ecce improbi illi sunt, & tamen defœcate tranquilli, & felices seculi multiplicant opes. Profecto in vanum nitidavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas; & plagis adfectus sum omni die, & castigatio mea singulis matutinis.* Quibus verbis, præmissa adtentionis & admirationis particula *ecce*, ut eo altius demonstrationem superioris dubitationis, tanquam legitimæ, infigerent animis, diversam & oppositam suam & impiorum sortem, horum prosperrimam, suam miseram, repræsentant, & tunc conclusionem formant de inutili, quin noxio, pietatis ac virtutis studio. *Duo* enim sunt, vel *tria*, orationis membra, verbo illustranda, cum parum difficultatis habeant. *a. Primum* impiorum felicissimam conditionem ob oculos ponit vers. 12. *Ecce! illi impii sunt, & tranquilli seculi, augent opes.* h. e. Ecce! adtendite quæso ad hoc, ut, justam esse nostram expostulationem, adpareat, advertite & stupescite: illi ipsi, quorum lineas duxi, vel omnibus noti, simul impii sunt, simul fortunati, & defœcate tranquilli, vel impii, & tamen, nihilominus, felices ac securi, qui opes continuo adhuc multiplicant, & densissime coacervant. Not. 1. *particulam* ו & in שלוי singulari emphasi connectere *impios* & *fortunatos*, quæ admirationem adfert & stuporem; hoc sensu: *impii* sunt & tamen, nihilominus, *fortunati.* Quem usum frequenter habet *a.* 2. Epitheton, שלוי עולם *tranquilli seculi*, summum felicitatis gradum exprimit in hoc seculo. Vox שלום designat felices, tranquillos, & securos, sine malorum sensu, sine cura aut anxietate, in summa rerum copia degentes: proprie radix denotat *liquidum* & *defœcatum*, instar butyri; inde defœcatam & liquidissimam felicitatem, seu abundantiam tranquillam, & securam *b.* Sed tranquilli

seculi

a Schultens ad Prov. XXVIII. 21. *b* Id. Orig. t. II. p. 52.

feculi adpellantur, *cum* quod ſint omnium feliciſſimi in ſeculo, vel mundo, ſuperlativus enim ſæpe deſcribi ſolet per adjectivum cum ſubſtantivo loci, ubi, vel perſonarum, ſuper quas quis eminet, conſtructum; ut *quieti terræ*, *divites populi*, *magni civitatis*, *feroces gentium*, pro quietiſſimis, ditiſſimis, maximis, ferociſſimis, vid. Gejerus; *tum* quod ſint homines hujus ſeculi, et in hac miſeriarum valle feliciſſimi: ſic Pſ. XVII. 14. *homines vel ſocii de terra*, proprie, *ævi* florentis, perennis & fortunati. Quæ vis eſt vocis חלד. 3. Additur, *augent opes*, pro *qui* augent, per ellipſin אשר ſatis frequentem, ut ſignificetur prosper eorum in omnibus ſucceſſus, quo fruuntur in divitiis, potentia & dignitate, multiplicandis. Radix עשר & עשה proprie adfert denſitatem comæ luxurioſam, & in ſe *implicitam*; quæ proprietas eſt radicis in *implicatione* ſita *a*.

§. XXIII. β. *Secundum* membrum longe diverſam et oppoſitam piorum conditionem continet, verſ. 14. prima perſona propoſitam, his verbis: *Et ſum plaga adfectus omni die, & caſtigatio mea matutinis*, ſc. ſingulis præſto eſt. h. e. *Eccel* longe alia mea ſors eſt, licet pietati ſtudeam, plagis caſtigantibus ſum quotidie, et per totum diem, obnoxius, ſive a Deo immittantur, ſive ab hominibus Deo ſinente et dirigente. Nihil hic obſcuri, quod nos moretur; tantum obſervari meretur, 1. cohærere verſum cum verſ. 12., verſu 13*tio* per parentheſin inſerto, de quo mox, et ſortem piorum hic opponi impiorum, adeoque ואהי *& ſum* eſſe emphatice & adverſative, *at ego ſum*, vel eſſe ſoleo; qui ſatis frequens eſt fut. uſus. 2. In poſteriore membro, & *caſtigatio mea matutinis*, eſſe ellipſin verbi היה *eſt*, ex præced. membro, *ego ſum omni die adflictus*, & *caſtigatio mea adeſt matutinis*. 3. Voces *omni die* & *matutinis* ſe invicem illuſtrare, & *quotidie* ſignare, ab ipſo *mane* usque, ſine aliquo intervallo lucido. *Matutinis* eſſe pro ſingulis matutinis temporibus, facile patet. 4. Reſpondent quoque ſibi, & lucem foenerantur, *plaga adfectus ſum*, & *caſtigatio mea* eſt,

a Id. ad Job. VIII. 7. & Har. conſ. VI. p. 237.

eſt: indicatur enim adflictio divina, ad convincendum & redarguendum peccata; quæ notio eſt vocis יכח a rad., quæ proprie eſt *candicavit*, inde in Hiph. *fecit ut candicaret aliquid*; h. e. clare evicit, demonſtravit, & caſtigavit ad convincendum & emendandum: quod reſpondet Lat. *arguere a.*

§. XXIV. γ. *Tertium* membrum, præ adfectus concitati vehementia præmiſſum, cum ſubjungi deberet, concluſionem, ex oppoſita hac conditione eruendam, comprehendit, verſ. 13. *Profecto inaniter mundavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas.* h. e. Aliter ex præmiſſis vix concludi poterit, ac vanam eſſe meam pietatem & probitatem; qua & animum & manus meas præſtiti & ſervavi puras a peccato interno & externo, peccata intus averſatus, & extus fugiens. Ubi dicit, ſe *mundaſſe cor ſuum*, proprie *candidaſſe*, et nitidum præſtitiſſe, non abſolutam intelligit et perfectam puritatem, cum ejus reſpectu nemo dicere queat, *candidavi cor meum, nitidus ſum a peccato meo*, Prov. xx: 9. ſed ſinceram, integram, et relativam puritatem animi, per quam quis *purus* eſt *corde*, ut verſ. 1. habuimus. Sed cenſeri quoque poſſet, pium emphatica hac uſum eſſe phraſi, ut indicaret, vel ſummam et perfectam puritatem non liberaturam ab hac adflictione, quia Deus non *adtendit* vel *novit:* ut modo dixerat. Altera phraſis, *lavi in innocentia manus meas*, alibi jam eſt explicita, ad Pſ. xxvi: 6. Reſpicitur ad ritum *abluendi manus* in ſignum innocentiæ, Deut. xxi: 6. et ſenſus eſt, manus ſuas eſſe quam puriſſimas ab omni facinore; in ipſam innocentiam, ut aquam limpidiſſimam, quaſi immerſas *b*, quod alias dicitur *purum eſſe manibus*, Pſ. xxiv. et alibi, hic, ob dictam rationem, fortius exprimitur.

§. XXV. Ceterum ad totam hanc pericopam, qua pii introducuntur confuſi et triſtitia pleni in has voces erumpere, notandum eſt, non indicari, eos a Deo et pietate vere

a Schultens ad Job, v: 17. *b* Schultens ad Job. ix: 30.

re deficere, ita quoque ſentire, et ex animo loqui, ut hic habetur, quod valde abhorret; ſed 1. tale aliquod conſequens, ſi externa rei facies ſpectetur, inde videri legitime deduci poſſe, Deum non advertere res humanas, et fruſtraneum eſſe pietatis ac virtutis ſtudium, in primis ſub oeconomia legali, qua Deus præmia et poenas conſtituit in hac vita dispenſare, 2. metum quoque et periculum eſſe, ne piis ejusmodi cogitata et dicta obrepant, imo 3. eos aliquando in ejusmodi dubitationes et tentationes incidere, quod cum promiſſis et minis Dei ea conciliare nequeant, denique 4. eos in ejusmodi dicta, per nimiam animi triſtitiam et conſternationem, erumpere per modum querelarum et expoſtulationum cum Deo; quas tamen pie et ſubmiſſe effundunt; uti Jer. XII: 1. præmittit propheta, cum Deo hac ipſa de re disceptaturus, *Juſtus tu, Jehova, quum litigabo ad te, veruntamen judicia ediſſeram tecum* &c. Hunc ſcopum & ſenſum eſſe pericopæ, 1. inde etiam confirmatur, quod in fut. loquatur poeta; verſ. 10. *propterea redibit populus ejus eo, ut dicant.* &c. h. e. fieri poteſt, metus eſt, ut eo redeant, videri poſſet, eo redituros eſſe, niſi ipſis hic ſcrupulus eximatur; ut deinceps facit. 2. Præterea ex eo colligi poteſt, quod pios eo venturos dicat, quum profunda triſtitia fuerit animus obrutus; ut ſignificaretur, pios non ſponte & ex animo, ſed commoto nimis adfectu, eo abripi, adeo ut non animi ſenſa, ſed adfectuum motus exprimant; uti Jobum ſæpe feciſſe conſtat. 3. Indicat denique poeta in ſeq., ſe hæc piis non in ore dediſſe, acſi vere ita ſentirent, ſed ut difficultatem rei augeret, &, nodum vindice dignum eſſe, inſinuaret.

§. XXVI. *b.* Fluctuationem ſuam propoſitam, & deductam, repetit & exaggerat poeta ex difficultate eam expediendi, & nodum hunc ſolvendi, cum ſine impietate negari nequeat, pios Deo curæ cordique eſſe, ipſumque cognoſcere & curare res humanas: hinc enim difficultas præcipue nascebatur, qua ratione, poſita Providentia, impiis poſſit

esse bene, & piis male. Rejicit itaque poeta male sanam opinionem de nulla providentia, &, hac admissa, confitetur, sibi molestiam creasse sortem piorum infelicem & impiorum prosperam. Quæ duæ partes sunt exaggerationis, vers. 15, 16. *Si dicam, subductis calculis concludam secundum hæc, ecce! erga generationem filiorum tuorum perfide me gero. Itaque ratiocinatus sum subtilius ad cognoscendum hoc, molestum & operosum illud fuit in oculis meis.* h. e. Eluctatione me extricare adgressus, haud difficulter quidem percepi, concludendum non esse secundum imprudentes piorum voces, *Deum non cognoscere*, quas ipsis piis non tanquam certam sententiam adtribuo; cum ita causam eorum, qui Deum unquam in mundo coluerunt, & ipsi fiderunt, & nunc faciunt, perfide proderem, & me iniquum ipsis præherem; nec tamen ratiociniis meis, quam subtiliter institutis, & politis, rem expedire potui: opus illud mihi fuit, & manet, nimis grave, & me delassavit, ita ut sub eo onere fatiscere debuerim. Vertit nunc sermonem ad Deum, uti in seq. instituit, quia hæc verba speciem introductionis ad sequentem sermonem quoque habent. *Duo*, ut dixi, hic adserit, *alterum*, se agnoscere providentiam, *alterum*, quæstionis solutionem ratiociniis suis, ea agnita, fieri superiorem. 1. Removet a se & ipsis piis, quorum voces supra exhibuerat, perversam illam conclusionem, non esse *providentiam*, ratione petita ab injuria perfida filiis Dei facienda per eam conclusionem, vers. 15. *si dico, concludam secundum hæc, ecce! erga generationem filiorum tuorum perfidus sum.* h. e. Quod si mecum, vel in animo meo, dixero; habebo illas voces, *Deum non agnoscere*, pro vera & certa sententia, rationibus bene subductis formata, aut mea aut piorum, quibus eas voces in ore dedi, & tanquam talem veritatem enarrabo, ac in publicum proferam; gravem committerem erga totam filiorum Dei generationem perfidiam, societatem meam cum illis, & nostrorum omnium cum Deo, rumpendo, & prostituendo. Absit itaque, ut ita concin-

concludam, et divulgem; ſit, ſtetque firma, Dei providentia, et peculiaris cura erga pios; quam toto animo agnoſco, et piorum etiam nomine profiteor; quippe quos non introduxi certam ſuam ſententiam proferentes, ſed quid adfectus commotus, quid ſpecies rei externa, quid tentatio, aliquando ipſis extorqueat. Forma orationis, *ſi dicam, calculis ſubductis colligam ſecundum hæc, perfide agerem*, involvit negationem vehementem, cum aliqua indignatione conjunctam; acſi haberetur: abſit longe a me, ut tale quid colligam; quippe quod ſine perfidia in pios non poſſet concludi. Declarat itaque poeta, ſe ita non concludere, & rationem dat negationis, a perfidia ergo pios petitam, quam ita concludendo committeret.

§. XXVII. Relegamus, his præmiſſis, verba, & illuſtremus. *Si dico* (ſcilicet apud animum meum, quod aliis *in corde dicere* exprimitur, ut Pſ. XIV: 1., ſed & abſolute occurrit pro *ſecum* & in *animo* loqui, ut Jer. V: 4. Ponit caſum, ſed ita ut rejectum velit; acſi dixiſſet: quodſi eo inſaniæ venerim, ut tale quid mihi inſinuaverim, & mecum conſtituerim) *calculis ſubductis concludam ſecundum illa* (h. e. ſi hoc mecum dixero, pro certa habebo veritate, eamque in vulgus divulgabo, *Deum non cognoſcere*, eamque piis tanquam talem imputabo. Profert itaque ea, quæ ſuppoſuerat in animo dicta; ſcilicet hæc, *calculis ſubductis concludam & proferam ſecundum hæc*, nimirum modo piorum nomine a me prolata, *quomodo cognoſcit Deus, & eſt ſcientia in altiſſimo?* Eo enim digitum intendit, & vocula כמו *ſicut, ſecundum*, elliptice ac abrupte deſignat, quod plene eſſe כמו הנה *ſicut ſecundum hæc:* uti Ez. XVI: 57. כמו ſumitur & את ſubintelligitur, quæ vocula deficit per ſequentem הנה *ecce* abſorpta; ſicut alibi ad Mal. demonſtravi, haud infrequenter in litteris & vocibus contingere. Vidit de Dieu, הנה *hæc* recte locum habere, ſed ex הנה male punctato eruit, nec fidit conjecturæ; rectius dicitur, fuiſſe omiſſam eam vocem ex concurrentia ſimilium litterarum in הנה *ecce*.

Suppleverunt quoque ſimili ratione Chald. & Syr., ſed verterunt, *ſicut ipſi*, ſcilicet homines, modo memorati, rectius LXX. ὅτως *ſic* reddiderunt. Requirit utique כמו particula *ſicut*, *ſecundum*, aliquid, quocum conſtruatur, nec aptius eo, quod protuli, inveniri poteſt. Verbum vero ספר, quod *narrare* vertitur, alia & majore pollet emphaſi, ex propria *pulveris* poteſtate, quam habet apud Arab., eruenda. Significat itaque proprie *pulverare*, ut ſic dicam, h. e. in pulvere numerare, & quidem accuratius, more Arithmetico; ſolebant enim numeros, & calculos inire in pulvere ſuper tabula vel *abaco*, tenuiter ſparſo. Hinc pro *calculare*, ſeu exacte inquirere, & deliberare ſumitur Pſ. LXVI: 6. nec non ſumma collata *concludere*, denique *enarrare*, a numerando. q. d. numeratim & facta computatione totam rem denarrare. Noſtro loco conjungi poſſunt ſignificationes *calculandi*, *concludendi*, & *denarrandi*; ut ſenſus ſit, deliberatione inſtituta, & ſubductis calculis, concludam & in medium proferam, ſecundum voces modo memoratas, *Deus non cognoſcit*, &c: adeoque pro veritate, bene ponderata, & ipſe habebo, ac pios etiam, quorum memini, habere agnoſcam, ac divulgabo, & aliis inculcabo. Extendit enim hoc dictum ſeſe quoque ad voces piorum, & declarat, eos ita ex animo feciſſe locutos, & cum intima perſuaſione. Quod cum hic rejiciat poeta, a ſe non tantum illud removet, ſed piis quoque denegat, ſeſe ea ratione quaſi corrigens, quod piis has voces in ore dederit; & ſignificans, quod ſupra jam indicavi, piis eas voces fuiſſe extortas magis, quam ex animo prolatas, eosque alias longe ab ea ſententia abeſſe. Loquitur itaque hic & ſuo & piorum illorum nomine; ſicut & modo pios introduxerat, temerarias illas voces, prima perſona uſus, effundentes).

§. XXVIII. Crimen, quod, hoc inſtituendo, committeret, his verbis enunciat: *ecce in generationem filiorum tuorum perfide agerem* (h. e. Univerſo filiorum tuorum coe-

tui

tui, qui fuerunt, ſunt, ac erunt, ſummam facerem injuriam & injuſtitiam, ſummopere nocerem, & meam cum ipſis arctam conjunctionem violarem ac rumperem. Perfidum, occultum, hoſtem & prævaricatorem agere erga filios Dei, ſequentia complectitur, huc pertinentia, 1. ipſis facere injuriam, *partim* ipſis prærogativam filiorum Dei, quibus Deus bene vult, quique ipſum amant & timent, eripiendo, *partim* iis adfingendo impias ſententias contra providentiam Dei. 2. Ipſis valde *nocere*, fidem & ſpem eorum frangendo, & eos in curſu pietatis ac virtutis retardando, nec non fallendo, & falſis ac noxiis opinionibus decipiendo. 3. *Societatem* ſuam cum illis abnegare vel abrumpere; perfidum præſtando apoſtatam, & foedifragum, eorumque partes deſerendo, aut ſaltem contra conjunctionem ſuam cum ipſis, indeque ortam obligationem ſuam, agendo, & cauſam eorum, quæ & Dei eſt, cum ſint ejus *filii*, quam tueri deberem, prodendo. Quæ omnia ex uſu verbi נטר firmare poſſem, ſi neceſſe foret. Tantum obſervetur, pios non ſine emphaſi titulo *filiorum Dei* inſigniri, ut relatio eorum ad Deum, & curæ Dei paternæ erga eos, neceſſitas ac veritas inculcaretur, cui e diametro repugnaret, *Deum non cognoſcere*, non curare eos, & iis bene facere.

§. XXIX. Admiſſa itaque hac providentia, & paterna Dei cura, cum difficultas, ex inæquali impiorum felici ac piorum infelici ſorte nata, e medio tollenda ſit, fatetur poeta, ſibi aquam hæſiſſe, nec ſeſe per ratiocinia ſua expedire potuiſſe, verſ. 16. *Itaque ratiocinatus ſum ſubtilius ad ſciendum hoc; moleſtum fuit & operoſum hoc in oculis meis.* h. e. Experimentum cepi virium mearum; num rationes providentiæ Dei circa impios & pios, illos proſperos, hos miſeros, percipere potuerim, me intra hujus vitæ limites tenendo, absque ut juſtitiæ & bonitati Dei vel minimum decederet; varia formavi ratiocinia, etiam ſubtilius inſtituta, ſed ſenſi me fruſtra laboraſſe, & illud tanquam mihi nimis operoſum & moleſtum relinquere debui, absque ut me

hoc ſcrupulo, tam moleſto, levare potuerim. Declarat *a.* ſe ratiociniis ſuis, ſubtilius quoque ductis, uſum fuiſſe, ad arcanum hoc inveſtigandum; cum dicit, &, vel *itaque*, *ratiocinatus ſum ſubtilius ad ſciendum hoc;* ſcilicet arcanum hoc, & difficile cognitu, quod homines ſemper exercuit, & pios tantopere cruciat, impiis adeo adblanditur, qua ratione Deus impiis adeo favere, & piis ægre facere, videatur, quomodo illud cum virtutibus Dei conciliandum ſit; quænam ſint tam ſingularis & paradoxæ dispenſationis Dei rationes, juſtæ, bonæ, & ſapientes, cum in genere, tum in ſpecie reſpectu ſingulorum hominum, Emphaſin habet vocula זאת *hoc*, quod ſupra memoravi, *hoc* tam paradoxum, & difficile, tam moleſtum, &, ut videtur, noxium pietati ac virtuti: ſumitur enim ſubinde pro graviſſimo crimine aut malo, uti notum eſt, ſerie orationis id exigente. Sed aliam præterea continet pronomen illud demonſtrativum emphaſin, qua rem *ipſam*, *ejusve eſſentiam*, deſignat, uti Job. v: 27. *Ecce* זאת *hoc! inveſtigavimus illud, ſic ſe res habet;* ubi *ecce hoc* idem eſt, *ac ecce rem & veritatem ipſam, ecce quod res ipſa dici mereatur, quodque aliter nec eſt, nec eſſe poteſt;* quæ verba ſunt Cl. Schultens *a.* Ita hoc loco, *ad ſciendum hoc*, eſt, tanquam verum, certum & indubium, idque clare & diſtincte; quod verbo *ſcire* involutum eſt. Uſum ſe, ut ad eam ſcientiam perveniat, dicit *ratiociniis* quibuscunque, & ſubtilibus, undiquaque conquiſitis, ſed ex ſe, & propria ratione, eductis; oppoſite ad *ſanctuaria Dei*, unde meliora hauſit, ut mox declarat. Radix חשב in origine eſt, *polivit*, *perpolivit*, *expolivit;* unde inter alia eſt, cogitare accuratius, & perpendere ratione perpolita, in qua nihil ſcabrum aut inæquale, nec non *ratiocinari* ſubtilius, conſiliis elibratis & perpolitis *a.*

§. XXX. *b.* Addit ſucceſſum irritum, his verbis, *moleſtia*, *ſeu labor oneroſus*, *hoc in oculis meis*, ſcilicet manſit, ut fuit, nihil profeci; ſub hoc labore fatiſcere debui delaſſatus, &

a Schultens ad Prov. XVI: 9.

& relinquere. Radix חמץ a propria *tundendi* poteſtate transiit inter alia ad opus gravius, & delaſſationem ac adflictionem adferens; de quo dixi ad verſ. 5. Indicat itaque, ſe ratiociniis ſuis nihil lucratum eſſe, ſed rem illam ſibi moleſtam manſiſſe, & graviter cruciantem, quam expedire non potuit. Quale quid Eccleſiaſtes etiam alibi fatetur, cap. VIII. fin., quem locum Interpretes huc paſſim contulerunt. Ceterum ratio, quare difficultatem hanc ratiocinia humana ſolvere non potuerint, in eo præcipue quærenda eſt, quod, ſepoſita doctrina de ſtatu futuro poſt mortem, eo tantum collinearint, ut providentiam Dei cum virtutibus juſtitiæ & bonitatis conciliarent in hoc præſente ſeculo; quod fieri non poterat ſecundum dominantem hypotheſin, præmia & poenas hic a Deo diſtribui; adeo ut ſi impii ad tempus florerent, tamen in hac vita quoque tandem puniantur, pii, ſi ad tempus caſtigentur, tamen deinceps a malis liberentur, & ſingularia mala, quæ in morte terminantur, non niſi impios feriant. Hisce admiſſis, omnia ratiocinia tandem recidere debebant in ſupremum ac independens Dei jus & dominium; absque ut cum virtutibus Dei memoratis conciliare potuerint. Secundum hanc hypotheſin disputatum hac de re eſt inter Jobi amicos & Jobum, in libro ejus. Quæ difficultas longe gravior facta eſt per oeconomiam legalem, quæ præmia & poenas in hoc ſeculo comprehendit, ut notum eſt. Quæ omnia ſuſius deduci poſſent, ſi hic locus eſſet.

§. XXXI. β. Sequitur tandem difficultatis ſolutio vera & plena, ex longe alio principio educta, verſ. 17—20. In qua pericopa α. Principium & fons ſolutionis præmittitur, verſ. 17. his verbis: *donec ſacraria Dei intravi, & noviſſimam eorum ſortem diſtincte percepi.* h. e. Eousque ratociniis me fruſtra defatigavi, donec, iis miſſis, arcanam & divinam doctrinam divinitus ex ore Dei hauſi, & noviſſimam hominum ſortem, in futuro ſeculo diſtribuendam, diſtincte percepi. Duo ſunt verſus membra, quorum prius

inſti-

inſtitutionem divinam, & poſterius ejus *argumentum* continet; acſi haberetur: *donec in ſanctuaria Dei admiſſus ibi intellexi noviſſimum eorum.* Repetit itaque ſolutionem quæſtionis difficillimæ a doctrina de noviſſimis impiorum, quam declarat ſe in ſanctuariis Dei didiciſſe. Per *noviſſima* impiorum ſine dubio intelligit, non exitum & ſortem eorum in hoc ſeculo, ſed in futuro. 1. Quia verſ. 4. eos in ſcenam produxerat *usque ad mortem* fortunatos. 2. Judicia Dei in impios in hoc ſeculo non neceſſe habebat in ſanctuario discere, ſed ex ſuperiorum temporum experientia, ac ſolis ratiociniis facile cognoſcere poterat: hic agit de doctrina arcana, in ſanctuariis Dei tantum tradi ſolita, & a Deo ipſo docenda, ut mox dicam. 3. Quia in ſeq. unice agit, ad hanc doctrinam illuſtrandam & in uſus ſuos vertendam, de impiorum exitio, & piorum ſalute, in futuro ſeculo poſt reſurrectionem & judicium ultimum; ut ſuo loco patebit. Hæc *noviſſima* impiorum, in quæ vita ipſorum, morte finita, quam glorioſa etiam & proſpera fuiſſet, tandem exiret miſerrima & pudenda, quæ mox depingit accuratius, declarat ſe *diſtincte intellexiſſe* & *certo:* quam emphaſin adfert verbum בין & הבין, cujus proprietas eſt in re per *medium ſecando*, ſeu fiſſione, & inde diviſione; unde ad intelligentiam interiorem tranſiit, qua acies mentis rem veluti ſecat mediam. Significat itaque, ſe antea quidem aliquid ea de re audiviſſe, & intellexiſſe, ſed confuſe & dubie magis, nunc vero longe certiorem & accuratiorem ejus accepiſſe notitiam, quæ plenam adtulit animi acquieſcentiam. Sed ubi, & unde, hanc doctrinam hauſit? illud his verbis indicat, donec *intravi ſanctuaria Dei.* Quæ metaphorica, vel figurata eſt & myſtica, phraſis, ab ingreſſu Pontificis in ſanctum ſanctorum cum oraculo Urim & Tummim, ad oracula Dei audienda, petita, ut cum uno alterove exiſtimo; licet alii aliter ſtatuere ſoleant. Phraſis *ſanctuaria Dei* nos non tantum eo ducit, verum inſtitutio, ibi hauſta, de alio non patitur cogitare. *Sanctuaria Dei* excellentiſſimum,

&

& proprie ſic dictum, *ſanctuarium* dicunt, in quo Deus præſens eſſe cenſebatur, & unde oracula ſua fundebat, quod eſt *ſanctum ſanctorum*, hic in plur. *ſanctuaria* dictum, ad ejus excellentiam indicandam; qui num. plur. ſatis notus eſt uſus. Hinc phraſis derivata in genere translata eſt ad divinam inſtitutionem internam, externam, immediatam aut mediatam, qua arcana docentur & divina. *Intrare* vero in ea eſt, ſeſe Deo offerre docendum, & ab eo petere inſtitutionem, ſimul media quævis alia adhibere, ad eam acquirendam, quorum præcipuum eo tempore erat *ſcrutinium ſcripturæ*, tunc exſtantis in libris Moſis, quia promiſſa gratiæ & gloriæ Patriarchis facta etiam continebantur, & promiſſis legalibus ac ritibus involuta ſecundum myſticum intellectum exſtabant; adeo *ut in iis vita æterna* quoque reperiri potuerit, Joh. v: 39. præterea inſtitutiones prophetarum in ſcholis, ab ipſis erectis, jam a tempore *Samuelis*, uti notum eſt, in quibus hæc arcana doctrina quoque, ut probabile eſt, fuit tradita. Significat itaque divinus poeta, 1. doctrinam de ſtatu felici vel infelici hominum in ſeculo futuro non quidem vulgatam eſſe & publicam, attamen acquiſitu poſſibilem, ex penitiore Scripturæ inveſtigatione ac illuminatione Spiritus S., ſerio implorata, hauriendam: adeoque in *ſanctuariis Dei* discendam, in quibus oracula ſua fundit Deus, & homines arcanis ſuis inſtruit. 2. ſe ratiociniis ſuis defatigatum hæc adiiſſe ſanctuaria, Scripturas ſcrutando, & a Deo petendo illuminationem, eaque ratione pleniſſime fuiſſe inſtructum, & de veritate hujus rei convictum, ac perſuaſum. 3. Denique eam doctrinam eſſe certiſſimam & aptiſſimam clavem hoc dubium ſolvendi, & omnem difficultatem ac tentationem e medio tollendi: ſicut revera eſt, uti conſtat, nec hic latius deducendum.

§. XXXII. 2. Subjungit mox partem hujus inſtructionis; quam in ſanctuario Dei perceperat, reſpectu impiorum, *cum* quod eorum proſperitas & inſolentia ipſi in primis

crucem fixiſſet, *tum* quod de piorum ſorte felice mox in ſua perſona ſit locuturus. Proponit vero α. hanc infelicem eorum conditionem, in quam exiret omnis illa felicitas, verſ. 18. β. accuratius deducit, & illuſtrat, verſ. 19, 20. α. Propoſitio his ſit verbis, verſ. 18. *Profecto in lubricitatibus inſtabis ipſis, cadere ipſos facis in confragoſa.* h. e. Noviſſimum eorum impiorum, quod in ſanctuario Dei didici, hoc erit; in lubricitatibus verſatos, in quibus nihil eſt ſtabilis & firmi, tu, o Deus! quod certo nunc ſcio, impreſſionem facies, adeo ut in vaſta & confragoſa ac horrida loca incidant, & toti dispereant rupti, omni itaque conſolatione orbi degant in ſumma miſeria. Repræſentantur impii in hac vita, tanquam in *lubricitatibus* poſiti, ubi pedem firmiter figere, & conſiſtere nequeunt, qui hujus vitæ, & omnium ejus bonorum, eſt verus conſpectus: adblandiuntur, & molliа ſeſe præbent, ſed ſunt vana, mendacia, & ad hominem fallendum, ac in ruinam præcipitandum, apta nata. Radix חלק proprietatem habet in *glabro*, *lævigato* & *lubrico*, unde ad *blanditias*, & fallacias, transfertur *a*. Hoc in ſtatu poſitos Deus dicitur *in eos impetum* facturus, ſuis judiciis eos invaſurus; quod hic eſt תשית למו *pones in illos*, h. e. inſtabis illis, & impreſſionem hoſtilem in eos facies. Solet cum *lubricitatibus* conſtrui, & *in locis lubricis eos poſuiſti*; verum rectius & majore cum emphaſi vertitur, *in lubricis invades eos*; quem uſum verbum שים & alibi habet. Pſ. LIII: 7. *undiquaque ponunt contra me*, שמו עלי, ut hic למו, hoſtiliter irruunt. LXXXIII: 13. *inſta ipſis*, impreſſionem in eos fac, שיתם, *inſtar rotæ* &c. ubi vid. dicta Jeſ. XXII: 7. *ponendo ponunt portam verſus*, impetum faciunt. Conſequens hujus divinæ impreſſionis eſt ruina ipſorum, qua *caderent in confragoſa*, ſeu loca deſolata, horrida, ſeu ſtatum fractum, & miſerum. Radix enim שאה proprietatem habet in ſutura cum *fragore rupta b*; unde משאה *fragores* Job. XXXVI:

a Schultens ad Prov. II: 16. & Har. conſ. V. p. 100. *b* Id. clav. p. 333.

XXXVI: 29. hinc ad *vastitatem*, & destructionem confragosam, & similia, transfertur. Indicatur itaque status & locus horridus, vastus, omni bono orbus, & terrificis fragoribus plenus, ubi *fletus oculorum* & *stridor dentium*; qui mox voce בלהות *terrorum* exponitur. Posset etiam radix נשא adsumi, unde *dagesch* in ש remansit, sensu vastandi, a propria notione *tollendi*, unde & ea *decipiendi* fluxit, in vastatione enim omnia *feruntur* & tolluntur, quod Gr. *αἴρειν* dixerunt, unde *ἄρθην*. Emphasin præterea habet verbum נפל *cadere*, quo de loco & statu sublimi ruere præcipitem, & *mori*, significat; adeoque status ipsorum post mortem depingitur voce למשמנות, in quem mortui recidunt. Agitur enim hic, ut ex dictis constat, de misera impiorum sorte post mortem.

§. XXXIII. β. In propositionis deductione α. exaggeratur, per modum stupendæ admirationis, miser eorum status, vers. 19. *Quomodo facti sunt sideratio tanquam momento? rasi, consumti sunt, præ*, vel *ab*, *execrationibus & furiis infernalibus*. h. e. Quanta & quam stupenda est hæc rerum catastrophe! dicere debebunt, qui eam fuerint intuiti, dicent recti & beati ultimo illo die judicii: qui in vita fuerunt felices, potentes, divites, & insolentes, vastati & exsternati jacent, tanquam urente vento pestilente adflati, momento quasi in eum statum per mortem præcipitati; omnibus suis bonis utique spoliati, & violenter inter multos cruciatus abrasi & eradicati sunt, simul consummati & consumti per execrationes divinas, & furias infernales, quibus sine spe restitutionis sunt traditi. Forma orationis est admirantis, & adstupentis impiorum catastrophen; qua poeta introducit rectos ultimo tempore ipsis illudentes, ad miserum eorum statum adgravandum & exaggerandum; dicens: *quomodo facti sunt*, sc. dicent suo tempore, qui viderint, cum admiratione, & ad eorum illusionem; uti Ps. XLIX: 15. ubi de eadem re agitur; *& dominabuntur iis recti mane*. &c. quanta, dicent, hæc rerum catastrophe! quam mirabilis & stupenda. Qui in vita in summo felicitatis fastigio erant collocati, Deum & homines

ſpernebant, illi, momento quaſi, per mortem in ſumme ignominioſum ac miſerrimum præcipitati ſunt ſtatum. Deſcriptio ejus ſtatus 1. proponitur 2. illuſtratur & amplificatur. 1. Proponitur, his verbis; *facti ſunt ſideratio quaſi momento*. h. e. poſt breviſſimi temporis felicitatem momento per mortem inciderunt in ſummam vaſtitatem & conſternationem, judicio divino, tanquam peſtifero & urente vento, e medio ſublati. Vox שׁעה proprie ſignat *ſiderationem* tanquam urente & peſtifero adflatu, unde ad vaſtationem & deſolationem, inſtar eorum quæ uredine jacent vaſtata, nec non ad conſternationem & mentis attonitæ horrorem transfertur, ut verbo notavit Cl. Schultens *a*. *Momento* cum id factum dicitur, vel *quaſi momento*, momentanea felicitas, qua exciderunt, ſimul *mors*, quæ momento ſecum trahit eam miſeriam, indicatur. 2. Illuſtratur propoſitio verbis ſequentibus, *raſi ſunt, conſumti præ*, vel *ab, execrationibus & furiis infernalibus*, h. e. omni ſplendore, omnibus bonis & deliciis, violenter & dolorifice ſpoliati ſunt & conſumti per execrationes divinas, & conſummationem nacti ſunt in furiis infernalibus. Verbum ספה proprie eſt *radere*, vel *everrere*, ſive novacula cutem radente, & vellente, ſive *vento* impetuoſo & raſore, omnia everrente, & diſſipante, ac in perniciem trahente: unde ad violentam omnium bonorum ſpoliationem, excruciationem, & vaſtationem transfertur. De quo vid. Cl. Schultens *b*, qui etiam intranſitivam vim adſtruit, qua dicit *radi*, & *everri*. Additur תמו *conſummati* & *conſumti* ſunt, ut totalis & irreparabilis eorum pernicies fortius adfirmaretur. Sed quid ſibi vult מן בלהות *præ*, vel *ab, execrationibus, ac furiis infernalibus?* hunc enim ſenſum fundit vox בלהות; cujus radix בלה & בהל originem habet in *quatiendo*, unde eſt, quatiendo ſolvit, velut cum jumentum excuſſo fræno ruit, & ſolutum fertur, unde metaph. *feſtinavit præceps*, terram quatiendo celeri gradu, & ad animum translatum ſignat *conſternari*, mente moveri quaſi & excuti. Vox

a Clav. p. 302. & Prov. xxx. 28. *b* Orig. t. 1. cap. 23.

Vox vero תמם adhiberi ſolet de *execrationibus divinis*, quibus quis in malam rem abire jubetur, & mens ſibi excuſſa præceps ruit, & exſternatur *a*, nec non de diris & furiis infernalibus, hominem agitantibus & exterrentibus: ut Job. XVIII: 11. XXIII: 16. quare *terrores* & *furiæ inferni* memorantur, Pſ. XLIX: 15. ubi de eadem re agitur: de quo dixi ad eum Pſ. Vocula מן *ex* exprimit cauſam efficientem ſeu procreantem, ut ſæpe alias, & vel *ab*, vel *præ*, propter, verti debet. Senſus itaque eſt, vel, eos eſſe *per execrationes Dei* raſos & conſumtos, voce ad utrumque verbum præcedens relata, vel eos raſos tanquam turbine impetuoſo, ſpoliatos, excruciatos, ac deſtructos, conſummationem accepiſſe per furias infernales, quibus dediti ſunt, voce cum verbo תמם conſtructa. Quod Pſ. XLIX. dicitur, *cardo eorum ad*, vel *inter*, *furias infernales*, quibus adfixi hærent & circumgyrantur inſtar cardinis. Utrumque ad pleniorem intellectum conjungi poteſt.

§. XXXIV. *b. Tempus*, quo miſer eorum ſtatus in publicam daretur notitiam, quæ altera pars deductionis eſt, his verbis exponitur, verſ. 20. *Sicut ſomnium poſt evigilare, ita, Domine! in ſuscitare imaginem eorum contemtim tractabis.* h. e. Sicut ſomnium, poſtquam ſomno excuſſo quis evigilaverit, tanquam res nihili ſpernitur, & ſomnians ſpe ſua deluſus proſtituitur, ita omnis impiorum felicitas, qua tanquam ſomniantes in hac vita ſe oblectarunt & extulerunt, adparebit, & ſpernetur, tanquam res imaginaria, pura puta imago nocturna, & ipſi contemtiſſime tractabuntur, quo tempore Deus ſe ad judicium, quo cuique reddit ſecundum opera, excitaverit, & homines ex ſomno mortis ſuscitaverit, ac vanam iis excuſſerit de ſe & ſtatu ſuo opinionem imaginariam. Quæ paraphraſis ut illuſtretur & demonſtretur, 1. notandum eſt, verba continere protaſin & apodoſin, vel ſimilitudinem & ejus adplicationem; *protaſin* his verbis, *ſicut ſomnium poſt evigilare*, *apodoſin* autem ſeq.

a Schultens ad Prov. XXVIII: 22.

Domine! in fastitate spernes imaginem eorum; vocula comparationis per ellipsin suppressa; quae superiori *sicut* respondet, ut plene sit, *sicut somnium* — — ita, *Domine!* — quod est facillimum, probe tamen observandum, ad verum sensum percipiendum. 2. Prius membrum, quo similitudo proponitur, incompletum est, ex seq. membro supplendum, hac ratione: *sicut somnium post evigilare spernitur*; quod quoque est in facili: cum enim in altero membro habeatur, imaginem seu visionem nocturnam somniantis *sperni* & contemtui exponi a Deo; facillime colligitur, idem verbum *spernendi* in priore membro esse intelligendum, & suppliendum: accedit, protasin ceteroquin esse incompletam. Sensus vero est, *somnium post evigilare* levere tanquam rem nihili contemni, & somniantem pudore confundi, tanquam imaginaria sua delectatione privatum, & delusum. Conf. Jes. XXIX: 7. Job. XX: 8. ne alia proferam similia. Proprie quidem habetur *ab* vel *ex evigilare*, sed o hic esse *post*, postquam, satis tritum est & vulgatum.

§. XXXV. 3 Apodosis, seu adplicatio similitudinis, non directe & simpliciter, sed cum aliqua variatione traditur, ac oblique, sermone ad Deum verso; non dicitur, *ita* forma eorum imaginaria post evigilare eorum spernetur, *sed tu, Domine, in excitare spernes eorum imaginem.* h. e. Quum excitaveris te, & resuscitaveris alios, ad judicium, contemtim tractabis imaginem eorum, qua in hac vita tanquam somniantes fuerunt conspicui, & se oblectarunt. Respondent itaque sibi voces, *forma eorum* & *somnium*, nec non verba, *post evigilare*, & *in excitare*; sed loco *spernitur* habetur, sermone ad Deum flexo, *spernes*, Domine! & pro *post evigilare* occurrit, Domine *in excitare*, quod paulo generalius est, & ampliorem fundit sensum. Adloquitur poeta Deum, quem adpellat *Dominum*, ad jus & potestatem ejus in omnia non tantum significandum, sed in specie, ut eum tanquam *judicem* supremum sistat, qui summus est *pen-*

sator,

sator, qui omnia ponderat, & examinat, & ita decidit ac judicat. Quam vim continet דון, unde cum א servili אָדוֹן, et sic אָדוֹן, de quo dixi ad Mal. 1. Declarat, Deum, qua talem, *spreturum esse imaginem ipsorum* (impiorum) *in excitare* h. e. imaginariam impiorum gloriam, potentiam & felicitatem, qua sese instar somniantium in hoc seculo delectarunt, & superbierunt, esse a supremo judice nullius non tantum faciendam in judicio, sed & cum statu pudendo & contemtibili commutandam, ita ut ipsi pudore confundantur, & crucientur, ac aliis sint contemtui; illudque futurum, quo tempore universalis futura est & omnigena *excitatio*, & Dei ad judicium exercendum, & hominum ex morte ac somno, ut singuli propriam suam sortem consequantur, & experiantur.

§. XXXVI. Continent verba cum *sortem* impiorum infelicem & pudendam, tum temporis & modi, quo efficeretur, definitionem. *α. Prius* his verbis, Domine, *spernes imaginem ipsorum.* Cum in protasi fuerit *somnii* facta mentio, *imago* oportet ad imaginarias somniantium species & visiones, evanidas illas & illusorias, referatur, adeoque *impiorum imago* sit splendida illa forma & figura, fortunata species, & beata, quam inter homines prætulerunt, & in qua se oblectarunt, ac fastuose incesserunt, in oculis suis felices & beati, quamque secum tulerunt in sepulchra, gloriose & splendide decumbentes, ut est Ps. XLIX: 15. ubi impii introducuntur de morte sua loquentes, opposite ad alios homines, *& Adam, qui in gravitate splendida non molliter cubabit, similis est bestiis, quæ exscinduntur*, h. e. intimum eorum est, quo animum pascunt & extollunt, solos divites esse immortales, per nominis perpetuam celebrationem, reliquos mortales a bestiis in morte nihil differre. *Imago* itaque eorum est *cum* species illa externa, quam prætulerunt, *tum* vana & imaginaria eorum cogitatio de felicitate sua, & immortalitate nominis celeberrimi. Quod Ps. XXXIX: 7. *in imagine* vel *umbra magnifice incedere* dicitur

citur; ſed nihil eſt præter ſpeciem nocturnam, ac imaginem dormientium, cum ſomno evaneſcentem, & expergefactum proſtituentem ac cruciantem. Hanc impiorum *imaginem* cum Deus, tanquam ſupremus judex & penſator, *contemtim habiturus* dicitur, *duo* autumaverim ſignificari, *unum*, nullam omnis iſtius ſpeciei habendam eſſe rationem a Judice, non majorem quam expergefactus ſuarum viſionum ſolet; ſecundum eum perſonarum reſpectum non judicaturum, ſed opera eorum unice in cenſum tunc ventura, quæ fecerint aut neglexerint; ipſosque, omni illa fallaci ſpecie nudatos, ſecundum opera eſſe tractandos, quæ eos in morte ſequentur, ut de piis Ap. XIV., non *ſpecies* externa, quam judex *ſpernet*, tanquam ſomniantis illuſionem, qua ſe & alios deceperunt in hac vita: *alterum*, ipſam illam ſpeciem glorioſam & beatam publice proſtituendam, & cum ignominia ac miſeria eſſe commutandam, ita ut & ſibi pudori ſint, & aliis ludibrio. Quod verbo נוה eſt involutum; cujus origo eſt in *trabendo*, ſpeciatim per *terram*, unde *incurſare*, & quaſi pedibus conculcare, ac graviſſima adficere contumelia: quo Lat. *trabere* ac *tractare* etiam flectitur. Senſus itaque eſt, ſplendidam illam ſpeciem verſuram in publicam & ſummam contumeliam, conditionem ſervilem, pudendam & miſeram; ſicut Jeſ. LXVI: 24. *vermis eorum non morietur, ignis eorum non exſtinguetur, & erunt execrationi omni carni.* Conf. Dan. XII: 2. Quo digitus etiam intenditur Pſ. XLIX: 15. *recti ſub pedibus calcabunt eos mane illo.*

§. XXXVII. β. Sed quo *tempore* & *modo* hæc cataſtrophe impiorum fieret? id quod verbo בעיר *in excitare* exprimitur. Sic enim vertendum eſt, & non *in civitate*, ut aliis placet, aut in *fervore excandescentiæ*, ut Cl. Schrœdero *a.* licet hoc ſimul admitti poſſit, ut mox patebit: *excitandi* ſignificatum, ſatis vulgatum, hic retinendum eſſe, ex præced. verbo *evigilandi* in protaſi manifeſtum eſt, cum ei in apo-

a Obſerv. ſel. ad Orig. Hebr. c. II.

apodoſi reſpondeant. Verbum cum abſolute occurrat *in excitare*, h. e. quum excitaverit, ſubjecto excitando non expreſſo, late extendi poteſt ac debet, ita ut & de Deo ſe excitante, & de hominibus excitatis a Deo, capiatur: ſubjungitur enim *Domino*, tanquam *excitatori*, & *imagini nocturnæ impiorum ſpernendæ* præmittitur, ſimul comparatur cum *ſomnio* poſt *evigilare* ſpreto. Senſus hac latitudine itaque erit, Dominum, quum ſe excitaverit & homines mortuos, imaginem impiorum eſſe ſpreturum; & cum indignatione in ira proſtituturum in ultimo judicio. Quod utrumque egregie expreſſit Chald., vertens; *Domine! in die judicii magni, cum fuerint ſuscitati de ſepulchris ſuis, in furore imaginem eorum ſpernes.* Quæ paraphraſis ut in lucem prodeat, 1. verbum עיר, ad *Dominum* relatum, dicet, Dominum ſe excitare ad agendum fervente impetu, in bonum illorum, & malum aliorum, ſuper *illis* æmulando in bonum, & *bis* in malum cum fervore iræ ac excandescentiæ. Radix עיר proprie dicit *fervere*, in Hiph. *fecit effervescere*, excitare ad agendum impetu alacri, & fervido ſpiritu: ſoletque de *impetu bellico* ſumi, & de *æmulatione* fervida in malum non tantum animo hoſtili, unde עיר pro *inimico*, ſed & in bonum, ita ut *æmulari aliquem* & *ſuper aliquo* ſit, ſtylo orientis, alicujus felicitatem fervide promovere. Job. VIII: 6. *In excitare Domini* itaque erit, quum Dominus ſe ad agendum vel judicandum cum zelo iræ in impios, & favoris in pios, excitaverit: quemadmodum Pſ. XXXV: 23. *excita te & evigila ad judicium meum, Deus mi & Domine mi! ad litem meam.* 2. Sed ad homines translatum verbum נעיר deſignabit tempus illud univerſalis *ſuscitationis* ex mortuis, & *in excitare* erit, quum ſuscitaverit mortuos, tunc *imaginem eorum contemtim tractabit*, eam eſſe ſomniantium ſpeciem evanidam demonſtrabit, ſimul ipſis inſinuabit, ut cum pudore & mœrore, fletu & ſtridore dentium, ſeſe vana ſpe lactaſſe, & inaniter extuliſſe, experiantur & agnoscant, inſtar ſomniantium expergefactorum, oppoſite ad illos, qui

cum Davide dicunt, *ſatiabimur imagine tua, quum evigilaverimus.* Pſ. XVII. fin. Quo etiam facit, quod *recti* dicantur *ſub pedibus eos calcaturi mane* illo; Pſ. XLIX: 15. & dies ille judicii ac reſurrectionis *aurora* adpelletur, Jeſ. VIII: 20.

§. XXXVIII. In *Secunda* Pſ. parte poeta expromit propoſitum ſuum *cum* ſeſe condemnandi, quum ſimilis æmulatio ſibi denuo obrepſerit, tanquam ſtupidum & brutum aliquod animal, vera cognitione & ratione orbum, *tum* præterea Deo intime in fide, charitate & ſpe, adhærescendi. v. Prius his verbis profert, verſ. 21, 22. *Quum peracuerit ſibi cor meum, & renibus meis me compunxero, &*, vel *tunc, ego brutus, qui nihil ſciam, magna beſtia ſum tecum*, h. e. Divina hac inſtitutione illuminatus, ſi in poſterum in ſimilem æmulationem & æſtuationem ſuper impiorum felici, & piorum miſera, forte in hoc ſeculo incidero, fateor me ipſum reputaturum et condemnaturum tanquam bardum et ſtupidum, nihil ſcientem, in oculis tuis, qui ſenſualibus tantum rebus et bonis inhiat, et mentem habet obturatam, ratione deſtitutam. Non tam de præſente ſua fluctuatione et æmulatione quam futura loquitur, quare verbis fut. temp. utitur, et conditionate, *quum, quod ſi*, quem uſum hic habet vocula כי *quia*, ut ſæpe alias; cui reſpondet ו *&* verſ. 22. *& ego*, pro *tunc*, quod Gejerus recte notavit. Subjungit quoque hanc confeſſionem inſtitutioni divinæ jam receptæ; adeoque indicat, ſe, tali inſtructione nunc gaviſum, non poſſe non inſtar bruti et ſtupidi cenſeri, ſi animus denuo ita inflammetur, et compungatur, ſuper impiorum felici ſorte. In verbis et phraſibus parum eſt difficilis, quare paucis defungar ad emphaſin illuſtrandam. 1. Animi, et adfectuum, qui per *renes* pinguntur, uti notum, æſtuationem, cum exacerbatione et mœrore conjunctam, emphatice exprimunt verba *ſemet acore inſicere*, ac *acuere & compungere*. Priori radici צרר ineſt ſignificatio partim *aceti*, partim *fermenti*, et met. cordis irritati ac exacerbati tumorem exprimit: ut *ira mihi pectus peracuit*, ac *uxor tota*

eſt

eſt in fermento, apud Plautum. *Poſterior* radix יעו habet *acuendi*, et *contundendi*, poteſtatem; adeoque indignationem & mœrorem cruciantem ſeu compunctionem adfert. 2. *Brutum* quum ſe declarat fore, & *beſtiam*, ſeu, quæ plur. num. vis eſt, inſignem & magnam beſtiam, (niſi quis, quæ elegans eſt Cl. Ruckersfelderi *a* obſervatio, vocem בהמות reddere malit *in æſtuationibus*, ab המם *æſtuavit*, quarum modo meminerat, cui quod obſervo, concinit המה & חמם) ſi ejusmodi cogitationes denuo formet, & pravas induat affectiones, indicat *a.* ſuam inſipientiam & ſtultitiam, qua de Providentia Dei, ejusque rationibus nihil ſani intelligit, ac judicat: quare addit, *brutum, qui non intelligit*, nihil diſtincte & ſani capit & judicat. *b.* Senſuales ſuas cogitationes & adfectiones, quibus res mundanas tantum reſpicit, curat & quærit, ſpiritualium & æternarum plane ignarus, & contemtor. *c.* De ſe & hominibus haud ſecus ac beſtiis, quæ mortuæ intereunt, ſentire; adeoque ſeſe habere & gerere tanquam brutum aliquod animal. 3. Denique, cum dicit, ſe talem *cum Deo* eſſe, ſignificat, ſe erga Deum, talem præſtare & gerere, præterea *coram* Deo & in *oculis* Dei talem haberi debere; ut obſervavit *Gejerus*.

§. XXXIX. 2. *Poſterius* complectitur *a. Fidei* declarationem, verſ. 23, 24. *Et*, vel *at*, *ego jugiter tecum* ero, *prehendiſti manum meam dextram; conſilio tuo duces me, & poſt in gloriam adſumes me.* h. e. longe aliter me tecum geram, ab æmulatione ſuper impiis mihi ſedulo cavens, non tanquam brutum animal me tibi exhibens, tibi in fide & cultu, inde orto, intime adhærescam, ut a te docear, & ducar; certo perſuaſus, te, inſtar doctoris, defenſoris & ductoris, manu mea dextra prehenſa, mihi conſilio tuo adfuturum, meque in omni via mea cuſtoditurum, & ducturum, & tandem in felicem & glorioſum ſtatum ad te in cœlis adſumturum eſſe. Declarat itaque, ſe Deo in fide & pietate adhæſurum, & ſuam perſuaſionem de fideli & ſecuro Dei ductu ejusque felici exitu ſubjungit, oppoſite ad

a Apud Rev. Lette anim. ad V. T. p. 152.

ſuperiorem animi æſtuationem, & inſipientem adfectionem, quæ de homine brutum facit animal; quare ו & in ואני & *ego*, recte vertitur, *at*, *ſed*, e contra, *ego* longe alium me tibi præbebo, & aliter erga te geram, perſonæ meæ et relationi ad Te convenientius: quam emphaſin habet pronomen *ego* expreſſe memoratum. Duo autem profitetur, quid ipſe erga Deum ſit facturus, & quid ſibi a Deo faciendum credat. *Prius* his verbis, *ego tecum jugiter*, ſcilicet *ero*, non enim qualis fuerit, ſed futurus ſit, exponit; quemadmodum mox, qualem credat Deum ſibi futurum eſſe. De quo ex ſcopo & ſerie orationis facile conſtat. Non dicit, *tu meum* jugiter, ſed *ego tecum*, quia qualem ſeſe erga Deum geſſurus ſit declarat; uti mox quid de Deo erga ſe ſibi promittat. Senſus ergo eſt, ſe Deo in fide et pietate ac cultu eſſe adhæſurum; in ipſum, tanquam ſummum et bonum Dominum, credendo, omni dubitatione et fluctuatione excuſſa, ipſumque pie colendo, et celebrando, mente, ſeu meditationibus ſuis, et ore; ut eſt verſ. 28. *Cum Deo eſſe* eſt, ipſi ſeſe in omnibus tenere propinquum, verſ. 28., ipſius partes ſequi & agere; ad ipſius voluntatem, ut eam facias, adtendere; ipſius cultu eſſe occupatum; & quæ ſunt ſimilia: quæ facile extendi poſſunt.

XL. *Poſterius*, quo declarat perſuaſionem ſuam de favore & gubernatione Dei erga ſe, Deo ea ratione adhærescentem, his verbis comprehenſum eſt, verſ. 23, 24. *prehendiſti manum meam dextram, conſilio tuo duces me, & poſt gloriam adſumes me.* h. e. Cum certo mihi perſuadeam, *te prehendiſſe dextram meam*, ſeu te mihi exhibere doctorem, defenſorem & ductorem, dubius eſſe nequeo, quin me in omni caſu ſis tutaturus, & in rectam ac tutam viam ducturus, & ad felicem ac glorioſum finem perducturus poſt mortem. Cum in præt. dicat, *prehendiſti dextram meam*, fidem ſuam in Deum tanquam defenſorem & ductorem ſuum teſtificatur; id quod phraſis met., ut facile conſtat, denotat: conf. Pſ. XVI: 8. Jeſ. XLII: 6. XLV: 1. & alibi, ſimul inſi-

insinuat, tanquam ejus rei specimen, & documentum, se nunc etiam id expertum esse, dum Deus se *vacillantem*, & ad lapsum pronum, vers. 2., non deseruerit, sed firmarit & erexerit, vers. 17. Hinc deducit, Deum se in posterum esse *suo consilio ducturum*, & *in gloriam adsumturum*, h. e. in hac vita sibi consilio & potentia adfuturum, ut eam feliciter finiat, & dein post hanc vitam in glorioſam ac beatam conditionem in coelo translaturum. *Prius* itaque membrum ad *hanc*, posterius ad *futuram* vitam respicit; ut mox demonstrabo. *Prius* habet, Deum *consilio suo* ipsum *ducturum esse*, non tam, licet excluſum nolim, secundum sapientem suam directionem & gubernationem, a Deo decretam, quam continua sua institutione & informatione efficace, per verbum & Spiritum suum ipsum intus & extus docendo, quid agendum sit & omittendum, & in rectum vitæ tenorem ducendo; ipsi *consilium* dando, & efficaciter intimando: ut Pſ. XXXII: 8. *maturum te reddam sapientia ac prudentia, & docebo te viam, quam ambulabis, consulam super te oculo meo. Posterius* habet, *& post gloriam adsumes me*, scilicet in coelum, ad gloriam, post viam absolutam, consequendam. Quem sensum, a nonnullis recte obſervatum, sequentes rationes clare demonstrant, 1. quia considerat hanc adsumtionem tanquam finem & exitum *viæ*, in qua Deus eum consilio suo duxerat. 2. Quia verbum לקח *adsumere* de adsumtione in coelum usurpari solet, ut de Henocho Gen. v., Elia 2 Reg. II., Messia Jeſ. LIII. &c. 3. Quia in Pſ. parallelo XLIX: 16. diserte habetur, *profecto Deus redimet animam meam a potestate inferorum, quia adsumet me*, ubi idem verbum exstat. 4. Quia כבוד *gloria*, absolute posita, id requirit, & alibi ita sumitur, ut Pſ. LXXXIV: 12. *gratiam & gloriam dat Deus.* Prov. III: 35. *gloriam sapientes cernent hæreditatem, & elumbes nobilitat insultio infamiæ.* 5. Denique vox אחר *post* eo nos ducit, maxime si ad אחריתם *novissimum impiorum*, vers. 17., ut probabile est, digitus censeatur intendi; & vertatur, *post ad gloriam adsumes*

me, per ellipſin ב vel ל in כבוד, ut Gejerus & alii, quod facilius eſt. Sic Prov. XX: 17. *intime dulceſcit viro panis fuci*, ואחר *& poſt impletur os ejus gloria. Poſt* quoque pro *die noviſſimo* ſumitur Job. XIX. et apud Arab. ſæpe in *Alcorano.* Sed poſſet *poſt gloriam* quoque conjungi, & verti, *poſt gloriam euntem*, ſeu eam ſectantem; ut ſenſus ſit, & gloriam ac beatitatem æternam in coelis ſectantem, ejusque veſtigiis inſiſtentem, *adſumes me*, ſcilicet, ad eam. Quod Rom. II: 7. eſt, *gloriam & immortalitatem quærere.* Nec longè quæſita eſt ellipſis verbi *ire*, cum in phraſi, *poſt gloriam*, lateat, & ex præced. *ducere* ſponte ſua ſeſe offerat. *Poſt gloriam* ire pro viam ad eam inſiſtere, veſtigia ejus tenere, non eſt quoque remotum aut inſolitum; ita Zach. II: 12. *poſt gloriam miſit me:* ubi vid. dicta.

§. XLI. β. Adjungit mox fidei ſuæ in Deum *amorem* erga ipſum, a vera fide inſeparabilem, quo Dei communionem & cultum pro ſummo ſuo bono, deſideriorum ſuorum unico objecto, in coelo & terra, habet verſ. 25. *Quis mihi in coelis? & tecum nihil volupe habeo in terra.* h. e. quis, quidve in coelo & terra eſt, quod mihi, tua fruenti communione, delectationem adferret, qualem tecum ſentio? nihil profecto eſt in coelo & terra, quo, te poſſidens, & tecum inſtituta comparatione, delector, tuæ communioni omnia in coelo & terra poſtpono, & ejus cauſa cunctis renunciare poſſum. Membra verſus ita ſunt concinnata, ut ſecum non tantum connexa ſint, ſed & ſibi lucem foenerentur, adeo ut plena & cohærens oratio foret: *quis, quidve mihi in coelo & terra tecum, quo æque delector? nihil, nullusve eſt, amoris & oblectationis meæ objectum & cauſa tecum. Prius* membrum, *quis mihi in coelis?* interrogative, & *poſterius* negative expreſſum eſt, quod interrogatio fortiſſimam negationem involvat; adeoque per eam ſit reſpondendum, *non eſt*, ſeu *nullus* & *nihil* eſt. *Prius* membrum *coeli*, *poſterius terræ* meminit, ut utrobique coelum & terra comprehenderetur. Denique *prius* membrum eſt ellipticum

&

& incompletum, quod in posteriore suppletur; adeo ut & *tecum*, & *delector*, ibi mente intelligi debeant; & plene sit: *quis mihi tecum in coelo, quo delector*, vel amoris & oblectationis objectum? Tandem cum in *priore* dicatur, *quis?* in *posteriore* autem *non*, vel *nihil*, amo, aut desidero, eam enim vim אין hic, ut alibi sæpe, habet, qua *nihil* denotat; in utroque membro de *persona* & *re* agitur, ita ut מי *quis* etiam comprehendat מה *quid;* quem usum quoque alibi habet, secus ac nonnullis visum, ut Jer. VI: 10. Jon. I: 8. & alibi.

§. XLII. Quibus admissis, sensus erit facilis & amplissimus, qui huc redit: nullam aut personam aut rem in coelo & terra esse amoris ac delectationis objectum & causam, præter Deum ejusque communionem, aut æque ac Deum, ita ut, comparatione instituta inter Deum & creaturas ac creata omnia, dici debeat, præter Deum nihil amari, aut expeti, nihil adferre delectationem. Verbum חפץ proprie est, *inflexit*, præsertim ex *mollitie*, sicut *cera* mollis inflectitur, unde transiit ad *inclinationem* cum teneritudine adfectus propensionis, in aliqua re sibi complacentis, & in *ea deliciantis*. Phrasis vero, *non complaceo* in aliquo in coelo & terra *tecum*, *duo* significare potest, *alterum* tua gaudens communione, *alterum*, tecum comparatione instituta, vel instar tui, & æque ac te. *Priore* sensu, *tecum* non in terra volo aut delector, est, *tecum* existens non delector in aliquo in terra; uti vers. 23. habuimus, *at ego semper tecum*. Cum Deo autem esse arctam exprimit communionem cum Deo, eamque hoc loco reciprocam, qua & cultum Dei, externum, internum, & favoris ac gratiæ Dei sensum denotat. Hac communione gaudenti declarat, nihil sibi in coelo & terra esse amabile, aut delectabile. Sed *posteriore* sensu *tecum* erit, comparatione tecum instituta, instar *tui*, æque ac *tu*. Quem *comparationis* usum subinde habet particula *cum*, uti constat, & ab aliis observatum est. Quo sensu comparative loqueretur, &, sibi nihil in coelo & terra æque amabile ac delectabile esse ac Deum, declararet.

Ad

Admitto rem ipſam, ſed comparationem non in particula *cum*, verum *&*, pro *ſicut*, quærerem; quia *cum Deo* alio ſenſu modo adhibuerat, ut vidimus. Subſtituatur itaque pro *& tecum*, *ſicut tecum*, præterea conſtruatur cum præced. & ſeq., cuncta fluent prono alveo. *Quis mihi in coelis ſicut tecum;* ſcilicet amoris & oblectationis objectum & cauſa? *ſicut tecum non vel nihil volupe habeo in terra. Sicut tecum* itaque eſt, ſicut tecum eſſe, tua frui communione; ut ſupra habuimus, & ſenſus erit, nihil in coelo ac terra æque oblectare, ac *cum Deo* eſſe. In quo exiſtimaverim acquieſcendum eſſe. Ceterum [a] haud infrequenter inſervit in ſententiis & ſimilitudinibus *comparationi* & *exæquationi*, pro *ita*, vel *ſicut*. Pro *ita* ſæpe in libro Prov. vid. Schultens *a*, ad Prov. XXVI: 9. pro *ſicut* Jer. XI: 10. XII: 14. XXIII: 13, 14, 39. XXXII: 44. & alibi.

§. XLIII. *γ*. Subnectit denique *ſpem* ſuam, ex fide & amore Dei oriundam, verſ. 26. *Abſumta ſit caro mea; &*, vel *at*, *cor meum petra cordis mei*, *& portio mea Deus* eſt, vel es, *in æternum*. h. e. Quæcunque mihi acciderit adflictio, ipſum meum corpus penitus ſit conſumtum; animo tamen non deficiam, ſpem & fiduciam meam non perdam, ſed in Deo me erigam, & animoſus ero; eſt quippe Deus *rupes*, ſeu firmitas immota, cordis mei, & ſors mea hæreditaria, in cujus communione beatus ero in æternum. *Prius* membrum, *conſumta eſt caro mea & cor meum*, varie exponitur, ab aliis de vehemente deſiderio, ab aliis de corporis & animi, ſeu *cordis*, tanquam principii vitalis, defectione, ſive in hac vita, ſive in morte. Sed neutra expoſitio conciliari poteſt cum ſeq., ubi Deus dicitur *rupes cordis ejus*, ne alia memorem incommoda, quibus utraque premitur. Cum Deum mox adpellet *rupem cordis* ſui, de *cordis* defectione cenſeri nequit locutus, ſed contra confeſſus, ſe animoſitatem ſuam, Deo nixum tanquam *rupe*, retinere, etiam in carnis conſumtione, adeo ut ſenſus ſit: conſumta fuerit caro

[a] Ad Prov. XXVI: 9.

caro mea, ad cor tamen meum quod attinet, illud in Deo, tanquam *rupe*, ſtat firmum & immotum; qui etiam eſt, eritque, *ſors* mea in æternum. Dividit itaque verſus ſeſe in *duo* membra, quorum *prius* ſtatum externum adflictionis & mortis, per modum *poſitionis*, depingit, *poſterius* internum animi ſtatum in ea calamitate exhibet. *Prius* his verbis, *conſumta eſt*, vel *ſit*, *caro mea*, h. e. corpus meum, una cum ſtatu meo in hac vita, ejusque relatione ad res hujus ſeculi, penitus ſit e medio ſublatum, & tanquam tabe diffluxerit. Phraſis denotat totalem corporis, & ſtatus hujus vitæ, deſtructionem: ut facile cernitur. Verbum כָּלָה ex origine ſonat *complicuit*, *convolvit*, unde metonymice *complevit*, *conſummavit*, nam complementum ſeu conſummatio rei eſt veluti *complicatio* ejus cenſenda, per quam *abſolvitur*, *perficitur*, & *ultimam* accipit manum *a*. Uſu ſuo de re evaneſcente adhibetur, ut *fumo* Pſ. XXXVII: 20. *nube* Job. VII: 9. in ſpecie de conſumtione *tabis*, uti hoc loco, ubi *carni* adplicatur. Significat itaque totalem corporis deſtructionem, qua tabe ſua mortalitatis diffluit, & perit: ſed præt., *conſumta eſt caro*, hypothetice ſumendum eſt, aut per modum poſitionis, ſive אִם *ſi*, ſive כִּי *quum*, ſubintelligatur; quod poſterius malim.

§. XLIV. *Poſterius* membrum firmitatem & fiduciam cordis in eo ſtatu manſuram, ejusque originem & fundamentum, repræſentat, oppoſite ad *carnis* conſumtionem & defectionem, his verbis, *at cor meum*, *petra cordis mei & portio mea Deus* eſt, vel es, *in æternum*, prout ſermo cenſeatur ad Deum continuare, vel de Deo fieri, per ſubitum orationis flexum; ſubintelligi enim æque poteſt *es*, ac *eſt*; quod tanti non eſt. Declarat vir pius, ſe, corpore deficiente, ſpem & fiduciam ſuam retinere integram, in Deo repoſitam, & ab ipſo ortam, eſſe enim Deum *rupem cordis ſui & portionem* in *æternum*, adeoque in ipſo cor habere ſuam firmitatem, & in ejus communione ſortem ſuam beatam in æ-

a Schultens ad Prov. XVI: 30.

ternum. Quæ nihil habent difficilis. Tantum notetur, vocem, *cor meum*, ſtare ſeorſim, & abſolute ſumi, adeoque idem eſſe, ac quod vero *ad cor meum adtinet*, uti verſ. 28. *& ego*. Quod ſatis uſitatum in Script. S. eſt *a*, etiam apud exoticos *c*, ne alios citem. Ceterum *cor* pro animo, & animoſitate, ac firmitate ejus, ſumi, tralaticium quoque eſt.

§. XLV. *Tertia* & ultima Pſ. pars, per modum concluſionis, diverſam & oppoſitam impiorum & piorum conditionem, *illam* infelicem, *hanc* beatam, complectitur, verſ. 27, 28. *Profecto ecce! longe a Te remoti peribunt, exſcindes omnem fornicatione a Te discedentem: at ego, adpropinquatio Dei mihi bonum eſt, ponere meum in Domino Jehova perfugium meum, ad enarrandum omnia opera tua.* Præmittitur pericopæ כי *quia ecce!* ſeu *profecto ecce*, majoris adſeverationis ergo, & ad adtentionem excitandam; adeoque recte habetur pro *concluſione* Pſ., qua poeta cum adſeveratione tandem theſin repetit, in principio poſitam, verſ. 1., & ſorti impiorum opponit: כי *quia* itaque recte pro particula adſeverativa, ut ſæpe alias, habetur, & *profecto*, *enim vero*, *utique*, vertitur. Continet vero pericopa, א. impiorum miſeram ſortem, verſ. 27. ב. piorum felicem & beatam, verſ. 28.

§. XLVI. א. Prius his verbis, verſ. 27. *longe a te remoti peribunt, exſcindes omnem a te ſcortantem.* Quorum duo ſunt membra, idem fere ſignificantia, niſi quod poſterius ſit reſtrictius, & prioris explicatio. Peccatores & impii in priore membro adpellantur *longinqui a Deo*, in poſteriore *omnis a Deo ſcortans;* in priore dicuntur *perituri*, in poſteriore *exſcindendi* a Deo. *Longinqui Dei* ſunt, qui a vera & ſalutari ſcientia, fide, amore & timore, denique obedientia & cultu, Dei ſunt remoti, & alieni, adeo ut, quod

a Glaſſ. Gr. f. l. III. tr. 1. can. 28. *b* Vid. Doctiſſimi Duumviri Hemſterhuis ad Lucian. contempl. p. 493. & Weſſeling ad Diod. Sic. p. 148.

quod impiis in ore alibi datur, dicant, ſi non verbis, utique re ipſa, *recede a nobis*, *in viis tuis non complacet nobis: quis eſt Deus*, *quod ipſum audiremus* &c. ſicut verbum רחק aliquando *averruncare* denotat, occaſione arrepta ex formula, qua quid cum deteſtatione averruncatur, voce רחק adhibita, q. d. *longe faceſſat* Job. XI: 14. In *poſteriore* membro cum *ſcortantes a Deo* adpellantur, digitus in ſpecie ad eos intenditur, qui, arctiore vinculo Deo obſtricti per foedus, ab eo longius diceſſerant, & ei nuncio miſſo ſeſe aliis Diis ſeu idolis, proprie vel improprie dictis, copulaverant: quales ſunt impii inter Israelitas; adeo ut, quod modo generalius de omnibus improbis dictum erat, nunc ſpecialius ad Judæos idololatras & improbos qualescunque adplicetur, & eorum crimen adgravetur: acſi haberetur; *longinqui a* Deo qualescunque *peribunt*, in ſpecie illi inter eos, qui a Deo fuerint *ſcortati*, vinculum arctius, quo cum Deo colligati erant, rumpentes, & a Deo, tanquam Domino & *mavito* ſuo, ad idola deficientes. Phraſin, *ſcortari a Deo*, eſſe prægnantem, & dicere, a Deo legitimo Domino deficientem ſeſe aliis non Diis copulare, tralaticium eſt, nec uberiore indiget illuſtratione. Tantum notetur, litteralem & proprie dictam idololatriam non tantum intelligi, ſed & Spiritualem, qua quis Deo, ejusque legi & cultui, ſimul renunciat, ſeſeque improbitati & cupiditatibus carnalibus ac ſecularibus addicit &c. Quæ duæ idololatriæ ſpecies paſſim conjunctæ erant, & pari paſſu ambulabant. Videamus nunc de ſorte eorum. In *priore* membro habetur, eos eſſe *perituros*, in *poſteriore*, a Deo eſſe *exſcindendos*, quod poſterius ſicut *prius* explicat, ita gravius malum continet. *Perire* eſt a vera felicitate aberrare, & in perniciem ruere, inſtar ovium diſſipatarum & pereuntium; de quibus hoc verbum, etiam uſu *oberrandi*, *vagandi*, uſurpatur. Senſus itaque eſt, eos a Deo vero paſtore, ejusque tutela & communione, *longe* remotos per inſcitiam voluntariam, & impietatem, veram felicitatem perdituros, & in malam rem

abituros esse. *Posterius* cum perniciei autorem, tum gravius exponit judicium; cum Deus dicitur, eos *excisurus*; proprie graviſſima & lethali plaga adfecturus ad totalem deſtructionem animi & corporis. De quo ſupra diximus ad verſ. 18, 19. Radix proprie denotat, *ſilere*, *conticere*, inde in Pih. & Hiph. ad *ſilentium redigere*, vel ſilente plaga, altiſſime penetrante, perdere & conficere: *ictus* enim ſilens eſt penetrantiſſimus, & lethalis, cum *ſonans* reſiſtat plerumque, nec tam alte penetret.

§. XLVII. 2. De piorum erga Deum longe alia adfectione, & ſtatu beato, in ſua perſona hæc in verba loquitur, verſ. 28. *Et*, vel *at*, *ego*, *propinquitas Dei mihi bonum*, *ponere me in Domino Jehova perfugium meum*, *ad enarrandum omnia opera tua.* Cum ſe impiis opponat, ו in וְ & *ego*, recte verti *at*, vel *ſed*, facile patet, nec emphaſi caret illud, *& ego*, abſolute poſitum, pro *ad me quod adtinet*, ut ſupra verſ. 26. obſervavi; indicat enim, ſe intimas ſuas cogitationes, & fixum, ac bene ponderatum, judicium proferre. Declarat autem, ſe in eo verum & ſummum ſuum bonum, in hac & futura vita, collocare, quod Deo prope adhæreſcat, in eo ſuum quærat perfugium, & opera Dei perſcrutetur, ac enarret & celebret. Etſi enim voces, *mihi bonum eſt*, ſubnectantur *adpropinquationi Dei*, porrigunt tamen ſeſe etiam ad ſequentia, quibus præmiſſæ ſunt; quemadmodum ſæpe alias cum præced. et ſeq. conſtruuntur voces; ut ſæpe obſervavi, et nuper ad Mal. adſtruxi variis exemplis. *Tria* itaque memorat ſibi maxime jucunda et ſalutaria, quin abſolute et ſumme *bonum*, in hoc et futuro ſeculo, 1. *adpropinquationem Dei*, nim. in fide et amore Dei, utriusque exercitio Deum contemplando, colendo et omni modo glorificando, oppoſite ad *longinquum a Deo eſſe*, *& ab ipſo ſcortari*, verſ. 27. Active enim ſumi debet pro *adpropinquatione* hominis Deo, et non Dei homini, licet cohæreat hæc cum illa; ut eſt Jac. IV: 8. *adpropinquate Deo*, *& adpropinquabit vobis.* Conf. etiam Jeſ. LVIII. 2. *delectantur*

tur adpropinquatione mei. Supra verſ. 23—25., hanc fidem & charitatem, cum utriusque exercitio, fuſius expoſuerat, & nos explanavimus; quare plura non addam. 2. *Ponere in Domino Jehova perfugium:* quod ad ſpem, fiduciam, & certam exſpectationem conſervationis, & ſalutis, verſ. 26. memoratam, pertinet; nec uberiore luce quoque indiget. 3. Denique ſubjungit, *ad enarrandum opera tua omnia:* quibus LXX. ſubſtituerunt verba ex Pſ. IX: 15., ut recte Muis & Capp. Crit. *a*, deſumta, *ut annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Tſionis:* quæ pro additamento Interpretum, non variante lectione, habenda eſſe, facile adparet. *Omnia opera Dei* cum memorantur, ſine reſtrictione intelligendum eſt de operibus vere Divinis in natura et gratia; eorumque variis *dispenſationibus*, quas *oeconomias* adpellamus: eas *enarrare* eſt, cum mente calculare, tum ore ordine recenſere; quod utrumque verbo ספר eſt involutum. Ceterum לספר *ad enarrandum*, vel eſt ſimpliciter *enarrare*, et ad *bonam mihi* eſt referendum, ut reliqua duo præcedentia, vel tanquam fructus et conſequens *adpropinquationis Dei*, ac ponere in Deo perfugium, ſive fidei, charitatis, et ſpei, conſideratur: quando *ad* idem erit ac *ut;* et conſequens ac fructum dicit, uti ſæpe alias.

a p. 93.

PSALM. LXXIV.

1. *Carmen maturans*, seu *ſapientem & felicem reddens*, *Aſaphi. Quare, o Deus! averſatus es? in purum putum*, seu *plene & perpetuo, fumabit naſus tuus in oves pascui tui?*
2. *Recordare coetus tui, quem acquiſiviſti olim, redemiſti, virgæ hæreditatis tuæ, montis Tſionis hujusce, quem inhabitaſti.*
3. *Adtolle greſſus tuos ad vaſtitates puras putas. Univerſum quaſſavit hoſtis in ſancto.*
4. *Boarunt infenſiſſimi tui hoſtes in medio conventuum tuorum, poſuerunt ſigna eorum ſigna.*
5. *Innoteſcet, ſicut qui infert ſuperne in perplexum arboreti ſecures,*
6. *Et*, vel *quod, nunc cælaturas ejus*, vel *Jab, pariter in pactore & malleis contundent.*
7. *Miſerunt in ignem ſanctuaria tua, in terram profanarunt habitaculum nominis tui.*
8. *Dicunt apud animum ſuum, eradicabimus eos uniter, combuſſerunt*, vel *ut ceſſent, omnes conventus Dei in terra.*
9. *Signa noſtra non videmus, non eſt amplius propheta, nec nobiscum ſciens, quousque.*
10. *Quousque probro deſtringet, Deus! hoſtis? feroci niſu fugabit nomen tuum inimicus? an in purum putum?*
11. *Quare reduceres manum tuam, & dextram tuam, e medio in ſinum tuum ad conſummationem?*
12. *Itaque Deus, rex mi ab antiquo, liberationes perficiens in medio terræ.*

13. (*Tu*

13. (*Tu æſtuare feciſti ac incidiſti robore tuo mare, confregiſti capita cetorum ſuper aquis.*
14. *Tu tundendo contriviſti capita Leviathanis, dediſti ipſum populo in cibum. Aridis*
15. *Tu fidiſti fontem & torrentem, Tu arefeciſti flumina perennitatis.*
16. *Tibi dies, etiam Tibi nox; Tu continuo & firmo ordine diſpoſuiſti luminare & ſolem.*
17. *Tu conſtituiſti omnes terminos terræ; æſtatem & hyemem Tu formaſti*).
18. *Recordare hujus: inimicus probro deſtringit Jehovam, & populus flagitioſe ſtultus feroci niſu fugat nomen tuum.*
19. *Ne tradas catervæ feræ animæ*, vel *voraci*, *turturem tuum; catervæ humilium tuorum ne obliviscaris in purum putum.*
20. *Acri oculo intuere fœdus; quia plena ſunt violentia tenebricoſa terræ, manſionesque.*
21. *Ne adtritus ignominia fractus redeat, adflictus*, ſeu *humilis, & pauper jubilis laudabunt nomen tuum.*
22. *Surge, Deus! litiga litem tuam, recordare opprobrii tui a mihi ſtulto omni die.*
23. *Ne obliviscaris vocis hoſtium tuorum, ſtrepitus inſurgentium in te æſtuantis jugiter.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt, populi Dei, ab ipſo redemti & in peculium adſerti, ſimul Dei & religionis ſtudioſi, nunc vero ſingulari Dei judicio, iræ ejus ſigna præferente, tra-

traditi in manus hoſtium truculentorum, & Dei æque ac populi inimicorum, graviſſimaque calamitate, in totalem populi exſtirpationem exitura, oppreſſi in ipſa terra Cananæa, qua, religionis cultu abolito, & cum idololatrico commutato, populus a totali deſtructione prope aberat, querula & ardentiſſima *precatio*, ad Deum, paſtorem, patronum & ſervatorem ſuum, ab antiquis temporibus, directa, qua ſupplices petunt, ut Deus iram remittat, rationem fœderis & relationum ſuarum ad Deum habeat, vaſtationes & miſerias ſuas præſentes, & mox futuras, ad animum revocet, hoſtium horrendas inſultationes, Deo ipſi, ejusque præclaris & ſtupendis operationibus in gratiam quoque populi factis, ſumme contumelioſas, amplius ſusque deque non habeat, denique hoſtes reprimat, et populum tenuem, et viribus deſtitutum, ſeſe hoſtibus opponentem, et ad liberationem ſuam efficiendam ſeſe adcingentem, potente manu adjuvet, ac in libertatem vindicet, ut Deum celebrandi habeat occaſionem. Incipit populus cum deprecatione iræ Dei in ſe accenſæ, ratione ducta ab arcta ejus ad Deum relatione; dein Deum excitat ad miſerabilem ſtatum ſuum prope inſpiciendum; cujus lineas fortioribus coloribus depingit, cum præſentis calamitatis reſpectu, qua ſacra erant abolita, tum mox futuræ, qua actum foret de toto populo: hinc ſeſe vertit ad horrendam hoſtium inſultationem, Deo et religioni factam, deſcribendam, quam ex conſideratione ſummæ Dei majeſtatis et potentiæ, multis ſtupendis facinoribus demonſtratæ, exaggerat, ut Deo non amplius ferendam eſſe urgeat. Denique preces fundit pro illis, qui cauſam Dei agere adgreſſi erant, ut Deus ipſis vires ſufficiat, & triumphabundos redire faciat ad Deum glorificandum, hoſtibus proſtratis.

§. II. Quod argumentum ut in vero ſuo lumine collocetur, *characteres* quidam ex Pſ. eruendi ſunt, quorum alii ad populum, ejusque qualitates & ſtatum religioſum, qui hic introducitur loquens, pertinent, alii ejus adflictionem definiunt,

niunt, alii hoſtium lineas ducunt, alii denique ad eos de populo reſpiciunt, qui ſeſe hoſtibus opponebant. Quos omnes ordine recenſebo. *α.* Quod ad populum, ejusque ſtatum in genere, adtinet *a.* indubium eſt, populum *Judæum* hic in ſcenam produci. 1. Quod a Deo *olim* in hæreditariam poſſeſſionem redemtus & acquiſitus occurrat, cujus rex ab antiquo fuit Deus, verſ. 11, 12. 2. Montis Tſionis, tanquam ſedis Dei, fiat mentio, verſ. 2. 3. Quod *ſanctuarium* ab hoſtibus violatum, verſ. 3, 4. & *habitaculum* nominis Dei, cum omnibus per terram locis religioſis, comburendum dicatur, verſ. 7, 8. 4. Denique, quod ſigna & prophetæ ipſi adtribuantur, quorum defectu nunc laborabat, verſ. 9. *b.* Nec illud a vero abhorret, populum fuiſſe Dei & legis ac religionis ſtudioſum. Venit enim epitheto *ovium pascui Dei*, verſ. 1. & emblema *turturis* ejus, verſ. 19., conqueritur præcipue de ſignis ſuis ſublatis, locis ſacris combuſtis, & nomine Dei per hoſtes blasphemato; verſ. 6—8. 10, 18. præterea indicat, Deum non poſſe adeo irasci populo, ut eum repellat, verſ. 1. *c.* In ſpecie notandum eſt, non unum fuiſſe in Cananæa hoc tempore locum ſacrum Hieroſolymis, ſed plura alia per totam terram, verſ. 8. Si is ſit loci ſenſus. *d.* Nec illud negligendum eſt, caruiſſe populum hoc tempore *prophetis* ordinariis, & proprie dictis, quibus antea ſemper gaviſus erat, verſ. 9. Denique *e.* mihi obſervaſſe videor, in medio populi fuiſſe profanos & improbos, fœderis violatores manifeſtos. Quo verſ. 20. digitum intendi autumaverim, ut ſuo loco patebit: quod etiam pro hypotheſi habet *ira* Dei in *populum accenſa*, verſ. 1.

§. III. *β. Adflictio*, quæ hoc tempore populum oppreſſit, 1. occurrit tanquam *judicium* Dei in populum, & iræ Dei, in eum accenſæ, ſpeciem referens, verſ. 1. 2. ab hoſtibus truculentis, & Deo, ejusque religioni, infeſtis, profecta, ut mox videbimus. 3. In ſanctuario Dei violato, ac ſpoliato, religioſis ſignis abolitis, & idololatricis ſub-

ſtitutis, nec non nomine Jehovæ blasphemato, & piis ad necem quæſitis, ſita. verſ. 3, 4, 9, 10, 18, 19. 4. Acceſſit præſentiſſimum periculum exſtirpationis totius reip. & Eccleſiæ: quam hoſtes in animo habebant, & minabantur, ſimul de ea, tanquam peracta, gloriabantur. Hunc enim exiſtimem verum eſſe conſpectum pericopæ, verſ. 5—8. ſecus ac Interpretibus viſum eſt, qui vaſtationem jam factam ibi deſcribi putant; cum de futura, & mox futura, tantum agatur; uti ex verbo fut. temp. יזר *innotescet*, ſeu conſtabit, divulgabitur, quocum incipit pericopa, verſ. 5. colligi poteſt, & ex verſ. 8. *dicunt in corde ſuo*, &c. manifeſtum eſt. De quo poſtea. Quod probe obſervatum nos ad *tempus*, de quo hic agitur, definiendum ducet. 5. Denique adgravabat adflictionem, quod de *eventu* ex revelatione Dei per prophetam aliquem non conſtarer, verſ. 9. & populus eſſet imbecillis, ac viribus orbus, ad hoſtibus reſiſtendum ſine extraordinario Dei auxilio, verſ. 21. Quod etiam innuitur verſ. 12. &c. 6. Poſtremo notandum eſt, populum hic ſiſti adflictum in Cananæa, & non in exilio, *cum* quod exilii nullum reperiatur indicium, *tum* quod verſ. 9., ubi queritur, *quod ſua ſigna non videat*, indicetur, eum verſari in loco, ubi ea eſſe debebant. Addunt aliqui, idem innui, verſ. 2. ubi *hic mons Tſion* adpellatur; ſed particula מן etiam ab abſente, digito locum monſtrante, poteſt uſurpari, ut Pſ. LXVIII: 9. & alibi.

§. IV. γ. Hoſtium, hujus calamitatis præſentis & futuræ autorum, *characteres* præcipue tres ſeſe offerunt 1. *Primus* eſt, quod fuerint *idololatræ*, verſ. 4. 2. *Secundus*, quod ſævi & truculenti, qui contra jus & fas innocentem populum ad internecionem delere voluerunt, & in eum violenter graſſati ſunt, verſ. 3, 8, 20. 3. *Tertius*, quod Jehovæ Deo Israelis, & ejus populo, qua tali, fuerint ſummo gradu infeſti, qui Jehovam convitiis prosciderunt, ejus cultum exſtirpare voluerunt, & populum Dei penitus de terra delere; ibid. & verſ. 10, 18, 23. Veri itaque perſecutores

ſectatores religionis cauſa. 8. Hisce, ad tempus adflictionis ulterius definiendum, addere liceat, fuiſſe jam in medio populi Dei aliquos, qui ſeſe hoſtibus palam oppoſuerunt, licet paucos, & nullarum fere virium; quo nos ducere videtur verſ. 21. ut ſuo loco patebit.

§. V. Hi characteres cum clariſſime & unice in tempus adflictionis Epiphanicæ conveniant, ut mox in anacriſi videbimus, oportet, vel de *tempore* & *occaſione* Pſ. compoſiti nihil conſtet, vel eo ipſo tempore a viro pio, & divinitus inſpirato, ſit factus. Quod *poſterius*, ſicut nonnullis placet, ita ſeſe eo commendat, quod *prophetici* ſpiritus aullum occurrat indicium, ſed populus hic introducatur precationem ſimpliciter inſtituens, quo tempore adflictio illa vigebat; ipſa calamitas hiſtorice, tanquam præſens, depingatur; oratio quoque emphatica quidem & adfectuoſa, ſed plana & facilis, non ut prophetis in uſu eſt, ſed a præſentibus adhiberi ſolet. Accedit, non deeſſe exempla odarum temporibus Epiphanicis & Maccabaicis factarum; uti a Doctis abunde comprobatum eſt. Accedit, phraſin, *omnes conventus Dei in terra*, verſ. 8., qua loca ſacris dedicata per totam terram Cananæam indicantur, ut deinceps obſervabo, antiquitus fuiſſe inſolitam, nec niſi poſt exſilium Babylonicum, quando ſynagogæ erectæ ſunt, in uſu eſſe cœpiſſe: ſolent autem prophetæ phraſibus ſui temporis uti, ut conſtat. Atenim ſcrupulum injicit haud levem inſcriptio Pſ., quæ canticum hoc adtribuit *Aſapho*; quo nomine celebris fuit propheta & poeta ſacer tempore Davidis: videtur etiam aliquis ſub Hiskia floruiſſe, 2 Reg. XVIII: 18. Alteruter ſi intelligendus ſit, Pſ. habendus eſt totus propheticus, a vate, in exſtaſin rapto, & in temporis Epiphanici contemplationem ducto, compoſitus, quo populum ejus temporis introduxit querentem & ſupplicantem. Quod a ſtylo prophetico non abhorret, & in Pſ. propheticis quoque locum habet, ex. gr. Pſ. XVI. de Meſſia, & CXXIV. de oppreſſione Senacheribi autore Davide. Quæ hypotheſis a-

liquid roboris acquirit ex 1 Macc. VII: 16. ubi verba Pſ. LXXIX., qui Aſaphi nomen etiam præfert, citantur, tanquam tunc impleta; verba, *ſecundum verbum, quod ſcripſit* ſcilicet, aliquis, vel qui ſcripſit, indicant, factum illud eſſe convenienter verbo prædictionis, olim litteris conſignato: quam *prædictionis* notionem aliquando habet λόγος, ut Luc. 1: 20. Marc. XIII: 31. Joh. XII: 38. Ex quo colligendum eſt, *ſermonem* illum jam antea fuiſſe prolatum. Quo admiſſo, de *tempore* & *occaſione* Pſ. compoſiti nihil plane adfirmari poteſt, conjici tamen, ſi Aſaphus tempore Hiskiæ pro autore habeatur, invaſionem Senacheribi anſam præbuiſſe, cum Senacheribi & Antiochi Epiphanis facinora in Judæos in nonnullis aliquid ſimile habeant, præcipue reſpectu *probri*, in Deum & populum ejus conjecti; cujus hic ſpecialis ſit mentio. Sed nihil de his omnibus definio; nec res tanti eſt, cum Pſ. eadem ſit & maneat autoritas, a quocunque ſit concinnatus. Quod ſi quis poetam tempore Antiochi Epiph. velit vixiſſe, oportet, vel tunc fuerit ejus nominis vir divinus, vel nomen *Aſaphi* fuerit deinceps, anſa a primo celeberrimo illo ſub Davide arrepta, divinis poetis commune factum.

§. VI. *Scopus* Pſ., ex ejus argumento ſeſe facile prodens, eſt, publicum erigere, in uſum Eccleſiæ omnium temporum, *monumentum* ſummæ adflictionis, in quam incidere poſſit, & quam ſubitura ſit, ne fides & pietas aliquid detrimenti capiat, cum ingruerit; præterea informare populum Dei, qua ratione ſeſe eo tempore habere & gerere, quo modo preces ad Deum fundere, debeat, & quibus rationibus urgere earum exauditionem poſſit, formula precum eum in finem ei in manus tradita. Quo titulus משכיל *maturans*, vel ſapientem ac prudentem reddens, & felicitatem promovens, etiam ducit. De quo dixi ad Pſ. XXXII. Ex quo de *uſu* Pſ. per omnia tempora facile conſtat.

§. VII. *Structura* Pſ. nihil habet ſingulare aut difficilis. Populus Dei, tempore adflictionis, introducitur loquens modo

modo in ſing., modo plur., numero; quo utroque poteſt populus, nec ullum exſtat diverſarum perſonarum loquentium indicium: ſecus ac Cl. Tillius putat, qui verſ. 12. cenſet perſonam majore fiducia animatam ſermonem ordiri fiduciæ plenum, ſine ulla ratione, & ex male intellecto pericopæ ſequentis conſpectu, de quo poſtea. *Oratio* vero ubique ad Deum, per modum precationis, vertitur, absque ut ad alium flectatur; ne quidem verſ. 18. uti videri poſſet; ubi non *hoſtem* adloquitur, ſed *Deum*, & de hoſte in tertia perſona. *Stylus* eſt emphaticus & adfectuoſus, ſed planus & facilis. *Partes*, in quas dispesci poteſt commode, ſunt præcipue *quatuor*. I. *Prima* continet ſupplicationem ceſſationis iræ Dei in populum accenſæ, ex conſideratione relationum Dei ad eum. verſ. 1, 2. II. *Secunda* Deum excitat ad vaſtationes reip. & Eccleſiæ, partim præſentes, partim mox futuras, ni Deus avertat, contemplandum, & & iis ſuccurrendum quam citiſſime; & earum vaſtationum vivam continet picturam, verſ. 3—9. III. *Tertia* Deo ob oculos ponit horrenda probra ab hoſtibus, in Deum, & populum ejus, conjecta, ſed in Deum, & facinora ejus in mundo edita, adeo injurioſa, ut ferri amplius nequeant. Quæ potentiæ Dei ſigna recenſentur, & inde colligitur, Deum non amplius tolerare debere ejusmodi contumelias. verſ. 10—18. IV. *Quarta* comprehendit preces pro liberatione populi a nece, & ope iis præſtanda, qui cauſam Dei agebant, verſ. 19—23.

ANACRISIS.

§. VIII. Licet Interpretes, qui intra Eccleſiæ Judaicæ limites ſeſe continent, qui ſoli audiendi ſunt, cum Eccleſiæ Chriſtianæ nulli hic occurrant characteres, omnes in Judaicam conveniant, ut facile patet ex montis Tſionis, Templi & ſynagogarum, mentione, nec non querela de prophetarum defectu, ne alia memorem; licet, inquam, illi circa

tempora exilii Babyl., adflictionis Epiphanicæ, & deſtructionis Romanæ diviſi ſunt; tot ac tam certi calamitatis Epiphanicæ occurrunt characteres, ut de ſcena Pſ. in ea figenda dubitari amplius nequeat. Sed quatuor inprimis ſunt, qui in ſolam Epiphanicam quadrant α. *Primus* eſt, quod cultui Dei abolito ſubſtitutus fuerit idololatricus in Templo, verſ. 4. β. *Secundus*, quod Templum non fuerit plane deſtructum, ſed violatum & profanatum, verſ. 3, 4. Putant quidem Interpretes, ſanctuaria Dei deſcribi verſ. 6—8. tanquam actu combuſta; quod in tempora Epiphanica non quadraret, & eos in anguſtias conjecit, qui nobiscum ſentiunt; ſed errant, cum non de actuali combuſtione, ſed propoſito hoſtium, & eventu, ſi Deus non avertat, ibi tantum agatur, ut ſupra obſervavi, in ſeq. latius deducam. γ. *Tertius* eſt, quod eo tempore nullus fuerit propheta, aut qui certo ſciverit, quousque adflictio tenderet, verſ. 9., & pii propterea habuerint querelæ materiam. Tempore enim Chaldæorum fuerunt Jeremias, Ezechiel, Daniel & alii; & finis exſilii ſatis erat declaratus & notus; tempore Romanorum nec ratio erat hac de re querendi, nec ignotum erat piis, quid de rep. Judaica fieret. δ. *Quartus* eſt, hoſtes intendiſſe, & in eo fuiſſe totos, ut religionem Judaicam penitus cum populo delerent, & Deum ac populum probro adficerent ac contumelia; verſ. 4—8, 10, 18, 22. Quod nec Chaldæi, nec Romani, in animis habuerunt, ſed ſoli Syro-Macedones, uti notum eſt.

§. IX. Solet quidem huic hypotheſi opponi, Templum & ſacra non fuiſſe per Antiochum combuſta, nec tam diu duraſſe eam adflictionem, ut *vaſtatio æterna* adpellari poſſit, verſ. 3. & de ea dici, *quousque* verſ. 12. Sed utrumque ex perverſo phraſium intellectu originem repetit, cum *prius* hic non tantum non habeatur, ſed contrarium, & *poſterius partim* de propoſito hoſtium, & eventu, niſi Deus impediat, ſit capiendum, *partim* ex ignorantia exitus & metu populi fuerit ortum; quia nemo ſciebat, *quousque*; verſ. 9.

hinc

hinc illa interrogatio, *quousque?* verſ. 12. & an in *perum putum*, vel æternum? verſ. 1, 10. Quæ ex ſeq. tractatione clariora fient. Acquiescimus itaque in hac hypotheſi; & ſecundum eam inſtituemus explicationem; tantum addo, eo in tempore ſcenam Pſ. eſſe figendam, quo adflictio aliquandiu duraverat, & hoſtium propoſitum de totali abolitione populi Dei innotuerat, præterea pii, & zelotæ legis, ſeſe jam palam inceperant hoſtium moliminibus opponere; ut ex criteriis, ſupra prolatis, ſatis patet. Quod ſub Juda Maccabæo inprimis factum eſt, antequam Templum receperunt, & purgarunt, Maccabæi.

EXPLICATIO.

§. X. *Prima* Pſ. pars comprehendit precationem ceſſationis iræ Dei, & renovationis gratiæ ac favoris Dei, ratione movente, a relationibus Dei ad populum deſumta, munitam, verſ. 1, 2. *Quare, o Deus! cum faſtidio averſatus es? in purum putum? fumabit naſus tuus in oves paſcui tui? recordare cœtus tui, quem acquiſiviſti olim, redemiſti, virgæ hæreditatis tuæ, montis Tſionis hujusce, quem inhabitaſti.* h. e. Cum nos tanquam fœtidos faſtidire videaris, iræque tuæ vehementioris in nos accenſæ ſigna præbeas, o Deus! quæ te movit ratio? quodque tuum eſt in eo propoſitum? an ut pleniſſime & perpetuo talis erga nos ſis? tuaque ira in nos effunderetur perfecte & ſemper? fieri id non poteſt, cum ſimus populus tuus, cujus tu es ductor & defenſor; renova itaque gratiæ & favoris tui influxum, & ad animum revoca, nos a te ab antiquo eſſe redemtos & acquiſitos in populum peculiarem & hæreditarium, & montem Tſionis eſſe illum, quem tibi ſedem elegiſti, & inſediſti hucusque, tanquam ubi majeſtatem tuam exſeris, & cultus tuus eſt ſtabilitus. Verba pro hypotheſi habent, Deum *exarſiſſe*, & *naſum ejus fumare in populum*; rogant enim, *quare*, &, an

an *in purum putum?* de quo mox. Verbum נזח, quod *repudiare*, *rejicere*, verti ſolet, propriam ſedem habet in *ſidendo*, altius demergendo, & de aquis adhibetur *ſtagnantibus*, quæ ſidentes fœtent, unde *fœtoris* uſus fluxit. Hinc, inter alias metaphoricas notiones, orta eſt animi irati, indignabundi, & odio inveterato corrupti, nec non aliquid tanquam *rancidum* & fœtidum, averſantis ac repellentis *a*. Soletque adflictioni Epiphanicæ & alibi, ut hic, adplicari: ſicut Pſ. XLIII: 2. XLIV: 10, 24. LXXVII: 8. Additur *iræ* Dei demonſtratio, phraſi metaphorica *naſi fumantis*; quemadmodum voces reddendæ ſunt, non, ut ſolet, *fumabit ira tua*, ſed *fumabit naſus tuus*, ad vehementiorem iram ſignificandam; uti Pſ. LXXVIII: 21. אף עלה *adſcendit naſus*, proprie *ebulliit*, *æſtuavit*; cui contraria eſt phraſis שב אף *rediit naſus*, reſedit, ſedatus eſt, ad modum ollæ impetum remittentis. Significatur itaque, Deum gratiam ſuam ſubtraxiſſe ex ira, & populum ſuum in manus hoſtium tradidiſſe juſto ſuo judicio, per *iram Dei* exprimi ſolito, uti notum eſt. Prætulit vero hunc conſpectum in primis adflictio Epiphanica, qua Deus impios populi delevit, & pios caſtigavit, & ex ſopore excitavit, ſeveriſſime, ſecundum verbum propheticum, Jeſ. XXVI: 20. LIV: 8. Dan. VIII: 19. XI. 36. & hiſtoriam, 1 Macc. II: 49. 2 Macc. VII: 38.

§. XI. Rogant nunc Deum, *quare averſatus fuerit?* num *in purum putum?* & mox ſubjungunt, fieri non poſſe, ut *naſus Dei* in perpetuum fumaret in populum ejus, quippe *oves paſcui ejus*. Hac enim ratione verba cenſeo capienda eſſe. 1*mo* dicunt, *quare*, *Deus! averſatus es?* h. e. quæ tantæ ſubductionis favoris & opis tuæ eſt ratio? quodnam tuum ea in re propoſitum, quis ſcopus? Rem mirabilem & paradoxam eſſe ſignificant, Dei omniſufficientiæ & bonitati, ſimul relationi ad populum, & promiſſis, ut videbatur, contrariam. Addunt 2. itidem rogantes, *in purum putum?* h. e. pleniſſime, & perpetuo. Vox נצח proprietatem

a Vid. Cl. Schroeder ad orig. Hebr. c. v.

tem habet in *puro puto*, *ſincero*, *delibato*, & uſu ſuo dicit, *cum* plene & perfecte, *tum* perpetuo, adeoque ſine mixtura, temperamento ac remiſſione. Hic autem per ſe ſtat, & interrogative capi debet, ut ſit pro הלנצח, uti Pſ. LXXVII: 8. הלעולמים *an in ſecula?* ita quoque Pſ. XIII: 2. *quousque, Jehova, oblivisceris mei?* לנצח *in purum putum?* pro an plene & perpetuo? Ferenda enim phraſis non eſt, *quousque in perpetuum oblivisceris me?* nec noſtro loco conſtrui poteſt hæc vox cum præced., licet ita ſoleant Interpretes, quia non in fut. habetur *averſaberis*, ſed *averſatus es* in præt. Phraſis, *quare averſatus es in purum putum*, admitti nequit, cum, Deum perfecte & perpetuo id feciſſe, dicere nolint nec poſſint. Rogant itaque, *num plane & perpetuo?* & indicant, illud nimis eſſe paradoxum & abſurdum, quam ut cogitari aut ſtatui poſſit. Denique 3. ſubjungunt, *fumabit naſus tuus in oves pascui tui?* ſive, *quare fumabit in purum putum*, ſive, *an* in purum putum *fumabit, naſus tuus?* &c. prout vel למה *quare* cum לנצח *in perpetuum* ex præced. repetatur, vel ſimpliciter לנצח *in purum putum*, interrogative ſumtum. Quod perinde eſt, quoad ſenſum. Indicant, fieri non poſſe, ut illud verum ſit, & illud ſimul deprecantur, & Deum ab eo dehortantur. Sic & למה *ob quid? quare?* eſt *partim* facti indignitatem arguentis, *partim* dehortantis, ut ſit: *ne fiat.* Pſ. X: 1. & עלמה ib. 13. ubi vid. Cl. Schroeder. Rationem petunt a relatione Dei ad populum, cum addunt, *in oves pascui tui.* h. e. in nos, qui ſumus populus tuus, cujus tutelam & ductum in te ſuscepiſti, & defenſorem ac curatorem hucusque te præſtitiſti, quique ſine te non magis, quam imbelles *oves*, ſe tueri poſſunt. Quæ nihil habent difficilis.

§. XII. Subjungunt apte preces pro favoris & auxilii Dei impetratione, novis rationibus munitas, verſ. 2. *Recordare cœtus tui*, quem *acquiſiviſti antiquitus, redemiſti, virgæ hæreditatis tuæ, montis Tſionis hujusce, quem inhabitaſti.* h. e. cum fieri nequeat, ut plene & perpetuo averſeris, ac naſus tuus fumet in nos, qui ſumus oves pascui tui; jure &

legitime oramus, ut, te noſtri habere rationem, ipſo facto demonſtres, qui *cœtum* tuum conſtituimus, quem proprio tuo labore tibi comparaſti ab antiquiſſimis temporibus, & deinceps ſæpe e manu hoſtium liberaſti, ſimul *hæreditas tua*, tibi adſignata tanquam juſta diviſione & definitione, ſumus, & montem Tſionis in medio noſtrum habemus, quem tu pro loco & ſede majeſtatis tenuiſti ſemper, tanquam Deus & rex noſter. Parum hic eſt difficilis, quod noſtra indiget opera; quare verbo defungar. Duo recordationis Dei memorantur objecta, ut exiſtimo; *populus Judæus*, & mons *Tſion*. Populus adpellatur *cœtus Dei* & *virga hæreditatis ejus*, & de eo adfirmatur, Deum eum *olim acquiſiviſſe*, & deinceps *redemiſſe*: quæ verba ad cœtum ac virgam hæreditatis ſeſe porrigunt, epitheta vero populi Dei elegantiæ cauſa dividunt, quæ alias ſecum erant jungenda; acſi haberetur, recordare cœtus tui, virgæ hæreditatis tuæ, quem acquiſiviſti olim, & redemiſti deinceps. Epitheton *cœtus* Dei præmittit, & *virgæ* hæreditatis ejus ad finem pericopæ ſubjungit, beneficia Dei interſerit, ad utrumque epitheton ſeſe porrigentia. *Virga* itaque *hæreditatis tuæ* cohæret cum *cœtu tuo*, & a verbo *recordari* pendet, æque ac *cœtus tuus*; ut ſermo ita concinnetur: *recordare cœtus tui, quem acquiſiviſti olim, redemiſti, cœtus*, inquam, *hæreditatis tuæ*, vel qui eſt *virga hæreditatis tuæ*. Qua ratione recte fluit oratio, alias impeditior. Populus autem Israelis, qui *cœtus Dei* adpellatur, quod ſit in unam ſocietatem a Deo, legibus divinitus latis, coactus, ut ipſum colat & celebret, titulo *virgæ hæreditatis* Dei inſuper ornatur, quod ſit populus peculiaris, a reliquis gentibus ſeparatus, & Deo in ſpecie adſignatus in peculiarem & perpetuam poſſeſſionem, inſtar *hæreditariæ portionis*, quæ *pertica* ſolebat menſurari, & definiri; quare *virga hæreditatis* vocatur. Conf. Pſ. XVI: 6. Quod idem epitheton & alibi occurrit, ut Jer. X: 16. & LI: 19. Poſſet quoque verti per *ſceptrum hæreditatis* Dei, & de hæreditate *ſceptrigera* intelligi,

ligi, ſeu libera, ſimul regia. Sicut Israel *regnum ſacerdotale* adpellatur. De quo dixi ad Jer. l. c. *Duo* occurrunt beneficia in Israelem, qua talem, collata; alterum *acquiſitionis*, alterum *redemtionis*, diſtincte conſideranda; quorum prius ad populi *formationem*, poſterius ad ejus *liberationem*, deinceps factam, reſpicit. Prius habet, *acquiſiviſti olim*, pro *quem*, ſcilicet *cœtum*, per ellipſin את vulgatiſſimam; h. e. tibi, tanquam Pater, generando vel adoptando comparaſti; ſimul tanquam filium *extuliſti*, & *obumbraſti*, uti additur Deut. XXXII: 16. ubi vid. Cl. Vitringa, & notæ noſtræ. *Acquiſivit* ea ratione populum, cum ex Aegypto eduxit, in populum formavit, & tutatus eſt, magno labore, & ſtupendo opere, ex ſe generans quaſi, & ex pura bonitate, quod *eſt adoptantis*. Quo etiam reſpicit vox קדם *olim*, antiquitus, quod verſ. 12. eſt מקדם *ab antiquo*, & Pſ. XLIV: 2. *in diebus* קדם *antiquis*, ubi vid. dicta. *Poſterius* eſt, *redemiſti* ſc. acquiſitum populum, eum vindicando, cum abalienatus eſſet, & in aliorum manus incidiſſet, inſtar *goelis*, qui fratrem in ſervitutem redactum liberat, & *hæreditatem* venditam revindicat. Quo omnia beneficia liberationis populi e manibus hoſtium in genere comprehenduntur, quæ in eum deinceps ſunt collata. Additur, quod alterum eſt *recordationis* Dei objectum, *montis Tſionis*, ſcilicet *recordare*, *iſtius*, quaſi digito monſtrati, ad excellentiam ejus augendam, *quem inhabitaſti*; ſedem regni & religionis tuæ conſtituiſti & tenuiſti, ubi Majeſtas tua ſeſe oſtendit, & cultus tuus exercetur. Quod ulteriore non indiget explicatione.

§. XIII. In *Secunda* Pſ. parte, quæ Deum ad præſentem populi & Tſionis ſtatum miſerabilem intuendum, & ei ſuccurrendum, excitat, α. occurrit propoſitio β. ejus deductio. α. Prior his verbis, verſ. 3. in priore membro. *Adtolle greſſus tuos ad vaſtitates puras putas*, non faciendas inter hoſtes, uti acceperunt nonnulli, ſed inter nos factas & faciendas, luſtrandas & reparandas: verſantur enim in miſeriæ

ſeriæ ſuæ deſcriptione, ut ex ſeq. conſtat. Adpellant ſuas calamitates *vaſtitates puras putas*, ut voces vertendæ ſunt, ſicut de נוה modo vidimus, & de נאוה ad Pſ. LXXIII: 18. non quod diu durarint, ut nonnulli capiunt, de quo hic non agitur, ſed quod totalis ſit, & in perpetuum duratura, deſtructio populi & locorum ſanctorum, non acſi talis jam eſſet, ſed quod magna jam vaſtatio erat, & in totalem ac continuam exiret, niſi Deus interveniat; uti ex ſeq., ubi propoſitio exponitur, manifeſtum eſt, & ex verſ. 1. confirmatur, ubi, illud *purum putum* fieri non poſſe, declararunt. Ad has *vaſtationes* petunt ut Deus *greſſus adtollat*, h. e. accedat, quod *pedes levare* dicitur, Gen. XXIX: 1. hic ſignantius exprimitur *greſſus adtollere*, ad citum & impetuoſum, ac magnificum & potentiſſimum, inceſſum ſignificandum; inſtar herois, qui, greſſibus validis in altum quaſi ſublatis, quibus icitur & pulſatur humus, citiſſime & magno cum ſtrepitu incedit. Vox רגש proprie notat *tuſionem*, præſertim *pede*, & *obculcationem*. Deus itaque hic introducitur, tanquam qui ſéſe a populo longius remotum geſſerat; qui excitatur ad coram intuendas vaſtationes, quæ mox puræ putæ & perpetuæ fierent ſecundum hoſtium intentionem, ſimul eas reparandas.

§. XIV. β. In propoſitionis deductione, qua vaſtitatum illarum conſpectus datur plenior & accuratior, *a.* præſens vaſtatio exponitur, verſ. 3, 4. *b.* futura repræſentatur, verſ. 5—8. *c.* miſeria populi ex eventus incertitudine amplificatur, verſ. 9. *a.* Præſens adflictio, 1. in genere, 2. in ſpecie, deſcribitur. 1. In genere his verbis, verſ. 3. *Univerſum quaſſavit hoſtis in ſancto.* h. e. vaſtationis noſtræ, cujus meminimus, ut clariorem præbeamus intellectum, in eo in genere præcipue ſita eſt, quod in loco ſancto, & Hieroſolymis & Templo, omnia profanavit, & contrivit, noſtrosque animos terrore percuſſit, hoſtis ſævus & truculentus. Qua paraphraſi nexum orationis oſtendi, & omnem verbi ארץ amplitudinem complexus ſum. Sunt qui

connectunt

connectunt cum *adtolle greſſus*, & כל *omne* pro לכל *ad omne* ſumunt; quod neceſſe non eſt, nec לכל, ſed כל habetur. Incipit poeta recenſere mala populi, ad explicandas *vaſtitates* memoratas; adeoque recte dicit, *omne quaſſavit hoſtis in ſancto.* Verbum נוע, ſive ſit a נוע, ſive נוף, quod perinde, cum ejusdem ſint originis radices, proprie eſt *quatere*, *quaſſare*, quaſſando frangere; unde *cum* improbi fluxit uſus, q. d. caſſum omni virtute, & probitate *vacuum*, *tum* etiam fracti omni dignitate & potentia orbi, *tum* denique animi terrore percuſſi, & quaſſati *a*. Quam ſignificatus amplitudinem ſi admittamus, quod licet, ſenſus erit, hoſtem Hieroſolymam, & Templum, quod utrumque nomine *ſancti* intelligendum eſt, ſpoliaſſe, & contriviſſe, ornamentis, munitionibus, inſtrumentis, dignitate & cultu orbaſſe, præterea improbum & pollutum omni virtute & probitate caſſum præſtitiſſe, idololatria introducta, denique omnes terrore percuſſiſſe. Quæ omnia ex hiſtoria conſtant, vid. inter alia 2 Macc. VIII: 2, 3., & mox in ſpecie memorantur.

§. XV 2. Specialis enim facinorum hoſtis commemoratio ita ſonat, verſ. 4. *Boarunt infenſiſſimi tui hoſtes in medio conventuum tuorum poſuerunt ſigna eorum ſigna.* h. e. Boatibus ſuis blasphemis, gloriabundis, & terrificis omnia replent hoſtes populi & nominis tui infenſiſſimi, in locis ſanctis, ubi populus tuus convenire ſolet, & te colere, in urbe ſancta, Templo & atriis, potentiæ quoque & idololatricæ religionis ſuæ ſigna ibi collocarunt, & dedicarunt in *ſigna*, a nobis honoranda & colenda. Adpellantur hoſtes *conſtrictores Dei*, quæ propria eſt verbi צור poteſtas, quatenus ejus, & populi ac religionis ejus, ſunt infenſiſſimi adverſarii, qui cultus Dei exercitium coercent, & impediunt, ſimul populum ad incitas redigunt, & graviſſime opprimunt. *Duo* vero de ipſis prædicantur facinora, in *medio conventuum Dei* patrata; voces enim illæ & ad *rugi-*

a Vid. Cl. Schroeder ad Pſ. x: 15.

tum, & ad *ſignorum* eorum collocationem ſeſe porrigunt, acſi bis legerentur; *rugiunt in medio conventuum tuorum*, *in medio conventuum tuorum poſuerunt ſigna ſua. Conventus Dei* ſunt loca ſacra, ubi Deus ſe manifeſtare & convenire ſolebat populum, uti eſt Ex: XXIX: 42, 43. ſimul populus ad Deum colendum, civilia & ſacra ordinanda, convenire ſolet, Hieroſolyma & Templum; quare *urbs conventus* Jer. XXXIII: 20. *mons conventus*, Jeſ. XIV. 13. *tentorium conventus* paſſim occurrit: unde ratio num plur. facile patet. Vox מוער uſu ſuo non *locum*, ſed vel conventum, vel ſtatum conventus tempus, ſignat, a quo hic non neceſſe eſt discedere, cum *loci* idea ex voce קרב *medio* addita ſeſe facile offerat: *in medio conventus Dei* itaque eſt ibi, & eo loco, ubi *conventus* Dei erat: ſed nec inſolens eſt vocis מקום *loci* ellipſis *a*. Hisce in locis ſacris dicuntur *boare* hoſtes, & *ſigna ſua ponere ſigna*. Verbum שאג, quod *boare* verti, quamcunque vocem ſonoram denotat, quæ percellit, & aerem facit contremiſcere, in ſpecie de *rugitu* leonis uſurpatur, qui terrefacit, quemque prædæ cauſa edit, Am. III: 4. Hoc loco latius extendere fas eſt ad quascunque ſonoras voces, lætabundas & gloriabundas, blasphemas in Deum & populum ejus, verſ. 10., terrificas & minaces per edicta & minas, denique inconditas & irrationales, ut in cultu idololatrico, ſeu precibus & canticis ſine mente fuſis, quod Jeſ. LII: 5. *ululare* dicitur. Quæ omnia huc apte quadrant, & Syro-Macedonibus, ac improbis Judæorum, cum Hieroſolymam & Templum tenuerunt, recte conveniunt; uti notum eſt. Sed quid eſt, *ſigna ſua ponunt ſigna in medio conventuum tuorum?* Senſus eſt, eos ſigna ſua in urbe ſancta & Templo erigere & dedicare, ut pro talibus agnoſcantur & colantur a Judæis. Verbum נתן erigere, in ſublimi collocare, ponere firmiter, non tantum dicit, ſed & *dedicare*, initiare, conſecrare: ut Lat. *ponere ſtatuam*, *donarium*. &c. *b* ſigna vero ponere *ſigna* dicit ea erigere & dedicare, ut

a Vid. Waltherus de ellipſ. Hebr. p. 47. *b* Comm. noſter ad Jer. II: 7.

ut

ut ſint *ſigna*, ſeu ab omnibus talia agnoſcantur, & religioſe honorentur: *ſigna* vero hic ſunt qualiacunque, politica, militaria, & religioſa; poteſtatis & religionis, nec non militiæ ſigna publica. Senſus itaque eſt, eos, ſignis veri Dei, ejusque populi & religionis, qualia ſunt, circumciſio, feſta, ſacrificia, inſtrumenta alia religioſa, etiam poteſtatis liberæ indicia alia, abolitis, ſua & idololatrica ſubſtituiſſe ſigna, ſui dominii & religionis ſigna. Quod ab Antiocho Epiphane factum eſſe, nemini non eſt notiſſimum.

§. XVI. *b.* Futura, & proxime exſpectanda totalis deſtructio metropolis, Templi, locorum ſacrorum omnium, & ipſius populi, depingitur, verſ. 5—8. *Innoteſcet, ſicut qui infert ſuperne in perplexum arboreti ſecures, &*, vel *quod, nunc cælaturas ejus uniter impactore & malleis contundent. Miſerunt in ignem ſanctuaria tua, in terram profanarunt habitaculum nominis tui. Dicunt apud animum ſuum, eradicabimus eos uniter, combuſſerunt omnes conventus Dei in terra.* Quorum verborum verum conſpectum minus recte, ut puto, perceperunt Interpretes, qui de peracta deſtructione capiunt, cum de futura manifeſte agant, quam mente anticipabant pii ejus temporis, & hoſtes animo volvebant. Cujus indicium, 1. in eo eſt, quod præmittatur in fut. *innoteſcet* & *divulgabitur*, argumento, rem futuram eſſe, & certo eventuram, niſi Deus impediat miraculoſe. 2. quod de hoſtibus in fut. etiam dicatur *contundent*, 3. quod, ad metus confirmationem, diſerte ſubjungatur, *dixerunt in corde ſuo*; ut, hoc eorum eſſe propoſitum, ſignificaretur, mox executioni mandandum. Qua vero ratione verba præt. temp. verſ. 7, 8. capienda ſint, mox exponam. Continent verba *α.* eventum totalis excidii, mox futuri, in quem præſens calamitas exiret, publice manifeſtandum & divulgandum, verſ. 5—7. *β.* ejus confirmationem ex propoſito hoſtium, verſ. 8.

§. XVII. *α.* Eventus, quem pii animis anticipabant, &, certo futurum eſſe, prævidebant, his verbis exhibetur, verſ.

verſ. 5—7. *Innoteſcet, ſicut qui infert ſuperne in perplexum arboreti ſecures, quod nunc cælaturas ejus pariter impactore & malleis contundent. Miſerunt ſanctuaria tua in ignem, ad terram profanarunt habitaculum nominis tui.* h. e. Hoſtes ſtructuras conventuum Dei affabre politas, & cælaturis ornatas, eſſe contuſuros quibusvis inſtrumentis deſtructoriis, haud ſecus ac ſylva denſa ab aliquo ſummo impetu cæditur, ſine ulla itaque ſacrorum reverentia, certo conſtabit; imo palam mox, ea re peracta, divulgabitur, quod ſanctuaria tua, o Deus! in ignem conjecerint, & habitaculum nominis tui, vel Templum ſolo æquarint, ac proculcarint. Deſcribunt *a.* totale excidium Hieroſolymæ & Templi, *b.* illud futurum eſſe, & omnium ora reſoluturum, declarant, cum præmittunt *innoteſcet*, ſeu certo conſtabit & divulgabitur.

§. XVIII. *a.* Deſcriptio excidii plenarii continet totius ſtructuræ violentam, ac magno impetu factam, confractionem inſtar ſylvæ, quæ cæditur, nec non ejus in partes ſectæ combuſtionem, & totalem abolitionem. Cohærent enim confractio & combuſtio, tanquam antecedens & conſequens, & confractio illuſtratur ſimili ſylvæ cæduæ, ſeu lignationis in denſa ſylva. Simile, quod præmittitur, deſumtum eſt a denſa ſylva arboreti, quæ magno impetu ſecuribus alte adactis cæditur, verſ. 5. *Sicut qui adducit ſuperne in perplexum arboreti ſecures*, h. e. qui, ſecuribus ſuper caput elevatis, vehemente ictu proſternit denſum arboretum. Verba parum habent obſcuri. *Perplexitas arboris* eſt arboretum denſum, numeroſiſſimum, & implexum. Vox Hebr. יער *arbor* pro arboreto & nemore ſumitur ſubinde, ut Gen. III: 8. ſic *quercus* pro *nemore*, 1 Chron. X: 12. coll. 1 Sam. XXXI: 13. Gen. XII: 6. coll. XIII: 18. *Perplexitas arboreti* vero eſt denſiſſimum, & arboribus ac fruticibus refertiſſimum, arboretum: uti *perplexa ſylvæ*, Jeſ. X: 34. Proponitur hoc arboretum tanquam ab aliquo, ſecuribus alte ſublatis, & vehementer impactis, concidendum. Vox קרמות *ſecures* verti ſolet, ſed incertæ eſt originis; quam varie conſtituunt

conſtituunt Interpretes, nemo detexit; nec nos poſſumus. Inprobabilis non eſt Cl. Simonis *a* derivatio a קרם Arab. *ſecuit* & רום vel רמם *abſcidit*, rectius *deſtruxit* ad ſolum usque, proprie *delevit*, q. liniendo obliteravit, & ita *æquavit*, ne remaneat veſtigium. Proprietas enim eſt in *æquatione*, ſeu *lenitione* in æquum & planum. Sufficit, inſtrumentum ſignificari, quo arbores & ligna cæduntur, quod ex Script. locis ſatis conſtat. Phraſis vero מביא למעלה deſignat cæſorem, qui ſecurim alte elevat, ut vehementiorem inferat ictum. Quo phraſis proxime tendit. Sicut illud poetæ.

Ecce aliud ſumma telum vibrabat ab aure.

Cum hoc ſimili comparatur ſtructurarum conventuum Dei excidium per hoſtes, verſ. 6. *nunc cælaturas ejus uniter impactore, & malleis, contundent*, ſcilicet haud ſecus ac denſa eſſet ſylva, quæ impune cædi poſſit, ſine ulla rebus ſacris habita reverentia. *Cælaturæ ejus* ſunt *ſanctuariorum Dei*, verſ. 1. memoratorum; nec obſtat relat. ſing. foem., cum orientalibus in more ſit plur. maſc. aut foemin. ſubnectere adfixum foem. ſing., quod Ling. Or. peritis notum eſt: relativum quoque haud infrequenter abſolute ponitur, ad ſubjectum mente perceptum, & digito monſtratum, referendum, ut Pſ. LXXXVII: 1. ut ibi videbimus. Vehemens tamen me tenet ſuſpicio, vocem פתוחיה eſſe ex פתוחי & יה compoſitam, uti Cant. VIII: 6. שלהבתיה *flamma Jah*, adeoque *cælaturas Jah* ſignificare, ſicut mox verſ. 8. מועדי אל *conventus Dei*. Significantur lapides ac ligna adfabre exſculpta, & variis figuris exornata; ſicut Salomo parietes Templi ſculpſit *cælaturis ſculpturarum Cherubim*, & *palmarum* ac florum, 1. Reg. VI: 29. ut a Gejero recte eſt obſervatum. Hic autem late pro tota ſtructura Templi, & ipſius Hieroſolymæ, ſumitur, ut facile patet; ac cum denſo aliquo arboreto comparatur, ſicut alibi cum *Libano*. Conf. Jeſ. XXXVII: 24.

a In Lex.

& ibi Cl. Vitringa. Ipsum facinus in eo ponitur, quod *cælaturæ* omnes, vel pariter & uniter, adeoque in omni complexu suo, *impactoribus & malleis contunderentur.* Radix חלם primariam habet *pangendi, impingendi*, vim, inde gravius ferire, impingere ictum, & prosternere, ac confringere. Instrumenta confractionis adpellantur כשיל וכילפות, quorum prius כשיל in genere *impactorem* denotat, inde *securim*, vel graviorem malleum, a כשל proprie *adpactus hæsit*, vel adhæsit cum adpactione: *posterius*, כילפות videtur e sono factum, uti forte Gr. κολαστὴς & κολάστω, κολαφίζω; quæ verba Avenarius jam contulit, & derivavit ab Hebr. prō more suo: dicit enim rad. כלף proprie *impegit*, vel *impactus* fuit cum *sonitu*; unde mallei vel cunei usus effluxit.

§. XIX. Subjungitur, tanquam consequens confractionis, *combustio sanctuariorum* Dei, & Templi plenaria destructio, qua solo æquatur, vers. 7. *Miserunt in ignem sanctuaria tua, ad terram usque profanarunt habitaculum nominis tui.* h. e. Sancta tua loca & instrumenta confracta in ignem conjecerunt comburenda, & Templum, nomini tuo consecratum, in quo habitat gloria tua, & majestatis symbolum, cultusque tibi defertur, polluerunt eo usque, ut solo æquarint. Phrases sunt selectæ & emphaticæ: non simpliciter habetur, *combusserunt*, sed *in ignem miserunt*, non ignem immisserunt, sed confracta penitus combusserunt; sicut quod in ignem conjicitur, nec *profanarunt* tantum, sed *ad terram* usque, adeo ut pleniſſime fuerit desolatum. Quam sortem adtribuunt *sanctuariis Dei*, & *habitaculo nominis ejus*, h. e. Hierosolymæ, Tsioni & Templo; quæ vers. 4. *conventum* Dei nomine venerunt. Conf. Jer. LI: 51. ubi *sanctuaria domus Jehovæ* adpellantur.

§. XX. *b.* Hanc talem & tantam destructionem declarant pii, hic loquentes, futuram esse, & factam ubique esse divulgandam; quum dicunt in initio vers. 5. יודע *innotescet, divulgabitur.* Quem utrumque significatum admittit, & hic omnino habet, *priorem* relate ad confractionem, *posteriorem*

posteriorem ad *combustionem*, ut sensus sit; *innotescet*, seu constabit, futurum esse, quod confracturi sint sculpturas *conventuum* Dei, & *divulgabitur* aliquando, re peracta, *conjecerunt in ignem*. Qua ratione diversitas constructionis hujus verbi cum verbis fut. & præt. temporis facile expeditur. *Contundent* enim in fut. est, & *miserunt in ignem* in præt. quod utrumque pendet a verbo יודיע *innotescet*, vers. 7. quoque repetendum: adeo ut oratio hoc modo sit digerenda: *innotescet*, —— *quod nunc* —— *contundent*: nam enim in יודיע & *nunc* idem est, ac *nunc quod*, ut alias solet, h. e. certo constabit, eos id facturos esse, adparebit, id futurum esse: *innotescet* etiam, & quaquaversum divulgabitur, quod fecerint; quum publica fama ferret, *miserunt in ignem* &c. Elegantiæ causa alterum in fut., alterum in præt., exprimitur, sed utrumque fut. & præt. est ad *confractionem* ac *combustionem* extendendum; ut plene sit: *innotescet*, eos *confracturos* ac *combusturos* esse, divulgabitur, eos confregisse & combussisse. Ceterum illud יודיע eleganter & emphatice sumi solet pro *innotescet*, & publica fama divulgabitur. Prov. XIV: 33. *in corde prudentis residet sapientia solida, at, quod in medio stulorum est, evulgatur*. Ibid. XII: 16. *stolidus eo ipso die agnoscitur*, h. e. divulgatur, *ægritudo ejus*, conf. vers. 23. & Cl. Schultens ad ea loca.

§. XXI. β. Ad confirmandum hunc eventum, quem futurum esse prævidebant, & metuebant, subjungunt, hostes utique id in animo habere, & de re, tanquam peracta, secum gloriari, vers. 8. *Dixerunt in corde suo, eradicemus eos uniter; combusserunt omnes conventus Dei in terra*. h. e. Præterquam quod adflictio nostra ejus sit naturæ, ut totale excidium sequi debere videatur, nisi Deus miraculose interveniat, illud certum est, hostes nostros illud intendere, ut nos penitus exstirpent; quod ipsum etiam certo futurum esse animis præceperunt, adeo ut secundum imaginationes cordis eorum dici jam possit, eos omnia loca sacra in terra nostra combussisse, & nos penitus excidisse. Ex quo facile

eluceſcit, nos non ſine ratione hunc eventum metuere, quin exſpectare, uti modo verſ. 5—7. declaravimus. Qua ratione nexus horum verborum cum præced. ſponte ſua ſeſe offert. Sed ad intellectum eorum ante omnia notandum eſt, poetam hoſtibus adtribuere *cum* propoſitum fixum, *tum* imaginariam gloriationem anticipatam ſuper re futura, tanquam præſente, & peracta. Quæ duo ut ob oculos ſiſteret, ſermonem elegantiæ cauſa variavit, & membra verſus diverſo modo concinnavit, & conciſe protulit, ex ſe invicem ſupplenda; uti ſæpe fieri, præcipue in ſtylo poetico, ſolet. Plena itaque foret oratio: *dixerunt in corde ſuo, eradicemus eos uniter, comburamus omnia loca conventus Dei in terra;* inſuper *dixerunt, eradicavimus eos*, & *combuſſerunt*, vel combuſta ſunt, *omnia loca conventus Dei*, ſcilicet in *corde* ſuo, ſecundum imaginationes & anticipatas gloriationes ſuas. *Prius* membrum, ſequens etiam involvens, ad *propoſitum* eorum pertinet, *poſterius*, prius quoque comprehendens, ad anticipatam & imaginariam gloriationem eorum reſpicit: quod utrumque phraſi, *dicere in corde*, comprehendi poteſt, cum & *proponere*, & *gloriari* ſecum & *reputare*, denotare poſſit. *Combuſſerunt* itaque non dicit, eos jam tunc id feciſſe, ut accipi ſolet, ſed ſecundum imaginariam ſuam cordis præſumtionem jam præſtitiſſe, de re futura, tanquam jam facta, loquentes, *combuſſerunt* ſcilicet *in corde ſuo*, *uti in corde* loquuntur; voce vel phraſi illa ex præced. per ellipſin intellecta: plane quemadmodum Dan. XI: 42, 43., de ſucceſſore Antiochi Epiphanis: uti in comm. noſtro demonſtravimus.

§. XXII. Nihil ſupereſt, quam ut de verbo *eradicare*, & phraſi *conventuum Dei in terra*, aliquid moneam. Verbum נכח verti *eradicabimus eos*, ſecutus eos Interpretes, qui radicem ſtatuunt נח, & pro verbo cum adfixo habent: quod unice admittendum eſt, & huc quadrat. Radix proprie dicit, *calcavit*, *detruncavit*, inde *eradicavit*, & ſic debilitavit, nervo remiſſo: *uſu* teritur *cum* in oppreſſione violenta, qua alterius

alterius crura infringuntur, *tum* defraudatione, qua ea decurtantur. Noſtro loco, *contruncabimus eos*, eſt, nervo inciſo ita mutilabimus eos, ut vigorem nunquam recuperare queant, imo vero *eradicabimus eos*, ut penitus flacceſcant, & in nihilum recidant, memoria eorum deleta, et omni ſtirpe reciſa: ſic *gladius* יוה apud Jer. eſt *enervator*, et *contruncator*, ut ad c. xxv. obſervavimus. Sed quid ſunt *omnes conventus Dei?* non *Templum* ſimpliciter et atria, cum ipſa Metropoli, quibus nomen plur. *conventus Dei* quidem convenit, ut ſupra vidimus, ſed non *omnes conventus in* terra; multo minus loca, quibus Deus ſeſe aliq. Patriarchis et majoribus manifeſtavit, quod addit Cl. Vitringa *a*, quod inſolens eſt, et parum ad rem facit, cum *Templum* nunc unicus eſſet locus *conventus Dei*, et hoſtes fora illa ſacra antiqua ignorarint, aut parum curarint; non illa, inquam, ſed, quæ communior eſt ſententia, loca ſacrorum exercitio deſtinata præter Templum, quæ nomine *ſynagogarum* alias veniunt, & *proſeucharum*, quibus hoc epitheton recte convenit, et hic recte locus datur, cum hoc tempore ubique per Cananæam, aut Judæam, obtinuerint. Ex quo tamen colligendum non eſt, ſynagogas temporibus antiquioribus jam fuiſſe; cum incertum ſit tempus, quo Pſ. eſt compoſitus, etſi tempore Davidis, poeta in viſione æque prævidere potuit ejusmodi loca tum futura, ac reliqua fata, hic repræſentata, quæ nomine generali *conventuum Dei* apte inſignire potuit, quippe ſuo tempore ſatis recepto de locis ſacris in genere. Sed, quod ſilentio premere nequeo, LXX. poſterius membrum reddiderunt, καταπαύσωμεν τὰς ἑορτὰς κυρίου ἀπὸ τῆς γῆς, Lat. *quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei a terra.* Adoptavit eruditus Criticus Houbigant, tanquam voci מועד, quæ non locum, ſed conventum, vel feſtum, denotat, congruentius, putatque LXX. legiſſe, utique legendum eſſe, שבתו *quieſcant*, pro ישרפו; nimis remote, & minus feliciter, ſicut paſſim, ingenioſe

a Synag. Vet. l. 1. p. 11. c. 10.

quidem plerumque, ſed nimis audaciter, & in pauciſſimis tantum feliciter. Mihi, ſi lectio ſit mutanda, pro שרו ſubſtituendum videretur, שרו *ut flacceſcant*, ſeu deſinant, *feſta & conventus Dei in terra*, ita ut radix רפה adoptetur, & ו ſit littera præfixa ex שו, quæ ſatis uſitata eſt, & pro *ut* etiam ſumitur *a*. Qua ratione ſicut vocis שוד uſitatus ſignificatus retinetur, ita oratio recte procedit: *eradicemus eos, ut flaccidi jaceant omnes conventus Dei in terra.* Sed nihil adfirmo. Ceterum, ut hoc uno verbo addam, Antiocho & hoſtibus populi Dei hoc ipſum totale excidium Judæorum in animo fuiſſe, & Judæos futurum eſſe timuiſſe, ex hiſtoria manifeſtum eſt. Conf. tantum 1 Macc. III: 35, 36. VI: 12. VII: 35. 2 Macc. VIII: 3, 9. IX: 4, 14.

§. XXIII. *c.* Subjungunt miſeriæ ſuæ amplificationem, & totalis excidii metum, quem conceperunt, ſimul juſtificant ex eo, quod, religione abolita, careant prophetis, nec aliquis ſit, qui de eventu poſſit pronunciare quid certi; verſ. 9. *Signa noſtra non videmus, non eſt amplius propheta, nec nobiscum ſciens, quousque.* h. e. Ordinaria noſtra, aut civilia, aut militaria, aut religioſa, ſigna non tantum ſunt abolita, ſed, quod nos maxime reddit ſolicitos, & de felici eventu desperare facit, nullus amplius eſt propheta ordinarius; ne quidem aliquis in medio noſtri, qui certi aliquid novit de gradu aut termino adflictionis noſtræ. Miſeram ſuam conditionem proponunt, ex ſuperioribus repetitam, quum dicunt, *ſigna noſtra non videmus*, ſed amplificant, & ſummam ſuam ſolicitudinem ſignificant, quum addunt, *non eſt amplius propheta, nec aliquis ſciens quousque.* Adeo ut vis orationis ſit non in primo membro, ſed ſequentibus. *Signa ſua ſe non videre*, adſumunt, & ex præced. repetunt; ſed, quod ſeſe inprimis anxios reddebat, & fere desperabundos, illud eſſe declarant, quod prophetæ ceſſaverint, & nemo de eventu pronunciare poſſit quid certi. Antea dixerant, hoſtem omnia *quaſſaſſe* in ſancto, & *ſigna ſua* poſuiſſe,

a Noldius part. p. 591.

ſtriſſe, quod hic repetunt, cum dicunt, ſe *ſigna ſua non videre*, h. e. ea eſſe abolita, aliis & peregrinis ſubſtitutis. Ex quo ſimul eluceſcit, *ſigna* populi alia non intelligi, ac peregrinis contraria, adeoque ejusdem generis, civilia, militaria, & religioſa, uti ſupra expoſui, & hic recte advertit, ac deduxit, Gejerus. Miracula itaque, & oracula Urim & Thummim, & ſimilia, huc nihil faciunt, de quibus nonnulli cogitant. Hæc cum dicunt *ſe non videre*, nihil aliud volunt, quam ea eſſe *abolita*, quod facillimum eſt. Hoc in ſtatu miſero ſeſe maxime angi declarant, & excidium totale non ſine ratione metuere, quod *prophetis* careant, & nemo ſit, qui nomine Dei de eventu pronunciare poſſit. *Duo* itaque, quibus maxime opus in hac miſera conditione habebant, ſibi deeſſe conqueruntur, *alterum* eſt, nullum eſſe *prophetam*, *alterum*, nullum adeſſe futuri conſcium; *prius* ad ordinarios reſpicit prophetas, *poſterius* ad qualescunque ſapientes & prudentes, futuri gnaros.

§. XXIV. Quod ad *prius* adtinet, cum non dicunt, *non eſt propheta apud nos*, ſed, non eſt *amplius* propheta, ſicut olim fuiſſe, ita nunc penitus ceſſaſſe, ſignificant; adeoque ſeſe eo tempore in tantam calamitatem incidiſſe, quo periodus prophetarum jam finita erat. Ex quo facile pateſcit, *ordinarios*, & ſic proprie dictos, prophetas intelligi, nec ſimpliciter dici, eos a Deo non accipere revelationes conſolatorias, ſed nullos eſſe; ſecus ac olim, & in exſilio Babylonico quoque, quando prophetæ non deerant; licet divina revelatione paſſim non gauderent ad ſolatium populi. Quo ſenſu Thren. II. dicitur, *Rex ejus & principes ejus ſunt inter gentes, nulla eſt lex, etiam prophetæ ejus non habent viſionem a Domino.* Conf. etiam Ezech. VII: 26. Am. VIII: 11. Quæ phraſes a noſtra diverſæ ſunt; minus itaque recte a nonnullis prolatæ ad enervandam objectionem, contra hypotheſin de calamitate Babylonica in noſtro Pſ. depicta, recte motam. Significant adflicti, ſe eo tempore tantis premi anguſtiis, quo prophetæ amplius non mittun-

tuntur, ut olim, quos consulere possint. Conf. 1 Macc. IX. 27. Sed, quod *posterius* est, quo anxietas magis augebatur, addunt, ne quidem *secum esse*, *qui sciat quousque*. h. e. se, præter prophetas illos antiquos, quoque destitutos esse viris sapientibus, qui, sive ex verbo Prophetico, sive revelatione Dei, sive aliunde, aliquid certi sciant, quem gradum adflictio sit conscensura, & quem finem habitura. Non dicunt, vel dicere introducuntur, non *potuisse* sciri, sed neminem *secum esse*, qui *sciat*. Poterat utique ex Daniele gradus & terminus adflictionis erui; sed nemo erat inter eos, qui, ingruente hac calamitate, hanc scientiam inde derivavit, sive in eo libro minus versati fuerint, lectione prophetarum nondum vigente, sive de ejus interpretatione minus certi fuerint, sicut ante eventum contingere solet, nisi divina accedat instructio, qua hoc tempore caruisse videntur; postea, cum conamina sua contra hostes feliciter succedere viderunt, inprimis Templum recuperarunt, purgarunt, & sacra restituerunt, ad verbum propheticum, & inprimis Dan., accuratius adtendentes, non defuerunt, qui *sciverunt quousque*; qui librum Dan., clausum eousque, inceperunt referare, intelligere, & alios instruere. Conf. Dan., XI: 33. & quæ ibi protuli. Pf. autem noster cum ad principium adflictionis, quum Templum & sacra desolata jacebant, respiciat, recte dicitur, eos *nescivisse quousque*; maxime si addatur, *scientiam certam* indicari, quam nemo sine Spiritus illuminatione habere poterat.

§. XXV. *Tertia* Pf., seu precationis, pars, qua Deum excitant ad probra hostium, in Deum & populum ac religionem ejus conjecta, ad animum revocanda, & vindicanda, ratione movente a Dei Majestate & potentia, quæ ejusmodi probra reddit intolerabilia, petita, hoc ordine instituitur. 8. Per modum interrogationis præmittunt, & precibus præstruunt, fieri non posse, ut hostium insultus durent in perpetuum, & Deus quiescat ad consummationem popu-

li

li usque, verſ. 10, 11. ב. Preces fundere incipientes ſeſe diffundunt in Majeſtatis & potentiæ Dei, multis ſignis demonſtratæ, deſcriptionem, ut Deum ad audiendas preces moveant, verſ. 12—17. ג. ipſam precationem directe proferunt, verſ. 18. ד. Duo, per modum introductionis, interrogant, *alterum*, quousque duraturæ ſint hoſtium exprobationes contumelioſæ, verſ. 10. *alterum*, quare Deus quietum ſeſe teneret ad conſummationem usque, verſ. 11.

§. XXVI. *Prius*, quod præmittunt, ita ſonat, verſ. 10. *Quousque probro deſtringet, o Deus! hoſtis, feroci niſu fugabit nomen tuum inimicus? an in purum putum?* h. e. extranei & improbi ac apoſtatæ tui, hoſtes & inimici acerrimi, qui nomen tuum in populo & cultu tuo contumelioſe tractant, omne decus & honorem ei deſtringentes, ſeſeque omni niſu, omnibus viribus, nomini tuo opponunt, ut illud defugiant, & e medio tollant; quousque in eo erunt? ad quem terminum, ad quem gradum, id facient? an perfecte & in perpetuum? quam illud abhorret, & ſtupendum! Significant, hoſtes id omni conatu agere, & jam aliquandiu egiſſe; & interrogant quousque? reſpondentque nova interrogatione, an in *purum putum*? h. e. plene & perpetuo, ut ſupra vidimus, verſ. 1. eoque indicatum volunt, id valde alienum eſſe, nec fieri poſſe; adeoque Deum vindicare debere. Vox נצח ſeorſim capienda eſt, & reſponſum continet per modum interrogationis prolatum; uti verſ. 1. habuimus: ſecus ac vulgo ſolet, cum una ſerie legatur, *quousque in æternum?* quod ferri non poteſt; uti ad Pſ. XIII: 2. jam obſervavimus. Cum vero poeta hoſtes duobus diſtinctis epithetis inſigniat, eos *coarctatores* & *inimicos* adpellando, duobus etiam diverſis verbis utatur ad facinora eorum deſignanda, quæ utraque *cum nomine* Dei conſtruenda ſunt; forte ita diſtinguere liceat, ut prius ad *extraneos*, poſterius ad *apoſtatas* Israelis referatur. Licet enim utrumque verbum in utrosque conveniat; & iis aptan-

dum ſit, poſterius tamen proprie magis in apoſtatas qui omni niſu ſeſe in Deum & legem contumaces præbent, & eum fugiunt, ac ſeſe omni vinculo exſolvunt; quod verbum נאץ in origine & uſu ſuo dicit. Proprietatem habet in *vibrantia tumida*, & inde tranſiit ad *contumaciam*, etiam Lat. a *tumendo* dictam, acriter *renitentem* ac expellentem, & uſu ſuo comprehendit efferatum ac ſuperbum niſum ſeſe obedientia Dei exſolvendi, quin hoſtiliter effugandi ac opprimendi: de quo legendus eſt Cl. Schrœder *a*. Quod quam apte in apoſtatas quadret, tempore Antiochi Epiphanis, nemini non patet. Alterum verbum חרף proprie valet, *carpſit*, *carpendo* deſtrinxit; inde *obtrectare*, *meritis detrahere*, contemtim habere, lacerandum tradere; quod Syro-Macedonibus recte convenit, ut de Aſſyrio tempore Hiskiæ quoque habetur, 2 Reg. XIX: 4. *cum* quod Deum Israelis tanquam non Deum traduxerint, qui populum ſervare nequeat, *tum* quod populum & religionem ejus verbis & factis contumelioſe tractarint, & e medio tollere conati ſint. Quæ non ſunt difficilia. Conf. Dan. VII. & VIII. & quæ ibi in Comm. protuli.

§. XXVII. *Poſterius* interrogatum, quare ſe Deus ad conſummationem usque quietum teneat, eodem tendens, ut, cum illud fieri nequeat, Deus excitetur ad populum liberandum, ita habet, verſ. 11. *Quare reduceres manum tuam, & dextram tuam, e medio in ſinum tuum* ad *conſummationem?* h. e. Fieri non poteſt, ut hoſtes in purum putum ita contumelioſe & obſtinate in nomen tuum agant; cum nulla ſit ratio, quare manum tuam, dextram illam, qua nobis juraſti, & tot præclara feciſti in bonum populi tui, e medio & prælio, ſeu bello, in *ſinum* tuum reduceres in perpetuum, otioſus noſtram conſummationem intuitus. Quæ paraphraſis & verſio ut intelligatur, notandum eſt 1. in חוקך deficere ב, ex præcedente ב in מקרב. Qualia plura ſunt exempla. Significat autem, quæ communis quoque eſt ſententia,

a Ad Pſ. X: 3.

tentia, *ſinum*, ſive חיק ut marg. lectio habet, legatur, ſive, ut textualis, חק, perinde eſt; eſt enim tunc contracte ex מקק, a rad. חוק *cinxit*. Conſtrui vero debet non cum קרב, ut ſolet, acſi eſſet, *e medio ſinus*, quod ſenſum non fert tolerabilem, ſed cum תשיב, ut ſit, *reduces manum in ſinum*, pro, quietam tenebis & otioſam; quo nihil eſt facilius. Cl. Schult. vertit, *decretum*, & cum כלה *conſumma* conſtruit, ut ſenſus ſit *decretum tuum perfice;* ſed 1. nusquam denotat *decretum*, quidem præceptum & ſtatutum: quod huc non quadrat. 2. Phraſis, *perfice decretum*, nimis generalis eſt, nec definitum habet ſenſum; ignorabatur præterea *decretum Dei* in favorem populi, cum dixerunt, *nemo eſt, qui novit quousque?* 3. Preces demum incipiunt, verſ. ſeq. 2. Vox מקרב *e medio* aliquid de ambiguo trahit, cum verti etiam poſſit, levi mutatione punctuationis, מקרב, *e bello* vel *prælio;* quod utrumque hic admitti poteſt, ad ſenſum uberiorem conſtituendum; adeo ut ſenſus ſit: quare reduceres manum *e medio*, ſcilicet populi, & *e bello*, quod cum hoſtibus gerimus; h. e. quare potentiſſimum tuum auxilium nobis, & hoc in caſu difficillimo, ſubduceres. Vulgo cum ſeq. voce ſolet connecti, & verti, *e medio ſinus*, quod modo removi, nec emphaſin habet. Cl. Schult. ex Arab. reddit, *brevi;* ut ſit, *brevi*, *cito*, *decretum tuum perfice;* quod etiam refutavi, nec מקרוב ſed מקרוב eo ſenſu occurrit in Script. ut Job. xx: 5. 3. Vox כלה, ſi non ſit leg. סלה, nota muſica, ut Syr. videtur legiſſe, cum in verſione, ſicut hanc vocem ſolet, prætermiſerit, eſt pro לכלה vel עד-כלה εἰς τέλος *ad finem*, ut LXX verterunt, ad *conſumtionem usque*, ut 2 Reg. XXII: 17. Ezr. IX: 14. עד-כלה & עד לכלה 2 Chron. XXXI: 1. XXIV: 10. Ellipſis ל & עד non eſt inuſitata. 4. Denique vis ſententiæ eſt in hac voce כלה ad *finem*, *conſummationem* usque; & hunc fundit ſenſum totus verſus: *quare manum tuam e medio in ſinum reduceres ad conſummationem usque?* h. e. quare manum tuam nobis ſubtraheres, ut nunc facis, nos hoſtibus tradendo? quare hoc faceres ad

conſummationem, & conſumtionem noſtram usque? Indicant, Deum manum ſuam e medio populi in ſinum condidiſſe, opem populo ſubtrahendo, & rogant, quare Deus ita ſe gereret adfinem usque? quo ſignificant, id fieri non poſſe, ejus non eſſe rationem, Deo dignam; maxime cum *dextram* ſuam Deus ſubduxerit in ſinum, qua ſeſe juramento obſtrinxerat populo. Hanc enim emphaſin habere videtur, loco huic maxime congruam, *dextræ* mentio, addita *manui*. Sicut enim *manus* Dei potentiſſimum ejus auxilium, invictam Dei potentiam, multis ſignis demonſtratam in regimine mundi & Eccleſiæ, ita *dextra*, ei adjuncta, & expreſſe memorata, ad vim jurisjurandi & foederis, *dextra* data firmati, reſpicit. Sic *dextra* abſolute pro *jurejurando* ſumitur *a*.

§. XXVIII. 2. His præſtructis, ſeſe convertunt ad preces, quas incipiunt cum recenſione præclarorum Dei facinorum in mundo & Eccleſia, eo ſcopo inſtituta, ut, Deum indigniſſime ab hoſtibus traduci, tanquam inbecillem, qui ſervare nequeat populum, demonſtrent, ſimul ferendam non eſſe Deo, tanta Majeſtate & potentia prædito, hanc blasphemiam hoſtium & impiorum, evincant, & Deum ea ratione ad promtum auxilium excitent. Quæ ſumma eſt, & ſcopus, pericopæ, verſ. 12—17. In qua *α*. Deum tanquam regem ſuum ab antiquo, & ſervatorem, adloquuntur, verſ. 12. *β*. ſeſe ea occaſione diffundunt in recenſionem præclarorum Dei operum, verſ. 13—17. *α*. Preces ſuas antequam proferant, Deum, quem ſupplicant, a relationibus ejus ad ſe deſcribunt, ut Deum ad preces audiendas per eas relationes moveant, verſ. 12. *Itaque Deus! rex mi ab antiquo, liberationes perficiens in medio terræ.* Sic reddenda ſunt vocabula, & cum verſ. 18. connectenda, ubi precatio profertur, intermediis ad potentiam Dei extollendam per parentheſin inſertis; ita ut oratio hac ratione cohæreat. *Itaque Deus rex mi! ——— recordare hujus* &c. Vulgo

a Vid. Schultens ad Pſ. CXXXVII: 5. CLIV: 8.

Vulgo ſuppleri ſolet *es*, vel *eras*, & verba ſeorſim capiuntur; ſed, cum verſ. 18. habeatur ſimpliciter, Deo non nominato, *recordare hujus*, verba quoque proprie ſonent, *Deus rex meus* ab *antiquo*, *operans ſalutes*, ſine verbo *es* vel *eras*, rectius utique ſermo, ut dixi, fluit, ſi verba cum verſ. 18. connectantur, & *Deus* hic cenſeatur proponi, tanquam quem precibus adloquantur. Particula vero ו & connectens orationem cum ſuperioribus, & *Deus*, recte pro *itaque* ſumitur; hac ratione: cum fieri non poſſit, ut hoſtis in perpetuum convitiari permittatur, & manum tuam ſubducas in conſumtionem usque; fidenter noſtras preces ad Te adlegamus pro liberatione noſtra; *itaque Deus! —— recordare, qui rex noſter es ab antiquo & ſalutes operatus es in terra*, fere quemadmodum, verſ. 2. *recordare coetus tui, quem acquiſiviſti olim, redemiſti* &c. Quæ duo hic etiam memorant beneficia in ſe collata, *alterum*, quo Deus *regis* populi perſonam adſumſerat, *alterum*, quo multipliciter populum liberaverat, & ſe *redemtorem* ejus præſtiterat, quare *rex* populi *ab antiquo* adpellatur, ut ſupra, quem *acquiſiviſti* ab *antiquo*, & ſubjungitur multiplex ſalus populo, in terra jam degenti Cananæa, conceſſa, ſicut ſupra, *quem redemiſti*. *Rex* itaque populi *ab antiquo* adpellatur, quatenus eum ſibi olim *acquiſivit* populum, *regnum ſacerdotale*, ex Aegypto liberando, & in regnum ſacerdotale formando ad montem Sinai. Sed addit, Deum *ſalutes* eſſe *operatum in terra*, ſeu multiplices & mirabiles liberationes magno molimine & miraculoſe conceſſiſſe populo in terra promiſſa jam verſanti: *ſalutes* enim in plur. memorantur, & verbum פעל adhibetur, maxime emphaticum, quo opus arduum, & molimen aliquod, exprimitur. Digitus itaque ad omnes illuſtres liberationes, quas populus in Cananæa unquam acceperat, intenditur, uti Jeſ. xxvi: 12. *Jehova dispones pacem nobis, quia etiam omnia opera noſtra perfeciſti nobis*, inquiunt Judæi iisdem temporibus Maccabaicis. *In medio terræ* cum dicunt, ad eas liberationes, quas

in terra Cananæa jam degentes nacti erant, eos reſpexiſſe manifeſtum eſt. Reliqua ſunt facilia, nec neceſſe habeo earum liberationum catalogum ducere, cum nemini non notæ ſint.

§. XXIX. β. Interſerunt per modum parentheſios, antequam precationem proponant, maxime notabilia & miraculoſa Dei opera in gratiam populi Dei patrata, quibus ab Aegyptiis & aliis hoſtibus liberatus, per deſertum transiens cibatus & potus, ac in poſſeſſionem terræ Cananææ immiſſus eſt, nec non manifeſta potentiæ & dominii Dei in omnia creata indicia, verſ. 13—17. Ubi *a.* recenſentur miraculoſa Dei opera in ſalutem populi, antequam ſtabiles nactus eſt ſedes in Cananæa, quibus Deus ſeſe *regem* ejus potentiſſimum demonſtravit, & populum ſibi acquiſivit: verſ. 13–15. *b.* Signa dominii Dei in totum univerſum nonnulla memorantur, verſ. 16, 17. fere quemadmodum, Pſ. cxxxv & cxxxvi. quibuscum noſtra hæc pericopa tota eſt conferenda. *a.* Miraculoſa Dei opera in commoda populi, quibus ex Aegypto liberatus, per deſertum ductus, & in Cananæam intromiſſus eſt, memorantur & celebrantur ſequentia. 1. Primum eſt, Aegyptiorum & aliorum hoſtium potentiſſimorum, ante & poſt introitum in terram promiſſam, ſubjugatio, verſ. 13, 14. his verbis: *Tu æſtuare feciſti ac incidiſti robore tuo mare, confregiſti capita cetorum ſuper aquis. Tu tundendo contriviſti capita Leviathanis, dediſti ipſum cibum populo.* h. e. ſicut Deus es, qui multiplices ſalutes nobis procuraſti in terra Cananæa, & regem noſtrum te præſtitiſti, nos tibi acquirendo; ita Aegyptios, qui nos opprimebant, & inſectabantur, aquis maris rubri commotis & fiſſis miraculoſe, per quas nobis tranſitum feciſti, confregiſti ſuper aquas, inſtar *cetorum*, præterea feros & potentiſſimos populos cis & trans Jordanem, inſtar draconum nos abſorbere conatos, contriviſti, & populo tuo in cibum dediſti, & terras & opes eorum ipſi concedendo. Orationem eſſe figuratam, non proprie & litte-

litteraliter intelligendam, quæ communis eſt ſententia, ex eo facile eluceſcit, quod confractio cetorum in aquis, & Leviathanum, hic occurrat, tanquam ſingulare aliquod & miraculoſum facinus a Deo aliquando patratum, & maris commotio ac fiſſio ſpeciatim memoretur, denique Leviathanum traditio in cibum populo addatur. Accedit harmonia Script., quæ de Aegyptiis & aliis hoſtibus eadem ſub figura loqui ſolet, ut Jeſ. LI: 9. XXVII: 1. Ez. XXIX: 3. & ad Deum excitandum ad liberationem populi antiqua illa opera miraculoſa in medium adferre, ut Jeſ. LI: 9, 10. LXIII: 11. Pſ. CXXXV, CXXXVI. & alibi. Retulerim autem verſ. 13. ad Aegyptios, & verſ. 14. ad Amorrhæos ac Baſanitas & Cananæos; ad quos phraſes nos manu quaſi ducunt, ut explicatio docebit.

§. XXX. Ad Aegyptios mari rubro ſubmerſos pertinet verſ. 13. *Tu æſtuare feciſti & incidiſti robore tuo mare, confregiſti capita cetorum ſuper aquis.* Ubi duo miraculoſa Dei opera in mare edita memorantur; *alterum* eſt commotio & fiſſio ejus robore Dei, *alterum* capitum cetorum confractio in aquis: quæ proprium habent & figuratum ſenſum, utrumque huic loco congruum. *Proprius* reſpicit ad mare rubrum in magnum æſtum a Deo commotum, & ea ratione in partes ſciſſum, quo populo liber præbitus eſt tranſitus, & Aegyptii, inſtar cetorum, aquis deleti ſunt. *Prius* membrum habet, *tu æſtuare feciſti & fidiſti robore tuo mare.* h. e. vehemente æſtu diffluere feciſti mare, & aquas varie incidiſti, ut per eas tranſierit populus: quod quidem non additur, ſed mente intelligitur, ut Jeſ. LI. Pſ. CXXXVI: 13, 14. LXXVIII: 13. & alibi. Verbum vero פורר duplicem exſe rit emphaſin, pro diverſa rad. פרר & פור, unde פורר in Pih. derivari poteſt; פר vero proprie eſt, vehementer *bullivit, æſtuavit*, unde פורה *torcular*, ab æſtuando, quod muſtum calcando expreſſum ex prælo æſtuaret, vel impetu æſtuante effluereret. Sed פרר habet vim *infractionis* per crenas & inci-

inciſuras ad abolitionem vis & impetus *a*. Utrumque in mari rubro tunc viſum eſt; valido enim vento commotum eſt mare, & diffluxit, ac inciſæ ſunt aquæ, ut utrinque inſtar muri ſteterint. Ex. XIV. Pſ. LXXVIII: 13. ubi verbum בקע *findere* adhibetur. *Poſterius* membrum habet, *confregiſti capita cetorum ſuper aquis*, ſcilicet turbine concitato & aquis circumſtantibus ac ſuperne imminentibus: ut על המים ſit *exſuperantia aquarum*, quæ propria eſt vocis על *y* poteſtas. Adfert quoque verbum רגז *æſtuationem*, ut modo dixi, adeoque, ſicut mare commotum vehemente æſtu ſciſſum eſt ad liberum Israeli tranſitum præbendum, ita rurſus vehemente æſtu rediit, & Aegyptios ſuffocavit, adeo ut fracti ſint aquis exſuperantibus. *Capita vero cetorum* ſunt ipſiſſima cete; vel & præſtantiſſima cetorum; vox enim ראש aliq. *perſonam* ipſam ſignat, ut *caput canis*, pro cane. 2 Sam. III: 8. *caput viri* pro *viro b*. Sic & Pſ. LX: 9., ſed & *præſtantiſſimum* quemque, vel quidque, denotat, Ez. XXVII: 22. Ex. XXX: 23. Pſ. CXLI: 5. Sunt autem hoc loco Aegyptii, & eorum primores, feri illi, terribiles, voraces & oppreſſores populi Dei, cum *cetis* comparari ſoliti *c*. Sed admittit totus verſus quoque ſenſum figuratum, quo *mare* expingit populum Aegyptiacum, *capita cetorum*, ſeu *cete*, reges & principes, *ſuper aquis* illis eminentes, & iis dominantes, voce illa cum *cetis* conſtructa, ut poteſt, vid. Jeſ. XXVII. ubi *cete* dicitur eſſe *in mari*: *æſtuatio* ac *inciſio* maris eſt populi conturbatio per judicia Dei & plagas inflictas; *confractio* capitum cetorum eſt regis & primorum deſtructio, ut in *primogenitorum nece* adparuit. Quæ verbo tetigiſſe ſuffecerit. Conf. Jeſ. LI: & ibi Cl. Vitringa.

§. XXXI. Alterum verſum, 14*tum*, qui ita habet, *Tu contudiſti capita Leviathanis*, *dediſti ipſum cibum populo*; non exiſtimem ad eosdem hoſtes, ſeu Aegyptios, pertinere, ſed alios, trans & cis Jordanem, Amorrhæos, Baſanitas, & Cana-

a Schultens ad Job. XVI: 12. *b* Schultens ad Pſ. CXXXIX: 17. *c* Vitringa ad Jeſ. LI.

Cananæos; quod novum emblema occurrat, in Aegyptios minus quadrans, & expreſſe præmittatur *tu* contudiſti, argumento, quid novi hic memorari, ceteroquin enim *tu* repetitum emphaſi careret. Putant vulgo, *Leviathanem* eſſe *crocodilum*, & litteraliter reſpici ad pisces magnos, ad littus ejectos, & Ichtyophagis ad mare rubrum in cibum cedentes. De quo vid. Bochartus *a*. Vox לויתן non ſignificat *crocodilum* aut *orcam*, ut nonnullis viſum, ſed *draconem*; vi vocis ſerpentem, vel draconem, *tortuoſum*, ut Jeſ. XXVII: diſerte additur, ex ן ſyllaba ſervili, per quam formantur adjectiva qualitatum, vel תן *draco*, unde תנים rad. תנן *vaſto hiatu ſorbſit*, adeoque *monſtrum maximum*, vel terreſtre, & לוי *plicatus*, *intortus* fuit *b*. Emblema eſt hoſtium potentum, terribilium, & maxime infeſtorum; hic Sichonis, Og, gigantum, & ſimilium, in Cananæa Deut. IX. quorum etiam expreſſa fit mentio, Pſ. CXXXV. & CXXXVI. Quibus unice convenit; quod Deus Leviathanem *dediſſe* dicatur *cibum populo*, non proprie, ſed figurate; quatenus eorum regna, terræ & opes, populo Dei ceſſerint in perpetuam poſſeſſionem, & facile victi, ac deleti ſint ab Israele. *Populus* itaque eſt Israel, κατ' ἐξοχὴν *populus* dictus, quia eximius erat & ſingularis, nobilis & excellens populus, præ reliquis nationibus illud nomen meritus; ſicut & alibi ita adpellatur per excellentiam, & habuimus Pſ. LXXII: 3. Huic populo Deus *dedit*, proprie *dabit*, ut perpetua, & in futurum ſeſe extendens, datio exprimeretur, quæ vis eſt fut. hoc in loco, dedit *eum*, ſcilicet *Leviathanem* complexe ſumtum, modo memoratum, totum quantum, cum hominibus ſeu civibus, terra & bonis: dedit eum populo מאכל vel *conſumtionem*, vel *cibum*; quem utrumque ſignificatum admittit vox. *Prior* ſi obtineat, ſenſus erit, Deum in gratiam populi tradidiſſe hoſtes illos in perniciem; ſicut Chald. reddidit; alias in conſumtionem *gladii*, vel *ignis*, ut Jeſ. IX: 4. & Jeſ. I: 20. *gladio conſumemini*: *poſteriori* ſi locus

 detur,

a Phal. l. IV. c. 29. *b* Schultens ad Job. XL.

detur, ſignificabitur, hoſtes Israeli eſſe traditos abſumendos, & poſſidendos, ac in uſum ſuum vertendos, Deut. XX: 14. idque facili negotio, ſine multo labore inſtar *cibi*, qui comeditur. Sic Num. XIV: 9. regionis ejus, Cananææ, *incolas ne timeatis*, inquiunt Joſua & Caleb ad Israelem, *quia panis noſter illi* ſunt, *umbra eorum ab iis receſſit*, *Jehova vero nobiscum eſt*. h. e. facili negotio illos ſuperabimus, delebimus, & eorum poſſeſſiones noſtras faciemus: ubi vid. Clericus. Ib. XXIV: 8. *gentes ſibi inimicas comedet*, abſumet, *oſſa earum franget*. Deut. VII: 16. *Comedes*, conſumes delebis, *omnes populos*, *quos Jehova Deus tuus dat tibi*. Quæ loca noſtro illuſtrando abunde ſufficiunt, &, utrumque ſenſum eſſe conjungendum, docent. Sunt, qui verba vel proprie intelligunt, & ad *Leviathanem* in cibum dandum Ichtyophagis referunt, hunc in modum; *dediſti ei cibum populo*, & ad Israelem in deſerto cibatum adplicant; ut Jun. & Gatakerus, ſed *prioribus* obſtat, quod Leviathan non ſit *crocodilus*, ſed *draco*, nec emphaſios multum habeat, *crocodilum* dari populis illis in cibum: *poſterioribus* vero, quod voces eum ſenſum non ferant; cum לעם *populo* debuiſſet immediate tunc adnecti verbo *dare ei*: licet ne ſic phraſis foret facilis. Quare acquieſcimus in noſtra interpretatione, quæ nihil habet, quod offendit.

§. XXXII. 2. *Secundum* opus Dei miraculoſum in gratiam Israelis verſ. 15. his verbis exhibetur. *Aridis tu fidiſti fontem & torrentem*. h. e. arida loca & dura, in gratiam ſiccorum & ſiticuloſorum, fidiſti, & findendo erumpere feciſti fontes & rivos aquarum. Solet quidem vox לציים cum præced. לעם jungi, ſed longe rectius cum ſeq. conſtruitur, cum quod לעם לציים ſit inſolita phraſis, quæ emphaſi caret, tum quod *ariditatis* mentio recte conveniat in opus Dei hic memoratum, quo *fidiſſe* dicitur *fontes*, ſeu findendo erumpere feciſſe, *findendo* nim. arida & dura in gratiam eorum, qui in ſiccis locis verſabantur, & ſiti laborabant: quemadmodum Pſ. LXXVIII: 17., ubi de hac eadem re agi-

tur,

tur, Israel moratus legitur, hac eadem voce, בציה *in aridi-tate & ſicca terra:* &, quod in rem aptius adhuc eſt, Pſ. cv: 41. *Aperuit*, ſculpendo vel findendo, צור *rupem*, & *fluxe-runt aquæ*, *iverunt* בציה *in ariditatibus*, & ſiccis locis, *fluvii.* Ita noſtro loco ציים ſunt vel *ſicca* & arida loca, alias ציה in fœm., vel incolæ ibi degentes, & ſiti preſſi, ut alibi ſumi ſolet, ſive ſint *homines*, ſive *feræ*. *Loca* ſi intelligantur, ſenſus erit, *ea* eſſe *fiſſa* in *fontem* & *torrentem*, ut ל in לציים ſit nota accuſativi, ut ſæpe alias. Sed ſi de *hominibus* capias, לציים erit in uſum ſiccorum & arida loca transeun-tium; *tu fidiſti*. h. e. ſenſu prægnante, findendo erumpere feciſti *fontem* & *torrentem*. Forte excidit, aut per ellipſin reti-cetur, vox ציים, per vocem ſimilium fere litterarum ציי abſorpta, ut plene ſit; ציים לציים, aridis & deſerticolis *rupes tu fidiſti*, vel *e rupibus* fidiſti *fontem & torrentem*; ſi-cut Pſ. LXXXVIII: 15. *fidiſti rupes*, &c. Quicquid ſit, du-bium non eſt, quod Interpretes communiter ſtatuunt, quia ad miraculoſum illud Dei opus reſpiciatur, quo rupes hæ ſunt a Deo ſciſſæ & in rivos aquarum mutatæ, in gratiam Israelis in arido deſerto degentis, & ſiti graviſſima laboran-tis. Cujus beneficii & in locis Pſ. citatis expreſſa fit mentio.

§. XXXIII. 3. Tertium opus miraculoſum verſ. 15. ita ſonat: *tu arefeciſti flumina perennitatis*. h. e. Sicut in aridis locis fidiſti fluvios in gratiam Israelis, ut potaretur, ita fluvium maximum, perenniter & perpetim fluentem, exſic-caſti in eorum gratiam, ut per eum tranſirent in terram promiſſam; ſimul populos, uberi & inexhauſta vena felici-tatis fluentes, deſtruxiſti, cum omni eorum faſtu & religio-ne. Verba habent ſenſum litteralem, & figuratum, ſeu my-ſticum, eo involutum. *Litteraliter*, quod omnes obſerva-runt, reſpicitur ad miraculoſam *Jordanis* exſiccationem Joſ. III., qui κατ' ἐξοχὴν *fluviorum* nomine venit, quod ſit præcipuus ibi loci & maximus, & *perennis* dicitur, ob con-tinuum & vehementem fluxum aquarum, maxime quo tem-pore Israel eum tranſiit, quæ vera poteſtas eſt vocis איתן; ut

docuit Cl. Schultens *a*. *Arefactio* vero æque ipſi eo tempore adtribui poteſt, ac *mari rubro*, Joſ. 11: 10. & Jeſ. LI: 10. Sed in hoc facto exiſtimem ſimul ſpectari, ſicut fit Joſ. 111: 10., *exſiccationem* incolarum Cananææ, qua opibus, potentia & religione ſunt orbati: quemadmodum emblema occurrit Jeſ. XLII: 15. *deſolabo montes & colles, & omne gramen eorum arefaciam, & ponam fluvios in inſulas, & ſtagna arefaciam*, ubi vid. Cl. Vitringa. Sic *fluviorum fiſſio* in deſerto quoque referri myſtice poterit ad ſtatum Israelis in Cananæa, *melle & lacte fluente*.

§. XXXIV. *b*. Subjunguntur generalia potentiæ & dominii Dei in omnia creata ſpecimina, ad Dei ſupremum & potentiſſimum dominium in cœlo & terra demonſtrandum, & tanquam ſolum verum Deum celebrandum; quemadmodum, in aliis Pſ. CXXXV. & CXXVI. quoque fieri, ſupra obſervavimus. Verba ita habent, verſ. 16, 17. *Tibi dies, etiam tibi nox; tu concinno & firmo ordine diſpoſuiſti luminare & ſolem. Tu conſtituiſti omnes terminos terræ; æſtatem & hyemem tu formaſti*. h. e: ſicut cœli & terræ creator, ita & conſervator ac rector es abſolutiſſimus & potentiſſimus, adeo ut *tuum* ſit illud omne, & a tuo dependeat nutu. Nihil hic difficile, quod noſtram requirit operam. Quare illud tantum obſervo, lucis & tenebrarum, æſtatis & hyemis, ſpecialem mentionem & eo ſpectare, ut, felicia & infelicia tempora Divinæ gubernationi eſſe ſubjecta, ſimul inculcaretur, adeoque non eſſe infirmitati Dei adtribuendum, ut exprobrabat hoſtis, quod tanta infortunia premerent populum Dei, & hoſtibus tanti ſucceſſus concederentur. Conf. Jeſ. XLV: 7. —— *ego Jehova & nemo amplius: formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Jehova facio hæc omnia.*

§. XXXV. 1. Sequitur tandem ipſa precatio, verſ. 18. *Recordare hujus: inimicus probro deſtringit Jehovam, & populus flagitioſe ſtultus feroci niſu fugat nomen tuum*. h. e. Deus!

a Orig. t. 1. cap. 8.

Deus! cum tu talis ſis, qualem deſcripſi, ipſo facto demonſtra, te ad animum revocare *hoc* tam enorme, & non ferendum, facinus, ab hoſtibus & improbis populi commiſſum, quo te Jehovam probris lacerant, & nomen tuum magnificum ac glorioſum furioſo niſu repellunt, & evertere conantur. Cohærent hæc verba, ut ſupra dixi, cum verſ. 12., & ipſas preces, quibus contumeliam, Deo factam, vindicatam cupiunt, comprehendunt, cum Deo adeo ſit injurioſa, adverſaria, adeoque non ferenda amplius. Inſigni emphaſi pollet vocula זכר *recordare hujus*, abſolute poſita, qua enorme ac flagitioſiſſimum facinus denotat; ut alibi *a*. Pertinet vero ad ſeq., ubi crimen illud exponitur, ut oratio hac ratione decurrat, *recordare hujus*, ſcilicet, *hoſtis probris deſtringit Jehovam*, &c. hoc eſt crimen non tolerandum Deo. Verba ſupra jam habuimus, & expoſuimus, verſ. 10., quare uno verbo tantum obſervo, *populum ſtultum*, ab *hoſte* diſtinctum, referri poſſe ad *improbos Israelis*, ſupra verſ. 10. epitheto *hoſtis* inſignitos; quemadmodum Israel a Deo deficiens adpellatur, Deut. XXXII: 6., ubi notæ noſtræ ſunt conſulendæ, quibus acumen & emphaſin epitheti, relate ad Israelem, expoſui.

§. XXXVI. *Quarta*, & ultima, Pſ. pars preces continet pro liberatione populi a perſecutione, & auxilio iis præſtando, qui ſeſe hoſtibus pro populo opponebant, ut læti & triumphabundi redeant, eumque in finem Deum excitant ad cauſam ſuam & populi agendam; adeo ut oratio ſit א. precatoria, verſ. 19—21. ב. excitatoria ad Deum judicem directa. verſ. 22, 23. א. In priore ſupplicant parte α. liberationem a perſecutione hoſtium, vitæ piorum avidiſſime inhiantium, addita ratione a fœdere Dei petita, & immani impiorum violentia, verſ. 19, 20. β. felicem ſucceſſum expeditionis heroum populi contra hoſtes, verſ. 21. *a*. Preces pro liberatione ſua *a*. proponunt, verſ. 19. *b*. urgent ex conſideratione fœderis & violentiæ graſ-

 ſantis,

a Vid. ad Deut. XXXII: 6. & Mal. I: 6.

ſantis, verſ. 20. *a.* Preces, per modum deprecationis ulterioris perſecutionis, his verbis proferunt, verſ. 19. *Ne tradas catervæ feræ adpetitus turturem tuum, catervæ humilium tuorum ne oblivi ſcaris* in *purum putum.* h. e. Ne patiaris tanquam omni cura tuorum depoſita, ut imbellis & mitis tuus populus plene & in perpetuum inſtar turturis a fera caterva hominum, minas & cædes ſpirantium, & vitam populi tui adpetentium, laceretur ac discerpatur. Quæ verba in priore membro haud exigua laborant difficultate, & varie admodum expediuntur. Duæ ſunt Interpretationes, quæ adtentionem merentur, a Doctis in medium adductæ: quarum *prior*, quæ communem fere calculum meruit, ita vertit, *ne feræ tradas vitam turturis tui:* cui vehementer obſtat vox חית, quæ ſine addito epitheto non denotat feram, ſed vel *agri*, vel *terræ*, vel *arundineti* epitheton ubique ſecum ſolet habere conjunctum; præterea ſtatus conſtructus vocis חית eam non patitur a ſeq. נפש divelli; accedit, mox חית in bonum ſumi, & cum *humilibus* Dei conſtrui. *Poſterior*, cujus ratio habenda eſt, ſententia, quam de Dieu in medium adtulit, hanc dat verſionem: *ne tradas vitam animæ turturis tui*, ſcilicet in necem, ſeu perniciem. Quæ ſpernenda quidem non eſt, nec tamen ab omni difficultate libera. 1. Phraſis, *vita animæ*, eſt inſolita, licet *anima vivificari*, Pſ. XXII: 30. & *in vita poni*, Pſ. LXVI: 8. & *anima crepare in vita*, Job. X: 1. occurrat, nusquam tamen *vita animæ* reperitur, nec hic emphaſin habet, quam in locis citatis, quibus ad *firmas compactiones vitæ* reſpicitur, quæ vis eſt vocis חית. Quid enim hic eſt? ne des *firmam compactionem animæ vel vitæ turturis tui*, quare non dixit, *ne des animam turturis tui?* 2. Verbum נתן *dare* cum voce, quæ habet ל præfixum, ut hic, conſtructum, eo ſenſu ſumi non ſolet, quo vertere liceat, *dare quid*, ſed *dare alicui* ſignificat; licet alias ל nota ſit accus, in hac tamen conſtructione non videtur ſumi poſſe, ut ſit, *ne des* לחית *vitam animæ* &c: 3. Emblema *turturis* quoque exige-

exigere videtur, ut *feræ* mentio præceſſerit, cui diripienda traditur ovis imbellis. Quæ alias ratio dari poterit emblematis? Conjungamus itaque נפש חית, & conſtruamus cum verbo תתן, ac vertamus, *ne des catervæ feræ adpetitus turturem tuum*, forte omnis difficultas disparebit. Vox חית catervam coagmentatam recte denotat, ut ad Pſ. LXVIII: 11, 31. vidimus, ubi in bonum & malum ſenſum, pro diverſo epitheto addito, ſumitur; uti & hic, cum mox in bonum occurrat in altero membro, ubi חית *caterva humilium tuorum* adpellatur populus Dei adflictus. Quæritur tantum, quid ſibi velit epitheton נפש ei additum, *ne des turturem tuum* לחית נפש *catervæ animæ*. Coccejus, cum vertiſſet, ut vulgo ſolet, *ne des beſtiæ animam turturis tui*, ſubjungit: *alioqui* חית נפש *animal animæ* eſſet beſtia vorax, *cupiditatis indomitæ*, præclare & aptiſſime! modo *cupiditas nocendi* una comprehendatur. *Caterva* fera *animæ* elegante & emphatica phraſi eſt caterva *ſpirationis*, quæ ſuperbiam, opum aviditatem, & violentiam ſpirat; cupiditate ſpoliandi, & vaſtandi, inſatiabili prædita eſt. Vox נפש proprie *flatum*, *ſpiritum* denotat, & inde pro flatu ſuperbo, vehementiore adpetitu edendi & bibendi, ut Deut. XXIII: 25. Pſ. CVII: 9. Eccleſ. VI: 7. nec non inſatiabili aviditate nocendi, Prov. XVI: 26. ubi vid. Schultens, ſumitur. Quæ omnes ideæ hic conjungi poſſunt. Caterva נפש itaque eſt, quæ vorax eſt & guloſa, ſicut נפש בעל Prov. XXIII: 2. *homo guloſus*, proprie *præditus anima*, & נפש עזי *fortes animæ*, ſeu cupiditate edendi, *canes*, Jeſ. LVI: 11. quibus competit, quod impiis tribuitur Pſ. XXXV: 25. *ne dicant*, *evax! anima noſtra*, *ne dicant*, *deglutivimus illum*. h. e. adpetitus noſter, eum devorando, eſt expletus. Aptiſſimum emblema hoſtium ejus temporis, in primis Antiochi Epiphanis, ſuperbiſſimi, avariſſimi, & in Judæos ſæviſſimi regis; de quo dixi abunde ad Dan. VIII & XI. Vid. etiam Pſ. LXVIII: 31. ubi *caterva fera arundineti*, & LXXX: 14. ubi *aper ſylvæ*, & *fera agri*, adpellatur. Ceterum cum mox *turturis* fiat mentio, reſpici forte

forte videtur in חית נפש *caterva fera animæ* ad aves rapaces, in ſpecie *accipitrem*, dictum איה a *ſono*, quem edit, voce proxime חיה reſpondente. De quo vid. Bochartus *a*.

§. XXXVII. Huic *catervæ animæ*, ſeu ſpiritus, petunt ne Deus tradat *turturem ſuum*, *ne catervæ humilium ſuorum obliviſcatur in purum putum*. Populum Dei, qui Deo adhærebat, & legis ſtudioſus erat, adpellant *turturem Dei*, & *catervam humilium ejus*. Quæ duo epitheta ſe mutuo illuſtrant, cum prius ſit emblematicum, poſterius magis proprium, & prioris explicativum. *Turtur* avis caſta, imbellis, gemens, & raptui expoſita, egregie depingit populum, uni Deo, tanquam marito, abnegata idololatria, adhærentem, imbecillem, & viribus deſtitutum, perſecutioni hoſtium expoſitum, & continuo gementem, ac Deum inclamantem; cui epitheton *catervæ humilium* & adflictorum egregie quoque convenit, cum ſocietatem coagmentatam, & firmiter colligatam, quæ vis eſt vocis חיה, conſtituant, ſimul *humiles* ſint, & modeſti, denique adflicti & oppreſſi, quibus *ſuccus vitalis* quaſi expreſſus eſt, & *effluxit*: quæ verbi ענה proprietas eſt, in *fluendo* ſita, unde humilis, depreſſi, adflicti, notio facile orta eſt, quam ubique præfert. Precatio vero eſt, ne Deus eos *tradat*, & *obliviscatur* eorum, in *purum putum*, ſeu plene & perpetuo, in quo vis orationis reſidet; quare לנצח cum *tradere* æque ac *obliviſci* conſtrui debet. Indicant, ſe eſſe *traditos catervæ feræ* & *oblivioni Dei*, & ſupplicant, ut Deus finem imponat, nec plene & in perpetuum ita agat. *Tradere* eſt permittere, non curare, quare mox per *obliviſci* exponitur; quod θεοπρεπῶς eſt intelligendum; ut facile patet, nec noſtra explicatione indiget.

§. XXXVIII. *b*. Urgent preces, & Deum ad exaudiendum movere conantur, ex conſideratione *foederis*, ac *graſſantis* violentiæ publicæ, verſ. 20. *Aeri oculo intuere foedus; quia plena ſunt tenebricoſa terræ, manſiones, violentia.* h. e.

a H. p. 11: lib. c. 8.

h. e. vibrante oculorum acie, tanquam judex & vindex; intuearis, quæso, *foedus*, & tuum, & hominum, ruptum, & conculcatum, omne jus & fas proſtratum, foedusque tuum violatum; quum violentia ubique & palam graſſetur, ejusque ſignis & effectis plena ſint quæcunque loca, & ſubterranea, aut abdita, in quibus latitant adflicti præ violentia, & manſiones quæcunque aliæ commodæ, tuæ & noſtræ, quæ deſertæ jacent ac vaſtatæ. Petunt, ut Deus *intueatur foedus*, ſcilicet Dei & hominum ruptum, tanquam judex & vindex. *Foedus*, abſolute poſitum, & Dei cum populo Israelis, & *hominum*, foedere, ſeu jure naturæ ac gentium, conjunctorum, intelligi poteſt: quemadmodum, Jeſ. XXIV: 5. ubi *foedus æternum* adpellatur. De quo vid. Cl. Vitringa. Hoc foedus cum volunt ut Deus *intueatur*, ſignificant, illud eſſe ruptum, ac laceratum, et petunt, ut Deus, tanquam judex et vindex, acri oculo illud intueatur, ad illud vindicandum. Conf. Jeſ. LXIV: 8. Emphaſi pollet radix נבט, cujus proprietas eſt in tremulo ac coruſco motu, qua fulminis, qua oculi, aut alterius rei, adeoque dicit, *oculis micantibus*, ſeu acribus, intueri, &c. *a*. Addunt, ut demonſtrent, cum foedus eſſe ruptum, tum Deum accurrere debere ad opem ferendam, et foedus vindicandum, violentiam ubique locorum per terram graſſari; his verbis: *quia plena ſunt tenebricoſa terræ, manſiones, violentia*, ſcilicet ſæva, et cruda publice graſſante, ejusque effectis; quæ de *foedere* proſtrato teſtantur. Verba varie vertuntur, et exponuntur; ſed aliam non ferunt interpretationem, ac quam dedi; quæ habet, ſigna et effecta violentiæ conſpicua eſſe in omnibus locis: quæ diſtinguuntur in *tenebricoſa terræ* et *manſiones*, h. e. antra, loca ſubterranea, ſepulchra, et domos commodas, ac amoenas; de quibus dicitur, ea loca *plena eſſe violentia*, quam patiuntur, et cujus ſigna ac effecta præferunt, et non, quam inferunt, et patrant. *Tenebricoſa terræ* ſunt loca abdita,

a Vid. Schultens Orig. lib. I. c. 12.

occulta, ſubterranea, ſive ſint antra, cavernæ, ſpecus, in rupibus, aut infra terram, ſive *ſepulchra;* ſecundum conſtantem vocis uſum; ut loca, in Lex. obvia, ſatis docent: quæ *plena* dicuntur eſſe *violentia*, *cum* quod præ violentia homines eo confugere debuerint, ut eſt Jud. VI: 2., uti tempore perſecutionis Epiphanicæ contigit; quo Jeſ. XXIV: 15. reſpicitur, ubi vid. Cl. Vitringa, *tum* quod ne ibi ſæpe tuti fuerint, ſed violenter mactati; uti exemplum notabile eſt, 1 Macc. II: 31—. *tum* quod occiſi & in tenebricoſa terræ per violentiam miſſi ſint. Adduntur, licet ſine copula, quæ ſæpe alias reticetur, *manſiones*, abſolute poſitæ, adeoque qualescunque, ſive *Dei*, de quibus ſupra, verſ. 4, 7, 8. ſive Israelitarum, de quibus hac ipſa voce Pſ. LXXIX: 7. Vox Hebr. מו ſignificat hospitium commodiſſimum, ad quod tenditur, tanquam *centrum* & *meditullium*, a propria notione *tendendi*, *contendendi*, quæ radici ineſt. Quæ *manſiones* dicuntur plenæ *violentia*, quatenus vel vaſtatæ, vel deſertæ, vel ſpoliatæ ſunt. Quod ulteriore explicatione non indiget.

§. XXXIX. β. Altera pars precum reſpicit ad eos, qui ſeſe ad cauſam populi vindicandam adcinxerant, & hoſtibus ſeſe aperto marte opponebant, & implorationem auxilii Dei, ipſis concedendi, continet, ne confuſi redeant victi, ſed ut victores triumphum canant, & Deum publice laudent, verſ. 21. *Ne redeat adtritus ignominia fractus, adflictus*, ſeu humilis, *& pauper laudabunt jubilis nomen tuum.* h. e. ne qui egreſſus eſt contra hoſtes redeat ex bello & prælio contuſus & ignominia fractus, ſed humiles ac pauperes licet ſint, triumphabundi nomini tuo, in quo exierunt, laudes accinant. Verbum שוב hic peculiarem ſuum uſum exſerit, quo denotat retroactionem cum clade, ignominia & confuſione e bello; alio enim referri commode hic nequit, huc autem aptiſſime; cum addantur epitheta, clade & ignominia adfectis propria; דך נכלם *contuſus*, *ignominia fractus;* quæ jungenda ſunt, & pro adjectivo, ſeu epithetis

thetis ejus, qui *rediit*, habenda; ſecus ac vulgo ſolet; דך enim pro ſubjecto, & נבלם pro adjuncto haberi ſolet, hoc ſenſu, ne adtritus qui eſt redeat ignominia adfectus; quod ad precatores referunt; qui a precibus non redirent confuſi. Sed voces נבלם דך cohærent, & ſtatum ejus depingunt, qui *rediit*; reticetur vero ſubjectum orationis, quod mente intelligitur, & digito quaſi monſtratur, verbo *redire* involutum, & ex nexu facile eruendum, cum præceſſerit *caterva humilium*, & ſequatur *humilis* ac *pauper*. Subjungitur apte, *humiles & pauper jubilis celebrent nomen tuum*, ſcilicet *in quo* egreſſi ſunt, uti habetur Pſ. XX: 8. CXVIII: 10. 1 Sam. XVII: 25. Ducit itaque nos hæc phraſis ad carmen triumphale a victoribus canendum; uti Pſ. CXVIII. hoc tempore, quo hoſtes ſubegerant, facto. Similiter orarunt Maccabæi, 1 Macc. IV: 33. *proſterne eos gladio diligentium te, & laudent te omnes, agnoſcentes nomen tuum hymnis.* Conf. etiam Jeſ. XXIV: 15, 16. XXV & XXVI.

§. XL. 2. Precibus ſubjungunt exhortationem Dei tanquam judicis & *patroni*, ut cauſam ſuam efficaciter agat, & populo adflicto, ſeſeque hoſtibus opponenti, ope ſua ſuccurrat, hoſtesque reprimat, ratione ducta ab opprobrio, Deo & populo furioſe illato; verſ. 22, 23. *Surge Deus! litiga litem tuam, recordare opprobrii tui a mihi ſtulto omni die. Ne obliviscaris vocis hoſtium tuorum, ſtrepitus inſurgentium tuorum æſtuantis jugiter.* Quæ nihil habent difficilis, ex ſuperioribus non facile expediendum. Conf. etiam dicta ad Pſ. XLIII: 1. Excitatur Deus, tanquam judex & vindex, ad cauſam ſuam & populi decidendam, & opprobrium ac ſtrepitum hoſtium vindicandum. Tantum not. in ultimo membro verſ. 23. reſpici ad aquas æſtuantes & ſtreperas, quibuscum populi hoſtiles comparantur, Jeſ. XVII: 12. Pſ. LXVI: 8.

PSALM. LXXV.

1. *Præfecto, ne perdas, Psalmus Asaphi, canticum.*

2. *Confitemur tibi, Deus! confitemur: & propinquum est nomen tuum, narrant mirabilia tua.*

3. *Quia recipiam conventum, ego rectitudines,* seu *in rectitudinibus, judicabo.*

4. *Fluctuarunt terra, omnesque incolæ ejus; ego ad libellam exegi columnas ejus.*

5. *Dixi, dicoque, splendida fortuna coruscis, ne ea efferamini, & inprobis, ne extollatis cornu.*

6. *Ne extollatis in altum cornu vestrum, loquamini collo erecto rancidum.*

7. *Quia nihil ex ortu & occasu, ex deserto & montibus.*

8. *Quia Deus judex, iste deprimit, & iste extollit.*

9. *Quia calix est in manu Jehovæ, &,* vel *cujus, vinum fermentescit, plenum mixtione* venenata, *& ebullire faciet ex eo: etiam,* vel *profecto, exsugent bibent fæces ejus omnes inprobi terræ.*

10. *Et,* vel *at, ego publicabo in æternum, psallam Deo Jacobi.*

11. *Et omnia cornua improborum succidam, exaltabuntur cornua justi.*

PRO-

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt celebratio Dei Israelis, qui ſeſe nunc glorioſum in medio populi præſtiterat, cum gratiarum actione conjuncta, ab illuſtri viro, ſuprema poteſtate in civitate & Eccleſia Dei prædito, facta, ſuper ſingularibus prærogativis, & beneficiis ſibi & populo conceſſis, quod mox locum & tempus conventus Dei & populi in medio ſedis ſuæ ſit accepturus, quo rectitudines poſſit exercere; quodque ipſe ſtatum populi miſere turbatum & collapſum potuerit reſtituere & firmare; quodque denique tempus adluxerit, quo Deus ſe declaravit judicium exerciturum, adeoque omnes admonendi ſint de ſuperbia & inſolentia deponenda, ni gravi judicio velint proſterni: ſubjuncta profeſſione propoſiti ſui de Deo in poſterum laudando, & ad ejus exemplum impios delendo, ut juſti capita exſerere poſſint. Illuſtris vir, qui hic in ſcenam producitur loquens, cum ſuo & populi nomine celebrationem ac gratiarum actionem, Deo publice factam, qui ſeſe propinquum & mirabilem præſtiterat, & omnium ora in ſuam laudem reſolverat, expreſſiſſet, beneficia, ſibi & populo facta, tanquam laudationis Dei materiam & rationem, recenſet *tria*, *primum*, mox repræſentandum, quo conventum Dei & populi in medio ſui reciperet, & rectitudines faceret; *ſecundum*, præteritum & recens factum, quo remp. labefactatam & dilapſam diſpoſuerat & firmarat, *tertium*, poſt futurum, quo Deus ſe judicem & vindicem ſcelerum per orbem præſtaret; adeoque omnes admonendi ſint, ut ſpiritus altos deponant. Quando concludit, ſe Deo in poſterum laudes cantaturum, & Deo judici miniſtrum præbiturum in proterenda potentia impiorum, ut juſti poſſint tuto & glorioſe agere.

§. II. Ad cujus argumenti, ſummatim propoſiti, verum conſpectum in lucem collocandum, 1. obſervo, perſonam loquentem eſſe virum ſuprema dignitate, ac poteſtate, in rep. & Eccleſia Jacobitarum præditum, cujus erat *judicium* exercere, & impiorum cornua diffringere, verſ. 3, 11, quique ſtatum reip. collapſum ordinaverat ac firmaverat, verſ. 4. 2. Deum celebratiſſimum jam reddidiſſe nomen ſuum, ita ut omnes quaquaverſum mirabilia ejus narrarint, verſ. 2. 3. Statum reip. fuiſſe antea diſſolutum, & collapſum, nunc vero inſtauratum & firmatum, verſ. 4. 4. Conventus publicos, & civiles & religioſos, mox in ſede hujus regis futuros, adeo ut ipſe poſſit jus & æquum omnibus facere, verſ. 3. 5. Tempus adeſſe, quo Deus judicaret impios terræ, ſeſeque præſtaret ſupremum hominum judicem & arbitrum; adeo ut ſuperbi & inſolentes ſeſe ſubmittere debeant, niſi repreſſos ſeſe a Deo velint, verſ. 5—9.

§. III. Qui characteres, ſi ex Pſ. recte ſint educti, nos manifeſte ducunt, & cui unice conveniunt, vel ad *Davidem*, vel *Simonem* Ethnarcham; *illum*, quo tempore regno firmato, & populi ſtatu feliciter ordinato, *arcam* in ſedem ſuam jam jam reciperet, & de civitate ſua faceret locum *conventus* civilis & ſacri; quando populos vicinos quaquaverſum ſubjugavit, 2 Sam. VI. *hunc* vero, quum, populo in libertatem & pacem vindicato, publice eſſet inaugurandus tanquam Pontifex & Ethnarcha, 1 Macc. XIV. qui eo tempore dici potuit accepiſſe *conventum*. *Poſteriorem* hypotheſin etſi commendet 1. phraſis, *accipere conventum*, ſeu munus condictum, quæ in Ethnarchæ & Pontificis inaugurationem, in loco publici conventus factam, recte quadrat, 2. quod tempus Maccabaicum in verbo Prophet., tanquam quo Deus judicium exerceret publicum, repræſentari ſoleat, de quo ad Mal. III: 19.— & Dan. pluribus diſſerui, 3. quod ſuperiori Pſ. recte ſubjungatur, ut facile patet, & Pſ. CXVIII. proxime reſpondeat: attamen ad *priorem* hypotheſin magis inclinat animus, non tam, quod Aſaph. ſit autor

autor Pſ., licet non ſit nullius, cum a celebratiſſimo Aſapho, tempore Davidis, ſine urgente ratione non ſit discedendum, quam 1. quia phraſis, *ego dispoſui columnas terræ*, rectius in Davidem, quam Simonem convenit, quod *ille* ſolus hoc fecerit, *hic* poſt Judam & Jonathanem, qui fundamenta jecerunt, 2. quia *judicis* perſona *Davidi* quoque adcommodatior eſt, cum tempore Simonis obtinuerit *ſynedrium magnum*, cui judicia competebant. De Davide diſerte habetur, 2 Sam. VIII: 15. *ipſum feciſſe juſtitiam & judicium omni populo*. 3. Phraſis *accipere conventum*, recte intellecta, rectius in Davidem, conventus politicos, & Eccleſiaſticos, in ſedem ſuam, ſeu Tſionem & Hieroſolymam, transferentem, & ita recipientem, aptius quadrat, quam Simonem, urbem intrantem ad *munus*, quod non eſt נשא, ſuscipiendum. 4. Accedit, Pſ. CI., a Davide compoſitum, ejusdem eſſe tenoris, quoad exercitium juſtitiæ, & eodem tempore ab ipſo factum, quo *arcam* jam jam in ſedem ſuam transferret: de quo ibi pluribus differam. Eo itaque tempore & Aſaph videtur excitatus ad hoc carmen concinnandum, quo Davidem introducit loquentem; quod a ſtylo poetico nihil habet alieni. In ipſum enim Aſaphum non quadrare Pſ., facile cernitur; nec ulteriore opus habet demonſtratione.

§. IV. *Scopus* Pſ. eſt, ſicut argumentum ejus docet, 1. Felicitatis reip., poſt rerum confuſionem ortæ, publicum erigere monumentum in laudes Dei, 2. veræ proſperitatis populi dare deſcriptionem, in eo ſitæ, quod locum conventus in medio ſui habeat, judicia exerceantur, impii reprimantur, & juſti floreant. 3. Perſonæ regis, ſupremi in terra judicis, genuinos ducere characteres, in firmanda & bene ordinanda rep., jure & æquo faciendo, impiis judicandis ac juſtis extollendis, fitos. 4. Regi formulam in manus tradere, qua præclaras hasce qualitates ipſe exprimat, & ea ratione ſeſe ad eas exercendas publice obſtringat. Quæ ratio eſt, quare regem ipſum introducat loquentem. Cui *ſcopo* recte convenit inſcriptio אל-תשחת *non perdes*;

des; de qua dixi ad Pſ. LVII. Ex quo de *uſu* Pſ., inter ſacra canendi, facile judicatur.

§. V. Quod ad *ſtructuram* cantici adtinet, perſona illuſtris, ſuprema prædita in rep. poteſtate, introducitur loquens, a poeta diverſa, ut ex dictis adparet, nec plures, ſed ipſa ſola; ſecus ac multis viſum, qui variarum perſonarum, ſeu Dei & populi ejusque ducis, colloquium hic ſibi videre putant, ſine ullo fundamento; denique vertit ſeſe perſona ad Deum, quem adloquitur, cui confeſſionem & gratiarum actionem offert pro acceptis beneficiis, quæ recenſet; niſi quod in fin., propoſitum ſuum Deum in poſterum laudandi, & regnum bene adminiſtrandi, proferens, de Deo in tertia perſona loquatur. Stylus non eſt quidem difficilis, attamen emblematicus, & emphaticus. *Partes* Pſ. generales *duæ* ſunt, quarum *prior* continet laudationem & gratiarum actionem Dei pro ſingularibus privilegiis & bonis, in perſonam loquentem & populum collatis ac conferendis, verſ. 2—9. *poſterior* propoſitum hujus perſonæ Deum ſemper celebrandi, ac regnum juſte ac pie adminiſtrandi repræſentat, verſ. 10, 11.

ANACRISIS.

§. VI. Licet Interpretes circa hypotheſin Pſ. exponendi ſecum valde diſſentiant, quos ſuo loco relinquere debeo; dubium mihi non eſt, quin Pſ. de Davide, quo tempore Hieroſolyma facta eſt ſedes regni & religionis, ſit exponendus; quia ſuperiores characteres in illud tempus apte quadrant, nec ulla eſt ratio a Davide discedendi. Sunt quidem, qui ad Meſſiam, regem & executorem judiciorum Dei per orbem, adplicant; ſed ejus hic nullum diſtinguens ſeſe offert criterium; nihil, quod in Davidem non conveniat, ipſe de ſe in laudes Dei non poſſit prædicare, quodque alibi, ut Pſ. CI., ſibi non adtribuat. Quæ omnia ex ipſa

ipsa tractatione in lucem prodibunt clariorem: ad quam mox pergo.

EXPLICATIO.

§. VII. In priore parte occurrit 1. celebratio Dei, vers. 3. 2. ejus causa & ratio, vers. 3—9. 1. Celebrationem Dei profert & urget David, hic loquens, suo & sociorum nomine, vers. 2. *Confitemur tibi, Deus, confitemur; & propinquum est nomen tuum, narrant mirabilia tua.* h. e. erumpimus, ego & socii mei, in laudationes & gratiarum actiones tuas, o Deus! magno cum animorum fervore; idque eo magis, quod nomen tuum glorioſum in omnium venerit notitiam quaquaversum, ita ut mirabilia tua opera ubique recenseantur ac narrentur per terram. Cum dixerunt, David & Hierosolymitani, seu socii & cives ejus, quos sibi adjungit, se Deo *confiteri*, ipsum laudando, ac ipsi gratias agendo, quæ verbo הודה comprehensa sunt, ut notum, nec segniter & semel, sed fervide & continuo repetitis vicibus, quo repetitio verbi ducit: subjungunt, ad obligationem suam Deo confitendi magis urgendam, & Deum magis extollendum, *nomen ejus propinquum esse*, & *mirabilia ejus* ubique celebrari, seu promulgari; acsi dicerent, eo magis ad id excitamur, quod hoc tempore nomen tuum sit ubique notum, & mirabilia tua in omnium ore per terram. Hac ratione voces apte cohærent; licet Interpretes aliter instituere soleant. *Nomen Dei* dicitur *propinquum*, quatenus publicam venit in notitiam, & in omnium animis ac ore est, oppositе ad *ignotum* & *obscuram*, quod longius dicitur remotum. Conf. Deut. XXX: 11. & quæ Cl. Schult. ad h. l. protulit ex lingua Arab:, qua *propinquum* adpellatur, quod *notum* est. In cujus notitiæ signum adducit, *narrant mirabilia tua*, scilicet quicunque & qualiacunque, in specie

nunc in noſtram felicitatem facta; quorum mox aliqua proferuntur. Vid. Pſ. IX: 2. *Narrant* inperſonaliter eſt, *quicunque* narrant, ſeu *narrantur* ubique per terram: quod facillimum eſt, licet minus obſervatum.

§. VIII. 1. Privilegia & bona in ſe & populum collata, quæ materiam præſentis celebrationis in primis faciebant, memorantur *tria*. *a*. Primum eſt inſtans, in eo ſitum, quod mox in civitate & poteſtate ſua acciperet David *locum conventus*, & occaſionem jus ac æquum exercendi; uti ſe facturum eſſe ſimul pollicetur, verſ. 3. *Quia recipiam conventum, ego rectitudines judicabo.* h. e. Inter alia præclara bona, quæ te celebrandi materiam mihi & nobis præbent, hoc primum ſit, quod mox in ditione mea accepturus ſim *conventum* & tui & populi, civilis itaque & Eccleſiaſtici, quodque juſtum & æquum dispenſaturus ſim in rep. & Eccleſia, ſecundum æquum & juſtum omnia directurus; ſicut me facturum eſſe quoque promitto. Interpretes hic in varia rurſus discedunt, & magis minusve probabilia proferunt, quæ lubens mitto; noſtra explicatio ſeſe facilitate ſua facile commendat. Vocula כי *quia* retinet uſitatam poteſtatem, qua *cauſalis* eſt, cum ratio reddatur *celebrationis* Dei; ſicut & verſ. 4. eum fert conſpectum, ut mox patebit. Vox מועד quoque uſum ſuum conſervat, quo *conventum* dicit; ſed, cum abſolute ponatur, *conventus* qualiscunque, politicus, judicialis & religioſus, intelligitur. De quo dixi ad Pſ. LXXIV: 4. Phraſis *accipere conventum* denotat, eum in ſedem & ditionem ſuam recipere, ſimul ſuæ directioni ſubjectum: quod factum eſt, quum Hieroſolyma declarata eſt a Deo metropolis ac ſedes regni, & religionis, *arca* in eam translata: quod 2 Sam. VI: 10. dicitur, *arcam Jehovæ ad ſe adducere in urbem Davidis:* & Pſ. CI: 2. *venire Dei ad ipſum:* ubi vid. dicenda. Quod ipſum clarius hic diceretur, ſi אלי *ad me* in textu deficere ſtatuatur, quæ vox per ſequentem אני facile potuit cenſeri abſorpta. Senſus ergo foret, ſi recepero conventum *apud me*, vel ad me tendentem, & trans-

transferendum, ſicut arcam Jehovæ *ad ſe* adducere dicitur, 2 Sam. XI. & Deus *ad ipſum* venire Pſ. CI. Quod ipſum verbum לקח divite ſenſu, quo ſumtum adducere denotat, involvit, ſicut alibi [a] obſervavi. De Hieroſolyma, ſeu civitate Davidis, *loco conventus*, legendus omnino eſt Pſ. CXXII. & comm. noſter ad eum. Subjungit, *rectitudines judicabo*, ſeu in *rectitudinibus*, ut Pſ. IX: 9. h. e. æque & juſte omnia disponam, & cuique æquum & jus faciam: quod facillimum eſt. Sed notandum, illud hic occurrere, tanquam & *privilegium*, & *promiſſum officium*; quem utrumque conſpectum habet: acſi diceret, confiteor tibi, Deus! quod mox accepturus ſim conventum, & ego ipſe conſtitutus a te ad jus & æquum faciendum: quod ipſum me facturum eſſe tibi confiteor, & promitto: de quo directius mentem exponit, verſ. 11. Quo ſenſu poſſet quoque prius membrum verti: *quum accepero conventum, rectitudines ego judicabo*; adeo ut utrumque includatur, *confiteor tibi quia accipiam, & quum accepero, judicabo* &c: Reſpicitur itaque ad illud tempus, quo, *arca* in civitatem Davidis translata, hæc declarata & facta eſt ſedes regni, judiciorum & religionis. 2 Sam. VI.

§. IX. β. *Secundum* beneficium in ſe jam collatum, & per ſe in populum Israelis, complectitur terræ cum incolis fluctuantis per externa & inteſtina bella, omniumque rerum confuſionem in judiciis & religione, diſpoſitionem exactam & firmam ſuo miniſterio a Deo factam, verſ. 4. *Fluctuarunt terra & omnes incolæ ejus, ego ad libellam exegi columnas ejus.* h. e. confitemur Tibi, o Deus! quod terræ, ejusque incolarum, ſtatum fluctuantem, & diſſolutum, ac deſtructioni proximum, ego inſtaurare, disponere, ac firmare potuerim; uti feci. Cohærent verba cum verſ. 2. *confitemur tibi*, & vocula כי, verſ. 3. hic repetenda, & novam continent materiam Deum celebrandi, quod ſuo miniſterio Deus res omnes collapſas reſtituerit, & firmaverit.

[a] ad Jer: XXXVI: 26. XXXVII: 16. XL. 2.

Reſpicitur ad ſtatum reip. & populi ante hæc tempora conſuſum & diſſolutum per hoſtes, bella inteſtina, judiciorum & religionis neglectum, & ſimilia, nunc a Davide, ope Dei, inſtauratum & confirmatum; quemadmodum ex hiſtoria conſtat, & Pſ. LX. deſcribitur. Nihil hic difficilis ex hac hypotheſi. Verba quoque nihil habent, quod moras injicit; aut ab Interpretibus non eſt expeditum. De verbo מוג proprie *undare*, *fluctuare*, dixi ad Pſ. XLVI: 7. LXV: 11. de תכן proprie *librare*, *exigere ad libellam*, vid. Schultens *a*. *Columnas* terræ eſſe quicquid ad ſtatum populi bene ordinandum, & firmandum, facit, ſive res ſive perſonæ ſint, ſatis tritum eſt.

§. X. γ. *Tertia* ratio Deum laudandi inde petitur, quod Deus illuſtri ſpecimine ſeſe judicem mundi demonſtraverit, qui ſolus extollit & deprimit, & impios ſevere puniturus eſt, adeoque magni momenti veritatem, impios eſſe de terra delendos, confirmaverit, & piis occaſionem dederit cum fiducia promulgandi, ipſisque mundana felicitate ebriis & impiis inſinuandi, Deum eſſe ſupremum mundi arbitrum, & judicem, qui quoscunque vult extollit & deprimit, & ſuperbos, impios, ſeſe contra Deum & populum ejus efferentes, deſtructurus eſt. Hic eſt genuinus conſpectus pericopæ, verſ. 5—9. qua perſona illuſtris, in hoc Pſ. loquens, ſermone ad hujus ſeculi fortunatos & impios verſo, ipſis cum fiducia promulgat, ut altos ſpiritus deponant, & ſibi perſuadeant, Deum eſſe ſortis hominum arbitrum, ac ſeverum impiorum judicem futurum; ſicut nunc inſigni exemplo in Davide ac populo ſuo extollendo, impiisque delendis, demonſtraverat, et mox uberius in populis vicinis debellandis confirmaret; et ulterius in poſterum ſuis temporibus comprobaret. Continet itaque pericopa *porisma* aliquod practicum, de Deo fortunæ hominum dispenſatore, et impiorum deſtructore, ex præſente ſtatu Davidis et populi Dei felice, modo memorato, edu-

ctum;

a Ad Job. XXVIII. 25.

ctum; adeoque partem laudationis Dei conſtituens; quatenus Deo acceptum erat ferendum, quod hoc tempore illuſtri hoc ſpecimine hanc maximi momenti veritatem in lucem produxerit, & Davidi anſam præbuerit eam in publicum proferendi, ac cum fiducia in mundanorum & impiopiorum animos ingerendi. Plane quemadmodum Pſ. IX: 8--11. & alibi inſtituit. Ex quo conſpectu illud quoque lucramur, quod pericopa ampliſſimum accipiat ſenſum, nec intra hoc tempus, quo Pſ. compoſitus eſt, conſtringatur, ſed latius ad futura tempora extendi poſſit & debeat. Comprehendit א. admonitionem ad fortunatos & impios ſeculi directam, ne inſoleſcant, & in Deum ac populum ejus impetum faciant, verſ. 5, 6. ב. ejus rationem, a perſona Dei, tanquam ſupremi arbitri ac judicis, quam ſingulari ſpecimine demonſtraverat, & in poſterum ageret, petitam, verſ. 8, 9.

§. XI. א. Admonitio his verbis profertur, verſ. 5, 6. *Dixi, dicoque, ſplendida fortuna coruſcis, ne ea efferamini, & improbis ne extollatis cornu. Ne extollatis in altum cornu veſtrum, loquamini collo erecto rancidum.* h. e. Cum tu, o Deus! Majeſtatis, potentiæ & juſtitiæ, in me & populo extollendo ac firmando, hoſtibus repreſſis, dederis ſpecimen, tibi acceptum fero, quod cum fiducia potentes & impios ſeculi, fortuna & potentia ſua inſoleſcentes, & tibi ac populo tuo imminentes, retundere & reprimere poſſim; & hanc maximi momenti veritatem, Te eſſe ſummum arbitrum & judicem univerſi, in publicum proferre; ſicut feci, & iterum facio, ſermone ad eos verſo, *dixi*, & *dico vobis*, qui fortuna coruſci inſoleſcitis, & improbi eſtis, ne *efferamini*, vobis & opibus ac viribus fidentes, ne inſoleſcatis; multo minus in altum contra Deum vos ſuperbe erigatis, colloque ſublimi verba vana & contumelioſa effutiatis. Parum difficilis, quod noſtræ curæ relictum eſt, occurrit; quare uno alterove obſervato defungar. 1. Adpellat eos, quos adloquitur, חוללים & רשעים fortuna ſplendi-

da opum & potentia coruſcos, ac improbos; irrequietos, & ſe jactantes: quæ vocum eſt genuina poteſtas & uſitata ſignificatio; de quo dixi ad Pſ. LXXIII: 3— & improbos fortunatos in genere, vicinos populos hoſtiles ſive hujus, ſive ſequentium temporum, eſt enim generale porisma practicum, in ſpecie intelligit. 2. Cum ipſis injungit & præcipit, quod etiam verbo אמר comprehenſum eſt, non ſimpliciter, *ne ſe efferant* & *cornu extollant*, ſed & *ne in altum cornu efferant*, ac *collo erecto rancidum loquantur;* non ſimpliciter eandem rem repetit, ſed quid plus dicit; ſcilicet, ne contra Deum cornu efferant, eum actu ipſo impetentes, & eum blasphemis ac injurioſis verbis adpetentes. Conf. Pſ. LXXIV: 10, 18. & ibi dicta. *In altum* efferre *cornu* idem eſt, ac *in coelum*, adeoque Deum, ſanctum Israelis. Vid. Jeſ. XXXVII: 23. & LVII: 15. ubi *altum* & *ſanctum habitare* habetur, dicitque Deum audaciter ac inſolenter impetere, ſeſe populo & cultui ejus opponendo, quod eſt *tollere cornu*, ut ſolent *cornupetæ* beſtiæ. Alterum, ne *loquamini collo erecto rancidum*, etiam ad Deum in ſublimi habitantem referri debet, & injurioſa ac blasphema verba involvit. Vox עתק a propria *vetuſtatis* poteſtate tranſiit ad *durum intractabile*, etiam *rancidum*, denotandum, unde ad verba *putida*, *inſolentia* & contemtum aliorum ſpirantia, adplicatur: צוארי vero eſt *collo erecto*, adeoque ſuperbo & inſolente animo, & geſtu; quod Pſ. XXXI: 19. dicitur rancidum loqui גאוה & LXXIII: 6. *collum ipſis erigit & collari cingit elatio tumida.* Ubi vid. dicta.

§. XII. 1. *Ratio* dehortationis additur duplex, *altera* a Deo ſolo arbitro mundi, *altera* a judicio Dei in impios terræ deſumta. *Prior* negative et poſitive profertur, verſ. 7, 8. *Quia nihil ex ortu & occaſu, ex deſerto, montibus: quia Deus judex, iſte deprimit, & iſte extollit.* h. e. Nihil eſt in tota terra, quam late patet, a quo pendet hominum ſors, humilis vel glorioſa, ſed ſolus Deus judex, ſupremus mundi arbiter, iſte de ſorte hominum diverſa disponit. Verſus ita cohærent, ut, quod omnibus in tota terra eripitur,

Deo

Deo ſoli vindicetur, quod verſ. 7. ad plenam ſententiam deeſt, ex verſ. 8. ſupplendum ſit: hac ratione: quia nihil aut nemo ex quatuor mundi plagis deprimit aut exaltat, ſed Deus judex iſte ſolus utrumque facit. Sententia itaque verſ. 7. incompleta eſt, ex verſ. ſeq., uti feci, ſupplenda. Ex quo ſimul eluceſcit, ultimam vocem, verſ. 7. הרים recte per *montes* verti, quæ conſtans eſt ejus ſignificatio, et præcedenti מדבר per adpoſitionem ſine copula addi, ut de *deſerto* et *montibus* cogitaremus. Conf. Deut. XI: 24. ubi *deſertum* et *Libanus* eodem ſenſu memorantur, ut et Joſ. I: 4. Qua ratione quatuor terræ partes, et coeli plagæ, hic memorantur, *orientalis*, *occidentalis*, *auſtralis*, quia deſertum eſt terminus Cananææ ab auſtro, et *Septentrionalis*, ubi montanum Libani, Antilibani, et Hermonis, ejus limes eſt ab Aquilone. Emphaſi pollet vocula לא *non*, qua *nihil* & *neminem*, ut ſæpe alias, denotat; adeo ut ſenſus huc redeat: neminem aut nihil ſeſe a quatuor mundi plagis offerre poſſe, cui ſortis hominum diſtributio competat, ſive *depreſſio* aut *exaltatio* hominum; *nihil* in orbe toto, quam late patet, eſſe, ſive hominem, ſive ſic dictum Deum, aut idolum, in cujus poteſtate hoc ſit. Quod autem omnibus negatur in terra, id ſoli Deo vindicatur, verſ. 8. *Quia Deus judex, iſte deprimit iſte extollit.* Sic enim vertenda ſunt verba, ut nonnulli recte inſtituerunt, & non, ut alii, *iſtum deprimit, iſtum extollit*: non enim habetur, ישפיל זה, aut את זה ישפיל, ut deberet, ſi *objectum* deſignaretur, ſed זה ישפיל, argumento, ſubjectum, ſeu perſonam humiliantem, deſignari, ut Jeſ. XXV: 9. *ecce, Deum noſtrum! hic* eſt, *quem exſpectavimus.* Innititur itaque, ut ad ſcopum propius accedam, Davidis & populi Israelis præſentem elevationem, ac Sauli ejusque domus depreſſionem, ſoli Deo eſſe adſcribendam; & illuſtre in eo datum eſſe ſpecimen *judicii* Dei; unde colligi poſſet, populos vicinos eandem humiliationis ſortem eſſe ſubituros; absque ut ullus ſit ad quatuor plagas Cananææ populus, penes

nes quem ſit aliquis aut aliquid, in cujus poteſtate eſt hujus ſortis dispenſatio, quæ ſolius Jehovæ eſt, Dei Israelis; qui eam ulterius exercebit in Israele extollendo, ac populis vicinis deprimendis.

§. XIII. *Poſterior* ratio, a judicio Dei ſevero in improbos exercendo, deſumta, his verbis exprimitur, verſ. 9. *Quia calix eſt in manu Jehovæ, &*, vel *cujus, vinum fermenteſcit, plenum mixtione venenata, & ebullire faciet ex eo; etiam*, vel *profecto, exſugent bibent fæces ejus omnes impii terræ*. h. e. Quod inſanis & impiis ſilentium impoſui & humiliationem imperavi, illud hoc etiam nititur fundamento, quod tempus adſit, quo Deus judicare incipiet impios, donec eos de terra deleverit; eſt enim in manu ejus poculum, vini turbidi & venenati plenum, unde mox ebullire faciet in os impiorum, ut univerſum corpus exæſtuet, & ſanguine effuſo tabeſcat, nec hoc tantum, ſed progreſſu temporis fæces ejus, ſeu reliquias judiciorum, omnium ſeveriſſimas, ad finem usque epotabunt omnes impii terræ; plane proſternendi, & e medio tollendi. Cum metaphorica judiciorum divinorum deſcriptio, a calice, vino turbido & venenato pleno, unde cuique ſua a Deo portio adſignatur, deſumta, ſatis nota ſit, ac illuſtrata, in primis a Gatakero *a*, ubi noſtrum locum quoque fuſius pertractavit, voces hic illic illuſtraſſe, & dein *ſcopum* demonſtraſſe ſuffecerit. Tria ſunt verſus membra, quorum *primum* continet deſcriptionem *vini* in poculo, *duo* reliqua ejus epotationem pernicioſam, per varias vices, usque ad ipſas fæces abſumtas, faciendam ab impiis terræ.

§. XIV. Quod ad *primum* membrum adtinet, *vinum*, quo poculum traditur plenum in manu Dei, duobus epithetis definitur, alterum eſt חמר *fermentationis*, alterum מסך *mixtionis*. Verba ita ſonant, *poculum eſt in manu Jehovæ, & vinum fermenteſcit, plenum miſtione*, h. e. cujus vinum turbidum eſt & æſtuans, quodque venenata mixtione plenum infu-

a Adv. Miſc. cap. 7.

insuper est. Radix חמר originem habet in tumore æstuante, unde orta est significatio *fermentationis*, nec non *rubicundi* coloris, qui præ reliquis coloribus veluti *effervescit*, denique *conturbationis lutosæ*, quæ per æstuationem efficitur. Vino hoc loco adtribuitur sensu potissimum *fermentationis* & *conturbationis*; ut vinum fervidum, æstuans, turbidum, significetur. Additur, vinum vel poculum esse plenum מסך, proprie *mixturæ* aptissime temperatæ, sicut vinum solebat *aqua*, aut *aromatibus*, temperari; sed hic in malum pro *veneni* aut *fellis* mixtura sumitur; adeo ut fæculentum & turbidum non tantum vinum, sed & insuper *veneno* mixtum intelligatur, ad iram Dei, ejusque effecta severissima vividius pingenda. *Secundum* membrum exponit effectum mox secuturum, his verbis, *& ebullire faciet ex isto*, h. e. Deus, in cujus manu poculum illud est, vinum illud æstuabundum & venenatum non amplius continebit, sed ex isto poculo sinet exundare, facietque, ut corpus ejus, qui sumserit, sanguine ebulliente distabescat. Trahit verbum יגר *ebullire faciet* aliquid de ambiguo, cum & de vino ebulliente e poculo, & in os potatoris influente intelligi possit, & de *effectu* in potatore, quo vi venenata poculi universum corpus exæstuat, & sanguine per venas erumpente tabescit; qui acerrimi & præsentanei veneni effectus est letalis. Vid. Cl. Schultens *a*, qui ibid. vocem מוה eo trahit, & vertit, *exsiliente sanguine*, a מוה *sanguis e vulnere exsiliit*, quod mihi longius quæsitum, & minus necessarium, videtur, cum idem fere radice נגר sit involutum. Rectius ad יין *vinum* refertur, ut sit, *de ipso ebullire faciet* non totum, sed ex parte, reliquo in posterum servato, quum *omnes impii terræ bibent usque ad fæces*, quod mox additur, vel מוה esse potest *inde*, ab hoc tempore; sicut זה *tempori* æque adplicatur ac *loco*; ut sensus sit, jam mox ab hoc tempore illud futurum esse. *Tertium* membrum, sese ad futura tempora, longius remota, porrigens, habet: *etiam*, vel profecto,

a Defect. Diss. II: §. 72.

fæces ejus exſugent ebibent omnes impii terræ. h. e. epotabunt exſugendo quicquid reliquum fuerit, usque ad fæces, omnes improbi terræ. *Exſugere bibere* eſt, ſtylo ſatis uſitato, *exſugendo bibere*, ut nihil reliqui maneat; quod non eſt difficile. Omnium ſeveriſſimum intelligitur Dei judicium, per *fæces* poculi depictum, quo omnes improbi de terra delerentur. Conf. Jeſ. LI: 22, 23., & alibi. Quod in genere prolatum generalem quoque præbet intellectum, & judicium comprehendit, non hoc, ſed ſequente tempore per varias vices exſecutioni mandandum, donec omnes impii fuerint exſtirpati. Ex quo obſervato omnis difficultas, reſpectu temporis, quo Pſ. compoſitus eſt, ſublata eſt. Declaratur enim diſtincte, jam ab hinc judicium Dei eſſe incepturum, ut modo vidimus *membro* ſecundo, dein, in genere illud poſtea conſummandum eſſe. In ſecundo membro non additur, in quosnam ſit ebulliturum illud vinum, ſed illud ex tertio membro ſupplendum eſt, adeoque *impii* terræ intelligendi ſunt.

§. XVI. In altera, ſeu *poſteriore*, parte Pſ. David propoſitum ſuum, ſimul facultatem & poteſtatem illud exſequendi, exponit, *cum* reſpectu Dei celebrandi, *tum* regni adminiſtrandi & proſperi reddendi. α. *Prius* his verbis, verſ. 10. &, vel *at*, *ego publicabo in æternum*, *pſallam Deo Jacobi*, h. e. ſicut nunc facio, ita in poſterum faciendi & animus eſt, & dabitur facultas, ut Deo Jacobi, vero & ſummo Deo, ac foederato populi Jacobitarum, laudes publice & in æternum accinam. Verba, elegantiæ cauſa diviſa, ut ſæpe fit, hac ratione ſunt concinnanda: *ego in æternum publicabo pſallam Deo Jacobi*, verbis *publicare* & *pſallere* conjunctis ea ratione, ut prius poſterioris qualitatem vel adtributum denotet; quo nihil eſt uſitatius. *Publicare* itaque & *pſallere* eſt publice, coram omnium oculis, pſallere; ut Pſ. XL: 6. *publicare & eloqui*: ubi vid. dicta. Nulla ergo ellipſi opus eſt in verbo *publicare*, nec etiam mutatione אגיד in אגיל *exſultabo*, ſicut LXX. habent; quod alias

alias non foret rejiculum, & cum ſeq. אומרה apte conjungitur. Indicat & animum pium, gratumque, & felicitatem temporum ſequentium, quibus materia & facultas daretur Deum laudandi, oppoſite ad hoſtiles populos, a Deo ſubigendos; quare dicit ואני &, vel *at*, *ego*, &c:

§. XVII. β. Poſterius ita ſonat, verſ. 11. *& omnia cornua impiorum ſuccidam, exaltabuntur cornua juſti.* h. e. impiis terræ, ſeu populis hoſtilibus, judicio Dei proſtratis, ſeu ſubactis, in eo ero totus, nec ſine optato ſucceſſu, ut quorumcunque profanorum, ſceleratorum, regni aut Eccleſiæ perturbatorum, opes, gloriam dignitatemve, poteſtatem & potentiam, ac vires nocendi, frangam, ſive iis e medio ſublatis, ſive in ſtatum humilem redactis; quo fiet, ut juſtorum capita eleventur, & illi floreant, ac potentes ſint. Nihil hic difficile. *Impii* ſunt non qualescunque peccatores, ſed ſcelerati, irrequieti, & aliorum oppreſſores, reip. aut religionis perturbatores, in ipſo regno Davidis. Quo vera vocis vis ducit. Eorum *cornua* ſunt opes, dignitates, viresque nocendi: quæ qua ratione *ſuccidantur*, proprie ſecundum vim radicis גדע *mutilentur* & truncentur, facile adparet. Ex quo *exaltatio cornuum juſti*, vel juſtorum, facile quoque intelligitur. Declarat autem David propoſitum ſuum, quod etiam ex parte executus eſt, maxime per Salomonem. Vid. ad Pſ. CI.

PSALM. LXXVI.

1. *Præfecto pulſatilium Pſalmus Aſaphi, canticum.*
2. *Celebris promulgatus eſt Deus in Juda, in Israele magnum nomen ejus.*
3. *Et fuit in Salem tugurium ejus, & habitaculum ejus commodum in Tſione.*
4. *Ibi turbine urente confregit vibrationes coruſcas arcus, clypeum, & gladium & bellum. Sela!*
5. *Aeſtuabundus Tu, Magnifice! e montibus dilacerationis.*
6. *Spoliati ſunt fortes corde, dormierunt ſomnum ſuum, nec manus ſuas invenerunt ulli viri robuſti.*
7. *Præ increpatione tua, Deus Jacobi! altiſſimo ſopore oppreſſus eſt & currus & equus.*
8. *Tu tremendus tu,* vel *es, & quis coram te ſtabit præ æſtu bulliente naſi tui?*
9. *De coelo audire feciſti judicium, terra adtremuit, & quievit.*
10. *Cum ad judicium ſurrexerit Deus ad ſervandum omnes adflictos & manſuetos terræ. Sela!*
11. *Quia excandeſcentia hominis Te celebrabit, reſiduum furorum circumcinges tanquam ornamentum,* vel *arctiſſime conſtringes.*
12. *Vota concipite & reddite Jehovæ, Deo noſtro. Omnes finitimi ejus munus verendo Numini adferent pompatice.*
13. *Præcidet ſpiritum ducum tremendus regibus terræ.*

PROLE-

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt gratulatorium & laudatorium, quo præclara Dei facinora in gratiam Tſionitarum, quibus ab hoſtibus liberati, & in pacis ac proſperitatis ſtatum vindicati ſunt, populis vicinis undiquaque, ſopore divinitus immiſſo, ſtupefactis & quieſcentibus, celebrantur, ac inde derivatur, tanquam ex illuſtri ſpecimine, & felici omine, omnes terræ manſuetos aliquando ſimiliter eſſe vindicandos, quum Deus ſurrexerit ad judicium agendum. Quando ſubjungitur adhortatio ad Tſionitas, ut Deo vota ſolvant, exemplo quoque populorum vicinorum, qui dona offerent Deo, firmata. Celebrat poeta *primo* Deum, quod ſeſe in medio populi ſui illuſtrem præſtiterit, habitaculum ſuum in Tſione eſſe firmiter ſtabilitum demonſtraverit, eique ac populo pacem & ſecuritatem procuraverit, hoſtibus & hoſtilibus inſtrumentis fractis, ac populis vicinis timore incuſſo, quo quaſi in ſoporem conjecti & ligati ſunt, ab omni invaſione populi Dei ceſſantes. Dein mirabilem illam rerum cataſtrophen conſiderat, tanquam ſpecimen, & præludium, vindicationis omnium manſuetorum terræ, ſuo tempore futuræ. Quando populum Dei ad gratiarum actionem excitat, & exemplo populorum, qui dona Deo offerrent, firmat ac urget.

§. II. Quod argumentum ut in vero ſuo conſpectu poſitum recte intelligatur, ſequentia probe ſunt ad animum revocanda. 1. Deum hoc tempore nomen ſuum in Juda & Israele maxime glorificaſſe, ſedem ſuam in Tſione vindicaſſe ac firmaſſe, hoſtes, eam invadentes, ibi miraculoſe ſtraviſſe, verſ. 1—4. 2. Per illud judicium in hoſtes tantum fuiſſe hoſtibus omnibus reliquis injectum pavorem, ut ſe tranquillos continuerint, & populus Dei profunda gaviſus ſit tranquillitate, ac ſumma proſperitate, verſ. 5—7.

3. Singulare hoc Dei judicium in hoſtes vero ſuo conſpectu habendum eſſe ſignum & emblema futuræ vindicationis omnium manſuetorum terræ ab hoſtibus, & eorum invaſionibus, ac perſecutionibus, verſ. 8—10. Qui verus ejus pericopæ conſpectus eſt, ſuo loco demonſtrandus, & hic recte advertendus; cum inde etiam pendeat objectionis contra hypotheſin Pſ. explicandi, de quo mox, ſolutio. 4. Denique mirabilis hujus eventus conſequens eſſe, ut ab omnibus in circuitu fuerit Deus Israelis honoratus donis & muneribus, verſ. 12.

§. III. Quæ omnia criteria cum unice in illud tempus conveniant, quo Aſſyrius in montano Judæ, haud procul Hieroſolyma, divinitus proſtratus eſt, tempore Hizkiæ, uti adtendenti, & hiſtoriam conferenti, mox in oculos incurrit, ac a multis Veteribus ac Recentioribus interpretibus, Judæis ac Chriſtianis, recte obſervatum eſt, oportet vel Aſapho, tempore Davidis, hic caſus tanquam prophetæ fuerit ob oculos verſatus, vel fuerit tempore Hizkiæ ſimilis nominis vir, divinitus adflatus, qui hoc carmen in hunc eventum compoſuit; de quo plura dixi ad Pſ. L. ad hoc quoque tempus pertinentem. Ceterum notandum eſt, Pſ. ſcenam in eo tempore eſſe figendam, quo, Aſſyriaco exercitu deleto, & vicinis hoſtibus metu incuſſo, Tſionitæ plena pace & ſecuritate gaviſi ſunt. Agitur enim de his omnibus rebus, tanquam factis, & non futuris: ut orationis ſtructura docet. Ex quo de *occaſione* Pſ. facile conſtat; cum eventus fuerit præ reliquis dignus, qui publico carmine celebretur, & poſteritati commendetur.

§. IV. *Scopus* itaque eſt, uti facile adparet, 1. publicum hujus illuſtris caſus condere monumentum, 2. populum Dei excitare ad Deum propterea honorandum & celebrandum, verſ. 12. 3. Fidem & ſpem Eccleſiæ de futura liberatione, populo Dei promiſſa, qua, hoſtibus deletis, perfecta pace aliquando frueretur, ex hoc ſpecimine potentiæ & favoris Dei confirmare, verſ. 8—10. *Structura*, Pſ.

Pſ. nihil habet ſingulare aut difficile. In principio & fine ſermo de Deo fit, ſed in medio ad eum vertitur: qua perſonæ mutatione nihil eſt frequentius. *Stylus* ſatis facilis eſt & emphaticus, nec metaphoris, tanquam luminibus, deſtitutus. *Quatuor* ſunt Pſ. partes. I. *Prima* illuſtre Dei facinus in Tſione liberanda, & hoſtibus ac hoſtilibus inſtrumentis delendis, conſpicuum, repræſentat, verſ. 2—4. II. *Secunda* ejus conſequens, reſpectu populorum vicinorum hoſtilium ad ſilentium redactorum, commemorat, verſ. 5—7. III. *Tertia* verum hujus caſus, tanquam ſigni & portenti liberationum Eccleſiæ, ſuo tempore concedendarum, conſpectum in lucem profert, verſ. 8—10. IV. *Quarta* laudationem & celebrationem Dei, ipſi propterea debitam & deferendam, inperat, verſ. 11—13.

EXPLICATIO.

§. V. Tempore Pſ. ſupra definito, cui Pſ. exacte convenit, opus non eſt inveſtigatione hypotheſios Pſ. exponendi, & aliarum refutatione; minus eorum, qui ad Eccleſiam N. T. referunt, cujus hic nullum eſt indicium; nec aliquod, niſi ex perverſo pericopæ verſ. 9, 10. intellectu, prolatum; de quo poſtea: quare mox ad *explicationem* pergo. In *prima* parte 1. occurrit celebritas Dei in Juda & Israele, luculento ſpecimine demonſtrata, verſ. 2. *Celebris promulgatus eſt Deus in Juda, in Israele magnum nomen ejus*, h. e. In medio Judæ, & Israelis, Deus, qua ſolus verus & ſummus Deus, publice innotuit, & proclamatus eſt, nominisque ejus gloria demonſtrata magnifica. *Judæ* adjungitur *Israel*, licet jam in exilium abductus, quod in Juda eſſet ſuperſtes, & is Israelem nunc quoque conſtitueret, ac ſuperſtites præterea comprehenderet, Judæ adjunctos: vel quod Juda & Israel unum eſſent, & Dei Judæ celebratio quoque ad Israelem pertineret, Deus utriusque popu-

populi fuerit in origine Deus. Qui cum declaratur נודע *notus factus*, indicatur, eum hoc tempore publice innotuiſſe verum & ſummum Deum, & tanquam talem divulgatum, ac proclamatum, ſpecimine divinitatis edito publico & ſingulari. Quam ſenſus amplitudinem habet נודע: de quo dixi ad Pſ. LXXIV: 5. Explicationis ergo additur, *magnum* eſſe *nomen ejus*, h. e. gloriam ejus eſſe luculenter demonſtratam, & illuſtrem factam, ac quaquaverſum diſſeminatam. Quæ facilia ſunt.

§. VI. ב. Additur commemoratio habitationis Dei Hieroſolymis & Tſione firmæ, pacificæ & inconcuſſæ, demonſtratæ, verſ. 3. *Et fuit in Salem tugurium ejus*, & *habitaculum ejus commodum in Tſione*, h. e. In eo in primis nomen ſuum celebre reddidit, quod ſeſe Hieroſolymis & in Tſione demonſtraverit habitare tanquam in ſede tranquilla, inconcuſſa, & hoſtibus terribili ac pernicioſa, dum eam talem in mediis hoſtium invaſionibus præſtiterit. Quæ paraphraſis & nexum, & verum conſpectum, hujus verſus in luce collocavit, ſeſeque ex ipſis verbis facile offert; modo eorum emphaſis adtendatur. 1. Verbum היה genuinam ſuam poteſtatem hic exſerit, & firmam ſtabilemque exiſtentiam denotat, ſimul ejus publicam demonſtrationem involvit; ut verbo, *& fuit*, ſignificetur, tentorium Dei firmam fixamque ſedem habere in Tſione, quæ nulla vi poſſit loco moveri, illudque nunc publice patefactum, & luculento ſpecimine in omnium oculos ingeſtum eſſe. Non itaque *exiſtentia* ſimpliciter, ſed firma ac inconcuſſa, quæ vis eſt verbi היה, de quo ad Mal. II: 4. pluribus egi, ejusque demonſtratio, indicatur: quemadmodum verba *eſſe* pro demonſtratione ejus ſæpe, ut conſtat, ſumuntur. 2. Non ſine emphaſi Hieroſolyma adpellatur שלם; inſinuatur enim hac voce, *tugurium* Dei, non obſtantibus hoſtium invaſionibus, in medio tumultuum bellicorum fuiſſe *in pace*, & nunc quoque magis, hoſtibus proſtratis, eſſe, ſimul *proſperitate* frui. Conf. Pſ. XLVI: 4, 5. & ibi dicta: alias non eſt infre-

quens

quens, nomina locorum compoſita priore parte detruncari, ut *Sittim* pro *Baal ſittim* &c. *a*. 3. Cum vox סך *tugurium* de Leonis luſtro adhiberi ſoleat, nec altera vox מעונה abhorreat, forte adluſum eſt ad emblema *leonis*, in luſtro recumbentis, & inde rugientis, ac in homines & animantia irruentis; quod Deo ſæpe aptari ſolet, uti Jer. XXV: 38. Joel. IV. Am. I. & alibi. Quo etiam forte reſpicitur, verſ. 5. in phraſi *montium prædæ*, & verſ. 7. *increpationis*. De quo poſtea. Ceterum habitationis Dei Hieroſolymis & in Tſione demonſtratio hoc tempore facta eſt, *cum* quod urbs tranquilla & ſecura manſerit, ac intacta, *tum* quod inde Aſſyriaca clades fuerit orta, & ei adtribuenda ſit. Conf. Jeſ. XXXI: 9., & ibi Cl. Vitringa.

§. VII. 1. Subjungitur itaque apte, verſ. 4. *Ibi turbine urente confregit vibrationes coruſcas arcus, clypeum & gladium & bellum.* h. e. Nomen ſuum illuſtre reddidit, & ſe Tſione tranquille, ſecure ac firmiter, habitare oſtendit, quum hoſtilia arma, & hoſtiles impetus, ingente & urente procella concitata, penitus ſubvertit, & omne bellum ceſſare fecit, ita ut pax undiquaque fuerit facta. Quod tempore Hizkiæ factum eſſe novimus. Conf. etiam Pſ. XLVI: 10. ubi de eodem caſu agitur. Ad emphaſin orationis not. 1. vocem שמה aliquid de ambiguo trahere, cum & *ibi* denotet, & ſiderationem, vel *procellam* urentem, a שמם: cui utrique hic recte datur locus, cum ejusmodi turbine deletus ſit Aſſyriorum exercitus. Jeſ. XXIX: 6. & alibi. Vid. Vitringa ad Jeſ. XXXVII: 36. Quo, quod, 2. notandum, etiam ducit verbum שבר, quo calamitoſa diffractio & ſubverſio, qualis per *turbinem*, comprehenditur. *b*. 3. Voces רשפי קשת ſignificant propric *coruſcas vibrationes arcus*, & depingunt *tela* fulminis inſtar evibrata ac emicantia *c*. 4. Cum *armorum* hoſtilium, turbine ignito confractorum, expreſſa tantum fiat mentio, hoſtium ipſorum deſtructio non tantum,

a Vid. Bochart. Phal. l. II. c. 24. *b* Vid. Schultens ad Prov. XV: 4. *c* Id. ad Job. V: 7.

cum, quod includitur, ſed ipſius *belli* ceſſatio, & pacis ac proſperitatis tempus, denotatur: ut Pſ. XLVI: 10.; quo etiam facit *belli* expreſſa mentio. Senſus itaque eſt, hoſtium illam miraculoſam ſubverſionem produxiſſe ſtatum pacificum & proſperum, omni bello, & bellicis inſtrumentis e medio ſublatis.

§. VIII. In *ſecunda* parte Pſ., quæ conſequens illuſtris hujus facinoris Dei in Aſſyriis proſternendis, ſimul expoſitionem ſtatus pacifici Judæorum, modo inſinuati, comprehendit, *α*. propoſitio ejus occurrit, verſ. 5, 6. *β*. ejus repetitio & illuſtratio, verſ. 7. *α*. Propoſitio continet, *a*. antecedens & cauſam, verſ. 5. *b*. conſequens ipſum & effectum, verſ. 6. *a*. *Prius* his verbis, verſ. 5. *Aeſtuabundus tu, magnifice! e montibus dilacerationis* &c. es, & adpares. h. e. In montano Judæ cum tu, inſtar leonis, hoſtes dilaniaveris, & humi raptaveris ac ſpoliaveris, magnifice rex! illuſtris non tantum, ſed & æſtuabundus ac terribilis factus es omnibus quaquaverſum manifeſtus. Adpellatur Deus אדיר *magnificus*, rex proprie elatus, & magnus אדר enim proprie deſignat *tumorem*, vel elationem tumidam, inde magnificentiam regalem, Gr. κύδος. Occurrit hic tanquam epitheton Dei, quem poeta adloquitur, quoque ipſum apte inſignit, quod nomen ſuum nunc magnificaverit, & populi illuſtrem ac magnificum præſtiterit regem. Declarat, ipſum *æſtuabundum e montibus dilaniationis* eſſe conſpicuum factum, quatenus æſtum iræ in omnium oculos ingeſſit e montibus Judæ, in quibus hoſtes a Deo, tanquam leone, ſunt diſcerpti, & ſpoliati. Verbum יאור proprie dicit *æſtuatione* præditum, inſtar foci. Radix enim אר, quæ Arab. ſupereſt, proprie ſignat *æſtum*, *æſtuationem*, ſive aliarum rerum, ſive aquarum; unde אור *ignem* dicit vel *focum*, ne alia memorem. Quod huc recte quadrat; cum Deus ſeſe talem nunc præſtiterit in delendis Aſſyriis. Quo digitus etiam intenditur Jeſ. XXXI: 9. ubi prophetiæ de hac ipſa clade Aſſyrii ſubjungitur, *dictum Jehovæ, cui ignis eſt in Tſione*

&

& *focus Hierosolymis.* Sed unde Deus magnificus rex Judæorum, æstuabundus & terribilis demonstratus est, & conspicuus factus? *e montibus dilaniationis*, habet textus; h. e. non, ut capi a multis solet, e regnis hostilibus, latrocinio adsuetis, sed montibus Hierosolymæ vel Judæ, ubi Assur confractus & conculcatus dicitur, Jes. XIV: 25. quo phrasis ducit, quæ indicat, Deum ibi sedem habere, unde prodiit terribilis, & collatio vers. 4. confirmat, *ibi fregit coruscationes arcus* &c. Sed quare montes *dilaniationis* adpellantur? respicitur ad *lustra leonum* in montibus, unde in obvios irruunt, & eos discerpunt; quemadmodum modo titulo *tugurii*, seu lustri, insignita erat sedes Dei. Est autem mysticum *montium Judæ* epitheton, quo indicatur, hostes ibi *discerpi* solitos, qui illud lustrum accedere audent: quemadmodum nunc luculento specimine demonstratum erat in Assyrio, ibi prostrato, discerpto, & spoliato. Conf. Jes. XXXI: 4. Verbum טרף proprie *carpsit*, in specie de feris usurpatur, quæ venationem humi trahunt, & raptant, quod Lat. est *discerpere*, quum membratim aliquid vellunt, & lacerant, feræ. *Montes* itaque *dilacerationis* adpellantur montes Judæ, quod ibi hostes lacerari soleant, & nunc singulari modo discerpti erant. Quemadmodum Zach. XII: 2, 3. Hierosolyma adpellatur *pelvis quassationis*, & *lapis onerosus* ac *scindens*, *omnibus populis circum* &c: nec non *vallis excidii* Joel. V. & *Harmageddon*, *mons excidii.*

§. IX. Consequens terribilis hujus majestatis, in hostibus lacerandis demonstratum, in eo situm, quod populi vicini perterriti fuerint, & consilii inopes ad silentium & quietem redacti, his verbis proponitur, vers. 6. *Spoliati sunt fortes corde, dormierunt somnum suum, nec invenerunt uli viri robusti & potentes manus suas.* h. e. illustri hoc potentiæ & justitiæ Dei specimine, in gratiam Judæorum, tanto correpti sunt pavore quicunque fortes & potentes, consilio & viribus pollentes, ut corde spoliati, consilio &

viribus privati, ſeſe inſtar dormientium præſtiterint molles & invalidos, ab omni invaſione Judæorum abſtinentes. Verba ſunt partim figurata, partim propria, adeoque duobus conſtant membris, quorum poſterius eſt prioris explicatio. *Prius* membrum, figurate expreſſum, habet: *ſpoliati ſunt fortes corde, dormierunt ſomnum ſuum*, h. e. conſilio & viribus ſpoliati ſeſe tenuerunt quietos inſtar dormientium, & languore remolleſcente adfectorum. Cædes hoſtium, qua ſomno mortis ſunt obruti, non intelligitur, ut multis videtur, ſed ceſſatio ab omni actione hoſtili, ex ſtupore & metu orta; ſicut ipſæ phraſes docent, & ſequens membrum evincit. Mentis conſternatio, quæ conſilium & vires aufert, indicatur, his verbis, *ſpoliati ſunt fortes corde*, h. e. ſapientes alias, & animoſi, perdiderunt *cor*, & ad inſaniam redacti ſunt, ac ſtuporem. Verbum אשתוללו eſt formæ Aram. Ethpahel, paſſivæ notionis, a rad. שלל proprie *extraxit* cum raptatione violenta, inde *ſpoliavit*, & ad mentem relatum ſapientiæ & animoſitatis privationem ſignificat: uti Mich. I: 8. Job. XII: 17. Jeſ. LIX: 15. ubi vid. Vitringa. Quod ne lectorem fugeret, addidit poeta vocem לב, ubi *fortes corde* memorat, ut, *ſpoliationem* ad cor eſſe referendam, indicaret. Subjungitur ceſſatio ab omni actione hoſtili hinc orta, ſub imagine *ſomni*; quum additur, *dormierunt ſomnum ſuum*, proprie languore remolleſcente adfectos, tanquam ſomno oppreſſos, ſeſe præſtiterunt. Radix נום in origine habet *languorem remolleſcentem*, & inde primum gradum ſomni ſignat. Senſus itaque eſt, eos, inſtar dormientium, factos eſſe languidos, & flaccidos, omni impetu agendi orbos, adeoque omnem eorum actionem hoſtilem ceſſaſſe. Quod ulterius illuſtratur, cum additur, *nullos viros* fortes, & potentes, *inveniſſe manus ſuas*, h. e. animum, vimque agendi perdidiſſe. Quod facillimum eſt. Conf. de re ipſa, 2 Chron. XXXII: & dicta ad Pſ. XLIV: 10.

§. X. β. Propoſitionis repetitio & illuſtratio, verſ. 7. ita

ita ſonat. *Præ increpatione tua, Deus Jacobi! altiſſimo ſopore oppreſſus eſt & currus & equus.* h. e. terribili tua voce, inſtar rugitus leonis e Tſione, qua hoſtes ad internecionem usque deleti ſunt, tantus eſt omnibus incuſſus terror, ut aurigæ & equites obriguerint, & inmoti ſteterint, tanquam alto ſopore, divinitus immiſſo, oppreſſi; ita ut nullus ſeſe ab eo tempore movere fuerit auſus. Nihil hic difficile. Radix רדם proprie eſt *obturavit* & *obſtruxit:* unde נרדם altiſſimo ſopore, divinitus injecto, opprimi, & quaſi obſtructum jacere *a*. *Currus* & *equus* ſunt aurigæ & equites, adeoque bellicoſi & hoſtiles. Quod ſi quis ad ſingularem phraſin, *ſopore oppreſſus eſt & currus & equus*, non ſine ratione offendat; is, Gr. & Syr. verſionem ſecutus, pro נרדם ורכב וסוס legere poterit, נרדמו רכבי סוס *ſopore oppreſſi ſunt inſidentes equis;* phraſi ſatis uſitata & nota. *Increpatio* Dei eſt terribilis illa tempeſtas, in Aſſyrium immiſſa, qua Deus eum proſtravit, quæque orbem perſonuit, & omnibus terrorem incuſſit. Plura de *increpatione*, Deo adtributa, non opus eſt adferam, cum ubique proſtent.

§. XI. *Tertia* Pſ. pars, quæ terribile hoc judicium in Aſſyrium, cum ſuo effectu conſideratum, repræſentat tanquam ſignum & portentum futuri judicii in hoſtes Eccleſiæ, quo omnes manſueti liberandi ſunt, hoc ordine decurrit, verſ. 8--10. α. Terribilitas Dei, nulli ferenda, exhibetur, verſ. 8. β. Judicium Dei, modo memoratum, repetitur per modum parentheſios, tanquam futuri judicii emblema & omen, verſ. 9. γ. Ipſum judicium futurum, in quo Deus ſeſe terribilem ſummo gradu demonſtraret, deſcribitur, verſ. 10. α. Terribilitas Dei irati, cui omnes ſuccumbere debeant, his verbis ob oculos ſiſtitur, verſ. 8. *Tu tremendus, tu, & quis ſtabit coram te præ aeſtu bulliente naſi tui?* h. e. Terribiles *tu es*, imo *tu* ſummo gradu, cui omnes corpore vibrato adtremiſcant; nec eſt aliquis, quam potens etiam & Magnificus, qui, quum ira tua efferbuerit,

a Schultens ad Job. IV: 13.

ſtatum ſuum tueri poterit, ſed cedere debet & ſuccumbere. Nihil hic noſtræ curæ relictum eſt, præter ultimas voce אפך חמת, quas reddidi, *prae aeſtu bulliente naſi tui;* cum vulgo reddantur, *a tunc irae tuae*, inde ubi ira exarſerit; quod valde incommodum eſt; & ſine exemplo. Vox חמה eſt a rad. חמם, quæ apud Arab. ſupereſt, & ſignificatum *fervefcendi*, ac cum bullitu exæſtuandi, habet, unde חמה pro *aeſtus bulliente;* & cum אף, proprie *naſo*, recte conſtruitur; ut *æſtum bullientem naſi* denotet; quæ eſt ſummæ iræ effervefcentis vivida imago. Præivit Cl. Schultens F. *a.* Addo locum Deut. XXIX: 29. ita vertendum: quia חמה *aeſtus bulliens fumabit, aeſtus* (voce חמה repetita,) *naſi Jehovæ, & fervor zelotypiæ ejus, in virum iſtum.*

§. XII. β. Terribilitatis hujus, cui omnes ſuccumbunt, ſpecimen modo datum in Aſſyriis proſtratis, & populis vicinis ad ſilentium redactis, repetitur, & fundamenti inſtar ſubſternitur prophetiæ de omnibus manſuetis terræ ſuo tempore liberandis ſingulari, vel ſimili, judicio Dei, per modum parentheſios, verſ. 9. *De coelo audire feciſti judicium, terra adtremuit & quievit*, h. e. Quam terribilis tu ſis præ æſtuante ira, ſingulari hoc ſpecimine modo demonſtraſti, quum ſententiam judicialem contra hoſtes & pro nobis, tanquam judex ſupremus & coeleſtis, efficaciter pronunciaſti, hoſtes de coelo feriendo, & tempeſtate ſuſcitata delendo, eo cum effectu, ut quaquaverſum illud fuerit auditum, & terra terrore correpta, & ad quietem ab omni hoſtilitate adacta ſit: quo ipſo ſignum dediſti judicii aliquando exercendi in populi tui manſueti perſecutores, quo populus tuus plene & perfecte liberabitur, & in pacem ac proſperitatem vindicabitur. Verba continent judicii Divini, modo habiti, non habendi, ut vulgo capi ſolent, deſcriptionem; cum ſint verba præt. temp., quibus utitur poeta, & per modum parentheſios inſerta eo, quo dixi, ſcopo; cumque ſeq. verſus manifeſte cum præced. 8vo cohæ-

a Disp. Acad. II. de utilit. Dialect. p. 118.

hæreat. Ex qua hypotheſi cuncta apte cohærent, & facileſ habent explicatus. Comprehendunt vero *antecedens* & *conſequens*; ſeu ſententiæ judicialis ſonoram pronunciationem de coelo, & ejus effectum per terram. *Prius*, *audire feciſti judicium de coelo*, Deum ob oculos ſiſtit, tanquam judicem ſupremum in coelo, qui inde ſententiam judicialem ad litem inter hoſtes & populum Dei decidendam, clara & ſonora voce pronunciat, ſed ſignificat, θεοπρεπῶς intellectum, 1. judicium in Aſſyrios, quo deleti ſunt, & Judæi liberati, 2. judicium cum claris ſignis Majeſtatis, potentiæ ac juſtitiæ, Dei conjunctum, ex quibus conſtabat, illud a Deo eſſe profectum; adeoque ſingulare, mirabile ac extraordinarium, 3. ſimul per tempeſtatem tonitruantem & fulminantem exercitum; quæ quaſi Dei *vox*, de coelo orta, haberi debet. 4. denique ſonorum judicium, quod orbem perſonuit, & quaquaverſum ad aures hominum pervenit. *Poſterius*, *terra adtremuit & quievit*, conſequens hujus judicii complectitur, in eo ſitum, quod ad hanc terribilem ſupremi judicis de coelo ortam vocem adtremuerit terra, ſummo terrore concuſſa, & ad ſummam quietem fuerit redacta; ita ut ſeſe movere hoſtiliter non fuerit amplius auſa, & ita *quieverit a bello*; uti ſuppletur, Joſ. XI: 13. XIV: 15. Conf. Hab. II. 20. & Zach. II: 17. De re ipſa vidimus ad verſ. 6 & 7.

§. XIII. γ. Subjungitur terribilitatis Dei irati demonſtratio futura, cujus ſignum & portentum modo datum erat in judicio in Aſſyrios, in eo ſita, quod vindicaret omnes manſuetos & adflictos terræ, verſ. 10. *Cum ſurrexerit ad judicium Deus*, *ad ſervandum omnes adflictos & manſuetos terræ*. Cohærent hæc clare cum verſ. 8—. *quis ſtabit coram te*, *præ æſtu bulliente naſi tui*, *cum ſurrexerit ad judicium Deus*, per ſubitam & emphaticam perſonæ mutationem, pro, *cum tu ſurrexeris tanquam Deus ad judicium* &c: In verbis nihil eſt obſcuri: quod vero ad rem ipſam adtinet, notandum eſt, agi non de præſente, ſupra memorato,

to, judicio, ſed futuro, eoque ſingulari, & univerſaliore, quo omnes *modeſti* & *adflicti terræ* in libertatem & proſperitatem adſererentur. Quale judicium temporibus Maccabaicis in gratiam populi Judæi, & deinceps poſt Meſſiam manifeſtatum ſæpe in favorem populi Meſſiæ, exercitum eſt, & exercebitur ſummo gradu ſub finem oeconomiæ Meſſiæ. Quo nos generalis phraſis, & epitheton omnium *tenuium* & *adflictorum terrae* ducit. Memorat vero poeta hoc judicium Dei, ſequentibus temporibus habendum, occaſione judicii in Aſſyrios tempore Hizkiæ, quia iſtud pro ſigno & emblemate haberi ſolet in verbo prophetico omnium ſequentium judiciorum in gratiam populi Dei. Conf. Jeſ. XIV: 24. XVII: 14. & ad ea loca Cl. Vitringa.

§. XIV. In *quarta*, & ultima, Pſ. parte, quæ adhortationem ad Deum celebrandum ſuper ſingulari hoc judicio, & populi liberatione, comprehendit, ſeſe offert, α. Ratio Deum laudandi, a ſcopo & vero conſpectu judicii Dei deſumta, quippe quod ad Deum celebrandum natura ſua tendit, his verbis, verſ. 11. *Quia excandeſcentia hominis te celebrabit, reſiduum furorum circumcinges tanquam ornamentum.* h. e. Cum hic ſoleat eſſe effectus excandeſcentiæ hominis in Te & populum tuum, imo totius univerſitatis excandeſcentiæ ſummæ, ut te laudandi materia præbeatur ea occaſione, dum te glorioſum in excandeſcentia ea frangenda præſtas, adeo etiam ut vel ſumma & furibunda hominis ira inſtar ornamenti, quo cingeris, habenda ſit. *Excandeſcentia hominis*, ſeu proprie ira æſtuans hominis cujuscunque, quam potentis etiam & inflati opinione ſua, attamen cum Deo comparati, *inbecillis*, ſcilicet in Deum & populum ejus accenſa, ut Senacheribi & ejus miniſtrorum fuit, *Deum laudare* dicitur, quatenus materiam & rationem id faciendi ſuppeditat, dum Deus inde occaſionem ſumat ſeſe potentem, juſtum & glorioſum, præſtandi in ea ira reprimenda, & punienda. Additur, oratione ſcandente, ad illud exaggerandum, excandeſcentiam omnem ſimul ſumtam,

tam, in cumulum aggeſtam, hominum omnium nihil efficere poſſe contra Deum, ſed exire debere in ejus ornatum & laudem, ita ut pro ornamento Dei, quo cinctus, tanquam triumphator, ſplendide incedit, haberi debeat. Hunc exiſtimaverim ſenſum eſſe verborum, *reſiduum excandeſcentiarum circumcinges te. Reſiduum excandeſcentiarum* eſt quicquid earum, ſimul ſumtarum, tota earum univerſitas. Vox enim שאר *omnes*, & שארית *univerſitatem* rei, quicquid ejus eſt, ſubinde denotat; de quo pluribus egi ad Mal. II: 15. Illud Deus dicitur *circumcingere*, quatenus ipſi ornamento eſt & gaudio; uti Pſ. LXV: 13. ſimili metaph. verbum חגר occurrit; & *cingulum* pro ornamento facile ſumitur. Sed admittit verbum חגר quoque ſignificatum *arctandi*, & ad incitas redigendi, cum pudore & pavore: ut 2 Sam. XXII: 46. coll. Pſ. XVIII: 46. quæ radicis propria poteſtas eſt, ſita in *arctatione* undique adſtricta. Quo admiſſo, ſenſus erit, Deum quicquid eſt irarum comprimere, & in arctum redigere, ita ut compeſcatur, & præ timore conſtrictum teneatur, ac quieſcat, ut in locis citatis: quod ab hoc loco non eſt alienum; cum novam tunc rationem Deum celebrandi comprehendat, in eo ſitam, quod ſicut *iram* hominis nunc in materiam laudis verterit, ita in poſterum quicquid eſt irarum ſit compeſciturus, cum venerit ad judicium, ut omnes adflictos terræ liberet. Quod mihi maxime placet.

§. XV. β. Ea ratione cum Deus nunc egerit, acturusque ſit magis in poſterum, recte ſubjungitur adhortatio ad Deum laudandum, inde deducta, quo vocula כי *quia* verſ. 11. tendit, his verbis, verſ. 12. *Vota concipite, & reddite Jehovæ Deo veſtro*, ſcilicet, vos, qui populum Dei conſtituitis, & tam glorioſe liberati eſtis, tantasque exſpectatis liberationes alias: eos enim adloquitur poeta, ut facile adparet. Senſus eſt, Judæos, tanto beneficio adfectos, gratum ſuum animum omni honoris & cultus genere demonſtrare debere, &, quod in anguſtiis Deo promiſerunt, ipſo

nunc opere præstare debere. Quam sensus amplitudinem *votorum* conceptio & solutio comprehendit. Vid. Ps. L: 14. ubi eadem de re agitur. Phrasis vero, *vovete & solvite*, idem dicit, ac *vota solvite*, emphasi in verbo *solvere* sita, sive nunc, sive antea, sint vota concepta.

§. XVI. 3. Urgetur denique adhortatio exemplo vicinorum populorum, qui dona & munera Deo, qui se tam verendum præstitit, offerrent, vers. 12, 13. *Omnes finitimi ejus munus verendo* numini *adferent pompatice; præcidet spiritum ducum, tremendus regibus terræ.* h. e. Ut eo magis ad vota solvenda excitemini, advertite exemplum populorum vicinorum in circuitu Dei, seu terræ ejus, degentium, qui magna celebritate & frequentia dona ad Deum deferent Hierosolymam, numinis ejus timore ducti, qui sese verendum demonstravit regibus terræ, & duces strenuos vita ac viribus privare solet, uti illustri nunc demonstravit exemplo in Assyriis prostratis. Nihil hic obscuri. Conf. Jes. XVIII: 7. Ps. LXVIII: 30. & 2 Chron. XXXII: 23. Tantum not. 1. vocem סביבו *circum ipsum* cohærere cum seq., & populos vicinos, in circuitu sedis Dei habitantes, intelligi: de quibus haec phrasis sæpe adhiberi solet. 2. Phrasin, *præcidere spiritum*, late sumendam esse, ut superbiæ, consilia, & ipsius vitæ, abolitionem comprehendat. Quæ omnia voce רוח in Script. significantur, uti notum, & ab aliis observatum satis est. 3. Phrasin, יובילו שי *adferent pompatice munus*, supra ad Ps. LXVIII: 30. explicui.

PSALM.

PSALM. LXXVII.

1. *Præcentori super Jedutun Psalmus Asaphi,*
2. *Voce mea* inclamo *& inclamabo Deum, voce mea* inclamo & inclamabo *Deum, & aures præbendo præbebit mihi.*
3. *Tempore angustiæ meae Dominum quaesivi, manus mea noctu æstuat,* vel *æstuabunda bullit, nec singultat,* aut *interquiescit, renuit consolationem recipere anima mea.*
4. *Recordabor Dei & aestuabo vehementius, exspatiabor & involvet sese spiritus meus. Sela!*
5. *Prehendisti vigilias oculorum meorum, obtusus sum & non loquar.*
6. *Computavi dies ab antiquo, annos seculorum.*
7. *Recordatus sum* continuo *pulsationis meae,* seu *hilaris musicae, noctu cum corde meo discurri, & scrutatus est spiritus meus.*
8. *Num in secula fastidiet Dominus, nec perget amplius gratum habere?*
9. *An exspiravit in purum putum benignitas ejus, præsecuit dictum in aetatem & aetatem?*
10. *Oblitusne sit Deus tenerrimae adfectionis? an ira constringet miserationes suas? Sela:*
11. *Et dixi, tormentum meum hoc est. Annos dextrae Altissimi*
12. *Concelebrabo, ardua Dei molimina. Quia recordabor mirabilium tuorum ab antiquo.*
13. *Et in omnia opera tua aestuabo, ac in arduis tuis moliminibus exspatiabor.*

14. *Deus! in ſancto eſt via tua; quis Deus magnificus ſicut Deus* tu?

15. *Tu Deus es faciens mirifica, promulgaſti inter populos robur tuum.*

16. *Vindicaſti brachio populum tuum, filios Jacobi & Joſephi.*

17. *Viderunt Te, Deus! aquae, viderunt Te aquae, contortae ſunt, etiam contremuerunt abyſſi.*

18. *Torrente vehementiore commotae ſunt aquae, nubes craſſiores, vocem dedit aether, etiam tela tua graſſata ſunt.*

19. *Sonus tonitru tui in rota,* ſeu inſtar rotæ tendit, *fulgura illuſtrarunt orbem habitabilem, intremuit, & terrore concuſſa eſt terra.*

20. *In mari via tua, & ſemitae tuae in aquis multis, nec veſtigia tua nota ſunt.*

21. *Duxiſti ſicut gregem populum tuum manu Moſis & Aaronis.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt perſonæ, graviſſima calamitate anguſtante, quæ nulla antiqui favoris Dei, multa iræ ipſi incumbentis, ſigna præferebat, oppreſſæ, & ſumma, fereque desperabundæ, anxietate adfectæ, ita ut nusquam fere conſolationem aliquam reperiret, *oratio*, qua *partim* adflictionis, & triſtis adfectionis ſuæ, vivam pingit imaginem, *partim* viam & rationem exponit, qua ſeſe tandem erexit, meditatione mirabilium Dei operum olim editorum, in gratiam populi Israelis, quibus eum ab oppreſſione

ne Aegyptiaca vindicavit, & in terram promiſſam eduxit manu Moſis & Aaronis. Poſteaquam perſona loquens adflictionem ſuam verbo memoraſſet, & ſummæ ſuæ anxietatis, quæ omnem reſpuebat conſolationem, & a desperatione proxima erat, deſcriptionem dediſſet, rationem tradit, qua animum perturbatum compoſuit, & firmavit, in mirabilium Dei facinorum, quibus Israelem olim ex Aegypto liberavit, & per deſertum duxit, conſideratione ſitam; quorum fuſiorem dat & emphaticam recenſionem.

§. II. Quod ad verum argumenti conſpectum, & characteres perſonæ loquentis, ejusque ſtatus & adfectionis, adtinet; cum non niſi generalibus verbis & phraſibus ſuam adflictionem, & ſummam anxietatem, depingat, vix aliquid definiti de eo proferri poteſt. Illud in genere conſtat, 1. Tempus fuiſſe anguſtiarum, in quo verſata fuit, verſ. 2. 2. adflictionem gravem, quæ conſpectum præferebat reprobationis populi a Deo; favoris Dei ſignis ceſſantibus, & iræ Dei incumbentibus; eamque præterea in perpetuum duraturam, cujus finis non adparebat, adeo ut nec a Deo, nec in meditationibus de Deo, reperiret conſolationem, verſ. 3—10. 3. Denique, cum recordatio mirabilium Dei operum in Aegyptiis puniendis, & populo ab iis liberando, ac per deſertum ducendo, fluctuationem & anxietatem animi ſuperaverit, plusquam probabile ſit, tempus anguſtiæ præſentis aliquatenus reſpondiſſe antiquiori in Aegypto, & liberationem populi ab oppreſſione Aegyptiaca in medium produci, ad ſpem præſentis liberationis confirmandam. Quod ab aliis obſervatum jam eſt.

§. III. Qui characteres cum in nullum tempus aptius convenire videantur, quam exilii Babylonici, in eo ſcena Pſ. figi paſſim ſolet. Quæ opinio inde quoque firmatur, quod in prophetiis de liberatione ab exilio Babyl. provocari quoque ſoleat ad antiquam illam ex Aegypto, uti Jeſ. LXIII: Hoſ. XII: 10. Mich. VII: 15. Hab. III. & alibi. Quæ hypotheſis ſi adoptaretur, pios ex Israele hic loquentes ſiſti opi-

narer tempore Darii Medi, Babelem occupatam tenentis: quo in ſpem liberationis erecti, nec tamen eam conſecuti, animis fracti ſunt, & circa promiſſam liberationem fluctuare, ſimul ardentes eam ſupplicare, coeperunt; uti Danielem feciſſe conſtat, Dan. IX. Sed, quantopere hæc opinio adblandiatur, exque Aegyptiaca liberatione, hic memorata, roborari videatur, ita ut mihi antea ſeſe adprobaverit, re curatius penſitata, eam ſepoſui, & in adflictionem Epiphanicam, ejusque initia, quum omnia videbantur desperata, cogitationes defixi. Præterquam enim quod nullum *exilii* Babylonici criterium ſeſe offerat, comparatio cum Aegyptiaca liberatione a vindicatione ab oppreſſione Epiphanica non tantum non abhorreat, ſed & aptius in eam conveniat, quippe majore cum potentiæ Dei demonſtratione peractam, quam a Babylonica ſervitute, ut facile cernitur: 1. *Tempus anguſtiae* arctantis, verſ. 3., & ſtylo Script. & vera ſua emphaſi, longe aptius in Epiphanicam quadrat adflictionem, quam ſtatum populi in exilio Babylonico; ut notum eſt. 2. Desperabunda fere anxietas & fluctuatio, hic fortiter expreſſa, pios tempore Epiphanico facilius corripere potuit, quam exilii Babylonici, cum certum haberent & definitum promiſſum liberationis inſtantis, ſicut Dan. IX. quoque memoratur. 3. Robur addit collatio Pſ. LXXIV: 2. ejusdem fere argumenti, & ad Epiphanicam adflictionem pertinentis; uti vidimus. Cum vero poeta adpelletur *Aſaph*, idem hic ſtatuendum eſt, quod ad Pſ. præcedentes, eundem autorem habentes, aliquos obſervavi. *Scopus* Pſ. eſt, publicum erigere monumentum adfectionum & meditationum piorum in ſumma anguſtia, & ſtatu graviſſimæ adflictionis, quo favoris Dei ſignis caruerunt, & iræ Dei indicia experti ſunt, quibus *partim* ad Deum in precibus confugerunt, & ipſi perrexerunt adhærescere, *partim* cum ſumma anxietate luctati ſunt, *partim* denique ſeſe meditatione mirabilium Dei operum in gratiam populi olim editorum conſolati ſunt; eo etiam ſcopo, ut piis cala-

calamitate oppreſſis exemplum præberetur, quod ad deſperationem ſuperandam imitentur. Quem *uſum* Pſ. per omnia tempora habet.

§. IV. *Structura* Pſ. nihil ſingulare habet. Una eademque perſona, & non diverſæ, loquitur, ſingularis quidem, ſed nomine totius Eccleſiæ, cujus partem faciebat, cum mox molimina Dei in populi gratiam memoret in ſui conſolationem. Loquitur in priore parte Pſ., qua ſuam exponit fluctuationem & anxietatem, paſſim de Deo in tertia perſona, ſed in poſteriore, ubi ſe erigit, ſermonem ad Deum dirigit, in ſignum fiduciæ, quam exponit. *Stylus* eſt planus & emphaticus, ſimul adfectuoſus. *Partes* Pſ. duæ generales ſunt, quarum *prior* continet deſcriptionem ſummæ triſtitiæ, & anxietatis, qua tempore angustiæ fuit adfectus populus pius, nec non pietatis, qua Deo perrexit adhærere, ſed fruſtraneæ ſimul operæ, quam adhibuit in luctu ſuo vincenda, verſ. 3—10. *Poſterior* exponit modum, quo tandem e luctu evaſit, & in fide ac ſpe liberationis confirmatus fuit, per meditationem mirabilium Dei operum in populo ex Aegypto educendo, verſ. 11—21. Præmittitur vero verſ. 2. generalis propoſitio piæ actuoſitatis in Deo conſtanter, & cum fiducia, invocando, donec aures advertat, & populum liberet; ad quam præſtandam, qua ratione pervenerit, in ſeq. partibus tradit.

EXPLICATIO.

§. V. Scena temporis, cui Pſ. argumentum reſpondet, cum ſit adflictio Epiphanica, ut ſupra vidimus, opus non eſt inveſtigatione hypotheſios eum explicandi. Nulla enim ratio eſt inde discedendi; licet ſint, qui adflictioni Eccleſiæ Chriſtianæ ſub finem temporum adplicent; quod ab ipſo Tillio refutatum eſt. Pergo itaque mox ad expoſitionem. Generalis propoſitio actuoſitatis, quam poeta, populi pii per-

perſonam ſuſtinens, declarat conſtanter, quamdiu duraverit adflictio, præſtiturum eſſe, cum fiducia & ſpe exauditionis, ad quam qua ratione pervenerit in hoc Pſ. deducit, ita habet, verſ. 2. *Voce mea* inclamo *& inclamabo Deum*, *voce mea* inclamo & inclamabo Deum, *& aures præbendo præbebit mihi.* h. e. Ita ſum in præſentia adfectus & animatus, ut Deum, tanquam opitulatorem, ardenter, & continuo, inclamem, & ad opitulandum ac ſuccurrendum excitem, cum certa ſpe exauditionis. Oratio eſt adfectuoſa, & propterea conciſa; duplici inprimis laborans ellipſi, *una* verbi *clamo* in priore membro, ex ſeq., *& clamabo*, facile ſupplenda, *altera* utriusque verbi *clamo* & *clamabo*, ex ſuperiore membro repetendi: ita ut plena oratio ſit, quam in verſione expreſſi. Alii vel ſupplent *eſt* aut *fertur*, vertuntque, *vox mea ad Deum eſt*, vel fertur, alii conjungunt & reddunt, *voce mea ad Deum clamabo:* ſed *poſteriori* obeſt in primis copula ו *&*, verbo *clamabo* præmiſſa, *prius* minus facile, concinnum & emphaticum eſt. Declarat itaque poeta, piorum, tempore iſtius anguſtiæ, nomine, ſe 1. Deum tanquam opitulatorem ad opem ferendam, ſicut oppreſſi quiritando ſolent, invocare, ſive deſideriis & ſuſpiriis, ſive voce ſonora. Quam poteſtatem exſerit verbum זעק, quod apud orient. proprie continet *fragorem*, veluti coeli tonitrua & fulmina mittentis; unde præter alia metaphorice dicit, *clamavit præ dolore*, q. d. tempeſtate quadam mentis concuſſus erupit in fragorem & querelam publicam. Denotat enim querimoniam publicam, cum imploratione auxilii & protectionis conjunctam, quam Lat. vocant *quiritationem.* 2. Deum ita inclamare in præſentia, & inclamaturum deinceps; prius reticuit, poſterius expreſſit, ſed, addita copula ו *&*, prius in mente quoque habuiſſe indicat: ut plene ſit, *inclamo* & *inclamabo*, 3. Deum ea ratione inclamare ardenter, & ſine intermiſſione; quo tendit repetitio *voce mea ad Deum* ſc. *clamo* & *clamabo;* quod ſupplendum eſt, ut dixi. 4. Denique cum fiducia id facere, & ſpe exauditionis;

nec

nec non eo usque, donec Deus adnuat. Quod verbo יאות exiſtimaverim indicari: occurrit in infinit., ſed fut. indicat, acſi haberetur, & *aures præbendo præbebit*. Quo nihil eſt facilius, & uſitatius. Vocula vero ו &, verbo præfixa, *exauditionem* cum imploratione connectit, & *cum* ſpem exauditionis certam indicat, *tum* precum continuationem usque ad exauditionem.

§. VI. Ad hanc piam & fiduciæ plenam adfectionem & actuoſitatem qua ratione & via fuerit adductus, ut exponat, præmittit ſummam ſuam anxietatem, & fruſtraneam operam in ea ſuperanda adhibitam. Quæ prior Pſ. pars generalis eſt. *Tria* memorat *media*, ad anxiam ſolicitudinem ſuper liberatione populi pellendam fruſtra adhibita. *a. Primum* eſt, quo in Deo quærendo, & gratiam ejus ambiendo, copioſus fuit, & conſtans, ſed unde plagæ remiſſionem & conſolationem non eſt conſecutus, verſ. 3. *Tempore anguſtiæ meæ Dominum quæſivi; manus mea noctu æſtuabat*, vel æſtuabunda bullit, *nec ſingultat*, vel interquieſcit, *renuit conſolationem recipere anima mea*, h. e. Durante adflictione, vehementer anguſtante, qua ad incitas redactus ſum & undique premor, Dei gratiam & favorem omni modo quæſivi ad conſolationem & liberationem; adeoque omnia pietatis officia implevi; ſed nihil profeci, nihil remiſſionis aut conſolationis recepi: vis quippe mea, etiam noctu, ubi quies refocillare ſolet, æſtuabunda ebullit continuo, & ſanguine quaſi per venas erumpente tabeſcit, & anima mea nulla erigitur conſolatione. *Dies anguſtiæ* eſt tempus calamitatis prementis; & magnam adferentis anxietatem; uti fuit graſſante oppreſſione Epiphanica; quæ nomine *iræ ſævientis*, Dan. VIII: 10. XI: 36. etiam, ut hic, temporis צרה *anguſtiæ prementis*, c. XII: 1. & alibi venit: illudque eximie meretur. De quo in Diſſ. & com. ad Dan. & Pſ. x. fuſius expoſui: nec res ignota eſt. Hoc tempore pii ad Deum confugerunt, ejus gratiam ambierunt, & inde auxilium ac liberationem petierunt, quod eſt Deum *quærere*, ſed irrito

effectu; adeo ut vires tandem corporis & animi fere defecerint; & ad desperationem redacti sint. conf. Ps. XXXVIII: 10. Quod his verbis exprimitur, *manus mea noctu æstuat, nec singultat*, aut interquiescit, *renuit anima mea consolationem recipere*. *Manus* significat vel *plagam* inflictam, ut post Coccejum accipit Cl. Schultens *a*, vel potius *vim* & potentiam, uti sæpe alias, etiam cum rebus inanimatis tribuitur; ut *manus inferni*, Ps. XLIX: 16. *manus flammæ*, Jes. XLVII: 14. *manus linguæ* Prov. XVIII. *manus peccati* Job. VIII: 4. *manus abyssi* Hab. III: 10. sic & absolute *manus* pro viribus Deut. XXXII: 36. Hos. VIII: 20. Mich. II: 1. & alibi. Manus vero *æstuare*, & æstuabunda *bullire* dicitur, quæ vera vis est verbi גגר, uti ostendit Cl. Schultens *b*, quatenus vires æstuantes, & sanguine q. per venas erumpente, evanescunt, & corpus *tabescit*. De quo dixi ad Ps. LXXV: 9. Additur ad illud adgravandum, *noctu* & *sine intermissione*, ut significetur, ne noctu quidem, quum quiesci solet, illud cessare, nec esse aliquod interstitium, sed continuam esse æstuationem. Radix אוג proprietatem habet in *singultatione*, speciatim hominis deliquium sentientis, & jam jam exspirantis: sed inde usurpatur pro *interspirare*, & *requiescere*; nam singultus est intermissio quædam spiritus, per intervalla erumpentis. Reliqua sunt facilia.

§. VII. *β. Secundum* medium, piis alias semper salutare, & ad consolationem efficax, deprehensum, in recordatione Dei & meditatione de Deo situm, frustraneum non tantum fuisse, sed contrarium producere effectum, declarat, vers. 4, 5. his verbis: *recordabor Dei, & æstuabo* vehementius, *exspatiabor & involvet sese spiritus meus. Adprehendisti vigilias oculorum meorum, obtusus sum & non loquar.* h. e. Nec melius mihi successit, aut succedet, quod sanctis alias solatio fuit, & cum fructu adhibitum ab iis est, animo revolvere gratiæ & bonitatis Dei signa & effecta, antea accepta, & in eorum meditatione ac recensione exspatiari; ni-

a Ad Ps. XXXVIII: 11. & Job. XXIII: 2. *b* Defe&. §. 68.

nihil enim inde lucratus ſum præter confirmationem & incrementum moeroris, quærulæ vociferationis, & profundæ, ac fere desperabundæ, triſtitiæ, quæ animum obruit; adeo ut, quo deturnior fuerim in eo opere, eo magis factus ſim obtuſior, & anxietatis plenior, eo etiam usque, ut ne loqui amplius potuerim. Permiscentur verba fut. & præt. temporis, ut ſignificet, ſe illud expertum eſſe, & experturum amplius. *Medium*, in ſui conſolationem adhibitum, memorat *recordationem Dei*, nec ſemel & actu transitorio, ſed continuo, noctes atque dies uſurpatum eſſe, addit; ſed ſemper fruſtra, & cum effectu contrario. Exprimit itaque illud tribus articulis. *a.* Primus eſt, *recordabor Dei, & æſtuabo.* h. e. ex Dei recordatione hunc retuli fructum, quod cum vociferatione & triſtitia æſtuaverim; nec alium exſpecto fructum in poſterum: quam poteſtatem hic exſerunt verba fut. temp.; ut ſæpe alias. *Recordari Dei* eſt animum ad Deum adplicare, tanquam olim ſuum, bonum & miſericordem, ejusque gratiam & miſericordiam, multis antea ſignis, ac teſtimoniis, demonſtratam, in mentem revocare, ut ea ratione ſe erigat, et in ſpe confirmet. Quo medio uſi ſæpe fuerunt tempore adflictionis ſancti, ut Pſ. XLII: 7. ubi vid. dicta, et Jon. II: 8. Irritum, et contrarium, inde ortum effectum exponit verbo *æſtuandi*, quod ſubjungit. Radix non proprie eſt, *æſtuavit*, *efferbuit*, et ſæpe venit in *fluctibus æſtuabundis* *a*, unde ad animum transiit, triſtitia et metu perturbatum, ſeque anxiis curis et cogitationibus verſantem, ſtrepitumque per vociferationes et fletus cientem. De quo dixi ad Pſ. XLII: 7.

§. VIII. *b. Secundus* articulus habet, *exſpatiabor*, et *ſi involvit ſpiritus meus.* h. e. quoties in Dei recordatione hîc here, copioſe, & cum delectatione discurrere mente, cogitationibus, et meditationibus, inſtitui, toties ſenſi ſpiritum meum totum involvi ad deliquium usque, triſtitia et metu oppreſſum. Scandit oratio, eodem modo concinnata, qua

a Schultens ad Prov. XX: 1.

cauſam & effectum contrarium connectit. Quod modo *recordari*, illud nunc *exſpatiari* dicit, ut ſignificaret non ſimplicem & tranſitoriam recordationem, ſed intentam, continuam & copioſam, qua mens exſpatiatur cogitationibus & meditationibus de Deo, ejusque virtutibus & operibus: quam verbi רוח poteſtatem pluribus expoſuit Cl. Schultens *a*. Quo in opere cum ſancti cum delectatione & ſalutari fructu verſari ſolerent, uti ſæpe in Pſ. CIV, CV, CXIX, CXLIII, CXLIV. & alibi; nunc ſeſe declarat nihil inde ſolatii & delectationis percepiſſe, ſed contra majore fuiſſe adfectum triſtitia & anxietate, quæ mentem plane de ſtatu ſuo dejecit; adeo ut non tantum, ut modo dixerat, *æſtuaverit*, ſed & totus triſtitia fuerit coopertus, & obrutus. Quod verbo התעטף ſolet exprimi, a propria ratione *duplicando flectendi*, & *convolvendi b*.

§. IX. *c. Tertius* articulus his verbis effertur, verſ. 5. *Prehendiſti vigilias oculorum meorum, obtuſus ſum, & non loquar*. h. e. Dies non tantum, ſed & noctes, quas inſomnes exegi, meditationibus tenuiſti occupatum; nec tamen inde aliud retuli, quam mentis conſternationem, quæ mihi os clauſit, ut nec ad meam, nec aliorum conſolationem aliquid proferre valeam. Exaggerat perſona loquens rurſus & occupationem ſuam piam, & fruſtraneum, quin contrarium, ejus effectum; uti modo inſtituerat. *Prius* his verbis facit, *tenuiſti vigilias oculorum meorum*, h. e. tenuiſti oculos meos vigilantes per recordationem, & discurſationem, vel continuas meditationes de te. Convenit fere quod Pſ. LXIII: 7. habetur, licet alio ſcopo prolatum, *ſi recordatus fui tui ſuper ſtrato meo, in vigiliis æſtuabo in te*, ſc. meditatione & eloquio: ut & Pſ. CXIX: 148. *prævertunt oculi mei vigilias ad exſpatiandum in dicto tuo*. Sermo ad Deum ſubito, per uſitatam ſatis apoſtrophen, vertitur, & Deus *prehendiſſe* dicitur *vigilias oculorum*, quatenus oculos tenuit vigilantes, & in ſe defixos, adeoque animum reddidit me-

a Ad Prov. VI: 22. *b* Schroeder ad Jeſ. III. c. 15.

meditabundum. Quod cum præced. & ſerie orationis unice convenit. Declaraverat, ſe *Dei recordatum eſſe*, & *in ipſo exſpatiari:* ſubjungit nunc, ſe in eo continuo fuiſſe, per noctes æque ac dies, uti in locis citatis, adeo ut Deus dici queat, *vigilias oculorum tenuiſſe*, & ſibi vindicaſſe, quod eſt אחז. *Vigiliæ oculorum* ſunt oculi vigilantes, & non, ut alii, *palpebræ;* quo ſenſu nusquam venit vox שמרות; quæ eadem eſt, ac אשמרות, littera א abſorpta per præcedentem vocem in ſimili ſono deſinentem. Effectum hujus occupationis indeſinentis ſeq. verba comprehendunt, *obtuſus ſum & non loquar.* h. e. Nihil inde ſolatii accepi, nihilo factus ſum animoſior, & fidentior, uti alias accidit ſanctis; quemadmodum in locis citatis; ſed contra, *obtuſus factus ſum & non loquar*, h. e. mente magis perculſus, metu & anxietate contuſus, ita ut nihil ſpei aut fiduciæ ad meum aut aliorum ſolatium proferre potuerim. Quod hoc loco eſt *loqui*, ut Pſ. CXVI: 10. *firmum greſſum poſui*, ſc. in Deo & apud animum, *quia*, vel propterea, *locutus ſum*, fidem & ſpem libere, palam & intrepide, proferendo, & defendendo.

§. X. γ. *Tertium* medium, vel præcedentis deductio ac amplificatio, cum ejus fruſtraneo, quin contrario, effectu, exhibetur, verſ. 6—11, his verbis: *computavi dies ab antiquo, annos ſeculorum; recordatus ſum* continuo *pulſationis meæ*, vel hilaris muſicæ, *noctu cum corde meo diſcurri, & ſcrutatus eſt ſpiritus meus; num in ſecula faſtidiet Deus, nec perget amplius gratum habere? an exſpiravit in purum putum benignitas ejus, præſecuit dictum in ætatem & ætatem? num oblitus ſit Deus tenerrimæ adfectionis? an conſtringet ira miſerationes ſuas? & dixi, tormentum meum hoc* eſt. h. e. Ut ſpecimen dem *recordationis meæ* Dei, & diſcurſus mei in ipſo, ſimul latius exponam, & amplificem; præterita tempora, & longius remota & proxima, in primis læta & proſpera, accurata ſupputatione recollegi, indeque materiam diſcurrendi ſummo otio & tranquillitate ſumſi, ac ſtudioſe & accurate inquiſivi, omnibus ad minimum usque diſcuſ-

cuſſis, quid de præſente mea calamitate eſſet judicandum; ſitne ſpes aliqua inſtaurationis ac liberationis ſuperſtes, nec ne; num gratia & favor Dei in perpetuum acceperit finem, promiſſum ejus, in ætatem & ætatem factum, præciſum, & ira omnem miſerationem abruperit. Cujus meditationis effectus quoque fuit, quod fateri debuerim, me fruſtra defatigaſſe, & ſummopere torqueri hac ſuper re. Oratio eodem rurſus modo compoſita eſt; complectitur *occupationis* fuſiorem deſcriptionem, & fruſtraneum effectum, verbo tantum ſubjunctum, verſ. 11. in priore membro, quod cum ſuperioribus eſt connectendum; ut mox patebit.

§. XI. In occupationis deſcriptione *a.* medium proponit, quo ad conſolationem uſus fuerit, ſeu principium, ex quo ratiocinatus ſit, his verbis, verſ. 6, 7. *computavi dies ab antiquo, annos ſeculorum, recordatus ſum pulſationis meæ muſicæ*, h. e. mente, accurata ſupputatione, revolvi tempora præterita, ab antiquiſſimis initio facto, & per omnia ſecula discurri; meam etiam priſtinam conditionem lætam & proſperam, qua Deo ſolebam accinere, & pſallere, in memoriam revocavi. Antea dixerat, ſe Dei fuiſſe recordatum, & in eo exſpatiatum fuiſſe meditationibus ſuis; hic, ut illud exponat, & latius extendat, declarat, ſe tempora præterita omnia, & longius remota, & proxime elapſa, ad animum revocaſſe; quibus partim proſpere degerat populus Dei, partim caſtigatus ſemper reſloruerat, nunquam a Deo penitus rejectus, ſed ſemper liberatus & inſtauratus. Quo oculo hic conſideravit *tempora* præterita; uti liquet, *cum* quod *pulſationum* ſuarum mentionem faciat, *tum* quod præſentem calamitatem iis opponat, & inde materiam disquiſitionis faciat, num Deus nunc in perpetuum gratiæ & favoris venam obſtruxerit. Remota tempora duabus phraſibus deſignat, *dierum ab antiquo*, et *annorum ſeculorum:* quarum *prior* nos ducit ad tempora, quibus Deus populum Israelis ſibi adſeruit, et formavit, ut ex verſ. 12. mox patebit: *poſterior* reſpicit, ad tempora ſequentia per om-

omnia ſecula ad præſentem adflictionem usque. *Proxime* præteritum tempus in oculis habet, ubi ſuam *pulſationem* memorat, ſeu lætam et piam muſicam ſacram, cum reſp. ſtaret, et religio debite exerceretur. In quo nihil eſt, quod moram injicit.

§. XII. *b.* Horum temporum accuratam ſupputationem, et recordationem, cum præſente ſtatu adflictionis comparatam, anſam et materiam ſcrupuloſæ disquiſitionis præbuiſſe, profitetur poeta, qua inquiſivit, quid de præſente calamitate ſit exſpectandum, num perpetuum ſit duratura, nec ne. Præmittit *occupationis* ſuæ delineationem, verſ. 7. *noctu cum corde meo exſpatiabor, & ſcrutabitur ſpiritus meus*, h. e. ſummo ſilentio & otio, in hoc adflictionis ſtatu, me tradidi meditationibus & disquiſitionibus accuratiſſimis. Cohæret vox בלילה *in nocte* cum ſeq., & non præced., quod ab aliis jam eſt obſervatum; nulla enim ratio erat memorandi cantica in nocte, ſed *meditationibus* recte adjungitur, uti verſ. 5. ubi *vigiliarum* ſuarum meminit, & ita Pſ. LXIII: 7. ne alia memorem. *Noctu* id ſe feciſſe declarat, ut, ſe ſummo otio & accuratiſſime illud feciſſe, & continuo, ſignificet, ſimul digitum ad ſtatum adflictionis, cujus emblema *nox* eſt, intenderet. De phraſibus ipſis nihil obſervo, cum ſint ſatis expeditæ.

§. XIII. Meditationis & disquiſitionis materiam hæc verba exponunt, verſ. —10. *num in ſecula faſtidiet Dominus, nec perget gratum habere amplius? an exſpiravit in purum putum benignitas ejus, præciſum eſt dictum in ætatem & aetatem? an oblitus eſt tenerrimum edere adfectum Deus? an conſtrinxit in ira miſerationes ſuas?* Quæ verba vero ſuo conſpectu hic non occurrunt tanquam *lamentantis interrogatio*, qua quaſi reſponſum a Deo petit, vel desperationem repellit, acſi vellet poeta, id fieri non poſſe, ſed tanquam disquiſitionis, modo memoratæ, materiam & argumentum conſtituentia, uti ex nexu cum præced. & ſeq. liquet. Modo enim *disquiſitionem* ſuam memoraverat, nec tamen, *ſu-*

per

per quo, addiderat; quod itaque hic fieri, ſtatuendum eſt: dein ſubjungit, hoc eſſe *tormentum ſuum;* argumento, ipſum in difficillima quæſtione ſolvenda fuiſſe verſatum, nec parem fuiſſe ſolvendæ. Quæſtio itaque hic movetur, in qua discutienda ſeſe tenuerat occupatum; & eo tantum tendit interrogationis particula *num*, *an?* Quæſtionem tamen ita proponit, ut, quantopere etiam ex præſente ſtatu populi concludendum videatur, Deum gratiam & favorem ſuum in perpetuum obſtruxiſſe, ad illud negandum animum inclinare patefaciat, ſaltem rationes id negandi, & ita ſpem liberationis producendi, ſuppeditet, absque tamen ut certam concluſionem inde formare potuerit. De quo mox.

§. XIV. Quæſtionem adfectuoſa & copioſa proponit oratione, variis adhibitis phraſibus, eodem fere tendentibus, quæ in *tres* articulos ſeſe dividit, quorum ſinguli *duo* continent membra, poſteriore prioris illuſtrandi cauſa addito. 1. Primus articulus ita ſonat, verſ. 8. *An in ſecula faſtidiet Dominus, nec perget gratum habere amplius?* h. e. an animo irato & indignabundo populum ſuum tanquam rancidum & foetidum averſatus eſt, & repudiavit, ita ut gratum non habeat amplius ei benefacere, vel in eo non amplius acquieſcat, ut favoris ſigna edat & effecta. Radix זנח conferenda eſt cum Arab. زنخ rancidus, *corruptus* fuit liquor, item præ *rancore faſtidivit*, unde ſecundario, *averſatus* eſt cum faſtidio, & repudiavit: de quo ſupra [a] egi. Quo admiſſo, recte ſubjungitur, *an non perget gratum habere?* ut facile cernitur.

§. XV. 2. *Secundus* articulus habet, verſ. 9. *an exſpiravit in purum putum benignitatis ejus vena; præciſum eſt dictum in ætatem & aetatem?* Quæ parum habent difficilis: *prius* membrum fere idem aliis verbis exprimit ac verſ. 8. verbum נפח proprie eſt, *crepitu* ultimo & flatu facto exſpiravit, ut נפח & נפח, quæ ſunt verba e ſono facta. Vox חסד,

a

a Ad Pſ. LXXIV: 1.

a primigenia poteſtate *turgeſcendi*, & *ubertate ſucci* adfluendi, unde in *ubere* teritur, cujus lac continuo confluit & manat, ad Deum adplicita, denotat venam benignitatis continuo fluentem in hominem. Quod ſæpe alias obſervatum eſt. Recte itaque conjungitur cum verbo *exſpirare*, ut ſignificetur venæ iſtius exſiccatio & ceſſatio; additur לנצח *in purum putum*, ut proprie denotat, h. e. & pleniſſime & perpetuo. Alterum membrum additur ad mirabilitatem ejus rei augendam ex conſideratione *promiſſi* Dei, quo venæ continuo fluentis fidem dedit populo: verba ſunt, *præciſum eſt dictum in ætatem & ætatem?* h. e. an promiſſum, in mille generationes factum, penitus, & in omnes generationes, abruptum & conſumtum eſt? אמר recte *promiſſum*, ſeu bonum alicui addictum, denotat, ut vidimus ad Pſ. LXVIII: 12. Quod huc unice quadrat. Verbum גמר, præterquam quod per adliterationem eleganter addatur אמר, inſita ſua notione huc recte convenit, dicit enim proprie *ſecare*, *praeſecare*, ſive in bonum, quum quid abſolvitur & conſummatur, ſive in *malum*, quum abſumitur, & ad finem perducitur: quod poſterius hic obtinet. Sed voces, *in generationem* & *generationem*, aliquid trahunt de ambiguo, cum & cum *dicto*, ſeu promiſſo, & cum verbo *praeſecare* conſtrui queant; quod ſtudio fuit captatum, ut utrumque intelligeretur; & ſenſus ſit, an *promiſſum*, in mille generationes factum, uti eſt Ex. XX & XXXIV, abruptum & finitum eſt in generationem & generationem, ſeu in omnes ætates ſequentes, & ita in perpetuum? quæ phraſios eſt notiſſima ſignificatio. Vid. Pſ. X: 6. XXXIII: 11. & alibi.

§. XVII. 3. *Tertius* articulus eſt, verſ. 10. *an oblitus eſt tenerrimum adfectum demonſtrare Deus? an conſtrinxit ira commiſerationes ſuas?* Cum *prius* membrum cauſam ceſſationis tenerrimi adfectus quærere videretur in *oblivione* Dei, *poſterius* additur ad illud corrigendum, & fortius exprimendum, cum illud adtribuitur *irae* Dei, adfectum illum tenerrimum, & miſerationes, conſtringenti, & ita impe-

dienti, quominus se exserat. Sensus est, Deum sese erga populum gerere, acsi propriam suam virtutem, qua tenerrimo adfectu suos prosequitur, oblivione deleviſſet, vel potius præ ira & indignatione obicem posuisset adfectui misericordiæ, ne ea in bonum populi sese in posterum amplius exserat. Nihil hic difficile. De verbo שכח & חרה sæpe diximus; quid sit in Deo *oblivio* & *ira*, nemini non constat. Verbum קפץ proprie est σφίγγειν, συσφίγγειν, *constringere*, uti קפץ פה *constringere os*, alligato carno, יד *manum* in parsimonia, sic *viscera* nostro loco in misericordiæ negatione, & duritie *a*.

§. XVIII. Sed quem effectum habuit hæc disquisitio de favore Dei erga populum Israelis finito, populoque in perpetuum repudiato, nec ne? quæ inde nata est conclusio, & quæstionis determinatio? illud his verbis declarat poeta, vers. 11. *Et dixi, tormentum hoc meum est*, h. e. disquisitio mea huc exiit, ut apud animum meum *dixerim*, pro conclusione, *torquet me* illud, nec expedire possim, quæstionem decidere nequeo, sed in incerto relinquere debeo; imo vero aucta inde est mea anxietas; adeo ut magis excruciatus sim, summa consternatione adtritus, & q. excoriatus insanabili plaga animi. Quam sensus amplitudinem adfert verbum חלה, cujus proprietas est in *terendo*, *adterendo*, scuticis etiam & flagellis, et sic adfligendo et cruciando, ac excoriando *b*. Indicat itaque, ægritudinem suam per hanc disquisitionem non fuisse sublatam, quin auctam, & adterentem fuisse factam, ac vehementius cruciantem, &c. conf. vers. 3. & ibi dicta. Interpretes cum seq. construunt, & varie exponunt: quos suo loco relinquere debeo. Nostra expositione nihil est facilius, ut puto, & aptius. Cohæret enim illud ואמר & *dixi*, manifeste cum præcedentibus, quibus disquisitionem suam memoraverat, adeoque ejus *conclusionem* & effectum comprehendere debet. Sequen-

a Schultens ad Job. v: 17. xxiv: 24. *b* Id. Orig. l. 1. c. 9.

quentes vero voces hujus versus quid significent, mox tradam; longe aliud, ac quod vulgo putatur. Ratio dubiæ & anxiæ hujus conclusionis erat, quod ab *altera* parte relationes Dei ad populum, ac virtutes Dei, gratiæ, misericordiæ & veracitatis, spem liberationis præbere deberent, ab *altera* vero tam singularis & horrenda calamitas, comparata cum superiorum temporum experientia, quibus populus vel prospere degerat, vel castigatus semper reflorverat, nunquam ita, ut nunc, tractatus, omnem spem præcidere, & illud tempus, a prophetis prædictum, nunc adesse, quo populus a Deo repudiaretur, arguere videbatur. Sed eo magis illud cruciare debuit sanctos, quod, nisi populus restituatur, actum quoque foret de Messia, & ejus oeconomia, qua Deus gratiam & misericordiam majore gradu exerceret: quo, sensu sublimiore, referri quoque possunt phrases, quæ quæstionis materiam comprehendunt, modo explicitæ.

§. XIX. In *altera* Pf. parte generali, qua modum exponit, quo luctam suam superavit, 1. occurrit præfatio, qua se ipse excitat ad mirabilia Dei facinora, in populo ex Aegypto liberando, mente revolvenda, ut inde se erigat, & consoletur spe similis liberationis ex præsente afflictione, vers. 11—13. *Annos dextræ Altissimi commemorabo, arduis Dei molimina, quia recordabor ab antiquo mirabilium tuorum; & afluabo in omnia opera tua, & in arduis tuis moliminibus exspatiabor*, h. e. disquisitioni huic cum diu inhæsissem, tandem conclusi, nihil inde præter cruciationem animi ad me redundare, neque mihi melius facere posse ad me consolandum, quam ut me occupatum teneam celebrandis temporibus illis, quibus Deus, dextra exserta, stupenda fecit ad populum nostrum ex Aegypto liberandum facinora; quæ omnia mente revolvam, & materiam faciam meæ exspatiationis, seu meditationis jucundæ. Cohærent itaque hæc verba quoque cum verbo [illegible], & *alterum* conclusionis partem faciunt; hac ratione: iisque disquisitione hac facta, sic con-

concludendo *dixi*: *tormentum* meum hoc est, me quæstione illa defatigare, aliam tenebo viam; *celebrabo annos dextræ Altissimi, stupenda molimina Jah* &c. *Duo* profitetur se in posterum facturum, ad animum perturbatum sedandum, annos dextræ altissimi, & molimina Jah, *celebrare*, & operum Dei ab antiquo *recordari*, adeoque ea in mentem revocare cum celebratione, & ad celebrandum. *Prius* his verbis expressum est, *annos dextræ Altissimi celebrabo, stupenda molimina Jah*. h. e. annos illos, quibus dextra Altissimi se exseruit, & Jah ardua patravit opera, commemorabo, & laudabo. Ad quorum intellectum not. 1. vocem שנות *annos* denotare, & cum *dextra Altissimi* construi, ut anni *dextræ altissimi* intelligantur, scilicet, quibus potentia & fides Dei sese luculenter demonstrarunt, & egerunt. Quemadmodum *annus complacentiae Jehovae*, Jes. LXI. *retributionum* c. XXXIV. *redemtorum Dei*, c. LXIV. *dies Domini* sæpe, & quæ alia sunt similia, ita *anni dextrae Altissimi* eo, quo dixi, sensu, recte dicitur. *Dextra* vero Altissimi cum *potentiam*, uti *brachium*, vers. 16. tum *fidem* in promissis, data dextra factis, implendis, denotat, uti notum est. Interpretes, uno alterove excepto, qui nobiscum facit, solent pro infinit. verbi חלה *habere*, & de *mutatione* dextræ Dei interpretari, vario sensu; sed scopo & nexui parum convenienter. Supra memoraverat *dies ab antiquo*, & *annos seculorum*, vers. 9. hic itidem *annos dextrae* Dei, & mox *ab antiquo*, vers. 12. 2. construi debere cum verbo אזכיר, quod sequitur, versuum distinctione male hinc avulsum; ut sit, *annos dextrae altissimi commemorabo*, laudabo & celebrabo: non enim marginalis, sed textualis lectio est sequenda, cum mox sequatur, *quia recordabor*, tanquam ratio & antecedens *celebrationis*. Minus recte diceretur, *recordabor moliminum tuorum, quia recordabor ab antiquo mirabilium tuorum*; sed recte, *celebrabo, quia recordabor*, de quo mox. 3. Voces, *stupenda molimina Jah*, subjungi ad explicationem *dextrae altissimi*; verbo זכר *commemorabo* cum seq. æ-

que

que ac præced. conſtructo; hac ratione, *annos dextræ altiſſimi celebrabo*, *celebrabo*, inquam, *ſtupenda molimina Jah*; ſcilicet, in quibus dextra Altiſſimi ſeſe conſpicuam reddidit.

§. XX. Sed quæ tempora & molimina in oculis præcipue habuit poeta, & unde ea celebratio oriretur? illud exponit, verſ. 12, 13. his verbis: *quia recordabor ab antiquo mirabilium tuorum, & æſtuabundus verſabor in operibus tuis omnibus; & in ſtupendis tuis moliminibus exſpatiabor*, h. e. ea Dei molimina celebrabo, quæ ab antiquo patravit, & ad illud me excitabit recordatio, & ſtudioſiſſima meditatio eorum, &c. Reſpicit itaque ad ea Dei opera, quæ in initio erectæ reip. Israeliticæ ſunt facta: quorum mox fuſiorem dat deſcriptionem, verſ. 15. &c. *Opera* illa Dei tribus nominibus adhibitis exaggerat, adpellat *mirabilia*, *omnia opera*, vel conſummatam univerſitatem eorum, & *ſtupenda molimina*. Actuoſitatem quoque ſuam emphatice exhibet, tribus verbis, quæ gradationem continent; *recordari*, *æſtuare* & *exſpatiari*, de quibus ad verſ. 4. dixi, & de eo ad Pſ. LXIII: 7. quæ non repetam. Indicat, ſe non ſimpliciter in mentem revocaturum eſſe, ſed & cum magno fervore & ſtudio meditaturum, eique meditationi inhæſurum; idque cum delectatione & utilitate; ſecus ac antea expertus erat, verſ. 4.

§. XXI. β. Meditationis argumentum & ſummam antequam tradat, erumpit in celebrationem & exaltationem Dei, qua ſancti & magnifici præ omnibus, qualem ſeſe Deus in illis operibus, quæ recenſeret, manifeſtavit, ut fidem & ſpem ſuam in illis Dei adtributis fundatam profiteretur & exponeret, oppoſite ad ſuperiorem fluctuationem, verſ. 14. *Deus in ſancto eſt via tua; quis Deus magnificus, ſicut Deus tui?* h. e. Fluctuavi & anxius hæſi in ipſa meditatione Dei, & temporum antiquorum; ſed nunc, cum tempora dextræ Altiſſimi, & mirabilia ac ſtupenda ejus opera ab antiquo in Israele vindicando, debite ad animum revoco, & me ad ea meditanda accingo, fidem & ſpem meam deprehendo ſe de-

nuo exserere; & exclamare debeo, viam Dei esse nostra cogitatione & opinione superiorem, simul omni parte sanctam, justam & bonam, Deumque solum esse magnificum & potentissimum, cui vel in desperatissima nostra conditione fidere ausim. Huc existimem tendere hanc confessionem, recensioni operum Dei præmissam; & hunc ejus esse sensum. Duo de Deo prædicat, *alterum, viam ejus esse in sancto*, alterum ipsum solum esse *magnificum*. Prius egregie elucidavit Coccejus, his verbis: *via tua*, h. e. consilium & dispositio ordinis rerum, ut pervenias ad scopum tuum, *est in sancto*, procul a consilio & opinione humana, nihil habet inperfecti, nihil vile, nihil non dignum divina majestate & sapientia & potentia: adeoque, quod addo, silendum mihi est, non cum Deo expostulandum, fidendum est Deo, non amplius cum carne luctandum, sed Deo nostra causa committenda. Sicut Hab. II: 20. *Jehova est in palatio sanctitatis suae, sile coram ipso tota terra.* Zach. II: 17. *Sanctum* est sublime, occultum, purum, & verendum; sicut Deus eo sensu κατ' ἐξοχὴν adpellatur *sanctus*, Jes. XL: 25. & eum Deus jurat *per sanctitatem suam* Am. VIII. Ps. LXXXIX. 36. Ita Asaph, super impiorum fortunata sorte æmulatione accensus, sese tranquillavit, *intrando in sanctuarium Dei* Ps. LXXIII: 17. ubi vid. dicta. *Posterius* nihil habet impediti: tantum notetur pronomen [illegible] *tu*, quod subjungitur, huc etiam pertinere, & subintelligendum; ut sit, *sicut tu Deus*. Addatur, respici in hoc versu ad canticum Mosis, Ex. XV: 11.

§. XXII. γ. In argumenti celebrationis deductione, seu moliminum Dei recensione, α. incipit cum generali eorum commemoratione, & celebratione per orbem. vers. 15. *Tu Deus es faciens mirifica, promulgasti inter populos robur tuum. Quando scilicet*, verba sunt Gejeri, *per totum terrarum orbem dimanavit relatio de mari rubro diviso, populo tantae numerositatis per 40 annos coelitus sustentato, per Jordanem traducto &c., huc illud* Ex. IX: 16. *in hoc stare te feci, ut ostenderem*

derem potentiam meam, & narretur nomen meum in omni terra. Conf. etiam Ex. XV: 14—. Addatur, non sine ratione, haberi, *tu* Deus *faciens* mirabilia, cum eo ipso fidem & spem suam testificetur, Deum & nunc *mirabilia* edere, ut olim fecit in gratiam populi sui. *b.* Adplicat generale dictum ad populi liberationem ex Aegypto, quam proprie in oculis habuit, vers. 16. *Vindicasti brachio populum tuum, filios Jacobi & Josephi.* Quæ nihil habent, quod moram injicit, nisi illud solum, quare *filiorum Josephi* fiat specialis mentio, ad quod varie responderi potest, sicut fit. 1. Si ad totum populum extendatur, iidem, qui filii Jacobi adpellantur, *filiorum Josephi* titulo insigniuntur, *cum* quod, sicut Jacobum parentem, ita Josephum habuerint alterum patrem, qui eos sustentavit, in terram Gosen transtulit, & patrocinatus est; quem etiam tanquam talem reverenter & submisse coluerunt in Aegypto, *tum* quod, sicut Jacobo ita Josepho fuerint in fatis adflictionis & exaltationis similes, eundem Deum & Angelum foederis experti *pastorem:* quo respicitur Ps. LXXX: 2. 2. Si ad *Ephraimitas* & *Manassitas*, ex Josepho natos, restringatur, eorum specialis censeri potest facta mentio, *cum* ut eos, quippe a Jacobo adoptatos Gen. XLVIII., eandem, quam reliqui filii Jacobi, habuisse sortem, indicaretur, *tum* ut ad distinctionem populi in Judam & Israelem, seu duo regna postea orta, digitus intenderetur, & insinuaretur, populum Dei, in quo duo tam valida exstiterunt regna, tam dura servitute in initio pressum, & a Deo liberatum esse, quæ Cocceji est observatio, *tum* denique, ut Ephraimitarum, inter quos fuit regnum Israelis, qui a Deo videri possent rejecti, & longius dispersi, reductio ex exsilio, uti olim ex Aegypto, simul comprehenderetur. Conf. Ps. LXXXV: 5.

§. XXIII. *c.* Diffundit sese dein in mirabilium Dei factorum in populo liberando ex Aegypto commemorationem vers. 17—19. In qua pericopa *a.* Miraculosa aquarum maris rubri commotio, quæ populo liberum præbuit transitum,

tum, & immanis procella tonitruans & fulminans, quæ Aegyptios proſtravit, & aquis immerſit, memoratur, verſ. 17, 18. β. ejus conſequens inter populos vicinos, metu per famam ejus rei divulgatam perculſos, verſ. 19. α. Prius his verbis, verſ. 17, 18. *Viderunt te, o Deus! aquæ, viderunt te aquae, contortae ſunt, etiam contremuerunt abyſſi. Torrente vehementiore commotae ſunt aquae, nubes crasſiores, vocem dedit aether; etiam tela tua graſſata ſunt.* h. e. Cum tu, Deus! olim oculo vibrante aquas maris rubri intuitus fuiſti, horrore & tremore correptæ ſunt ac contortæ, ſtatu earum penitus mutato; ita ut populo tuo liberum dederint tranſitum; ſed iratæ ſimul & minaces, inundationem parturientes, ſteterunt, & mox torrente æſtu commotæ ſeſe una cum imbre, & procella tonitruante ac fulminante, effuderunt, & hoſtes proſtraverunt. Verba continent *antecedens* & *conſequens*, hocque duplex, alterum in bonum, alterum in malum, ut mox patebit. *Antecedens* eſt, *aquas vidiſſe Deum*, nec una, ſed iterata vice. *Viderunt aquae te, o Deus!* h. e. acri & radiante oculo ſe intuentem te expertæ ſunt aquæ, tanquam potentiſſimum & iratum Dominum, aquas hoſtiliter adgredientem, quæ ſe populo tanquam obicem opponebant, uti ad mare rubrum, quo hic reſpicitur, factum eſt. *Videre* ſubinde eſt *experiri* ad micantes radios, & in re bellica uſitatum eſt, quo exercitus, jam jam confligturi, ſe invicem dicuntur *videre*, uti ſæpe alias obſervavi. Occurrunt autem *aquae* hic tanquam Israeli hoſtiles, quæ ipſis impedimentum objiciebant, & Aegyptiis in Israele opprimendo opem ferebent: *vidiſſe* dicuntur Deum, Israelitarum ducem & patronum, quatenus eum expertæ ſunt iratum, & increpantem ac invadentem; ut locum Israeli cedant, ac in hoſtes Dei ſeſe effundant: quod mox additur. Repetitio, *viderunt te aquae, viderunt te aquae*, non ſimpliciter per anaphoram tendit, ad inſoliti miraculi dignitatem altius imprimendam, ut Gejerus loquitur, ſed quod *duabus* vicibus.

bus aquæ maris rubri id ſenſerint, *altera*, quum Israeli ceſſerunt, *altera*, quum Aegyptios inundaverunt, Ex: XIV.

§. XXIV. Conſequens memoratur duplex, *alterum*, quo contortæ ſunt aquæ & intremuerunt, & rigidæ ſteterunt, *alterum*, quo æſtuabundæ cum procella imbrifera, tonitruante, & fulminante, irruerunt in Aegyptios. *Prius* his verbis, *contortae ſunt*, ſcilicet aquæ, *etiam contremuerunt abyſſi.* h. e. aquæ tremore correptæ ſunt & ſtatum ſuum mutarunt, alio converſæ; ſimul profundiores aquæ, rigidæ factæ, ſteterunt immotæ. Quod utrumque factum eſſe conſtat ex Ex. XIV. vehemente vento concitatæ diffluxerunt aquæ tota nocte, quod Pſ. CXIV. dicitur *fugere*, *viderunt aquae* & *fugerunt:* reliquæ, quæ manſerunt, in profundo degentes, ſteterunt utrinque in cumulum inſtar *murorum*, medium ſpatium relinquentes vacuum. *Prius* exprimitur his verbis, *contortæ ſunt*, ſcilicet *aquae*, voce illa repetita; pertinet enim vox præcedens non ad hoc verbum, ſed ſuperius *videre*, ut indoles linguæ docet; alias enim dictum fuiſſet, יחילו מים, cum nunc legatur ראוך מים יחילו *viderunt te aquae*, *contortæ ſunt.* Radix חול proprie eſt, *verſare*, *torquere*, unde inter alia transfertur ad graviorem metum membra torquentem, & rerum *converſionem* & transformationem, qua in alium longe ſtatum violenter torquentur *a*. Significatur itaque, aquas tremefactas in longe alium ſtatum fuiſſe converſas; alio flexas, cum diffluxerunt. *Poſterius* verbis ſequentibus proponitur, *etiam intremuerunt abyſſi*, ſeu aquæ profundiores, eo nomine exprimi ſolitæ: vid. Pſ. XXXIII: 7. CXLVIII: 7. in primis Ex. XV: 8. Verbum רגז proprie eſt *tremere*, cum tremore & fragore concuti & vehementius commoveri, & ad ſummum *pavorem*, ſimul *iram* graviorem refertur. Hic pavoris tremefacientis effectus ſimul includitur, quo quid *immobile* ſtat, & *rigeſcit*; uti eſt Ex. XV: 8. *coagulatæ abyſſi in corde maris.*

a Schultens ad Prov. XXXI: 29. Schroeder ad Pſ. X: 5.

§. XXV. *Alterum*, ſeu poſterius conſequens, quo aquis immerſi ſunt Aegyptii, verbis, modo explicitis, tecte involutum, apertius exponitur, verſ. 18. Verba ſuperiora חיל & רגז, aquis adtributa, ſimul indicarunt, eas infremuiſſe, & dolore ac tremore parturientis quaſi correptas ſe ad effectum ſuum edendum torſiſſe: חיל enim de dolore parturientis uſurpatur, & רגז in nube murmurante ac tonitrua volvente teritur, & graviorem excandeſcentiam, ſeſe exſerentem, comprehendit. Verum ſeq. verba verſ. 18. clarius & apertius illud exhibent: *torrente vehementiore commotae ſunt aquae, nubes craſſiores, ſonum ediderunt nubes ſubtiliores, etiam ſagittae tuae graſſatae ſunt.* h. e. aquæ, dolore & ira trementes, magna cum æſtuatione ſe diffuderunt, ſimul procella imbrifera, tonitruans & fulminans, in eos irruit. Quatuor memorantur media terribilia, quibus Aegyptii ſunt proſtrati in mari Rubro. 1. *Primum* eſt *aquarum* æſtuatio, ſeu æſtuans inundatio, his verbis: *aeſtuarunt aquae*, ſcilicet eædem, modo memoratæ, maris Rubri, quæ cum dolore parturientis fugerant, & indignabundæ ac frementes ſteterant; illæ, impetu recepto, foetumque quaſi excludentes, & commotæ ſeſe effuderunt, & inundarunt omnia. Radix חמם ſedem habet in *torrente aeſtu*, vel igne vehementius flagrante; unde ad aquas ferventes, & vehementius exæſtuantes, transfertur *a*. Reſpicitur ad aquas maris Rubri ſeſe, impetu recepto, in Aegyptios diffundentes. Ex. XIV. 2. *Secundum* eſt *nubium* craſſiorum æſtuatio, voce עבות comprehenſa & cum eodem verbo חמם conſtructa. Denotat enim nubes craſſas, & imbriferas; uti notum eſt, & earum *aeſtuatio* eſt, cum imber vehementius effunditur. 3. *Tertium* eſt, ætheris murmuratio tonitruans, his verbis: *ſonum edidit aether*, tonitrua nim., ut facile cernitur. 4. *Quartum* eſt, fulminum jactatio; *etiam tela tua graſſata ſunt.* h. e. fulmina tua, coruſca & penetrantia, frequentiſſime itarunt,

a Schultens ad Iſpah. p. 12. & Kuypers ad V. T. loca p. 38.

runt, & in perniciem graſſata ſunt. Vox חצץ, unde חץ, a rad. חצץ, proprie *ſcindere*, *ſecare*, inter alia adhibetur de *ſagitta*, ſive a *ſciſſione*, *fiſione* in longum, ſive a vi penetrante & ſecante: & inde ad *fulmina* transfertur, quæ *tela* & *ſagittae* Dei adpellari ſolent; ſicut & חזיז *fulgetrum*, *fulmen*, proprie *inciſum* vel *inſectum*, quod ad fulminum coruſca & triſulca tela adplicitum eſt, a rad. חזז *fidit*, *ſecuit* a. Emphaſin habet verbum in Hitph. התהלך *itare*, *graſſari*; quod ad *violentiam* & *latrocinia* nonnunquam transfertur, ut Lat. *graſſari* b. Ceterum licet de imbre effuſo, tonitru & fulmine, nihil expreſſe legamus in hiſtoria egreſſus Israelitarum, nihil tamen vetat ſtatuere, ea tunc locum quoque habuiſſe, maxime cum anſam præbeat Moſes Ex. XIV: 24. ubi Jehovam dicit *inſpectaſſe e columna nubis & ignis caſtra Aegyptiorum*, Israelem in mare perſequentium, & *motu aeſtuante liquefeciſſe*, vel tabefeciſſe, quæ poteſtas eſt verbi המם, addit, dixiſſe hoſtes, *Jehovam pugnare pro Israele cum Aegyptiis*, verſ. 25. Conf. quæ Philiſtæis ſub Samuele contigerunt, 1 Sam. VII: 10. & Hab. III: 10, 11. nec non, Zach. IX: 14., in prophetia de Syro-Macedonum proſtratione.

§. XXVI. β. Conſequens miraculoſi hujus eventus, ejus citiſſima per orbem divulgatio, indeque orta populorum conſternatio his verbis profertur, verſ. 19. *Sonus tonitru tui in rota*, (inſtar rotæ) *fulgura illuſtrarunt orbem* habitabilem, *intremuit & terrore percuſſa eſt terra*, h. e. Illuſtris hujus eventus, de terribili tua majeſtate teſtantis, fama velociſſime, & ſonore, orbem, inſtar rotæ volventis, & fulguris lumen quaquaverſum ſpargentis, pervaſit, ac terræ incolis ſummum incuſſit metum. Verba non ſunt de Aegyptiorum proſtratione, ut fieri ſolet, capienda, ſed de fama ejus per orbem, indeque orta populorum conſternatione. 1. Quia modo de tonitruante & fulminante tempe-

a Schultens ad Job: XXXIII: 25. b Id. ib. I: 7. & Prov. VI: 11.

ſtate dictum erat; quod hic repetere ſuperfluum foret. 2. Quia voces ſeſe latius, quam ad Aegyptios, extendunt; quum orbis dicitur illuſtratus, & *terra* intremuiſſe. 3. Conſequens hujus eventus, ſeu populorum per orbem pavefactio, ſicut in rem memoratur, ita expreſſe occurrit Ex. xv., quo hic reſpicitur. 4. Quia voces & phraſes ad eventus divulgationem, & inde ortam conſternationem, directe tendunt: memoratur enim *vox* tonitru, & orbem *illuſtrare* dicitur fulgur: quod aliud eſt, ac modo dictum erat, *nubes dare vocem & tela Dei itare.* Duo itaque hic memorantur, *unum*, famam proſtrationis Aegyptiorum orbem pervaſiſſe; *alterum*, populos fuiſſe perterrefactos per eam divulgationem. *Prius* his verbis, *ſonus tonitru tui in rota, illuſtrarunt fulgura orbem* habitabilem, h. e. tonitrua tua ſonum citiſſime & ſonore per orbem dederunt, & fulgura lucem per eum ſparſerunt. Reſpicitur ad præcedentia, quibus Aegyptiorum clades per tempeſtatem tonitruantem & fulminantem erat deſcripta; & hic docetur, ejus notitiam per orbem fuiſſe citiſſime divulgatam; ſicut tonitru longiſſime auditur, & fulmen quaquaverſum conſpicitur. Vox tonitru Dei itaque eſt *ſonus* ejus, cujus citiſſima & ſtrepera divulgatio indicatur, quum additur, *in rota*, h. e. inſtar rotæ, ſcilicet citiſſime currentis, & magno cum ſtrepitu. Quod ipſa voce גלגל eſt involutum; cujus radix גלל *volvendi* & *convolvendi* poteſtatem habet. Præf. autem כ hic comparationi inſervit, & idem eſt ac כ *ſicut*, ſed magis emphaticum: quemadmodum haud infrequenter alibi: de quo dixi ad Pſ. LXIII: 2. Eſt præterea membrum, *vox tonitru tui inſtar rotae*, incompletum & defectuoſum, hac ratione ſupplendum, *tetendit per orbem*, voce *orbis* ex ſeq. repetenda; ubi fulgur dicitur illuſtrare *orbem*, & verbo *pervadere* ex re ipſa ſupplendo; acſi habeatur: *vox tonitru tui* pervaſit *inſtar rotae*, *fulgura illuſtrarunt orbem*, h. e. pervaſit inſtar rotæ orbem, fulgura illuſtrarunt eum. Forte verbum ita cenſeri poſſet, per ſimilis ſoni ſyllabam pri-

primam vocis נגלגל abſorptum; uti alibi fieri obſervavimus. Significat vero proprie *tendere*, *intendere*, cum intenſione ferri, & citiſſime ſupervenire, ac hoſtiliter etiam, denotat: quod huc recte quadrat. Interpretes aliter, & varie, inſtituunt; quos ſuo loco relinquo. Noſtra interpretatio ſeſe ſponte ſua commendat; & *rotae* ſimilitudo de motu celeri & ſtrepero facillima eſt: conf. Pſ. LXXXIII: 14. *Poſterius*, famæ conſequens complexum, habet, *intremuit & terrore concuſſa eſt terra*, h. e. incolæ terræ ſummo pavore correpti ſunt: quod facillimum eſt. Conf. Ex. XV: 14. &c.

§. XXVII. ℣. Sicut recenſioni miraculoſi hujus caſus præmiſerat confeſſionem & celebrationem Dei, tanquam mirabilis in rationibus providentiæ ſuæ & magnifici, ad fidem & ſpem ſuam firmandam, verſ. 14. ita ſimilem confeſſionem eodem ſcopo ei ſubjungit, & ulteriorem commemorationem per eam interrumpit, mirabiles Dei vias, ac hominibus inperſcrutabiles, in magnis quoque regnis, eorumque fatis dispenſandis, celebrando, ſub emblemate viarum & inceſſuum Dei in mari & aquis multis, absque ut veſtigia ejus cognoſcantur, cujus anſam dederat ſuperior oratio. Hunc exiſtimaverim ſcopum & conſpectum eſſe verborum, verſ. 20. *In mari via tua, & ſemitae tuae in aquis multis, & veſtigia tua non ſunt nota.* h. e. Quod ſupra dixi, *viam tuam eſſe in ſancto, & te ſolum magnificum*, cujus providentia mirabilis eſt, & noſtris cogitationibus ſuperior, adeo ut animis nunquam deſpondere debeat populus tuus vel in desperatis caſibus, illud, miraculoſa populi liberatione & hoſtium proſtratione in mari rubro memorata, repeto, & ad præſens regnum hoſtile, a quo nunc opprimitur populus tuus, adplico, pie confeſſus, viam tuam in mari eſſe, absque ut innoteſcant veſtigia tua, ſeu te in regnorum magnorum fatis diſtribuendis verſari mirabiliter, occulte & imperceptibiliter, adeoque, licet ſtatus noſter videatur desperatus, & regnum hoc hoſti-

ſtile ſtare inconcuſſum, res a te ita dirigi poſſe, ut populus tuus, æque ac olim ad mare rubrum, evadat cum regni iſtus diſſipatione, & deſtructione. Reſpiciunt verba manifeſte ad verſ. 14. & tendunt ad populi ſpem corroborandam, ſignificantque, regna hujus mundi ſubeſſe providentiæ divinæ, quæ mirabili & occulto modo fata eorum dirigit; cui itaque in omnibus fidendum eſt. Interpretes referunt ad tranſitum populi per mare rubrum, Deo ductore factum, & Aegyptiorum ſubmerſionem: ſed, præterquam quod repetitio illa foret fruſtranea, qua ratione *veſtigia Dei* fuerint *ignota* tunc, exponi commode nequit; nec aliquid prolatum eſt, quod ſatisfacit. Intelligamus itaque regna magna, in ſpecie Babylonicum, vel Syro-Macedonicum, *maris* & *aquarum multarum* emblemate depingi ſolita, & rationes agendi mirabiles & occultas per vias Dei in iis, quarum veſtigia ignota ſunt, indicari ſtatuamus, quibus Deus fata eorum regnorum disponit; cuncta erunt facilia, & ad ſcopum recte adcommodata, ut ex paraphraſi, modo data, liquet. Conf., quod ad rem ipſam, Jeſ. XLV: 15. *utique tu es Deus, qui te occultas!* & quæ ibi, plane in rem noſtram, adtulit Cl. Vitringa, quare plura non addo. Emblema vero *maris*, & *aquarum multarum*, de magnis regnis, & in ſpecie Babylonico, & Syro-Macedonico &c., notum eſt, et ſatis illuſtratum, Conf. Hab. III. 15. et Zach. X: 11., Jeſ. XXI: 1. et ibi Vitringa.

§. XXVIII. 1. Hac confeſſione inſerta pergit in recenſione beneficiorum Dei in populum, plene jam liberatum, e manu Aegyptiorum; ſed, uno præcipuo contentus, ſermonem ſubito abrumpit, reliqua lectoribus ſeu auditoribus relinquens meditanda; una cum adplicatione adpræſentem calamitatem, verſ. 21. *Duxiſti ſicut gregem populum tuum, manu Moſis & Aaronis.* Quæ nihil habent obſcuri. Tantum obſervo, quod ſupra jam tetigi, miraculoſam hanc liberationem ab Aegyptiaca adflictione duplice ſcopo memorari, *uno*, quod primordiale et fundamentale

tale fuerit beneficium, cui continua populi conſervatio & vindicatio fuit ſuperſtructa usque ad finem oeconomiæ V. *altero*, quod præſens liberatio a dominio Syro-Macedonum ei haud una ratione reſpondeat, cum quod multis cum Majeſtatis Dei ſignis fuerit facta, tum pleniſſimam adtulerit libertatem, et proſperitatem, regno quoque Dei ſub *ducibus* reſtituto.

PSALM. LXXVIII.

1. Carmen *maturans Aſaphi. Auribus percipe, mi populè! inſtitutionem meam, inclinate aurem veſtram ad oris mei dicta.*

2. *Aperiam in ſimilitudine os meum, ebullire faciam ænigmata a mibi antiquo.*

3. *Quæ audivimus & cognovimus, & Patres noſtri narrarunt nobis.*

4. *Non celabimus a filiis eorum, generationi poſteræ narrantes laudes Jehovæ, & robur ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit.*

5. *Et ſtabilivit ornamentum in Jacobo, & legem poſuit in Israele: quæ præcepit Patribus noſtris notificare filiis ipſorum.*

6. *Ut cognoſcat ætas poſtera, filii, qui nascentur, ſurgent & narrabunt filiis ſuis.*

7. *Et ponant in Deo fiduciam ſuam, (nec obliviscantur moliminum Dei) & præcepta ejus obſervent.*

8. *Et ne ſint ſicut Patres ipſorum, generatio refractaria & obſtrigillans, generatio, quæ cor ſuum non diſpoſuit firmiter, cujusque Spiritus non fuit cum Deo fidelis.*

9. *Filii Ephraimi* ſicut *armati jaculatores arcus ſeſe vertunt die prælii.*

10. *Non obſervarunt foedus* Dei, *& in lege ejus incedere renuerunt.*

11. *Et*

11. *Et obliti ſunt facinorum ejus arduorum, & mirabilium ejus, quæ ipſis monſtraverat.*
12. *Coram Patribus eorum fecit mirabile in terra Aegypti, agro Tſoanis.*
13. *Fidit mare, eosque transire fecit, & aquas perſtare fecit ut acervos.*
14. *Et duxit eos interdiu nube, & tota nocte luce ignis.*
15. *Fidit petras in deſerto, & potavit tanquam ex abyſſo magna.*
16. *Et fluenta e rupe eduxit, aquasque deſcendere fecit tanquam fluenta.*
17. *Et perrexerunt adhuc in ipſum peccare, obſtrigillando Altiſſimum in ſolitudine.*
18. *Et tentarunt Deum in corde ſuo, poſtulando cibum ſecundum adpetitum ſuum.*
19. *Et locuti ſunt contra Deum, dixerunt, poteritne Deus inſtruere menſam in deſerto?*
20. *Ecce percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, torrentesque inundarunt, an etiam panem poterit dare? an parabit carnem populo ſuo?*
21. *Propterea audivit Jehova & efferbuit, ac ignis vehementius arſit in Jacobo, & etiam naſus,* vel *adglomeratio naſi, exæſtuavit in Israelem.*
22. *Quia in Deum non crediderunt, nec in ejus ſalute poſuerunt fiduciam.*
23. *Et præcepit nubibus deſuper, valvasque coelorum aperuit.*
24. *Et depluit in eos manna ad comedendum, ac frumentum coelorum præbuit iis.*
25. *Panem fortium,* vel *principum, comedit vir, viaticum miſit ipſis ad ſatietatem.*

26. *Increbrescere fecit eurum in coelo, egitque robore suo austrum.*
27. *Et depluit super eos carnem instar pulveris, & volucres sicut arenam marium.*
28. *Et*, vel *quas*, *decidere fecit in medio castrorum ejus circa tentoria ejus.*
29. *Et comederunt & saturati sunt valde, & desiderium provenire ipsis fecit.*
30. *Non recesserunt fastidientes a desiderio suo. Adhuc cibus in ore eorum erat,*
31. *Et nasus Dei exæstuavit in eos, & occidit pinguia eorum, & eximios Israelis procumbere fecit.*
32. *Omni hoc existente adhuc peccarunt, nec miraculis ejus crediderunt.*
33. *Et*, vel *quare*, *absumsit instar vaporis dies ipsorum, & annos ipsorum in terrore præcipitante.*
34. *Cum eos occideret, tunc investigarunt eum, & redierunt, & multo mane quæsiverunt eum.*
35. *Et recordati sunt, Deum esse rupem suam, & Deum altissimum vindicem suum.*
36. *At illexerunt eum ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*
37. *Nec cor ipsorum fuit firmiter aptum cum eo, neque fideles fuerunt in foedere ejus.*
38. *At ipse misericors tegebat illinendo iniquitatem, imo multiplicabat reducere nasum, nec omnem suam excitabat excandescentiam.*
39. *Et recordabatur, eos esse carnem, ventum pereuntem, qui non redit.*
40. *Quoties obstrigillarint ei in deserto, constrinxerint ipsum in solitudine.*

41. *Et*

41. *Et tamen redierunt & tentarunt*, ſeu *iterum tentarunt*, *Deum*, *& ſancto Israelis limitem poſuerunt.*

42. *Non recordati ſunt manus ejus*, *quo die redemit ipſos ex mibi anguſtia.*

43. *Quo ſigna ſua in Aegypto poſuit*, *& in agro Tſoan portenta ſua.*

44. *Et convertit in ſanguinem fluvios eorum*, *& fluenta ipſorum non bibebant.*

45. *Inmiſit in eos muscas caninas*, *& comederunt eos*, *& ranas ac perdiderunt eos.*

46. *Et proventum ipſorum dedit brucho*, *ac laborem ipſorum locuſtæ.*

47. *Occidit grandine vitem ipſorum*, *& ſycomoros ipſorum telis triſulcis.*

48. *Et jumentum ipſorum*, *quaſi cippo incluſum*, *tradidit grandini*, *& pecudes eorum vibrationibus coruſcis.*

49. *Inmiſit in eos æſtum naſi ſui*, *efferveſcentiam*, *& ſpamationem*, *& zelotypiam*, *turmam armatricem angelorum malorum.*

50. *Libravit viam regiam iræ ſuæ*, *non coercuit a morte animam ipſorum*, *&*, vel *ſed*, *vitam eorum peſti tradidit.*

51. *Et percuſſit omne primogenitum in Aegypto*, *primitias virium in tentoriis Cham.*

52. *Et revulſit ſicut oves populum ſuum*, *& duxit eos*, *inſtar gregis in deſertum.*

53. *Et deduxit eos ſecure*, *nihilque metuerunt*; *etenim hoſtes eorum texit mare.*

54. *Et ad terminum ſanctitatis ſuæ adduxit eos. Montem hunc acquiſivit dextra ejus.*

55. *Ipſeque expulit a coram ipſis gentes*, *easque in funem hæredi-*

tatis cadere fecit, & recumbere in tentoriis eorum tribus Israelis.

56. *Et tentarunt ac obſtrigillarunt Deum altiſſimum, nec ſtatuta ejus obſervarunt.*

57. *Et diſſepti ac prævaricati ſunt ſicut patres ipſorum, verſi ſunt inſtar arcus doloſi.*

58. *Et ad indignationem eum ſuis excelſis provocarunt, & ſculptilibus ſuis ad zelotypiam.*

59. *Audivit Deus & efferbuit, & valde exulceratus eſt in Israelem.*

60. *Et abjecit territorium Siluntis; tentorium poſuit* ad recumbendum *inter homines.*

61. *Tradiditque captivitati robur ſuum, & excellentiam ſuam in manum hoſtis.*

62. *Et gladio tradidit populum ſuum, & in hæreditatem ſuam exæſtuavit.*

63. *Juvenes ejus devoravit ignis, nec virgines ejus laudatæ ſunt.*

64. *Sacerdotes ejus gladio ceciderunt, nec viduæ ejus fleverunt.*

65. *Et evigilavit, ſicut ſopitus ſomno, Dominus, ſicut heros ſe vino ſuperatum gerens, mox ad alacritatem clamore excitans e vino.*

66. *Et hoſtes ſuos percuſſit retrorſum, æternum ipſis dedit opprobrium.*

67. *Et exulceratus eſt in tentorium Joſephi, nec tribum Ephraimi elegit.*

68. *Et,* vel *ſed, elegit tribum Judæ, montem Tſionis, quem dilexit.*

69. *Et firmiter religavit, ſicut excelſa, ſacrarium ſuum, ſicut terram, quam fundavit in perpetuum.*

70. *Et elegit Davidem ſervum ſuum, eumque a caulis ovium ſumſit.*

71. *Ab-*

71. *Abduxit ipſum a poſt lactentes ad paſcendum Jacobum populum ſuum, & Israelem hæreditatem ſuam.*

72. *Et pavit eos pro integritate animi ſui, & manuum ſuarum prudentiſſima directione eos ducet.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt enarratio publica, ab illuſtri oratore inſtituta, viarum Dei cum Israele, partim tempore moræ in deſerto, partim in Cananæa in primis tempore Eli Pontificis, quibus populum rebellem ſingularibus adfecit beneficiis, diu toleravit, et variis caſtigationibus in ordinem redigere conatus eſt, tandem graviſſime punivit, & repudiavit; ita tamen ut populum non tantum non deleverit, ſed & glorioſe inſtauraverit, patres in Cananæam introducendo, & *Israelem* deinceps per Judam & Davidem liberando, ac firmando in perpetuum: enarratio vero eo ſcopo facta, ut *cum* Ephraimi rejectio, in fatali illo caſu ſub Eli jam depicta, indeque orta Judæ electio in ſedem regni ac religionis, ac Davidis exaltatio, juſtificaretur, ac a populo adprobaretur, *tum* populo ob oculos per hos caſus ænigmaticos & typicos poneretur, totius reip. & Eccleſiæ carnalis deſtructio, & cum nova ſub Meſſia, filio Davidis, glorioſa commutatio, quæ æternum duraret. Divinus orator, qui hic introducitur loquens, cum populum ad aures faciles ac adtentas ſibi præbendas excitaſſet, & narrationis ſuæ verum conſpectum, quippe ſimilitudines & ænigmata antiqua elocuturus, tradidiſſet, vias Dei cum populo in deſerto & tempore Eli ſummatim proponit, *priores* tamen involutius & magis indirecte per modum introductionis, quo qua ratione Deus cavere voluerit, ne poſteri majorum rebellium in deſerto exemplum imita-

rentur, exponit, *posteriores* expresse & directe, quia eas in primis intendebat. Qua propositione facta, sese *primum* in *viarum* Dei cum majoribus in deserto descriptionem diffundit, & quanta bona in eos contulerit Deus, quantam demonstraverit populus in rebellando, & Deum tentando, obstinationem, quam graviter Deus eum puniverit, absque tamen ut penitus deleverit, exponit. Dein sese ad Israelitas, quo tempore sedes principatus & religionis erat penes Ephraimitas, vertit, eorumque etiam rebellionem, ad exemplum Patrum, indeque ortum severum Dei judicium, ut tempore Eli Pontificis, iis inflictum in lucem profert. Quando regni & religionis translationem ad Judam & Davidem, Ephraimo penitus spreto, subjungit, eamque firmam fore declarat in perpetuum.

§. II. Ad verum argumenti conspectum pertinet, notasse, 1. illud per modum concionis ad populum, ab illustri oratore habitæ, proponi: ut ex vers. 1. patet. 2. Duo exempla bonitatis Dei erga Israelem, ejusque rebellionis ac rejectionis, in medium proferri; *alterum* majorum in deserto, *alterum* Ephraimitarum, seu Israelitarum, quo tempore sedes præfecturæ & religionis erat in tribu Ephraimi, & populus magna clade sub Eli adfectus est per Philistæos: ut in seq. videbimus. 3. Illos duos casus hic repræsentari una cum effectu læto & prospero, in quem per Dei gratiam exierunt: quorum *prior* terminatus est in Dei clementia, qua populo pepercit, & eum in Cananæam introduxit, vers. 38, 39. coll. vers. 55. *posterioris* effectus fuit regni & religionis confirmatio in tribu Juda, & monte Tsionis, ac familia Davidis, vers. 68. &c. 4. Denique, casus illos hic considerari tanquam obscura emblemata fatorum sequentium temporum, sive propiorum sive remotiorum; quatenus cum Ephraimitarum rejectionem, tum Israelitarum in genere & Judæorum in specie repudiationem, regno Messiæ introducto, portenderunt. Quem fatorum populi in deserto conspectum Ap. 1. Cor. x. agnovit, & poe-

ta

ta ipsis verbis consignavit, vers. 2. de quo mox. Clades quoque Ephraimitarum, & arcæ captivitas, tempore Eli, diserte consideratur tanquam signum & portentum rejectionis ejus tribus respectu regiminis & sedis religionis, vers. 60, 66. nec alia reddi potest ratio, quare ejus casus tam expressa fiat mentio.

§. III. De *tempore* Ps. compositi hoc solum adfirmari potest, fuisse illud posterius regni Davidis confirmatione super universo populo, & arcæ translatione in montem Tsionis, vers. 68. &c. Probabile tantum est, haud diu post Ps. esse factum, *cum* quod electionis montis Tsionis in stabilem sedem religionis, & Davidis in regem super toto populo, expressa & sola fiat mentio, *tum*, quod de prudente regimine Davidis sermo fieri videatur, partim in præt. partim in fut., ut ex vers. 72. colligi posse videtur; *tum* denique quod *scopo* Ps. hoc videatur convenientius, qui est, populo persuadere, Judam & domum Davidis esse firmam & divinitus electam sedem regni & religionis; quod in illud tempus, quo David solenniter inauguratus est, & arca in Tsione fixa, rectius quadrat. Opponi tamen posset, vers. 69. Templum Salomonis videri indicari, & phrasin *ab antiquo* vers. 2. longius requirere spatium temporis, quam a tempore Eli fluxit. Sed *prius* sine fundamento statuitur, ut suo loco patebit, & *posterius* non concludit, cum partim latitudinem admittat phrasis, partim fata populi in deserto Arabiæ memorentur.

§. IV. *Occasionem* præbuisse videtur hæc ipsa translatio arcæ, Tabernaculo suo loco relicto, in montem Tsionis, in signum montis istius electionis in stabilem regni & religionis sedem, spreta antiqua ejus sede in tribu Ephraim, in urbe Silo; cum concio hæc eo manifeste inter alia tendat, ut totus populus Israel æque ac Juda, convinceretur de hac Tsionis prærogativa, & in eo acquiesceret; ne Israel inprimis hoc ægre ferret, & murmuraret, qui tam diu ab antiquo tempore hac prærogativa gavisus erat, & cum Juda

ple-

plerumque de excellentia contendere ſolebat. Id utique agit orator, ut Ephraimum hac prærogativa excidiſſe jure merito, verſ. 60. &c. & Judæ competere, verſ. 68. etc. evincat.

§. V. *Scopus* itaque eſt, 1. populo perſuadere, prærogativam ſedis regni & religionis eſſe Ephraimo, divino judicio propter ejus defectionem, ademtam, et Judæ ac domui Davidis per ſingularem Dei gratiam adjudicatam: uti ex verſ. 60. ad finem usque eluceſcit. 2. Præterea Israeli, a Juda diſtincto, nomine Ephraimi inſignito, totalem regni ejus deſtructionem, ſuo tempore futuram, typico hoc exemplo ob oculos ponere, & de perennitate regni, ſeu principatus, in civitate & religione tribus Judæ populum certiorem facere: ut ex verſ. 69. colligitur. 3. Denique carnalem ſeu externum populum Dei exemplo majorum in deſerto, & Ephraimitarum a Deo ſpretorum, obſcure & ænigmatice admonere de triſti & ultima ſua ſorte; qua omni prærogativa populi Dei ob invincibilem rebellionem tandem privaretur, & regnum Dei in Juda ſpirituali, ac antitypico Davide, ſeu Meſſia, ſtabiliretur in æternum. Quo ultima pericopa, de Juda & Davide agens, ſenſu myſtico ducit; cujus fundamentum eſt in verſ. 2. ad Meſſiam adplicito Matt. XIII., ut mox videbimus.

§. VI. Quod ad *ſtructuram* Pſ. adtinet, notandum eſt, oratorem aliquem, unum de populo, in ſcenam produci, qui pro concione enarrat fata majorum in deſerto, & Ephraimitarum ſub Eli, una cum eorum eventu, in quem tandem exierunt: ut inſtar exempli, & obſcuri emblematis, eſſent, ex quo populus præſentem rerum ſtatum, & futura ſua fata, disceret, niſi ſibi a majorum et Ephraimitarum pravo exemplo imitando caveret; quod non faceret. Loquitur autem unus et idem orator per totum Pſ., et de majoribus, Ephraimo et Juda, in tertia perſona, tantum ubi officium, ſibi et omnibus incumbens, de operibus Dei poſteris enarrandis memorat, in plur. loquitur, ſibi alios omnes de populo adjungens. Opinatur Cl. Coccejus, Meſ-

ſiam

ſiam ſiſti, verſ. 1, 2. loquentem, deinceps a verſ. 3. ipſum ejus populum; ſed ſine ratione, et contra ſcopum ac nexum duorum illorum verſuum, 1 et 2. Cum enim populum ibi ad audientiam invitet, et, ſe ænigmata eſſe elocuturum, declaret, ſequens oratio ea contineat, adeoque idem orator loqui pergat, neceſſe eſt, niſi quis velit, oratorem, audientia facta, et propoſito declarato, mox ſilere, adeoque non exſequi, quod ſe facturum eſſe dixerat. Quod valde abſonum eſt. Nec obeſt, quod mox num. pl. utatur, cum officium æque aliis ac ſibi incumbens inſinuatum velit; uti modo dixi. *Stylus* vero nihil habet ſingulare, planus eſt et facilis, qualem requirit enarratio rerum geſtarum. *Partes* Pſ. tres ſunt generales, quarum I. *prima* continet proœmium, quo audientiam facit, et propoſitum ſuum declarat orator, verſ. 1, 2. II. *Secunda* ſummatim propoſitionem exemplorum, quæ in lucem proferre conſtituerat, Israelitarum in deſerto ac Cananæa, in primis tempore Eli Pontificis, una cum inſtituti ſui in iis commemorandis commendatione, verſ. 3—11. III. *tertia* ſubiorem viarum Dei cum illis deductionem, 1. reſpectu Patrum in deſerto, verſ. 12—40. 2. Ephraimitarum in Cananæa, cum eorum læto exitu præſente tempore Davidis, verſ. 41—72.

ANACRISIS.

§. VII. Interpretes circa perſonam loquentem, & ſcopum Pſ. in duas fere ſcinduntur partes. Maximam longe partem oratorem cenſent eſſe, vel Aſaphum ipſum, vel alium virum illuſtrem de Israele, quo tempore Pſ. compoſitus eſt, qui majorum & Ephraimitarum fata præcedentia usque ad Davidem eo ſcopo enarrat, ut, illorum exemplo abſterriti, ſibi a Deo tentando & offendendo caveant, & legem Dei accuratius obſervent, eaque ratione præſentem ſuum ſta-

tum felicem reddant firmum & durabilem. Sed alii pauci Messiam hic opinantur sisti explicantem munus suum propheticum, in mysteriis antiquis exponendis situm, & populum ejus introduci vias Dei cum Israele rebelle enarrantem, eo scopo, ut Israel ejus temporis admoneretur, ut Messiæ regi suo obediat, nec incredulitate, diffidentia, petulantia, concupiscentia, aliisque peccatis suis ipsum irritaret, quemadmodum Patres fecerant, et a Deo rejiceretur, sicut tribus Ephraim rejecta erat. Eandem etiam in mentem ani cogitationes suas digesserunt, nisi quod Messiam per totum Ps. loqui existiment, quod longe rectius est, cum una sit persona loquens, ut modo vidimus. Comprehendunt illi sub Tsionis et Davidis electione quoque Messiæ et Ecclesiæ. Fundant vero sese cum in eo, quod orator Israelem adpellet *populum suum*, tum in primis, quod parabolas et ænigmata antiqui temporis eloqui sit Messiæ proprium, et ad ipsum adplicetur, Matt. XIII. 34, 35., tanquam quod in ipso *impletum* sit. Comparant denique orationes Stephani Act. VII. et Pauli ib. XIII. similis plane argumenti.

§. VIII. Quod ad nos adtinet: Ps. primo et directo sensu censemus pertinere ad Israelem ejus temporis, quo compositus est, et eum, quem supra exposui, scopum habere, attamen sensu occultiore et remotiore quoque ad Messiam, et Israelem ejus temporis, ex intentione Spiritus S., poetam dirigentis, esse referendum. Poeta illustrem introducit oratorem, quem non definit, eique verba in ore dat, quæ directe quidem in tempus Davidis conveniunt, sed indirecte quoque in tempus Messiæ, Davidis mystici; adeoque utrique possunt adcommodari, ita ut et tempore Davidis hæc oratio haberi potuerit, et Messiæ. Ipsam orationem ea ratione concinnavit, ut in usum populi tempore Davidis directe cedat, absque ut aliquod criterium Messiæ, ejusque regni, occurrat; argumento, antiquum populum ejus temporis ipsi directe fuisse ob oculos versatum. Accedit, oratorem in commendando argumento orationis, vers.

3. etc.

3. &c. se manifestare unum de populo, qui eo ipso tempore, quo Ps. factus est, vixit: uti mox patebit. Præterea cum Ephraimi rebellionem & rejectionem, ac Judæ & Davidis electionem, unice memoret orator, & ex Patrum in deserto exemplo illustret, dubium esse nequit, quin tempus Davidis, & ejus temporis Israelem, præcipue in oculis habuerit; qui quoque sermonem tunc temporis non potuit non ad se adplicare. Quo etiam facit, quod scopum suum esse dicat, ut populus legem Dei per Mosen latam observet, ac Deo soli adhærescat in fide & spe, secus ac Israel in deserto, & deinceps, in primis cum sedes principatus & religionis esset in tribu Ephraim, fecerat.

§. IX. Verum enim vero cum & oratoris characterem in eo ponat, quod parabolas & ænigmata loquatur, & eum hac ipsa oratione ita instituere declaret; haud obscure indicatum voluit, exempla providentiæ Dei erga Israelem consideranda esse tanquam aliarum rerum obscuras imagines, adeoque rejectionem Ephraimi tempore Eli tanquam typum sequentis reprobationis, & ejus, & totius populi carnalis, Tsionis vero & Davidis electionem tanquam emblema Messiæ & ejus Ecclesiæ: quo etiam verba vers. 68, 69. vera sua emphasi ducunt. Quo conspectu orator typum gerere potuit Messiæ, et oratio ejus quoque pro Messiæ haberi potest et debet; adeo ut in ipso hæc verba, prophetice et mystice accepta, dici potuerint a Matt. impleta. Qualia exempla apud Script. N. T. non desunt, uti notum est. Qualem itaque orator, qui hic introducitur loquens, tempore Davidis, ad populum instruendum et admonendum sese præstitit, talem majore adhuc emphasi præstiturus Messias. Similia fata, quæ Israelitæ in deserto, et Ephraimitæ tempore Eli, subierunt tristia, eadem Israelitis carnalibus deinceps evenirent maxima sub Messia; et quæ Judæ ac Davidi hoc tempore læta evenerunt, eadem Messiæ et populo ejus concederentur longe majore emphasi. Secundum hanc itaque hypothesin Ps. explicandus foret, si pe-

nus inſtitueretur commentarius, ſed nos ſenſui litterali et directo nunc inhærebimus.

EXPLICATIO.

§. X. In *prima* Pſ. parte orator 1. audientiam ſibi facit, verſ. 1. 2. conſpectum orationis ſuæ exponit, verſ. 2. 3. Prius his verbis, verſ. 1: *Auribus percipe, mi populi! inſtitutionem meam, inclinate aurem veſtram ad dicta oris mei:* h. e. Eloquia mea, quæ ſolidam ac ad felicitatem acquirendam utilem continent inſtructionem, adtente et avide excipite, ponderate, et in uſum veſtrum admittite, et tu, populi mi, vel quisquis es de tribu Juda, et Sionita, et vos, qualescunque ſitis, Israelitæ, ad quos mea dirigitur oratio. Verba, elegantiæ cauſa diviſa, ut ſæpe fit, hac ratione concinnanda ſunt. Auribus percipite, inclinate aurem, eloquia oris mei, inſtitutionem meam, tu populi mi, et vos qualescunque ſitis, auditores mei. Orator ſiſtitur, tanquam coram frequente concione verba faciens, qui auditores ad dicta ſua excipienda, ponderanda et recipienda, adhortatur, quos in populum ſuum et alios quoscunque diſtinguit: *populum ſuum* expreſſe memorat, et verbo ſing. num. utitur; dein in plur. ſubjungit *inclinate aurem*, non jam *populi* mi! ſed quicunque alii, qui adeſtis. Numerum cum diſerte mutaverit, probabile eſt, eum latius & ad quoscunque alios auditores adloquium extendere; cum ceteroquin perrexiſſet in ſing. dicere, *inclina aurem tuam*. Nomine *populi ſui* comprehendiſſe videtur *Judam*, ab Israele diſtinctum, quemadmodum tribus Judæ & Joſephi in fin. Pſ. diſtinguit, quarum hæc rejecta, illa electa ſit a Deo: *ſui* autem populi epitheto inſignit Judæos, non tantum quod *unus* ſit eorum, ut *populi mi*, idem ſit ac *populares mi*, ſed etiam ad *adfectum* ſuum exprimendum, ut *populus ſui* ſit, quem intimo complector adfectu, & cujus feli-

ci-

licitatem toto animo quæro; præterea convenienter perſonæ *oratoris* populi, quam hic gerit; ut *populo mi* ſit, coram quo verba facio, cujus oratorem & concionatorem ago, ſicut prophetæ & oratores inſtituere ſolent, qui auditores adpellant *ſuos*, uti præcones Euangelii & paſtores *ſuam* Eccleſiam, ſuas oves, quarum curam gerunt. Nihil itaque in ea phraſi eſt, quod nos de rege aliquo, aut Meſſia, cogitare cogit. Majore tamen emphaſi pollet phraſis, ſi *Meſſias* habeatur orator, ut facile intelligitur, quem ſenſu ſublimiori hic etiam intelligendum eſſe ſupra obſervavi. Injungit populo ſuo & auditoribus reliquis, ut aures admoveant, & aurem inclinent ad *inſtitutionem ſuam* & *eloquia oris ſui*. h. e. ad Sermonem ſuum, qui continet *inſtitutionem* utilem & ſalutarem: quæ ſignificatio eſt vocis תורה, quæ hoc loco non *legem* proprie dictam, qualis hic non occurrit, ſed *doctrinam* & inſtitutionem, quæ ad ſcopum adſequendum ducit, denotat; uti ſæpe alias, & convenienter originali poteſtati radicis ירה *vibrari*, tremulo q. motu agitari, unde *jaculari* & in Hiph. *jaculari fecit*, artem eam docuit, ſeu inſtruxit, & direxit, ne a ſcopo aberraret: unde ad doctrinam & inſtitutionem ſalutarem facile tranſiit; uſu, uti conſtat, ſatis recepto. Ad hunc ſuum ſermonem vult ut populus ſuus, & reliqui ſui auditores, *aures admoveant*, *& aurem inclinent*. h. e. adtente, avide, auſcultent, intelligant, dijudicent, & obediant. Verbum האזין vi originis & uſu ſuo denotat, quid adtente audire, percipere & dijudicare; ſicut *aures ſermones probare* Job. XII. 11. dicitur. *Aurem inclinare*, & quidem *dextram*, inſuper denotat avide, accurate, audire, & obſequium præſtare; de quo dixi ad Pſ. XLV. 11. præterea intellectum adplicare ad *ſpiritualia* percipienda, de quo vid. Cl. Vitringa ad Jeſ. LV. 3. Quo maxime opus erat in ſermone ænigmatico & parabolico, qualis hic erat; ſicut Dominus in ſimili caſu, *qui aures habet ad audiendum, audiat.*

§. XI. 2. Conſpectum ſermonis ſui his verbis exponit

orator, verſ. 2. *Aperiam in ſimilitudine os meum, ebullire faciam ænigmata a mibi antiquo.* h. e. Facta, geſta, ſeu fata antiqui temporis magna cum fiducia & copioſa oratione proferam, quæ exempli, formæ expreſſæ & ænigmatum, adeoque obſcuræ & nodoſæ ſimilitudinis, conſpectum ferunt, non niſi a ſapiente & ſpirituali intellectu prædito dignoſcenda. Verba, *aperire os*, & *ebullire facere*, quod proprie eſt פתח a, ſignificant, verba cum fiducia & impetu, copioſe, & nobiliore vena, continuo flueate, effundere. Vox משל a primaria poteſtate *premendi*, inprimendi, premente manu tractandi, inter alia refertur ad exempla, ſimilitudines, & formas accuratiſſime expreſſas; חידות vero, a *flectendi*, inflectendi, intorquendi, poteſtate, exprimit ſententias ambagioſas, nodos ænigmatum, flexusque tortuoſos, adeoque obſcuros & figuratos, de quo vid. Schultens b, & dicta ad Pſ. XLIX: 5. Indicat itaque, ſe 1. geſta & fata antiqua copioſe enarraturum, eaque 2. conſideranda velle tanquam exempla & ſimilitudines, rerumque aliarum ſimilium imagines, 3. easque obſcuriores, & non niſi ſapientibus & adtentis perſcrutatoribus pervias, 4. absque ut ipſe nuda & ſimplici oratione exponat, ſed quas auditoribus relictas vult enodandas; denique, 5. ſimilitudines & ænigmata ſe de rebus *antiquis*, ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto, & deinceps, ſumturum eſſe. Id quod voces מי קדם a *mibi antiquo* denotant. Senſus enim eſt, exempla illa & figuras jam ab antiquo exſtitiſſe, & pro talibus fuiſſe habita. Vox קדם uſu Script. ſolet adhiberi de principio Oeconomiæ legalis; ut Pſ. XLIV: 2. Thren. I: 7. Vid. ad Pſ. LXXVII: 6. ſed ſimul includuntur tempora ſequentia, quæ inde fluxerunt ad præſentia usque, uti Pſ. LXXVII. Matth. vero, hæc verba citans, & ad Chriſtum adplicans, phraſin latius extendit ad *initium mundi*, ut Chriſto magis adcommodaret; quod ipſi, per Spiritum loquenti, licuit. Qua ratione vero Chriſto competant, in ſuperioribus vidimus. Id quod ora-

a Schultens ad Prov. I: 23. b Id. ib. I. 6.

orator hic facit, Christus, orator antitypicus, luculentius, & majore emphasi, peregit, usus etiam sermone parabolico & ænigmatico. De quo plura nihil attinet dixisse.

§. XII. In *Secunda* parte Ps., quæ summariam comprehendit factorum & fatorum antiqui & præteriti temporis, pro exemplis & obscuris imaginibus habendorum, propositionem, 1. præmittit propositi sui commendationem, vers. 3—7. a. ab officio, sibi & aliis populoribus incumbente, vers. 3, 4. b. ab exemplo & mandato Dei, vers. 5. c. ab utilitate, inde ad posteros redundante, vers. 7. 8. a. Antiqua illa gesta & fata enarrare, & posteris tradere, quod hic facturus erat, declarat non temere a se suscipi, sed ex officio, sibi non tantum, sed omnibus aliis civibus, injuncto, vers. 3, 4. his verbis: *Quæ audivimus & cognovimus, & Patres nostri narrarunt nobis, non celabimus a filiis illorum, generationi posterâ narrantes laudes Jehovæ, & robur ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit*, h. e. Sicut antiqua, quæ in exemplum proponam, certa sunt, & nobis omnibus nota, quæ audivimus a Patribus narrata, ita nostrum omnium est officium, ea cum filiis eorum & nostris in omnem sequentem generationem communicare; eo etiam magis, quod gloriosa & mirabilia Dei opera simul complectantur. Verba vers. 3. *quæ audivimus* &c. licet cum seq., *non celabimus* &c. directe cohæreant, ut facile perspicitur, indirecte tamen cum præcedentibus simul connexa sunt, adeo ut orator pariter insinuarit, volueritque, quænam sint, quæ in medium sit prolaturus, quamque certa, & in vulgus nota; quippe, quæ non ipse tantum, sed alii quoque, & communiter omnes populares ac audiores, noverint, & a Patribus acceperint relata. Directe tamen indicat, suum & popularium officium esse, ea, quæ ita receperant, filiis in omnes generationes narrare; adeo ut ipse ea recitaturus nihil agat, quod a persona sua alienum sit; imo eo magis hoc a se & aliis requiri, quod commemorationis digna sint, quippe Deo gloriosa, & stupenda ejus opera. Præmittit

itaque

itaque certitudinem earum rerum, verſ. 3., dein officium eas cum poſteris communicandi inculcat, & a præſtantia earum illud ulterius commendat, verſ. 4.

§. XIII. Verba verſ. 3. *quæ audivimus* &c. duplici modo capi poſſunt, *altero*, quo præterita diſtinguuntur in propiora, et remotiora, *altero*, quo ſimpliciter præteritorum certa notitia, a patribus hauſta per traditionem vel ſcripta, indicatur. *Priore* ratione, *quæ audivimus*, ſunt in genere præterita, ſive paulo remotiora ſive remotiſſima, *quæ novimus* et noviſſime facta, et præſentia, quæ itaque ſuo tempore contigerant, denique quæ *patres noſtri nobis narrarunt* ſunt remotiſſima, quod expreſſe additur, ne ea, quæ in primordiis gentis acciderunt, excluderentur. *Patres* enim in hoc Pſ. ſunt progenitores, qui ex Aegypto egreſſi, et in deſerto Arabiæ verſati ſunt. Quorum fata mox fuſius enarrantur. Sed *poſteriore* modo ſi verba intelligantur, præterita in genere, ſeu remotiora, ſeu propiora, indicantur, et certa eorum ſcientia, ejusque origo et fundamentum, ſimpliciter traditur: ut ſenſus ſit; quæ auditu intelleximus a patribus nobis narrata, ſeu a prima gentis origine nobis per parentes ſunt relicta, ſive per oralem traditionem, ſive ex certis monumentis ſcriptis ea nobis narrarint patres; quo utroque modo *narratio* poteſt dici facta. Quacunque ratione verba capiantur, ſive alterutro, ſive utroque conjuncto, ſenſus idem manebit; ut facile patet.

§. XIV. Sequentia verba, verſ. 4. *non celabimus filios eorum, generationi poſteræ narrantes*, officium, oratori et reliquis civibus ac auditoribus incumbens, exponunt, in eo ſitum, quod progenitorum poſteris in omnes generationes ea quæ acceperant, non tantum non occultare, ſed palam et continuo enarrare debeant. Non *celabimus* eſt, non debemus celare, nec etiam, ſi officio fungamur debito, faciemus, ſicut ego nunc non ago. *Celare* dicit vi verbi *fraudulentam* occultationem, qua quis verum ſibi probe notum abſcondit, vel et mendacio involvit, alium fallens, et abnegat;

gat; quare pro *abnegare*, q. d. mendacio tegere, aliquando ſumitur, 2 Sam. XVIII: 13. Job. VI: 10. ubi vid. Schultens. *Non* celabimus emphatice eſt, nihil minus, quam hoc, tantum abeſt, ut hoc, ut contrarium facere debeamus, & ego faciam: non *celabimus* itaque eſt, non hoc, ſed *narrabimus*, quare mox additur, *narrantes*. Non celabimus *a filiis ipſorum*, ſcilicet *patrum* & progenitorum, quales ſumus nos, & filii ac poſteri noſtri. Filios itaque *ſuos* ſimul intelligit, ſed *eorum*, ſeu progenitorum, dicit, ut officium liberis narrandi urgeret, & ad totam poſteritatem extenderet, cum a progenitoribus hauſta omnium interſit cognoſcere. Addit, *ætati poſteræ narrantes*, pro *narrabimus narrantes*, &c. reticuit, *narrabimus*, quia phraſi, *non celabimus*, erat involutum, ut modo notavi. *Aetas poſtera* in genere denotat poſteritatem; ut ex verſ. 6. patet.

§. XV. Reliqua verba, quæ ſubjungit, ad commendandum officium a præſtantia rerum illarum tendunt; *narrantes laudes Jehovæ, & robur ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit*. h. e. opera ejus, quæ de ſumma ejus *potentia* teſtantur, etiam *miraculoſa* quævis in gratiam populi præſtita, ad eum liberandum, ſuſtentandum, & ornandum, quæ præclara ſunt favoris Dei beneficia, multiplicem Dei laudandi & celebrandi materiam præbentia. Quæ non ſunt difficilia. Significat itaque, ea, quæ a patribus acceperant, & cum poſteris communicanda ſunt, non eſſe vulgaria & vilia, ſed præclara, miraculoſa, potentiæ & gratiæ Dei effecta, & ad Dei gloriam tendere, adeoque digniſſima eſſe, quæ poſteritati mandentur, & partem conſtituere *laudationis* Jehovæ, ad quam omnes ſunt obligati. Quæ vero illa ſint opera, in ſeq. fuſe recenſet.

§. XVI. β. Addit potentibus & mirabilibus Dei operibus *legislationem* ſolennem tanquam ad laudationes Dei quoque pertinentem, & materiam narrationis, ſimulque commendat propoſitum & officium ab expreſſo Dei mandato, omnia ea liberis enarrandi, verſ. 5. *Et ſtabilivit ornamen-*

tum in Jacobo, & legem posuit in Israele; quæ præcepit patribus nostris, ea notificare filiis ipsorum. h. e. Præter mirabilia opera inter laudes Jehovæ, quæ a nobis memorari, & ad posteros transferri debent, illud quoque locum habet, quod leges & præcepta nobis firmiter & in perpetuum injunxerit, tanquam felicitatis instrumenta & ornamenta: nec nostræ voluntati ac arbitrio reliquit officium ea omnia commemorandi, verum expresse a Patribus nostris requisivit, & illud præcepit ipsis, ut ea omnia, & opera Dei, & legum lationem, liberis suis nota facerent, ac inculcarent. *Prior* versus pars, *& stabilivit ornamentum, & legem posuit*, connectenda est cum præcedentibus, pertinetque ad *laudes Jehovæ*, adeoque continet alteram laudum Dei, & materiæ narrationis, partem, in eo sitam quod Deus leges & instrumenta felicitatis ac ornamenta instituerit in Jacobo & Israele. Cohærent enim verba per particulam & cum præced., quæ singulis partibus laudum Dei præmittitur: oratio quippe hac ratione decurrit, *narrantes laudes Jehovæ & robur ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit, & stabilivit.* &c. quæ itaque omnia pertinent ad laudes Jehovæ, & constituunt *narrationis* materiam. Confirmat hanc hypothesin, quod vers. 10 & 11. distincte imputetur Ephraimitis, quod *fœdus Dei* & *legem* non observarint, quodque *mirabilia* ejus oblivioni dederint. Facilior forte foret oratio, si ושם ex præced. repetatur ante ויקם *stabilivit*, ut fit: *& quod stabilivit ornamentum* &c: sc. *narrantes laudes Dei, & robur ejus & mirabilia ejus, quæ fecit, & quod stabilivit.* &c. Ceterum *ornamentum* & *lex* minus recte a nonnullis restringuntur ad præceptum de narratione filiis facienda; cum totam legislationem Mosaicam complectantur; ut & verba, & sequentia vers. 10, 11. facile evincunt: accedit, verba seq. *qui* vel, *quod præcepit patribus nostris*, ceteroquin esse superflua. Leges autem Israeli præscriptæ, sive morales, ut appellantur, sive rituales, insigniuntur nomine תורה, quod doceant viam adsequendi scopum felicitatis, ut supra vi-

di-

dimus, & ערות, quod inſtrumenta ſint et ornamenta felicitatis; a rad. ערה, quod antiquitus habuit ו mobile, ערי unde cum ו mobili ערות *quicquid inſtruit & ornat:* radix enim ערה eſt, *paravit ſe*, adcinxit ſe paratu & ornatu *a*. Verba vero *ſtabilire & ponere*, firmitatem, & durabilitatem legum, ſummamque earum autoritatem, involvunt; ut facile cernitur.

§. XVII. Additur ad officium adſtringendum præceptum Dei, Patribus datum, de filiis eorum notitia omnium earum rerum, modo memoratarum, inſtruendis; in hæc verba: *quæ præcepit Patribus noſtris ad ea notificanda filiis ipſorum*, ſeu *quæ præcepit Patribus noſtris notificare filiis ſuis*; ut recte Gejerus, qui tamen male reſtringit ad proxime præcedentia, legem & teſtimonium, cum ad omnia ſuperiora, & opera Dei mirabilia, & leges, referri debeant: cuncta enim illa Deus juſſit, ut cum filiis communicarent. Deut. IV: 9. Ex. XIII: 14. & ſæpe alibi. Adfixum quoque plur. ם in להודיעם commodius ad omnia ſuperiora refertur, quam ad *teſtimonium & legem*.

§. XVIII. 7. Commendat denique propoſitum ſuum ob inſigni utilitate, ab ipſo intenta, verſ. 6, 7. *Ut cognoſcant ætas poſtera, filii, qui naſcentur, ſurgent & narrabunt filiis ipſorum; & ponant in Deo fiduciam ſuam, (nec obliviscantur molimina Dei) & præcepta ejus obſervent.* h. e. Quemadmodum Deus, quum progenitoribus noſtris præcepit, ut ea traderent filiis, intendit, ita & ego in factis & fatis præteritis enarrandis in animo habeo, ut poſteritas noſtra opera & inſtituta Jehovæ cognoſcat, adeoque filii noſtri ea tradant filiis ſuis, & inde rationem petant, ac excitentur, ad Deo fidendum, facinorum ejus non obliti, et præcepta ejus facienda. In oratione parum eſt impediti, quod noſtræ curæ relictum eſt; quare uno alterove defungar obſervato. 1. Phraſis, verſ. 6. *Surgent & narrabunt*, duo ſignificare poteſt, *alterum* eſt, filios natos, cum ad adultam

a Schultens ad Job. XXVIII: 8.

venerint ætatem, et in publicum prodierint, ea narraturos esse filiis-suis; quo sensu *surgere* est succrescere, et in lucem publicam venire; ut Ex. I: 8. *surrexit rex novus*, Matt. XI: 11. *non surrexit major inter natos mulierum*: quæ loca ab aliis jam sunt adducta; *alterum*, eos magno studio id esse adgressuros; *surgere* enim ad aliquid agendum denotat subinde, aliquid cum impetu & studio aggredi, ut 2 Sam. XIII: 31. Job. I: 20. & alibi, etiam apud Arab. *a*. Utrumque hic conjungi potest. 2. *Ponere in Deo fiduciam* proprie verti deberet, *ponere in Deo lumbum suum*, quod est in Deo ponere, quo nitaris, seu fiduciam. Denotat enim vox כסל *lumbum*, unde secundaria orta est significatio *fiduciæ*, quia in lumbis est vis nitendi, *niti* vero super aliqua re est confidere *b*. 3. Ultimum membrum, vers. 7. *& præcepta ejus observent*, cohæret cum primo, & *ponant in Deo fiduciam*, intermedium vero, *& non obliviscantur facinorum Dei*, est parentheticum, ad primum illustrandum insertum, acsi haberetur: *& ponant in Deo fiduciam suam non obliti facinorum ejus, & præcepta observent*. Duo enim sunt, quæ supra memoratorum narratio producere poterat, *fiduciæ collocatio* in Deo, & *præceptorum ejus* observantia, quæ etiam secum per *&* connectuntur; ad fiduciam collocandam necessaria erat *facinorum* Dei continua memoria; quare ea expresse subjungitur. Ceterum pericopa hæc, quæ commemorationis operum & legum Dei scopum & utilitatem comprehendit, non tam cum proxime præcedentibus, quod tamen non est excludendum, quam cum omnibus superioribus cohæret: adeo ut orator non Dei tantum præcepti de enarratione filiis facienda, sed in primis sui propositi, supra memorati, scopum & fructum exhibeat. Verba enim vers. 8. *nec sint sicut patres ipsorum* &c., ad scopum & fructum narrationis quoque pertinentia, rectius in oratoris, ea nunc commemorantis, quam Dei, illud progenitoribus ipsis in deserto præcipientis, scopum quadrant, cum

a Schultens ad Job. I: 20. *b* Schultens ad Prov.

cum progenitores hic occurrant, tanquam dudum mortui, & a rebellione contra Deum noti; præterea Ephraimitæ ipſis mox adjungantur, tanquam ejusdem indolis. De quo mox.

§. XIX. 2. Propoſiti commendatione præmiſſa, argumentum orationis ſuæ ſummatim proponit, quod *duo* illuſtria exempla antiqua vel præterita comprehendit, *alterum* progenitorum in deſerto, *alterum* Ephraimitarum in primis ſub Eli; quæ in ſeq. fuſius deducit. *Prius* paulo indirectius, per modum declarationis ſcopi narrationis ſuæ, quam continuat, verſ. 8. *Et ne ſint ſicut patres ipſorum, generatio refractaria & obſtrigillans, generatio, quæ cor ſuum non firmiter diſpoſuit, cujusque ſpiritus non fuit fidelis cum Deo*, h. e. Facta & fata antiqua, a primordiis populi ducta, proponere in exemplum animus eſt, eo etiam ſcopo, ut poſteri a progenitorum rebellium & contumacium exemplo, quod primo loco in medium adferam, imitando abſterreantur. Scopum narrationis ſuæ licet memoret, tacite tamen & indirecte indicat, ſe ex antiquis rebus in medium eſſe prolaturum exemplum progenitorum in deſerto; cum ſignificet, ſe in animo habere poſteros ſuos dehortari a progenitoribus imitandis. Eorum enim in ſpecie mentionem facit, quia eorum facta & fata in exemplum & obſcuram futurorum imaginem deſcribere volebat. In verbis parum eſt obſcuri. *Patres* ſunt progenitores in deſerto Arabiæ oberrantes: uti ſeq. quoque docent, & ſupra vidimus. Depingit eos tanquam generationem *partim* rebellem & contumacem, *partim* hypocriticam & perfidam: *generationem* enim eos primum adpellat *refractariam* et *abſtrigillantem*, dein generationem cordis et *animi inconſtantis* et *perfidi*, quatenus aliq. viſi fuerint ad Deum ſe convertere, ſed mox reſilierint: ut eſt verſ. 34—37. De vocum et verborum emphaſi ſæpe alias diximus, quare verbo abſolvam: סרר proprietatem habet in *ſciſſione*, *fiſſione* cum acri ſonitu; unde verbum fictum eſt, hinc ad *con-*

tumaciam, pervicaciam, tranſlit, qua frænum obedientiæ rumpitur Pſ. 11. *a*, סרר proprietatem tenet *in acrius ſtringendo manum*; unde uſus *retractandi*, manum ſtringendo ducentis, ſic ut ea lædatur, & proprie uſurpatur de animale retractante, ut Lat. *obſtrigillare a*. Phraſes, *cor non firmare*, vel firmiter aptare, disponere, quod eſt כון, & *ſpiritum* non *habere fidelem* cum Deo, exprimunt hypocriſin & inconſtantiam in cultu Dei; adeoque indicant, eos ſubinde ſe ad Deum colendum recepiſſe, ſed minus ſincere, & mox defeciſſe: ut eſt verſ. 34—.

§. XX. *Poſterius* exemplum, ab Ephraimitis deſumtum, directius proponit; quia illud in primis in oculis habebat, & progenitorum exemplum memoravit, tanquam quod Ephraimitæ fuerint imitati, ut ex verſ. 12. &c. patet. Verba ita ſonant, verſ. 9—11. *Filii Ephraimi*, ſicut *armati jaculatores arcus ſeſe vertunt die prælii, non obſervarunt foedus Dei, & in lege ejus incedere renuerunt, & obliti ſunt facinorum ejus arduorum, & mirabilium ejus, quæ ipſis monſtraverat.* h. e. Israelitæ, quo tempore ſedes principatus & religionis erat in tribu Ephraim, adeo ut *Ephraimitæ* adpellari potuerint, Israelitæ, inquam, ut exemplum, quod proprie intendo in hac mea oratione, ſummatim proponam, tantum abeſt, ut majorum exemplo fuerint abſterriti, ut eos plane imitati ſint; ſicut enim milites, qui, cum arcum tractent & jaculari norint, ſeu armis probe inſtructi ſint, in ipſo prælio ſeſe perfide vertunt vel in fugam, vel in ſocios; ita ipſi, Deo foedere juncti, & lege ejus probe inſtructi, ac multis potentiæ & bonitatis ſignis ornati, ac cumulati, a Deo, & foedere ac lege ejus, defecerunt, operum ejus plane obliti, & alio ſeſe verterunt, etiam contra Deum ipſum militantes. Verba continent perfidiæ & rebellionis Israelitarum, ad majorum exemplum, deſcriptionem, partim figuratam, partim nudam, & ſim-

a Rev. Kuypers ad Ali p. 172. *b* Schulsens defect. §. 130. & ad Prov.

ſimplicem. Figurata occurrit verſ. 9. *Filii Ephraimi armati*, (primaria rad. פז poteſtas videtur in *compactione firma* ſita, unde & *osculatio*, qua labia labris adpinguntur, & *armatura* παναπλία, quæ arctius adhæret, & corpus totum cingit, fluxit) *jaculatores arcu vertunt ſeſe die prælii.* h. e. vel fuerunt ſicut tales perfidi ſagittarii, vel, ſicut ſagittarii die prælii ſeſe vertunt, ita non obſervarunt foedus Dei &c. Ellipſis eſt part. ſimilitudinis כ *ſicut* in voce נפש, ſatis frequens, uti conſtat; & comparantur Ephraimitæ cum perfidis jaculatoribus, die prælii ſeſe aut in fugam, aut in ſocios, vertentibus, quatenus omnibus mediis ad Deo, ſupremo duci, obediendum probe inſtructi, & ipſi obſtricti, ſeſe a Deo & lege ejus averterunt contra Deum ipſum. Interpretes verba, verſ. 9. proprie de Ephraimitis peritis jaculatoribus, tempore prælii fuſis & fugatis, capiunt, & ſecum valde diſſentiunt in eo caſu definiendo; quorum diverſas opiniones recenſuiſſe nihil adtinet: dubium mihi non eſt, quin operam luſerint, verba litteraliter accipientes, quæ figurate deberent. Rationes noſtræ ſunt ſequentes. 1. Ratio non patet, quare a ſagittandi peritia laudarentur Ephraimitæ, & ab hoc epitheto in primis deſcriberentur: eum, ea in arte eos præ reliquis excelluiſſe, non conſtet. 2. Nimis abrupta, & generalis, eſt expeditionis & cladis Ephraimitarum mentio, quæ quare hic memoretur, & quo referenda ſit, nullo patet indicio, nullo charactere definitur. 3. Phraſis, *in die prælii*, nimis etiam generalis eſt, quam ut ad certum aliquod prælium reſtringi poſſit. Dicit enim in genere qualecunque tempus prælii. 4. Nec *vertere ſe* in die *prælii* cladem exprimere poteſt, tantum fugam & perfidiam; *vertere* enim eſt ſe retro vertere, non pugnare, vel male, & in ſocios ſeſe vertere. Profertur Jud. xx: 39, 41. Sed ibi de Israelitis uſurpatur prælium reſumentibus, & in Benjaminitas ſe vertentibus; Joſ. vii: 8. occurrit ſimpliciter de *fuga*, & *vertere cervicem* habetur *coram hoſtibus*. Denique 5. collatio verſ. 57. extra dubium col-

lo-

locat ſenſum figuratum; quod enim hic conciſe & ſummarie, illud ibi fuſius traditur, utrobique de eadem re agitur. Ibi autem orator in hæc verba loquitur: *receſſerunt, & perfide egerunt ſicut Patres eorum, verſi ſunt*, vel *verterunt ſe inſtar arcus fallacis*, de quo poſtea.

§. XXI. Sumamus itaque figurate, & de perfida Ephraimitarum inobedientia explicemus; adeoque, quod modo figurate dixerat orator, illud mox nude & proprie ab ipſo exponi, ſtatuamus; quum cuncta erunt facilia, et ſermo apte cohærebit. Ephraimitæ, tanquam præcipui Israelitarum, qui Tabernaculum et arcam in medio ſui habebant, adeoque Israelem repræſentabant, et comprehendere ſuo nomine poterant, comparantur cum peritis et inſtructis ſagittariis, qui tempore prælii ſe vertunt, vel retro in fugam, vel in ducem ſuum, quatenus omnibus ſubſidiis Deo obediendi, et cauſam ejus ſtrenue agendi, inſtructi, et Deo ejusque cultui obſtricti per ſolenne ſacramentum et foedus; eo ipſo tempore, quo ſeſe tales Deo præſtare deberent, ſeſe a Deo et cauſa ejus averterunt, ac ipſi ſeſe oppoſuerunt; adeoque perfide et contumaciter cum Deo egerunt. Quod mox nuda et ſimplici oratione exponitur, quum *foedus Dei non obſervaſſe* etc. dicuntur: in quibus nihil eſt obſcuri. Ceterum cum hic non dicat, ut modo, *ne ſint ſicut filii Ephraimi;* ſed poſitive et abrupte, *Filii Ephraimi*, ſicut *armati jaculantes arcu* etc. ſignificat, ſe Ephraimitas, tanquam Patrum imitatores, in hac oratione præcipue et directe intendere, ac in exemplum proponere. Connecti autem hac ratione poteſt ſermo: *ne ſint ſicut patres eorum* etc; quales fuerunt Ephraimitæ, *qui*, *ſicut jaculatores* etc. Quando autem Ephraimitæ ſeſe hujus perfidiæ reos egerint, illud hic ſilentio involvit orator, quia in fuſiore deductione illud declararet. Quare et nos eousque id differemus.

§. XXII. In *tertia* parte Pſ., quæ exemplorum, modo memoratorum, fuſiorem continet deductionem, κ. Facta et fata Patrum, quibus ſeſe ſimiles fecerunt Ephraimitæ, recen-

cenſentur, verſ. 12—40. 3. Ipſorum Ephraimitarum, verſ. 41—64. 4. Lætus exitus reſpectu Judæ ſub Davide ſubjungitur, verſ. 65—72. ℵ. In patrum, ſeu progenitorum, exemplo tradendo, orator ſigna potentiæ ac bonitatis Dei in eorum gratiam, eorumque murmurationem, contumaciam, & hypocriſin, in deſerto per varios articulos fuſe exponit. *a. Primus* comprehendit illuſtria Dei facinora & beneficia in majores collata in Aegypto, & in principio moræ in deſerto Arabiæ, verſ. 12—16. In qua pericopa *a.* mirabilia Dei opera in Aegypto verbo tanguntur, quia in ſeq. verſ. 43. &c. ea prolixius recenſere volebat. Verba ita habent, verſ. 12. *Coram patribus eorum fecit mirabile in terra Aegypti, agro Tſoanis.* In quibus cum parum ſit difficilis, verbo not. 1. oratorem non dicere, coram Patribus *noſtris*, uti verſ. 3. ſed *eorum*, ſc. Ephraimitarum, modo memoratorum, quia eos Patrum exemplum pravum imitatos eſſe dixerat, eumque in finem Patrum exemplum citaverat. 2. *Facere mirabile* non eſt unum aliquod, ſed varium & multiplex facere, quare in plur. occurrunt *ſigna* & *portenta*, verſ. 43. 3. *Terra Aegypti & ager Tſoanis* memoratur, ut de tota Aegypto, ſuperiore non tantum ſed & inferiore, cogitaremus. *Superior Aegyptus* eximie *terra Aegypti* adpellatur, ſive quod antiquiſſima fuerit hominum ſedes, ſive quod regni ſedes eſſet, quæ fuit tempore Joſephi, & Moſis, *Memphis*, vel Heliopolis *a*. *Inferior* vero videtur nomen *agri* vel territorii *Tſoan* tuliſſe, a primaria ejus urbe *Tani*, quæ nomen dedit oſtio Nili *Tanitico*, proximo *Peluſiaco*, ultimo orientali. Eam enim urbem intelligi conſtat *b*; non tamen *urbem* illam ſimpliciter ſed ipſam terram Aegypti, inde denominatam, obſervavit jam Jablonski *c*.

§. XXIII. *b.* Sequitur ordine miraculoſus tranſitus per mare rubrum, verſ. 13. *Fidit mare, eosque transire fecit,*

a Vid. Cl. Jablonski de terra Goſen. *b* Vid. præter alios, Vitringa ad Jeſ. XIX: 11. *c* Ibid. diſſ. II. p. 19.

& perſtare fecit aquas ut acervos, h. e. mari fiſſo, & aquis in cumulum aggeſtis, ita ut utrinque ſteterint inſtar muri, patres eorum tranſire fecit. Conf. Exod. xv: 8. *c. Tertium* ſpecimen eſt mirabilis populi deductio tuta & ſecura per columnam nubis & ignis; verſ. 14. *Et duxit eos* (inſtar paſtoris oves, Jeſ. LXIII: 11.) *interdiu nube, & tota nocte luce ignis*; adeoque ad interdiu populum contra æſtum ſolis tegendum, & noctu illuſtrandum, nec non viam monſtrandam. Quo inprimis tendebat, ut notum, columna *nubis* & *ignis*. Conf. etiam Pſ. cv: 39. *d. Quartum* miraculum, ordine ſecutum, eſt mirabilis potatio populi e rupe ſciſſa, Exod. XVII. his verbis, verſ. 15, 16. *Fidit petras in deſerto, & potavit tanquam ex abyſſo magna; & eduxit fluenta e rupe, & deſcendere fecit tanquam fluenta aquas.* Qui verſus ita cohærent, ut poſterior ſit prioris explicatio. Cum in genere dixiſſet, petras fuiſſe fiſſas, & populum tanquam ex abyſſo magna fuiſſe potatum, quod nimis generale erat & ambiguum, addit, aquas tanquam fluenta & rivos fluxiſſe e rupe; ut indicaret, ſe per *petras* intellexiſſe unam rupem, & aquas copioſe & continuo fluxiſſe ex illa, acſi ex abyſſo magna fuiſſent exortæ. Non itaque de duplice, ſed una fiſſione in Raphidim agit, Ex. XVII: 1, ut ſeries narrationis docet; & reſtrictio mox addita, verſ. 16., evincit. Nihil præterea habeo, quod Interpretibus addam. *Petras* in pl. de una rupe dicit, ſicut *abyſſos* de abyſſo, quare addit in ſing. תהם, ut Gen. VII: 11., excellentiæ cauſa.

§. XXIV. β. *Secundus* articulus exhibet ingratas, & Deo injurioſas, *murmurationes*, ex diffidentia & cupiditate ortas, quibus propter panis & cibi defectum murmurarunt in Deum; ſtatim poſt tam miraculoſam potationem, verſ. 17—20. Ubi *a.* ipſa murmuratio repræſentatur, verſ. 17—19. *b.* ejus abſurditas & indignitas exponitur, verſ. 20. *a.* In priore parte 1. præmittitur generalis deſcriptio peccati ipſorum, verſ. 17. *Et perrexerunt adhuc in ipſum peccare, obſtrigillando altiſſimum in ſolitudine.* h. e. Sicut jam an-

antea potus causa, ita & deinceps mox propter cibum, Altissimo, ejusque ductui, contumacius restiterunt, & in ejus perfectiones ac virtutes invecti sunt; idque in deserto arido, ubi sine Dei favore subsistere non poterant, adeoque eo quam maxime indigerent. Non sine ratione dixit orator, *perrexerunt peccare*; insinuatum enim voluit, eos jam antea, in potu petendo, idem fecisse, nec meliores fuisse factos per miraculosa Dei opera in ipsorum gratiam. Cum vero verbo *peccare* immediate subjungat מרה *obstrigillare*, indicat in eo praecipue situm fuisse ipsorum peccatum, quod Deo contumacius fuerint adversati; quod est proprie *obstrigillare*; de quo supra dixi ad vers. 8. n. Contumaciter autem Deo adversati sunt, quod ejus perfectiones & virtutes, tot signis demonstratas, in dubium vocarint, vel negarint; praeterea ejus ductum & providentiam erga populum carpserint, & cum eo expostulaverint, denique sese obedientiae ejus subduxerint. Addit, ad peccatum eorum exaggerandum, eos ita cum *Altissimo* egisse, idque in *deserto* sicco & arido; ubi ejus favore & ope maxime indigebant, & in quem locum ducti erant, ut fides & spes eorum exploraretur, adeoque ubi occasionem habebant eas virtutes demonstrandi, inde ansam murmurandi, & se Deo opponendi, sumserunt.

§. XXV. 2. Subjungitur mox peccati & murmurationis accuratior & specialior notitia, vers. 18, 19. his verbis: *& tentarunt Deum in corde suo, postulando cibum secundum adpetentiam suam, & locuti sunt contra Deum, dixerunt; poteritne Deus instruere mensam in deserto?* h. e. Peccatum & obstrigillatio eorum in eo sita fuit, quod pro vano suo adpetitu, ad eum tantum explendum, postulaverint cibum, cui adsueti alias erant, non contenti eo, quo miraculose fruebantur, quodque Dei potentiam in eo suppeditando in dubium vocarint, vel abnegarint, denique Deo litem moverint, & cum eo maligne expostulaverint, super ductu

Schultens Defect. §. 134.

ejus in deſerto. Reſpicitur ad hiſtoriam, non Ex. XVI., ſed Num. XI. memoratam, ut ex collatione facile liquet, & communiter recte obſervatum eſt. Hinc itaque verba explicanda ſunt, & colligendum, duplex murmurationis genus adtingi, *alterum*, verſ. 18., & in poſteriore membro verſ. 19. *alterum* in priore membro, verſ. 19. his verbis, *& locuti ſunt contra Deum;* quæ verba rectius cum verſ. 18. fuiſſent connexa, quam ut novum verſum incipiant. Duo itaque iis 1. intentat crimina, *alterum*, quod cibum pro cupiditate ſua poſtulaverint, modo indigno, animo Deum tentandi, *alterum*, quod cum Deo expoſtulaverint, ſeu *contra* ipſum *locuti ſint.* 2. Exponit dein hunc ipſorum animum, verba Deo injurioſa ipſis in ore dans, quum addit, *dixerunt poteritne Deus* &c. 1. Ad *priorem* pericopæ partem not. *a.* phraſin, petere cibum נפשם, recte verti *ad* vel *ſecundum adpetitum ſuum*, ad eum explendum, non itaque ex neceſſitate, ſed pravo adpetitu; quæ emphaſis eſt vocis נפש, hic omnino admittenda, ut ab aliis jam notatum eſt. Vid. Clericus, & ad Num. XI: 6. Res ipſa quoque confirmat, cum *Manna* jam haberent, & cibum illum faſtidirent, lautioresque & ſuetos cuperent: ut ex l. c. liquet. *b.* præmitti, *eos Deum in corde ſuo tentaſſe*, ad indicandum, eos non ſubmiſſo & fideli animo petiiſſe, ſed ſuperbo & audace, nec non diffidente, ad experimentum potentiæ Dei capiendum, & demonſtrandum, ſe de Dei potentia inique ſentire: quare ipſis illud in ore datur, *poteritne Deus*, &c. *c.* Subjungitur aliud crimen, eo ipſo tempore patratum, modo ante hanc tentationem, quo Deo oblocuti ſunt, vel litem ipſi intentarunt, ac cum eo expoſtularunt; quo pertinent verba, *& contra Deum locuti ſunt.* Exſerit verbum ריב hic peculiarem uſum, quo in *actionibus judicialibus* frequentatur, & controverſiam judiciariam agitare, & longius deducere, ſignat: cujus varia produxi exempla ad Pſ. L & LI., ſæpe ad Jerem. Denotat itaque litem Deo intentare, ipſum accuſare, & actionem contra Deum inſtitutam deducere longius. Re-

ſpi-

ſpicitur ad Num. XI: 1. *& factum eſt, cum populus maligne quiritaretur in aures Jehovæ, ut Jehova audiverit*, &c., ſic enim voces vertendæ, ſeu intelligendæ ſunt. *Quiritationis* argumentum quidem non exprimitur, ſed probabile eſt, eos de moleſtiis itineris & horrido deſerto, aliisque malis fuiſſe conqueſtos, non ex ſenſu malorum, ſed animo male in Deum adfecto; quare *malignæ* dicuntur querelæ. 2. Ad *poſteriorem* partem not. *a.* eam non cum proxime præced., *locuti ſunt contra Deum*, cohærere, ſed ad priorem pericopæ partem pertinere, ſeu iniquam cibi poſtulationem in corde, cui hæc verba aptantur, quibus tentationem Dei expreſſiſſe dicuntur; quando ſermo rectius fluit. *b.* Verba hæc, non neceſſe eſt ſtatuatur, ab ipſis fuiſſe prolata, ſed ſufficit, iis hæc verba convenire, & animi cogitationes ac adfectiones apte exprimere. Animo Deum tentandi cibum poſtularunt, adeoque ei convenienter dicere debuerunt, *poteſt ne Deus menſam inſtruere in deſerto?* ſeu nobis dare carnem, & alia alimenta ſuavia, quibus in Aegypto adſueti fuimus: ut eſt Num. XI. *ſi poſſit* Deus, demonſtret nunc; alias colligendum erit, *non poſſe*; niſi ſtatuendum ſit, illum ſiniſtro in nos duci adfectu, & nolle: quod utrumque erat Deo injurioſum.

§. XXVI. *b.* Quæ tentatio, qua Deum accuſabant *imbecillitatis* vel *ſiniſtri* adfectus, quam fuerit indigna, & importuna, orator his verbis exponit, verſ. 20. *Ecce percuſſit petram & fluxerunt aquæ, & torrentes inundarunt, an etiam panem poterit dare? an parabit carnem populo ſuo?* Non ſunt verba a murmurantibus prolata, quibus ea non conveniunt: ſi enim miraculum aquæ e petra percuſſa fluentis in promtu habuiſſent, de Dei potentia in carne danda dubitare non potuiſſent; nec ita ratiocinari quis poteſt; ecce tam illuſtre patravit in gratiam noſtram miraculum, *poteritne quoque cibum dare?* verum verba ſunt oratoris, qui ipſis in memoriam revocat hoc miraculum, & ad ipſos proſtituendos, ac de abſurditate & importunitate tentatio-

nis Dei convincendos verba eorum ita flectit: acſi diceret: tentatio Israelitarum tam abſurda fuit, quam foret, ſi dixiſſent, *ecce percuſſit petram* &c. *poteritne.* —— Qua ratione cuncta faciles habent explicatus, & poeta convenienter perſonæ oratoris, quam hic gerit, agit. Solent ſæpe prophetæ populo verba in ore dare, non quæ ipſi elocuti ſunt, ſed deberent, ſi cohærenter & ſtatui ſuo convenienter voluiſſent loqui. Ceterum *panis* vel in genere *cibum* denotat ordinarium, vel *carnem* in ſpecie; ſicut mox exponitur: qui vocis לחם uſus non eſt inſolitus aut ignotus *a.* Utique *cibum*, ſeu panem coeleſtem *Manna*, hic intelligere non licet, cum eo jam tum gaviſi diu fuiſſent.

§. XXVII. *γ. Tertius* articulus Deum ad hanc criminationem & tentationem ſiſtit primum iratum & punientem, dein potentem & beneficum erga populum ingratum, carnem ei abundanter concedendo, verſ. 21—29. In qua pericopa *a.* iræ Dei demonſtratio, una cum ejus juſta cauſa, deſcribitur, verſ. 21—25. *b.* ejus potentiæ & bonitatis ſigna recenſentur in danda carne, verſ. 26—29. *a. Prior* pars Deum repræſentat iratum, & ejus juſtam rationem adjungit, *prius* verſ. 21., *poſterius* verſ. 22—25. *Prius* his verbis effertur, verſ. 21. *Propterea audivit Jehova & efferbuit, & ignis vehementius arſit in Jacobo, et etiam naſus*, vel *adglomeratio naſi, exæſtuavit in Israelem.* Sicut duo modo memoraverat crimina connexa, & ſe invicem brevi ſecuta, ita Deum repetita vice ſiſtit iratum, *priore* vice his verbis: *audivit Jehova et efferbuit, et ignis vehementius arſit in Jacobo, altera*, mox ſecuta, his verbis, *et etiam naſus exæſtuavit in Israelem. Prius* illud reſpicit ad judicium Dei in populum Deo obloquentem, e veſtigio ſecutum. Num. xi: 1. uti collatio facile docet. Phraſis, *audivit Jehova et efferbuit* —— eſt emphatica, dicitque idem, ac, ſtatim *ac audiviſſet efferbuit.* Particula ו ſubinde immediate connectendi poteſtatem habet, & *ſtatim* dicit, ſeu *mox*, e veſtigio. Verbum חרה proprie dicit *intumeſcere*, &

a Vid. Amama ad Pſ. xxvii: 2. & comm. noſter ad Mal. p. 84.

& de fluvio altius ſeſe efferente adhibetur; unde ad iram ſeu effervescentiam naſi tumidi transfertur, & in Hitph. התעבר eſt *ira tumuit*, quod alias ſæpe obſervavi: verbum נעש ſeu עש Arab. teritur de denſitate *fumi* omnia involvente, unde ad vehementiorem ignem tranſiit propter denſitatem fumi inde exſurgentis. Senſus ergo eſt, ignem vehementius arſiſſe & fumaſſe, uti factum legimus Num. XI: 3. *Poſterius* exponit iram *altera* mox vice ſeſe exſerentem, cum populus in acerbam illam murmurationem ob *carnis* defectum incidit, ut ibid. narratur: verba ſonant, *et etiam naſus exæſtuavit in Israelem.* h. e. iterum, novo vigore ſumto, *æſtuavit naſus;* adeoque non de eadem re, de qua modo, ſed mox ſecuta, ſermo fit; ceteroquin enim verba emphaſin non haberent. Verbum עלה, ut ſæpe alias obſervavi, proprie dicit, *exſuperavit*, *exstrevit*, etiam de fluminie ſupra ripas intumeſcente, unde orta eſt notio *ebulliendi*, *exæſtuandi*, omnisque excesſus; recte itaque אף *naſo* tribuitur tumeſcenti, & iræ exæſtuanti. Sed quid eſt גם? vel ſimpliciter *iterum*, ut ſit particula, vel *glomeratio*, aut vigor ſe ſemper renovans, & abundantia *naſi*. Radix enim originem habet in *glomerando*, unde eſt, accedere numero aliorum, & inde particula גם *etiam*, iterum iteromque *a*.

§. XXVIII. Juſta iræ & judicii Dei ratio ſubjungitur & deducitur, verſ. 22—25. Proponitur, verſ. 22. *Quia in Deum non crediderunt, nec fiduciam in ejus ſalute poſuerunt.* h. e. juſta hæc fuit iræ & pœnæ divinæ cauſa, quod nec vera & conſtante fide Deum talem eſſe, qualis eſt, qualemque ſeſe inter ipſos revelaverat, crediderint, nec ſeſe Deo, ejusque bonitati, & auxilio, quod toties ad liberationem ex anguſtiis experti erant, commiſerint tuto & ſecure; ſed contra increduli fuerint, diffidentes Deo, & contra cum murmurantes, eique litem moventes. Quæ nihil obſcuri habent. *Ratio* propoſita illuſtratur & confirmatur, producto ſpecimine bonitatis & ſalutis Dei plane eximio, quo jam ante gavi-

a Schultens ad Prov. XIX: 2.

gaviſi erant, & etiam nunc fruebantur, & mactarentur in poſterum, in *Manna*, pane coeleſti, ſito, verſ. 23—25. *Et præcepit nubibus deſuper, & coelorum valvas aperuit, et depluit manna in eos ad comedendum, et frumentum coelorum præbuit ipſis, panem fortium*, vel principum, *comedit vir, viaticum miſit ipſis ad ſatietatem.* Quæ verba quare hic locum inveniant, non adeo clarum eſt. Manna enim non hoc tempore incepit, ſed diu antea, etiam ante aquæ fluxum e rupe ſciſſa Ex. XVI. Videri itaque poſſent hæc verba loco mota, & ante verſ. 15*tum* collocanda; ſed obſtat, quod verſ. 20. tunc æque *mannæ* ac *aquæ* miraculoſæ meminiſſet. Probabile mihi eſt, oratorem in recenſendis mirabilibus Dei, hujus rei neglecta mentione, locum ei hic dediſſe, ne eam plane prætermitteret, eumque ſatis commodum, cum illuſtre eſſet ſpecimen bonitatis & ſalutis Dei, cui eos modo dixerat non fidiſſe; accedit, *manna* & *coturnices* in principio quoque fuiſſe junctos, Ex. XVI. & hoc tempore, de quo hic agitur, perſeveraſſe manna; denique notari meretur, *Manna* diſerte dici ab iis hoc tempore ſpretum & faſtiditum, quare illud beneficium merebatur hoc loco inſeri, & extolli, uti etiam fit, Num. XI: 7. Quicquid ſit, verba hic non occurrunt, tanquam enarrantia, quid Deus hoc tempore facere inſtituit in gratiam populi, ſed tanquam ſingulare ſpecimen ſalutis Dei, quo excitari debuiſſent ad Deo fidendum; ſed quod nunc indigne tractabant, & inſuper *carnem* petebant, qua minime indigebant, quare poſtulaſſe *cibum* dicuntur *pro adpetitu ſuo*, verſ. 18. In verbis nihil eſt, quod opera noſtra indiget; nihil quoque obſcuri, niſi in verſ. 25. *Panem fortium* vel principum, *comedit vir, viaticum miſit ipſis ad ſatietatem.* Verba, *panem fortium comedit vir*, quid ſibi velint, & qua ratione cohæreat oratio, non tam clarum eſt, quam videtur: cum enim ante & poſt dixerit, *dedit ipſis, pluit manna* ſuper ipſos, viaticum miſit ipſis; nimis abrupte inſertum videtur, *panem fortium comedit vir.* Poſſent verba cenſeri inſerta ad

man-

manna extollendum, & prærogativam Israelis amplificandam; quod unusquisque eorum, vel *vir*, comederit panem *angelorum*, sive coeleſtem: ut oppoſitio ſit inter *fortes* & *virum*; ſed tunc אדם potius dixiſſet; quod magis emphaticum foret. Rectius flueret oratio, ſi pro אכל איש legeretur אכל לא איש *cibum non viri*, h. e. plus quam *viri*, ſed excellentioris perſonæ; לא enim æque auget, ac minuit, ut ad Mal. *a* notavi, vel *non viri*, qui non *viro* ſed angelis competit: quum ita ordinanda eſt verſio, *panem fortium, cibum non viri, viaticum miſit ipſis ad ſatietatem*: quæ conſtructio eſt longe facilior, vel, ſi retineatur אכל ſubintellecto אשר, *quem non comedit vir*. Sed nihil definio. Ceterum *manna* adpellatur panis *fortium*, vel principum, utrumque enim denotat אביר, proprie *pennatum*, & hinc *robuſtum*, audacem, præeminentem, ut recte Coccejus, quatenus *angelorum* potius cibus ſit, quam hominum; ſeu in genere *coeleſtis*, & præſtantiſſimus, ut *lingua angelorum*. Quod ab aliis jam eſt obſervatum. Niſi quis rectius legi velit אבירים, ut Jud. v: 25. & in genere *magnificos*, *excellentes*, intelligere.

§. XXIX. *b*. Sed alia via ſeſe mihi, accuratius meditanti, offert verſum illum expediendi, qua pro initio & ſummaria propoſitione alterius pericopæ partis, quæ novum ſpecimen bonitatis & potentiæ Dei continet, habetur; adeo ut ſenſus ſit, Deum, non obſtante quod quisque eorum comederit panem fortium ſeu magnificorum, inſuper iis *miſiſſe venationem ad ſatietatem usque*, h. e. aves capiendas miſiſſe; ut Piscator accepit. Commendat hunc ſenſum non tantum vox צידה, quæ, licet latioris ſit uſus, proprie ad *venationem*, ſeu aves & alia animalia, *venatione* capi ſolita, ducit, ſed etiam vox לשבע *ad ſatietatem*, quæ huc unice quadrat, & mox adhibetur de *coturnicum* conceſſione, verſ. 29. Accedit, nexum & ſeriem orationis ſic fieri faciliorem; cum verba noſtri verſus recte fluant, *panem principum comedit quisque, capturam miſit ipſis*, h. e. eo ipſo tem-

a Cap. III: 20.

tempore, quo ejusmodi pane quisque vesceretur, misit tamen insuper Deus capturam ad satietatem: & praeterea in seq. mox tradatur explicatio istius *missionis*. Sequitur itaque summariae propositionis deductio, vers. 26—28., qua coturnicum miraculum, ad appetitum illorum implendum, narratur, his verbis: *increbrescere fecit eurum in coelo, & egit robore suo austrum: & depluit super eos carnem instar pulveris, & volucres sicut arenam maritimam: et*, vel *quas, decidere fecit in medio castrorum ejus circa tentoria ejus*; scilicet *populi*, de quo nunc in sing., nunc in plur., loquitur; ut recte Gejerus. In quibus nihil habeo, quod observem, cum de re, cujus hic mentio fit, alibi ad Num. XI. agatur, & verba nostra satis illustraverit Bochartus *a*, praeter emphasin verborum נסע & נהג. *Prius* a propria *vellendi* seu *trahendi* potestate, inter alia, ut hic, transiit ad ventum, qui cum magno impetu fertur, & omnia adportat, adeo ut ea recte vertatur, majore impetu identidem fecit increbrescere ventum in coelis: non itaque denotat, *transtulit, abstulit, ventum de coelo*, ut nonnulli reddunt, sed impetuosum & cuncta vellentem suscitavit ventum in coelis, ut multis probat Bochartus. *Posterioris*, נהג, proprietas esse videtur in *terere*, terendo explicare, ut ex ling. Arab. colligitur, hinc *insistere* in viam, aut ductum, quod est *terere*, τρίβειν ὁδον, unde notio est *ducendi* per viam tritam, atque *agendi*, more pastoritio, ac eleg. dicit ductorem ac antecessorem gregis agere, eique viam, eamque regiam ac patentem, praire, 1 Sam. XXX. 20. quo etiam respicitur Eccles. II: 3., hic vero ad Deum adplicatur, ventum agentem ac flectentem pro lubitu. Reliqua sunt facilia, aut ab aliis illustrata.

§. XXX. *δ. Quartus* articulus continet miraculosae hujus cibationis effectum, populo ingrato pernicioſum, vers. 29—31. ubi *a.* occurrit populi ingratitudo, in eo sita, quod tantum afuerit, ut desiderio & adpetitui ejus fuerit hac ra-

a Hieroz. p. II. l. I. c. 15.

ratione satisfactum, licet vehementer fuerint per totum mensem saturati carne, ut auctum sit desiderium, & Deus inde nihil aliud populo adtulerit, quam adpetitus augmentum. Hic enim sensus est verborum, Interpretibus minus perspectus, vers. 29. *Et comederunt & saturati sunt valde, & desiderium provenire ipsis fecit.* h. e. ad summam satietatem usque comederunt per totum mensem, nec tamen adpetitus cessavit, quin auctus est, adeo ut Deus non expleverit, & cessare hac largitate sua adpetitum, sed intrare instar proventus in eos fecerit; ipsisque ex saturitate provenerit desiderium, seu saturitatis proventus, q. messis in horrea & domum intrans, fuerit adpetitus, qui cum saturitate crevit, secundum dictum: *quo magis potantur, eo magis sitiuntur aquæ;* &, quod Deut. XXIX. 18. *irriguum & sitientem conjungere.* Pollet itaque verbum נוע ea notione, quæ conspicitur in derivato תנועה *proventus*, messis *domum & horrea intrans.* Eundem fere, quem hic, usum habet Prov. X. 24. *formido improbi*, ipsa תבוא *proveniet illi*, proventu largo intrabit, & vers. 16. תבואת *proventus improbi* ipsa *sane lapsatio*, rursus XXVIII. 22. *Exsternatus festinat ad opulentiam vir malus oculo, & non sentit, quod rasa egestas* תבוא *ipsi proveniat;* quatenus manet æque ac ante egenus, & adpetens. Ad quæ loca vid. Cl. Schultens. Quo *adfluentius haurit* avaritia, *eo ardentius sitit;* ita quo magis fuerint saturati Israelitæ *carne*, eo concitatior fuit adpetitus. Interpretes solent vertere, *& desiderium adtulit* ipsis h. e. rem desideratam concesserat; quod minus facile est & emphaticum; ut satis patet. Confirmat nostram explicationem, quod sequitur, *non recesserunt fastidientes a desiderio* &c.

§. XXXI. *b.* Subjungitur mox poena, cum durante & crescente adpetitu immediate connexa, vers. 30, 31. *Non receserunt fastidientes a desiderio suo, adhuc cibus eorum in ore eorum erat, & nasus Dei exæstuavit in eos, et occidit pinguia ipsorum, et eximios Israelis procumbere fecit.* h. e. cum adpetitus in ipso largissimo usu carnis fieret ardentior, tantum

tum abeſt, ut faſtidiiſſent, & adpetitum miſiſſent, Deus eos e veſtigio, nondum abſumta carne, eos tanquam bene ſaginatos & robuſtos mactavit. Repetitur adpetitus duratio & incrementum, tanquam cauſa poenæ, & poena cum ea immediate connectitur. *Non receſſerunt faſtidientes ab adpetitu*, (reſpicitur ad Num. xi: 20. ubi Deus tam copioſe & diuturne dicit ſe carnem ipſis daturum, ut faſtidiant eam; adeoque ad tantam ſatietatem, ut amplius non deſiderent, quin faſtidiant; ſed res aliter accidit, loco faſtidii crevit adpetitus, nihil minus itaque quam faſtidierunt, non renunciarunt adpetitui. Utroque in loco occurrit verbum זור, cujus derivatum eſt זר; proprietatem habet in *torquendo*, dicitque, *flexit*, *flectendo torſit*; inde inter alia ortus eſt *diverſi*, cum flexu detorti, uſus, & ſic *alieni* & *alienati*, vel ore, vel more, vel adfectu, uſitatius *averſi*, ſed & *diverſi* Lat., unde *faſtidium* abhorrens,) *adhuc cibus eorum in ore ipſorum*, (ne quidem pleni cibo averſati fuerunt, & cum eo fruerentur, ira Dei in eos æſtuavit: cohærent enim verba cum præcedentibus & ſequentibus, eo, quo dixi, modo. Ad ſeq. quoque pertinere conſtat ex Num. xi: 33. *caro adhuc inter dentes eorum erat, antequam ſcinderetur, et ira Jehovæ arſit in populum* &c. quorum ſenſus eſt, carnem nondum fuiſſe vel dentibus fractam, vel ab ore ipſorum ablatam, adeoque intra *menſis* finem, quo Deus ipſis dixerat, ſe *carnem daturum*, verſ. 21. Proverbiale dictum eſſe poteſt, *carnem inter dentes habere*, pro eam habere in promtu, & *ſcindi* eſt etiam auferri, aboleri, ut Joel. i: 5, 6.) *& ira Dei exæſtuavit et irruit in eos* (eo ipſo momento & tempore id factum eſt; de phraſi jam vidimus, verſ. 21.) *et occidit pinguia ipſorum, et eximios eorum procumbere fecit*, (ſic enim reddi debent, & non, ut alii, in *pinguedinibus*, vel inter *pinguedines*, in pinguibus epulis eorum; tum enim dixiſſet, *occidit eos in pinguibus*. Reſpicitur ad animalia ſaginata & pinguia, quæ mactantur: quo pertinet etiam verbum הבר *procumbere fecit*, ſc. in extremas partes corporis cum

niſu

nisu ad mortem; uti subinde sumitur. Vid. Jud. v: 27. Jes. x: 4. & alibi).

§. XXXII. c. *Quintus* articulus novam continet murmurationem gravissimam, mox secutam, quæ omnium necem in deserto produxit ab anno ætatis 20*mo* & supra, vers. 32, 33. *Omni hoc existente adhuc peccarunt, nec miraculis ejus crediderunt: et*, vel *quare*, *absumsit*, *instar vaporis*, *dies ipsorum*, *& annos ipsorum in terrore præcipitante*. h. e. omnibus istis magnis, & beneficiis & poenis, non obstantibus, iterum gravissime peccarunt, mirabilibus Dei operibus non fisi; adeo ut tandem decretoria sententia omnes ad mortem in deserto damnati sint, sicut etiam dies eorum instar vaporis absumti sunt, & anni eorum inter multas diras & consternationes. Respicitur ad terribilem rebellionem & murmurationem, occasione explorationis Cananææ ortam, & sententiam condemnatoriam, ad mortem omnium in deserto tunc publicatam, cujus vi etiam mortui sunt, adeo ut, instar vaporis, & cum multo terrore, tempora eorum fuerint finita. Num. XIV. Ps. XCV & alibi. Quod passim jam recte observatum est. Nihil hic nobis relictum est, nisi hoc unum, בהבל *in vapore turgido* esse pro *instar*, vaporis, ut recte *Aquila*. Præp. ב subinde inservit comparationi, & idem est ac כ *sicut*, licet *magis* emphaticum: de quo alibi dixi, ut & ad Ps. LXIII: 2. LXXVII: 10. Quod longe rectius est, ac quod vulgo datur. Conf. quoque Ps. XC: 7. ad rem ipsam.

§. XXXIII. ζ. *Sextus* articulus repræsentat in genere hypocriticam & fluctuantem populi in deserto erga Deum adfectionem, quam in specie demonstravit nova generatio, quæ in terram Cananæam est introducta, parentibus quidem in eo melior, quod minus aperte & contumaciter in Deum surrexerit, nec tamen sincera, ac constans, in Deo quærendo & colendo: vers. 34—37. *cum eos occideret, tum investigaverunt eum, & redierunt et multo mane quæsiverunt eum: et recordati sunt, Deum esse rupem suam, et Deum altissimum*

redemtorem ſuum: at illexerunt eum ore ſuo, et lingua ſua mentiti ſunt ei, nec cor ipſorum fuit firmiter aptum cum eo, neque fideles fuerunt in foedere ejus. Quæ cum facilia ſint, & ab Interpretibus ſatis expedita, illud tantum obſervo, non quidem Israelitas, in terra Cananæa jam verſantes, quod voluit Coccejus, ſed adhuc in deſerto oberrantes, attamen non eos, qui Aegyptum deſeruerant jam majorennes, ſed eorum filios, alteram generationem conſtituentes, hic depingi. Patet utique ex verſ. 40., ad Israelitas in deſerto hæc pertinere; ſed ordo narrationis, & diverſitas indolis populi, requirit, ut de altera ætate, ſeu populo, qui Cananæam intravit, intelligamus. Quo etiam facit, quod verſ. 8. duplex ætas patrum memoretur, *altera* contumax & rebellis, *altera* hypocritica & inconſtans: cujus poſterioris qualitates hic delineantur. Perverſi quidem erant, ſicut patres, ſed per mala & verbera ad meliorem mentem ſe redigi paſſi ſunt, non tamen ita, ut ſincere & conſtanter Deum coluerint, verum *ore* & *lingua* gratiam & favorem Dei fucate ambientes, corde a Deo alieno & inconſtante.

§. XXXIV. γ. *Septimus* denique articulus ſummam Dei longanimitatem, & gratiam ac miſericordiam, erga eos hypocritas exhibet, qua eos toleravit, & benigniter tractavit, ac peccata eorum texit, eo quod homines eſſent imbecilles, verſ. 38, 39. *At ipſe miſericors tegebat illinendo iniquitatem, nec perdebat, imo multiplicabat reducere naſum, nec excitabat omnem excandeſcentiam ſuam, et recordabatur, eos eſſe carnem, ventum pereuntem, qui non redit.* Verba, ut facile cernitur, continent mitem & miſericordem agendi modum, quem Deus cum hypocritico hoc populo tenuit, ejusque rationem moventem. *Tria* memorantur miſericordiæ Dei ſigna, 1. *Primum* eſt, quod *peccata texerit, non perdendo.* Hæc enim verba cohærent, & poſterius exponit, qua in re ſita fuerit peccatorum *expiatio*, in non *puniendo* ad perditionem usque. 2. *Secundum* eſt, quod Deus iram ebul-

ebullientem mox repreſſerit, nec ſemel, ſed ſæpius: quod eſt *multiplicare reducere naſum* æſtuantem. Verbum שוב adhibetur in æſtu maximo, ſtatis vicibus redeunte, & creſcenti non tantum, ſed & decreſcenti adplicatur; ut hic & alibi. Vid. ad Jer. IV: . 3. *Tertium* eſt, quod cum iratum ſeſe demonſtraverit, mitigaverit tamen; nec nimis ſevere puniverit; quod eſt, *non omnem excandeſcentiam excitare.* Ratio vero movens petita eſt ab infirmitate & vanitate hominis; qua *caro* eſt, & vento abeunti, nec redeunti, ſimilis; qui facile labitur, ſimul ſponte ſua cito perit & evanescit; quocum leniter agere ſolet Ens omnipotens, creator & arbiter univerſi, convenienter non ſanctæ ſuæ naturæ ſimpliciter, ſed ſtatui & indoli hominis. Conf. Gen. VI: 3. & ibi dicta: nec non Job. VII: 7. Pſ. CIII: 14.

§. XXXV. 2. In Ephraimitarum exempli futiore deductione, quæ *altera* eſt ſpecialis enarrationis pars, *a.* ſummatim proponitur Patrum, toties rebellium in deſerto, imitatio ab ipſis facta, verſ. 40, 41. *Quoties obſtrigillarint ei in deſerto, conſtrinxerint ipſum in ſolitudine, et tamen redierunt et tentarunt* (iterum tentarunt) *Deum, et ſancto Israelis limitem poſuerunt.* h. e. Quot etiam vicibus Patres in deſerto contra Deum rebellarint & acerbo eum adfecerint dolore, nihilominus, hoc exemplo non meliores facti, eorum poſteri in Cananæa perrexerunt Deum tentare, & ſanctum Israelis termino circumſcribere, ſive potentiæ & favori ejus limites ponendo, ſive modum præſcribendo, quo & quando ejus ſigna dare debeat. Verba verſ. 40. vel interrogative capi poſſunt, vel adfirmative. *Priore* ratione erit ſuperiorum concluſio, & augebit, non, ut alias, imminuet, defectionem, ut ſit: *quoties obſtrigillarunt* &c. non una, ſed pluribus vicibus. *Poſteriore* vero habent verba conſpectum præmiſſi, ad poſterorum murmurationem & tentationem adgravandam; ut ſit: *quoties* etiam hoc fecerint patres, toties licet, non abſterriti ſunt poſteri, ſed perrexerunt in eodem crimine. Ceterum oratorem,

verſ.

verſ. 41. non manere in patrum exemplo, ſed ad poſteros eorum transire, in Cananæa jam degentes, quod nonnulli recte viderunt, manifeſtum eſt 1. ex voce *deſerti*, verſ. 40. expreſſe addita; ut eos, qui iterum tentarunt Deum, a patribus in deſerto diſtingueremus. 2. Quia in mirabilium Dei recenſione, quæ ſequitur, locum quoque tenet introductio in Cananæam, quorum non fuerant recordati illi, de quibus hic loquitur. 3. Quia eos a patribus in deſerto diſerte diſtinguit, verſ. 57. In verbis parum eſt difficile, niſi in verbo ultimo, verſ. 41. *Sanctum Israelis* חמי. LXX reddiderunt παροξύναν, ſimiliter fere Syr.; videntur legiſſe, vel legendum cenſuiſſe, חמת a חמה, quod non foret ſpernendum: conf. verſ 56. Sed lectio Maſor. recte ſervatur, & ſenſum fundit ſatis commodum; quo declaratur, eos Deum tentaſſe ponendo *ipſi limites*, ſive quod potentiam ejus limitarint, ſive quod modum præfixerint, quo eam exſerere debeat, ſi potentia gaudeat, quemadmodum ſupra vidimus in deſerto factum, verſ. 19. Cui ſicut verbum *tentare*, quod præcedit, recte convenit, ita ſequentia, ubi, ad vanitatem tentationis demonſtrandam, recenſentur miraculoſa Dei judicia in Aegypto & deinceps, confirmant. Poſſet quoque cenſeri, digitum ſimul intendi ad idola, ſeu figuras & imagines, quibus expreſſerunt Deum; cujus rei mentio fit verſ. 58. Radix enim quoque *ſignare*, figuras facere, denotat, uti 1 Sam. XVI: 14.

§. XXXVI. β. Quæ tentatio antequam deducatur, interſeritur longa recenſio cum mirabilium judiciorum Dei in hoſtes, & Aegyptios, tum beneficiorum in Israelem ante collatorum; quorum oblivionem turpem & ingratam Ephraimitis imputat, qui Deum auſi fuerint tentare, ejusque potentiam & favorem erga populum in dubium vocare, ac ipſi modum præſcribere, quo populum liberare debeat. Tendit itaque hæc pericopa, quaſi parenthetica, ad exaggerandum crimen tentationis Dei, cum ſumma ingratitudine, qua operum Dei obliti erant, conjunctum. Partes pericopæ

copæ, verſ. 42—55., ſunt ſequentes, *a. Prima* eſt generalior, quæ omnes ſuperiores liberationes ab hoſtibus, Israelem opprimentibus, complectitur, verſ. 42. *Non recordati ſunt manus ejus, die quo redemit eos ex mibi anguſtia*, h. e. ad animum non revocarunt tentatores illi, ſed oblivione deleverunt, omnipotentem Dei manum, quam exſeruit in eorum gratiam, quo tempore eos prementibus & arctantibus anguſtiis eripuit. Nihil in verbis eſt obſcuri: ſed, quod ad rem ipſam adtinet, cum non dicat, quo die *patres* eorum, ſed *ipſos* eripuit, præterea generaliter loquatur de *die* anguſtiæ, exiſtimaverim, hic in genere intendi ſuperiores liberationes, quas in terram Cananæam jam introducti fuerant conſecuti usque ad illud tempus, quo Deum tentarunt tempore Eli. Agitur enim hic de Ephraimitis, ſeu Israelitis ſub principatu Ephraimitarum; quo tempore Deus eos a ſe repudiatos eſſe demonſtravit: quod tempore Eli factum eſt; ut poſtea videbimus. Experti autem ſunt temporibus Judicum usque ad Eli multiplices anguſtias, a quibus mirabili Dei manu identidem liberati ſunt.

§. XXXVII. *b. Secunda* pars ſpecialior eſt, qua altius adſcenditur ad majores in Aegypto & deſerto usque dum ſtabiles ſedes in Cananæa acceperint, verſ. 43—55. In qua 1. occurrunt judicia Dei in Aegyptios, quibus Israelis cauſa ſunt adflicti, verſ. 43—51. Cujus pericopæ verba recenſebo, & mox illuſtrabo. Præmittitur generalis deſcriptio miraculorum in Aegypto, verſ. 43. *Quo poſuit in Aegypto ſigna ſua, & in agro Tſoan portenta ſua.* h. e. non recordati ſunt manus Dei die, quo poſuit &c. hac enim ratione ſupplenda eſt ex præced. oratio, ut conſtat. *Ponere* ſigna eſt palam coram omnium oculis proponere, & inſuperabili manu imponere, cui reſiſti non potuit. Sequitur mox ſpecialis eorum ſignorum commemoratio. Quorum *primum* eſt converſio aquarum in ſanguinem, quas bibere non potuerunt, verſ. 44. *Et convertit in ſanguinem fluvios eorum, & fluenta ipſorum non bibebant.* h. e. bibere non po-

terant, ſcilicet aquas fluviorum & fluentorum; ſic rectius, quam, *ne biberent*; non enim ſcopus, ſed conſequens erat miraculoſæ aquarum converſionis in ſanguinem, & בל eſt *non*: admitti poteſt ellipſis אשר ante בל, *quæ bibere non poterant*. Reſpicitur in voce יאר ad *Nilum*, & plur. adhibetur excellentiæ cauſa, vel propter varios Nili rivos. Altera vox נוזלים *fluenta* eſt generalior, & quasvis *aquas* denotat. Conf. Ex. VII. primum fuit miraculum, quod judicii ſpeciem habuit.

§. XXXVIII. *Secundum* & *tertium* conjunguntur, *ranarum* & *muſcarum caninarum*, omiſſo *pediculorum*, verſ. 45. *immiſit in eos muſcas caninas*, & *comederunt eos*, & *ranas* & *perdiderunt eos*. Duæ hæ plagæ ſe non immediate, ſed mediante pediculorum, ſecutæ ſunt, præceſſit *ranarum*, tum *muſcarum caninarum*; ut ex hiſt. Exod. VIII. patet. Inverſo itaque ordine recenſet orator has plagas, & intermediam neglexit. In quo nihil eſt vitii. Voce ערב *muscas caninas*, cynomyam, intelligi demonſtravit Bochartus *a*. *Quarta* plaga ſequitur *locuſtarum*, quæ tamen in hiſtoria eſt ordine *octava*, quæ quare hic locum inveniat, non adparet, ſed orator, qualem perſonam hic gerit loquens, non eſt ordini hiſtoriæ alligatus. Verba ita ſonant, verſ. 46. *Et dedit brucho proventum ipſorum*, & *laborem ipſorum locuſtæ*. Conf. Exod. X. & de nominibus locuſtarum Bochartus *b*, חסיל eſt a rad. חסל proprie *limare*, limando minutatim deterere, & eradere, ut ex Arab. lingua patet; unde ad locuſtas transfertur, ſuis dentibus, tanquam *limis*, omnia eradentibus. *Quinta* plaga, in hiſtoria ordine *ſeptima*, Exod. IX. eſt grandinis igniti, quo animalia, arbores & fruges, perdidit Deus, verſ. 47, 48. *Concidit grandine vitem eorum*, & *ſycomoros eorum telis triſulcis*, & *tradidit*, q. cippo incluſum, *jumentum eorum grandini*, & *pecudes eorum vibrationibus coruscis*. Cum eadem plaga utroque verſu deſcribatur, quæ *arbores* & *pecudes* feriit, & utrobique *grandinis*

a Hieroz. p. II. l. IV. c. 15. *b* Ib. p. II. l. IV.

dinis fiat mentio, reliquæ voces duæ, חנמל & רשפים, ſibi quoque reſpondeant, & eandem rem deſignent, neceſſe eſt; unde ſequitur, de *locuſtis* voce חנמל, quod Rabbini nonnulli opinati ſunt, non agi, nec etiam *grandinem* ſimpliciter indicari, aut *pruinam*, ut vulgo putatur, ſed *fulmen*; quod cum *grandine* fuit conjunctum. Docet enim hiſtoria, terribili tempestate, ex tonitru, fulmine, imbre, & grandine conſtante, hanc vaſtationem fuiſſe effectam. Vox רשף, ut inde incipiam, proprietatem habet in tremulo & coruſco vibramine, ſeu *ardore vibrante*, adeoque ad vibrationes coruſcas fulgurum recte refertur *a*. *Altera* vox, ei reſpondens, חנמל difficilioris eſt explicationis. Alterutrum videtur ſtatuendum, vel compoſitam eſſe vocem ex duabus ſynonymis, חנח *ſuccidit*, *perdidit*, apud Arab., & נמל vel מול *exſcidit*, *abſcidit*; quæ eſt Simonis *b* opinio, vel, quod Avenarius jam vidit, conflatam ex חנית *haſta*, *telo*, & נמל, aut מל, *incidit*, ut ſit telum inciſum, & incidens; quod in fulmen recte quadrat, quare *triſida flamma* adpellatur, nec non *triſulca fulmina*, *tela*. Sic & haſta, ad feriendum vibrata, fulmini adplicatur, Hab. III: 11. Denique notetur primaria verbi חנן notio *minutatim concidendi*, quam hic exſerit, ubi *viti*, per grandinem *conciſae*, adplicatur, unde *laniandi*, ac truncandi, uſus fluxit. *Vites* vero grandine *verberari*, ac *contudi*, dixit quoque Horatius, a Bochio *c* jam adductus.

§. XXXIX. *Sexta* plaga comprehendit ultimam, ſeu *decimam*, in hiſtoria, Ex. XII. qua omnes primogeniti ab angelo percuſſore perierunt, verſ. 49—51. *Immiſit in eos æſtum naſi ſui*, *effervescentiam*, & *ſpumationem*, & *zelotypiam*, *turmam armatam angelorum malorum*; *libravit viam regiam irae ſuae*, *non coercuit a morte animam ipſorum*, &, vel ſed, *vitam ipſorum peſti tradidit*, & *percuſſit omne primogenitum in Aegypto*, *primitias virium in tentoriis Cham*. Quæ ver-

a Schultens ad Job. v. 7. *b* Form. nom. p. 650.
c Ad h. l.

ba ad unam eandemque plagam pertinent, ultimam ſcilicet, quæ partim peſte, partim alio modo omne primogenitum, hominum & animantium, una nocte abſtulit. Cohærent enim manifeſte, & ita concinnata ſunt, ut a generaliore identidem ad ſpecialius transeant, donec tandem aperte exponatur plaga. Sunt, qui verſ. 49. ad præcedentia omnia mala referunt, & verſ. 50. *quintam* quoque plagam, quæ animantia quævis peſte abſumſit, comprehendunt, ſed ſine ratione, ut mox patebit. Præmittitur *generalior* deſcriptio, verſ. 49. qua plagæ atrocitas exaggeratur ſimpliciter, absque ut ea definiatur. *Immiſit in eos aeſtum naſi ſui, effervescentiam & ſpumationem, & zelotypiam, turmam armatam angelorum malorum.* Si ad præcedentes plagas reſpexiſſet, alio modo ſe expreſſiſſet, ex quo id colligi poterat, non verbo fut. temp. שלח, ut ubique in hac pericopa, qua diverſas plagas recenſet, ſimpliciter uſus fuiſſet; præterea, cum *turmam armatam angelorum* expreſſe memoret, manu nos ducit ad ultimam plagam, per משחית *turmam deſtructricem* inflictam Ex. XII. ut mox dicam. Coacervat varias iræ voces, ad ſummum ejus gradum exprimendum, inter quas *una* tantum eſt, quæ moram injicit, cum reliquæ ſæpe alias ſint expoſitæ; ea, quam innuo, eſt צרה, quæ hic non *anguſtiam*, ut putatur, denotat, cujus in deſcriptione *irae* locus non eſt commodus, ſed *zelotypiam*, alias קנאה dictam, & Deo ſæpius adtributam, quæ eadem etiam צרה adpellatur, ut Jeſ. XI: 13. & 1 Sam. 1: 6. a rad. צרר, quæ eo ſenſu occurrit Lev. XVIII: 18. *a*. Effectum hujus iræ Dei ultimæ voces continent, *turmam armatam angelorum malorum.* Vox משלחת denotat, hic & Eccleſ. VIII: 8., aciem formidabiliter horrentem telis armisque; uti obſervavi ad Mal. II. ſeu turmam armatam deſtructricem, quæ alias המשחית *turma hoſtilis* λοιμώσσα, ut recte Coccejus, adpellatur 1 Sam. XIII: 17. & Ex. XII: 13, 23. in hac

a Schultens ad 1 Sam. 1: 6 & Har. conſ. v. p. 77.
b p. 156.

hac ipſa plaga deſcribenda; nec dubitaverim, quin voce noſtra משלחת altera illa משחית involuta ſit, ita ut manu ducamur ad turmam illam deſtructricem, Ex. XII. memoratam; ex quibus vero militibus illa fuerit compoſita, non traditur, Ex. XII. ſed hic expreſſe docetur per voces מלאכי רעים *angelorum malorum*, quæ cum משלחת conſtruuntur. Denotat phraſis, vel *angelos malos*, ut conſtr. ſit pro abſoluto, vid. Gejerus, vel angelorum, qui *malorum* inſtrumenta ſunt, & ea adferunt; ut ſint *nuncii malorum*, ſicut *nuncius*, ſeu *angelus*, *mortis* Prov. XVI: 14. רעים erit itaque pro רעים ופרים; alias רעה. Ita & Prov. XII: 12. *Flagrat improbus venenationem* רעים *malorum*, ſc. quam mali ſectantur, & *quæ mala parit*; uti Cl. Schultens exponit. Quod utrumque & hic conjungi poteſt.

§. XL. Tranſit poeta a generaliore ad paulo ſpecialius, explicationis ergo addens, verſ. 50. *libravit viam regiam iræ ſuæ, non coercuit a morte animam ipſorum, & vitam ipſorum peſti tradidit.* h. e. iræ ſuæ fræna laxavit, & libere, tanquam per viam ſpatioſam & ſtratam, ſimul ad libellam exactam, ſpatiari ſivit, ita ut nemini pepercerit, ſed vitam omnium publica proſtitutione tradiderit in poteſtatem *peſtis*. Phraſis, *librare viam iræ*, eſt ei liberum & ſpatioſum permittere curſum, ſecundum exactam ſimul juſtitiam. Vox נתיב non eſt via compendiaria & arcta, trames, ut putatur, ſed eminens & ſtrata, ſeu regia: radix enim Arab. habet *eminendi* poteſtatem. Cum autem regiæ viæ ſoleant æquari, & muniri, hinc anſa nata ſublimis figuræ, *librare viam iræ:* ſolet enim libella examinatrix æqualitatis adhiberi ad ſtraturas lapidum, quibus viæ muniuntur, & æquantur. Sed ſimul indicatur, Deum via regia proceſſiſſe ad hoſtium vindictam, in qua eſt *juſtitiæ* libratio. In ſignum hujus ſpatioſæ, & planæ viæ, ubi nulla eſt remora, additur, *Deum non coercuiſſe animam ipſorum a morte*; h. e. iræ ſuæ graſſanti nullam objeciſſe remoram, ſed ſiviſſe ſine diſcrimine in omnium animas, ſeu vitam, graſſari; quare ulterius

ſubjungitur, *& vitam ipſorum tradidit peſti.* Alii reddunt *pecudes* ipſorum, ſed vox abſolute poſita non ſignificat *pecudes*, potius *feras*, præterea, cum modo *animam eorum* dixiſſet; rectius utique *vitam* ipſorum, explicationis & variationis ergo, ſubjungit: quod enim modo negative expreſſerat, *non coercuit*, illud nunc poſitive pronunciat. Nec obſtat, quod *peſtis* memoretur; cum ſubitanea & violenta mors in genere hac voce exprimi potuerit, nec ratio ſit *peſtem* excludendi. Denique non erat negligenda emphaſis & elegantia verbi סגר *tradidit*, proprie *collari vinctum*. Radicem continere poteſtatem *obſtruendi*, & ſepiendi, vel claudendi, quid, obice, vel aggere, circumjecto, vidit jam Coccejus, ſed latet quid occultius. Vox סגר Ez. XIX: 19. dicit apud Arab. *collare*, ſeu vinculum collo feræ ſævientis injectum ex ferro vel ligno, ad impetum ejus frangendum, unde, notione amplificata, denotat *tali vinculo ligatum* aliquem tradere in poteſtatem alterius: adhibent vero Orientales etiam in publicis *proſtitutionibus*, quibus aliquis tanquam captivus, vel mortis reus, traducitur. Job. XI: 10. Quam emphaſin hic recte admitti, facile patet. Tandem deſinit oratio in ſpecialiſſima & nuda narratione ipſius plagæ, verſ. 51. *Et percuſſit omne primogenitum* (hominum & animantium Ex: XI: 5. XII: 20. nullo excepto) *in Aegypto, primitias virium in tentoriis Cham.* Quæ nihil morſ injiciunt. De epitheto *primitiarum roboris*, primogenitis dato, dixi ad Gen. XLIX: 3. *Tentoria Cham* memorantur, quod Chamo, ejusque poſteris, ceſſerit Aegyptus; Gen. X: 13. Conf. Pſ. CV: 23. 27. CVI: 22.

§. XLI. 2. Sequuntur beneficia in populum, ex Aegypto eductum, collata, usque ad ſtabiles ſedes in Cananæa conceſſas, verſ. 52——55. quorum *α.* primum eſt deductio in deſertum, verſ. 52. *Et revulſit ſicut oves populum ſuum, & duxit eos* (præeundo & viam monſtrando) *inſtar gregis in deſertum:* ſic enim rectius vertitur, quam *in deſerto;* cum hic agatur de populi deductione ex Aegypto in deſertum, & mox

mox de ejus deductione ulteriore in eo. Notetur tantum emphasis verborum יסע & נהג, quibus utitur poeta. *Prius* proprie est *vulsit*, ut cum palus in terram defixus revellitur, unde *proficiscendi* vis secundaria, & *castra movendi*, tentoriorum palis revulsis, sed involvit citam, & cum labore effectam, populi motionem, qua Aegypto egressus est. *Posterius* נהג comprehendit potestatem *ducendi per viam tritam*, atque *agendi* more pastoritio, pastore præeunte, & viam præmonstrante. De quo dixi ad vers. 26. β. *Secundum* est populi, in deserto versantis, deductio secura sub Dei tutela, omni hostium metu deposito, vers. 53. *Et deduxit eos secure, nec metuerunt, etenim hostes eorum tegit mare.* h. e. duxit eos in deserto tanquam pastor, per columnam nubis & ignis, conf. vers. 14., secure, nec amplius metuerunt hostes, quippe e medio sublatos, & aquis obrutos. Hac enim ratione verba cohærent, & hunc fundunt sensum. Non opus itaque est, phrasin, *& non timuerunt*, emollire, & pro ratione timendi sumere, uti fieri solet, cum hic ad Aegyptios respiciatur, quos mari tectos non timuerunt amplius, ut antea Ex. xiv. 10. Ultimæ enim voces, *& hostes eorum texit mare*, adduntur ad rationem reddendam, quare non timuerint; adeoque ו & est pro *etenim*, *nam*, ut sæpe alias.

§. XLII. γ. *Tertium* est adductio populi ad usque Cananæam, his verbis, vers. 54. *Et adduxit eos ad terminum sanctitatis suæ.* h. e. non tantum secure sine metu eos duxit in principio, Aegyptiis prostratis, sed & per totum desertum deduxit usque ad limites Cananææ, terræ promissæ, & *sanctitatis* Dei signis conspicuæ, quippe quam ipse incolere, & sua præsentia celebrare voluit. *Terminus sanctitatis Dei* vel extremos Cananææ limites dicit, vel terram illam suis limitibus circumscriptam, de quo vid. Gejerus & alii. δ. *Quartum* est introductio in eam terram, manu Dei exserta acquisitam, & ejus inter tribus Israelis divisio, vers. 54 & 55. his verbis, *montem hunc acquisivit dextra ejus, ipseque*

ſeque expulit a coram ipſis gentes, easque cadere fecit in funem hæreditatis, & recumbere in tentoriis eorum fecit tribus Israelis. h. e. Terram Cananæam, a montibus, eam totam mediam pervadentibus, *montanam* dictam, quam dextra ejus potentiſſima acquiſivit in peculium perpetuum, expulſis gentibus, quæ eam tenebant occupatam, funiculis dimenſam ſorte diſtribuit Israelitarum tribubus in hæreditariam poſſeſſionem. Duo hic memorantur beneficia connexa, *occupatio* terræ potentia Dei effecta, expulſis gentibus, & *diſtributio* ejus inter tribus Israelis in hæreditariam poſſeſſionem, dimenſione & ſorte peracta. *Prius* his verbis continetur; *montem hunc iſtum acquiſivit dextra ejus, et expulit a facie eorum gentes.* Hæc enim verba ſecum ſunt conjungenda, & ſe mutuo illuſtrant. *Expulſio* enim *gentium* declarat modum, quo *dextra* Dei *acquiſiverit montem* iſtum hunc. *Prius* membrum itaque generale eſt, quo declaratur, Dei dextram terram ſibi in peculium adſeruiſſe, & *poſterius* exponit modum, quo acquiſiverit, in eo ſitum, quod incolas ejus exſerta manu expulerit. Unde manifeſtum eſt, *montem* hunc eſſe terram Cananæam, & voces ſine ulla ellipſi vertendas eſſe, ut feci, *montem hunc iſtum acquiſivit dextra ejus.* Sunt, qui per *montem* intelligunt *Tſionem;* plane contra ſeriem orationis, & ſine fundamento; cum nullum criterium montis Tſionis hic occurrat; ſed ei non convenit, quod *Dei dextra* ipſum acquiſiverit, cum David juſto bello occupaverit, minus, quod hoc loco memoretur, quia de prima Cananææ occupatione, & diviſione inter tribus Israelis hic agitur. *Mons* itaque hic iſte, quaſi digito ad eum extenſo monſtratus, eſt terra Cananæa, maximam partem *montana*, uti conſtat, quare Deut. XI: 11. terra *montium et vallium* appellatur, & Israel *ſuper colles* harum gentium dicitur inceſſurus, XXXIII: 29. imo *mons hic iſte bonus* eadem phraſi vocatur, ib. III: 25. Epitheton quoque, quo *dextra Dei acquiſiviſſe* traditur, unice quadrat in terram promiſſam, quam Deus exſerta manu, ſeu potentia ſua ſingulari, ſibi *acquiſivit*

vit in peculium, Pſ. XLIV: 4. & alibi ſæpe. *Dextra* Dei pingit ejus potentiam, uti notum, & קנה *acquirere* ejusmodi acquiſitionem vi verbi exprimit, qua quid poſſidetur ut peculium privum, carum, votis reſpondens, omni cura cuſtodiendum, nec alienandum, ſi rei conditio permittat *a*. Conf. de re ipſa Pſ. XLIV. 4. & alibi dicta. Ad phraſios, *dextra ejus acquiſivit*, explicationem additur, *expulit a facie eorum gentes;* quibus verbis modus declaratur, quo *dextra* Dei id fecit, *gentes expellendo*, quæ eam terram tenebant. Conf. etiam 2 Sam. VII: 23. ubi pro לארץ rectius legitur לנחין, ut eſt 1 Chron. XVII: 21. Nihil hic obſcuri; nec aliquid in *diſtributione terrae* deſcribenda, quæ ſequitur, notandum habeo: in verbo ויפילם *cadere fecit eas*, ſcilicet gentes, h. e. terras earum, reſpici ad *ſortitionem*, & in חבל *fune torto* ad *dimenſionem*, quæ ſortitionem præceſſit, & utraque adhibita eſt tempore Joſuæ, ut conſtat, ab aliis jam obſervatum, nec ignotum eſt.

§. XLIII. γ. Parenthetica hac judiciorum Dei in hoſtes, præcipue Aegyptios, & beneficiorum in Israelem collatorum recenſione finita, reſumit poeta filum orationis, & ſummariam propoſitionem *tentationis* & *rebellionis* populi, verſ. 41. factam, uberius deducit, verſ. 56—58. *Et tentarunt et obſtrigillarunt Deo altiſſimo, nec ſtatuta ejus obſervarunt: et diſſepti ac prævaricati ſunt ſicut patres ipſorum, verſi ſunt inſtar arcus doloſi, et ad indignationem provocarunt eum excelſis ſuis, et ſculptilibus ſuis ad zelotypiam.* h. e. Licet Deus olim tot tantaque dederit potentiæ & juſtitiæ ſuæ indicia in peccatoribus contumacibus & hoſtibus populi ſui puniendis & proſternendis, tot tantaque ſuæ bonitatis & favoris in populo liberando, & in Cananæam introducendo, ſimul vicibus variis ex anguſtia eripiendo, ut temporibus Judicum; tantum ab eſt, ut iis ſignis recte fuerint uſi, ad Deo fidendum, eumque colendum, ut voluntaria oblivione ea omnia ex animo deleverint, & identidem a fide & timore Dei

a Schultens ad Job. I: 3.

defecerint, & ipſum contumacia & prævaricatione ſua ad indignationem & æmulationem provocaverint, Patrum prava exempla imitati. Hac ratione cohæret pericopa cum præcedentibus, & hunc fundit ſenſum, quæ nihil habet difficultatis. Verba quoque alias ſunt illuſtrata. Tantum not. 1. emphaſis verbi יסר *diſſepti* ſunt, verſ. 57. Radix יסר proprie eſt *ſepire*, & quidem *ſpinis* implicatis ad prohibendum acceſſum; unde originem habet locutio figurata, qua יסר *diſſeptus* dicitur, q. *ſpinis*, a Deo, quando contumacem ſeſe præbet & refractarium Dei contemtorem, qui ſeſe q. ſepimento *ſpinoſo* ſecludit a Dei reverentia, obedientia & communione, nec reverti vult ad Deum. 2. Phraſis, *averſi ſunt ſicut arcus doloſus*, indicat, eos non fuiſſe fideles & conſtantes, ſed ſeſe a Deo & lege avertiſſe, & hypocritice, ac fraudulenter, egiſſe, Deum ipſum occulte petentes. Conf. verſ. 9. Hoſ. VII: 16. Pſ. CXX: 3. & ibi dicta. *Arcus doloſus*, proprie *ejaculator*, eſt, qui non recta ſcopum ferit, ſed, ſe alio vertens, clam & doloſe, quem non debebat, ferit. Ceterum licet pericopa proprie & directe pertineat ad Israelitas, tempore Eli Pontificis, ut ex ſeq. patet, generaliter tamen inſtituta eſt, & Israelitas una comprehendit temporibus præcedentium Judicum, ut ſignificetur, eos in Cananæa ſtabilitos ſeſe tales ſemper iteratis vicibus præſtitiſſe, usque ad illud tempus, quo Deus nimium & diu irritatus populum ſeverius caſtigavit, & Ephraimum prærogativa ſua privavit: uti ſeq. pericopa exponit.

§. XLIV. *b.* Subjungitur enim mox vindictæ Dei, quam de populo rebelle tandem ſumſit, deſcriptio, verſ. 59—64. In qua pericopa, *a.* ſumma Dei exacerbatio depingitur, verſ. 59. *Audivit Deus & efferbuit, & valde exulceratus eſt in Israelem*, h. e. poſtquam ſeſe geſſiſſet diu, acſi ipſum hæc perverſitas lateret, tandem demonſtravit ſeſe adtentum judicem, & ſummam ſuam exacerbationem, animumque exulceratum ac vehementer abhorrentem ab Israele patefecit. Priora verba, *audivit efferbuit*, habuimus, verſ.

21.

1. de verbo נאץ sæpe alibi diximus. Proprie est *exulcerari*, ulceribus & tabe diffluere, atque *biare*; hinc ad animum transfertur exulceratum &c., a re vehementer abhorrentem. *b.* Signa & effecta exacerbationis Dei memorantur *duo*, *unum* in sede sua relinquenda & prostituenda, *alterum* in populo in manus hostium tradendo, & trucidando. *Prius* vers. 60, 61. his verbis traditur. *Et abjecit tentorium Siluntis; tentorium posuit*, ad recumbendum, *inter homines; et tradidit captivitati robur suum, et excellentiam suam in manum hostis*, h. e. exulcerati & ab Israele abhorrentis animi illustre, sed tremendum, dedit specimen, quod ditionem & regnum Siluntis omni sua cura exsolvit, & promiscui juris fecit ad excidium; insuper secessit habitatum, vel ut tanquam imbecillis, aut somno oppressus, requiesceret, inter gentes hostiles, quarum in potestatem & possessionem tradidit *arcam*, sedem & signum roboris & excellentiæ, seu gloriosæ majestatis suæ. Viderunt quidem Interpretes respici ad tristem casum tempore Eli, quo arca venit in manus Philistæorum, & phrases, vers. 61. *tradidit captivitati robur suum* &c: recte expostuerunt de *arca*, signo potentiæ Dei invictæ & gloriosæ majestatis suæ, a Philistæis capta, & abducta: quæ quoque facile se expedirí patiuntur; quare nihil addo: sed in versu 60mo exponendo minus fuerunt felices, cum reddere soleant, *deseruit tabernaculum in Silo*, & *tentorium* deseruit, quod *posuit inter homines* scilicet Israelitas, & explicant, de *arca* ex tabernaculo Dei Silunte ablata, & Philistæis tradita. Quæ interpretatio gravibus premitur difficultatibus. 1. Non dicitur, tabernaculum & tentorium *suum*, sed in genere *tabernaculum* deseruit, cum mox *robur suum* captivitati dedisse dicatur. 2. Nec habetur *tabernaculum* in Silo, sed *siluntis*; quod de *tabernaculo* Dei in Silunte intelligi nequit. 3. *Tabernaculum* suum in Silunte Deus dici nequit *abjecisse*, cum illud non tantum ibi transerit, sed & locus cultus & religionis Dei esse perseveraverit in posterum, licet alio in loco positum, ut in

Nob tempore Sauli, & deinceps *Gibeon*, ubi tempore Salomonis adhuc fuit. 4. Titulus *Adam* ad Israelem referri nequit, cum quod ratio non pateat sufficiens, quare hic eo insigniretur, tum quod *gentium*, a foedere Dei alienarum, solcat esse epitheton, vel vilium, vanorum & servorum *a*. 5. Denique non dicitur in posteriore membro, Deum *deseruisse* tabernaculum, *quod posuit inter homines*, sed simpliciter *tentorium posuisse inter eos:* ellipses, quibus Interpretes supplent textum, sine ratione hic statuuntur. Ex mea opinione in *priore* membro traditur, Deum territorium Siluntis plane & in perpetuum abjecisse; & in *posteriore*, quod jam vidit ex parte Muysius, eum habitatum secessisse inter gentes, ut ibi quietum se teneret, & q. sopitus recumberet, populi cura abjecta. Quod ad *prius* adtinet, vox משכן, quæ *domum*, tabernaculum, significare solet, latius pro *ditione*, *dominatione*, etiam *regno*, sumitur, uti demonstravit Cl. Schultens *b*, qui usus & hic locum habet; adeo ut *habitaculum* Siluntis comprehendat *& Siluntem*, tanquam sedem dominationis & religionis Israelitarum, & universam dominationem ibi stabilitam in tribu Ephraim; sensusque sit, Deum abjecisse, omni sua cura exsolvisse, & excidio promiscuo exposuisse *Siluntem*, simul dominationis & religionis sedem inde, & a tribu Ephraim, ubi erat Silo, abstulisse. Quod vers. 66. expressius dicitur, & exponitur, *abominatus est tentorium Josephi, nec tribum Ephraimi elegit.* Siluntis itaque desolatio, & tribus Ephraimi abdicatio, hic repræsentatur, & non simpliciter *arcæ* ablatio, cui emphasis verbi מאס quoque unice convenit. Proprie est *solvit*, & adhibetur de re, quæ nodis, quibus constricta est, exsolvitur, unde inter alia ortus est significatus *negligendi*, *abjiciendi*, omni cura exsolvendi, & rem sibi relinquendi, insuper promiscui juris faciendi ad cædem & lanienam: uti sæpe alibi observavimus. Eventus quoque respondit: Deus enim Siluntem plane prærogativa illa una cum tribu Ephraimi

a Vid. ad Mal. III: 8. *b* ad Hab. I: 6.

mi privavit, quin locum illum desolationi tradidit. Conf. Jer. VII: 12. & XXV:: 6. *Alterum* membrum, *tentorium posuit in Adamo*, seu inter *homines*, aut gentes, hunc fundit sensum, Deum, territorio Siluntis abjecto, secessisse peregrinatum, seu habitatum ad tempus, inter Philistæos, ut ibi tanquam inbecillis, aut alto somno sopitus, requiesceret, cura populi sui abjecta. Phrasis *tentorium ponere* in genere exprimit alicubi diversari, sicut peregrinantes solent, ut Jes. XIII: 20. hic autem designat, Deum a populo quasi discessisse, & inter Philistæos commoratum fuisse, sicut fere tempore μοσχολατρειας in deserto *tentorium* fixum est extra castra Israelis, Exod. XXXIII. cujus indicium fuit *arcæ* traditio in manus Philistæorum, uti mox additur, sed præterea insinuatur, Deum inter gentes *recubuisse*, & q. sopitum decubuisse; sicut vers. 65. indicatur, ubi *Deus evigilasse* dicitur, *tanquam heros, qui vinum edormiit*, de quo mox. Quod ipsum verbo שכב involutum est; cum dormienti & defatigato adtribuatur, & *decumbere* dicit. De quo dixi ad Ps. LXVIII: 7. Ad cujus illustrationem additur, vers. 61. *Et dedit robur suum captivitati, & excellentiam suam in manum hostis*, scilicet & *arcam*, roboris & excellentiæ sedem & signum, & insuper quasi ipsum *robur suum*, dum tanquam viribus privatus inter hostes recubuit q. captivus, & vilis. Qua emphasi augeri potest phrasis, *tradere robur suum.*

§. XLV. *Posterius* excandescentiæ Dei signum, in clade populi & sacerdotum situm, his verbis, vers. 62—64. exprimitur, quæ proferam & mox illustrabo, ubi opus fuerit. *Et tradidit* (q. collari vinctum in publica prostitutione, quod est סגר, ut modo vidimus,) *gladio* (hostili Philistæorum) *populum suum* (publico & gravi prælio mactandum) *& in hæreditatem suam exæstuavit* (cum in populum suum peculiarem vehemente ira esset accensus: eam enim vim hic habet ו &,) *juvenes ejus devoravit ignis* (innuptos, robustos, milites ablumsit vis ignea belli: quem sensum hic habet אש

ignis, quo bellum, prælium, & inimicitia ſubinde depingitur, uti notum: ignis etiam faces, fumus, ſcintillæ, ſæpe tribuuntur hominibus, vel animantibus, vehementi motu vel ira concitatis *a*), *nec virgines ejus laudatæ ſunt*, (innuptæ puellæ, juvenibus ſublatis, quibus erant desponſatæ, nuptæ non ſunt, vel ob communem luctum nuptiis ſolennibus & lætis non ſunt decoratæ. Reſpicitur ad lætos cantus, quibus nuptiæ celebrari ſolebant, ut recte obſervatum eſt. LXX Interpr. habent ἐπένθησαν, unde Vulg. non ſunt *lamentatæ*, acſi legiſſent הילילו, ut ſenſus ſit, virgines non luxiſſe, juvenibus ſublatis, ſicut mox de *viduis*, habetur, verſ. 64. Sed LXX nunquam illud verbum ea ratione transtulerunt, & alia lectio habet, ἐκενθήθησαν; unde facile conjicitur, veram lectionem eſſe ἐκηνέθησαν, uti vertit Symm. & Theod.) *ſacerdotes ejus gladio ceciderunt, nec viduæ ejus fleverunt.* (ſacerdotibus in prælio occiſis, ut de filiis Eli expreſſe memoratur, *viduæ* eorum nec ſolenni luctu eos defleverunt, nec tam eorum cauſa, quam publicæ calamitatis, in ſpecie *arcæ* ablatæ, plorarunt; uti exemplum narratur in vidua Pinehaſi, 1 Sam. IV: 21, 22.). Pertinet itaque tota hæc perícopa ad cladem populi ſub Eli per Philiſtæos; ſed quæ ſimul conſideranda eſt tanquam ſignum repudiati Ephraimi reſpectu principatus & ſedis religionis. Quod ipſum hic tanquam portentum Israelis ſuo tempore a Deo exterminandi, ut primum per Aſſyrios, dein Romanos factum eſt, hic ob oculos ponitur, & propterea vividioribus depingitur coloribus.

§. XLVI. In *quarta* Pſ. parte, quæ hujus defectionis & cladis exitum, & lætiorem cataſtrophen reſpectu Judæ, complectitur, verſ. 65—72. κ. Vindicta occurrit de hoſtibus, qui Deum Israelis in medio ſui reputabant quaſi dormientem & vino ſubactum, ſumta, ad eorum pleniſſimam & pudendam ſubjugationem, verſ. 65, 66. *Et evigilavit, ſicut ſomno ſopitus, Dominus, ſicut heros ſe vino ſuperatum gerens, mox ad alacritatem clamore incitans ex vino. Et percuſſit hoſtes ſuos*

a Vid. Cl. Haſæus de Leviathan. p. 180.

ſuos retrorſum; æternum opprobrium ipſis dedit. h. e. Dominus, qui ſe inſtar dormientis & herois vino obruti geſſerat, dum populum ſuum profligari ſivit, & ipſe in poteſtatem Philiſtæorum per arcam q. redactus eſt, ibique viſus fuerat quieſcere; ſubito ſeſe præſtitit heroa vigilantem, & alacrem, ficto illo ſomno & temulentia excuſſa; hoſtesque primum foeda plaga in poſterioribus eorum adfecit, dein eos retroegit in perniciem, & ſtatum perpetuæ ignominiæ. Agitur de Philiſtæis, qui Israelem profligaverant, & arcam tenebant captivam, ſed deinceps ſunt a Deo puniti, & penitus ſubacti, præcipue per Samuelem & Davidem, in ſignum ſimul ſubactionis omnium hoſtium Dei, quæ ſequeretur, & ſecuta eſt. Verba continent *evigilationem* Dei e ſomno & ſopore temulento ficto, ac hoſtium totalem ſubjugationem, inde ortam. In deſcriptione *evigilationis* Dei poſterius membrum, verſ. 65., noſtram requirit operam, cum ab Interpretibus minus recte ſit expeditum. Trahunt verba aliquid de ambiguo, & duplicem admittunt ſenſum, hic conjungendum; *alter* eſt, quo Deus comparatur cum heroa, qui *ſe tenuit acſi eſſet vino ſoporatus*; unde mox ſe præſtitit vigilem, & animatum: quando verſus eſt reddendus *& evigilavit, ſicut dormiens, Dominus, ſicut heros vino ſubactum ſe gerens*, aut fingens, ſc. evigilavit. Cum dixiſſet poeta, Deum evigilaſſe ſicut *dormientem*, explicationis & illuſtrationis epitheti *dormientis* ergo ſubjungit, ipſum ſe geſſiſſe tanquam vino (forte *medicata* potione, ſoporifera, alias יין תרעלה *vini tremoris*, ſeu corpus & mentem quatientis nomine inſignita) ſepultum, & alto ſomno obrutum, ut profundum fuiſſe quidem ſomnum, attamen non verum, ſed fictum, indicaret, ne quis de vero ſomno, a Deo alieno, cogitaret. Qui ſenſus ut in lucem prodeat, not., verbum מתרונן haberi poſſe pro Hitpah. radicis, רנן quæ, apud Arab. ſuperſtes, ſignificat *vino ſuperari*, & *ſuccumbere*; in Hitp. vero ſimulare, ſe gerere tanquam ſubactum: quem uſum forma illa paſſim habet. Senſus itaque eſt, Deum

Deum ſe præbuiſſe tanquam heroa, vino ſubactum, & ſoporatum, & ita dormientem, quatenus ſe & populum in manus hoſtium incidere ſivit, ſed deinceps, ficta hac perſona depoſita, ſeſe præſtitiſſe verum heroa, vigilem & acrem. Verum *alterum* adhuc ſenſum ferunt verba poſterioris membri, quo vertuntur, ſicut *heros ſe clamore bellico & triumphabundo incitans e vino*, quo videbatur ſoporatus: רנן proprie *ſtridulum* & *tinnulum* ſonare denotat, inde lætos & jubilos edere ſonos, ut in prælio & triumpho; forma hitpah. vim habebit *reciprocam*, dicitque ſe *incitare* ad *jubilum*, & *a vino* erit, eo abjecto, & excuſſo. Videtur poeta ſtudio hoc ambiguum captaſſe, ut uterque ſenſus locum inveniret, quod recte poteſt; ut ex dictis patet.

§. XLVII. Conſequens hujus evigilationis his verbis exponitur, verſ. 66. *Et percuſſit hoſtes ſuos retro, opprobrium æternum dedit ipſis.* Quæ verba ſimili laborant ambiguitate in voce אחור *poſt*, *retro*, ſita. Phraſis enim *percutere* אחור poteſt denotare, & in poſteriore parte, & *retro* agendo in fugam vel perniciem, aut retro actos & in fugam verſos. *Priore* ratione digitus intenditur ad plagam pudendam, Philiſtæis in poſteriore parte corporis inflictam per ulcera acria & purulenta; quæ ſimili voce, una tantum littera mutata, adpellantur טחורים, I Sam. V & VI., alias עפלים: ſive *mariscæ*, & *tumores* ani, hæmorrhoidæ, uti erudite expoſuit Bochartus *a*, ſive in genere *ulcera* urentia, & *conſtringentia*, intelligantur. Voces enim generales ſunt, & עפל *tumores* denotat, a radice עפל *tumere*, *efferre ſe*; טחר primariam habet in *exæſtuando* apud Arab. ſed de eo hic non eſt agendi locus. Sed *poſteriore* modo, ſenſu divite, *percutere retro* erit *vel* retroagendo in fugam aut exitium, uti Pſ. XXXV: 4. XL: 15. IX: 4. & alibi, *vel* retroactos ferire a tergo; ut ſolent fugaces feriri, cum fortes adverſo pectore vulnera accipiant *b*. Quod etiam Philiſtæis accidiſſe per Samue-

a H. p. I. l. II. c. 36. *b* Id. Ibid.

Samuelem & Davidem, tempore Sauli & deinceps, notum eſt ex hiſtoria.

§. XLVIII. 2. In glorioſa & læta populi conditione, ſuperiorem calamitatem ſecuta, deſcribenda, quæ *alteram* pericopæ partem conſtituit, *a.* præmittit poeta tribus Ephraimi repudiationem continuatam, verſ. 67. *Et exulceratus eſt in tentorium Joſephi, nec tribum Ephraimi elegit.* h. e. animum exacerbatum in tribum Ephraimi, tanquam principatum tenentem in Israele, & religionis ſedem in medio ſui habentem, eaque ratione *tentorium Joſephi* incolentem, non plene depoſuit Deus, cum ſe ad populum vindicandum, & hoſtes puniendos, adcinxit; ſed aliquatenus retinuit, & ejus indicium dedit in eo, quod eam tribum non elegerit, in qua principatum erigeret, & religionis ſedem collocaret. *Prius* membrum reſpicit ad *territorii Siluntici* abjectionem, ſupra memoratam, & declarat, Deum in ea rejectione perſeveraſſe; *poſterius* vero ejus rei ſignum continet in eo, quod non *elegerit tribum* Ephraim, ſcilicet, in qua principatum & religionis ſedem denuo collocaret. Hac ratione *verſus* membra cohærent, & prius per poſterius explicatur. *Tentorium* itaque *Joſephi* eſt domus ejus regnatrix & principalis in populo, ſicut *Joſeph* fuit, & in *Joſua* quoque ſe oſtentavit; *tribus* Ephraimi, filii Joſephi, deinceps etiam prærogativam illam retinuit, dum ſedem principatus & religionis in medio ſui tenuit. Quo ſenſu *tentorium Davidis* eſt arx Tſion, & regnum in domo ejus, Jeſ. XVI: 5. ubi vid. Cl. Vitringa. Additur in *poſteriore* membro *tribus Ephraim*, quia tentorium Joſephi fuit in ea tribu, & non *Menaſſis* alias etiam filii Joſephi.

§. XLIX. *β.* Memoratur electio tribus Judæ & montis Tſionis, loco Ephraimi & Siluntis, in perpetuam regni & religionis ſedem, verſ. 68, 69. *Et*, vel *ſed*, *elegit tribum Judæ, montem Tſionis, quem dilexit, & firmiter religavit, ſicut excelſa, ſacrarium ſuum, ſicut terram, quam fundavit in perpetuum.* h. e. Ephraimo ſubſtituit Judam, & Siluntimon-

tem Tſion, ubi ſedes regni & religionis foret, ſed ſimul declaravit, non ad tempus, ut antea in Silo, ſed in perpetuum id futurum, adeo ut Tſion, tanquam ſedes regia & religioſa, ſimilis ſit futura *cœlo*, ubi ſacrarium Dei, & *terræ* in perpetuum fundatæ. Duo tantum hic, quæ Interpretibus addam, habeo: *alterum* eſt, verbum *ædificare*, proprie firmiter *religare*, hic ſumi pro *declarare* ædificandum eſſe; quem uſum verba, quæ *fieri*, *eſſe*, vel *agere* quid, ſignificant, frequenter habent *a*. Reſpicitur itaque ad promiſſum, Davidi factum, poſt *arcam* in Tſionem translatam, 2 Sam. VII. Confirmat hunc ſenſum, quod Deus alia ratione dici commode nequeat *ædificaſſe Tſionem*, & Pſ. ſit ante Templum actu ædificatum compoſitus. *Alterum* obſervatum eſt, vocem מקדשו *ſacrarium ſuum*, non cum בנה *ædificavit*, ſed רמים *excelſa* conſtruendam eſſe, ut ſenſus ſit, Deum ædificaſſe montem Tſionis, ſicut *excelſa ſacrarium ſuum*, h. e. cœlum ſacrarium Dei. Cohæret enim verbum בנה cum præced. אשר, ut ſit, *quem dilexit & aedificavit*; nec poteſt cum *ſacrario*, quia tum dictum fuiſſet, ædificavit *ibi ſacrarium ſuum ſicut excelſa*. Vox רמים denotat *cœlum*, uti alias מרום, a ſing. רם; uti liquet ex epitheto *ſacrarii* Dei, ei addito; habet enim in *cœlo ſacrarium ſuum*, uti conſtat. Quo ipſo indicatur, Tſionem fore ſedem Dei, inſtar *ſacrarii* cœleſtis, & firmam inſtar *terrae*, quam Deus fundavit in perpetuum.

§. L. γ. Subjungitur denique electio Davidis in regem ſuper toto populo, ejusque elogium, in quo finitur Pſalmus, verſ. 70—72. *a*. Electio Davidis, divinitus facta, his verbis proponitur, verſ. 70, 71. *Et elegit Davidem ſervum ſuum, eumque a caulis ovium ſumſit, a poſt lactantes abduxit ipſum ad pascendum Jacobum populum ſuum, & Israelem haereditatem ſuam.* h. e. Elegit ſibi Davidem in *ſervum*, ut ſit miniſter ſuus honorarius, Dei vicem in terra gerens; eumque, longe alio occupatum opere, vilem, & nihil tale cogi-

a Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. III. can. 15.

cogitantem, ex puro beneplacito de paſtore ovium fecit regem populi ſui. Quæ omnia ſatis plana ſunt. Duo tantum nobis relicta ſunt notanda; *unum*, Davidem hic non adpellari *ſervum* Dei, antequam electus eſt, ſed poſt: ut ſenſus ſit, eum fuiſſe electum in *ſervum* Dei, ſeu miniſtrum honorarium, vices Dei gerentem: quam emphaſin titulus iſte omnino habet. Conf. ad Pſ. XVIII: 1. *Alterum* eſt, verbo *adducere*, vel *venire facere*, comprehendi omnia fata, omnes vias, quibus David in poſſeſſionem regni immiſſus eſt; quæ hic reticentur, aliunde facile ſupplenda: inceperunt autem ea omnia mox poſt primam unctionem ejus per Samuelem, quæ facta eſt, cum David a pascendo grege veniſſet domum. 1 Sam. XVI: 11.

§. LI. *b.* Elogium Davidis, tanquam regis, in regno adminiſtrando, ita habet, verſ. 72. *Et pavit eos pro integritate animi ſui, & manuum ſuarum prudentiſſima directione eos ducet.* h. e. ſicut hucusque integre & ſincere, ſummaque cum prudentia, gubernavit populum, ita ſpes eſt certiſſima, eum in poſterum eodem modo eſſe inſtituturum. Verba, elegantiæ cauſa, ut ſæpe fit, diviſa, ſecum hac ratione conjungenda ſunt, pavit & duxit eos pro integritate cordis & cum manuum prudente directione; ſimul ita agere perget. Prius verbum רעם eſt loco præteriti, ſed poſterius ינחם in fut., ut ad præteritum & futurum extenderetur hoc elogium; *pascere* & *ducere*, omnia veri regis, tanquam paſtoris, officia comprehendunt; *ſinceritas* vero cordis ad bonam intentionem, & *intelligentia manuum* ad actionum prudentem directionem pertinet: ut facile intelligitur. Quare plura non addo. De ſenſu ænigmatico & typico non opus eſt, ut moneam, cum ex ſupra dictis de eo conſtet, & ab Interpretibus illud ſatis ſit expoſitum.

PSALM. LXXIX.

1. *Psalmus Asaphi. o Deus! gentes in haereditatem tuam irruerunt, palatium sanctitatis tuae polluerunt, Hierosolymam posuerunt in acervos ruderum.*

2. *Tradiderunt cadavera servorum tuorum escam volucribus cœli, carnem piorum tuorum feris terrae.*

3. *Circa Hierosolymam effuderunt sanguinem eorum instar aquae, nec est, qui sepeliat.*

4. *Fuimus*, vel *facti sumus, obtrectatio vicinis nostris, vibratio nasi ac labiorum, & sputamentum iis, qui circa nos sunt.*

5. *Quousque, Jehova, irasceris? in purum putum? ardebit sicut ignis zelotypia tua?*

6. *Effunde excandescentiam tuam in gentes, quæ Te non agnoscunt, & super regna, quæ de nomine tuo non sunt adpellata.*

7. *Quia comederunt Jacobum, & habitaculum ejus desolarunt.*

8. *Ne recorderis nobis perversitatum anteriorum; cito antevertant nos tenerrimi tui adfectus, quia adtenuati sumus valde.*

9. *Auxilium nobis præbe, Deus salutis nostræ, propter causam gloriae nominis tui, & eripe nos, & oblitera peccata nostra propter nomen tuum.*

10. *Quare dicent Gentes, ubi est Deus ipsorum? innotescat inter*

ter gentes, ſeu *tumidos vaſtatores*, *coram oculis noſtris; ultione ſanguinis ſervorum tuorum effuſi.*

11. *Intret in conſpectum tuum ſingultus vincti; pro brachii tui firmo robore nerva filios occiſionis.*

12. *Et redde vicinis noſtris ſeptupliciter in ſinum ipſorum probrum ipſorum, quo Te probroſe lacerarunt, Domine!*

13. *Et*, vel *tunc*, *nos*, *populus tuus*, *& oves pascui tui*, *confitebimur Tibi in ſeculum*, *enarrabimus laudem tuam in generationem & generationem.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt *partim* querula ſummæ calamitatis & oppreſſionis populi Israelis a truculentis Dei, & populi ac religionis ejus, hoſtibus, narratio, ab ipſo populo coram Deo facta cum humili & pia quadam expoſtulatione cum Deo ſuper ira ejus nimium exuberante, quæ non in populum ejus, ſed hoſtes erat effundenda, *partim* ardens precatio, ut Deus citam hoſtibus vindictam, & adflictis liberationem præbeat, variis rationibus moventibus munita, petitis a Dei virtutibus & relationibus ad populum ſuum, hoſtium inſolente & blasphema inſectatione, gravitate adflictionis ac periculi, denique propoſito populi liberati Deum publice & in perpetuum laudandi.

§. II. Quod argumentum ut in clariore luce collocetur, ſequentia ſunt notanda criteria & loquentium, & calamitatis eorum, & hoſtium ejus autorum 1. *Loquentes* ſunt Israelitæ non tantum, ſed Dei & legis ſimul ſtudioſi, non quidem a peccatis, in medio ſui commiſſis, quæ vindictam

Divinam merebantur, immunes, attamen ab iis abhorrentes, & cultui Dei, veræque religioni, adhærentes, & propterea quoque vexati ac illuſi ab hoſtibus. Querela ſuper templo profanato, & Hieroſolyma vaſtata, titulus ſervorum Dei, & piorum ſeu Chaſidæorum ejus, epitheton populi & gregis Dei, propoſitum Dei celebrandi in perpetuum, hæc & ſimilia, in Pſ. obvia, loquentium characterem, quem memoravi, extra dubium collocant. 2. *Oppreſſionis* populi ſequentes ſeſe offerunt lineæ. Templum memoratur profanatum, Hieroſolyma deſolata, pii magna copia cæſi & mactati, in primis circa Hieroſolymam, alii incarcerati, & in periculo pœnæ capitalis verſantes; populus ad exiguum numerum redactus, & vilis ac deſpectus redditus, ut palam etiam fuerit a vicinis deluſus ac irriſus, reſpectu religionis. Nulla tamen exſilii facta mentio eſt, contra, in ipſa terra Cananæa, & in circuitu Hieroſolymæ, repræſentatur oppreſſus. 3. *Autores* denique oppreſſionis adpellantur *gentes*, & in vicinia, ac *circuitu* Israelis habitantes, ſimul deſcribuntur tanquam truculenti & capitales populi Dei hoſtes, qui ipſum Jehovam, Deum Israelis, & religionem ejus, internecino odio proſequebantur, ei inſultabant, & totalem exſtirpationem ejus intendebant. Quæ omnia criteria, cum ex ſola Pſ. lectione ſeſe ſponte ſua lectori offerant, digito monſtraſſe ſuffecerit.

§. III. Ad hæc qui adtenderit criteria, de ſcena temporis, non in calamitate Babylonica aut Romana, ſed Epiphanica figenda, dubitare vix poterit. Quod multi Interpretes recte viderunt, Cl. Tillius egregie in hiſtoria ejus adflictionis conferenda demonſtravit. Digito tantum exſtantiora adtingam criteria adflictionis Epiphanicæ, hic obvia. 1. Populus hic ſiſtitur Deo & religioni ejus firmiter & ſtudioſe adhærescens, cum in aliis illis adflictionibus repræſentetur & fuerit vel idololatricus, vel corruptiſſimus. Memorant quidem *peccata*, ſed *anteriora*, & deplorant, ſeſeque ab iis declarant alienos. 2. Indicant, ſe ſine ulla ſpecie juſtitiæ ab hoſti-

hoſtibus opprimi, & propterea tantum, quod populus Dei ſint, adeoque religionis cauſa, cum quod ſervorum Dei & piorum ſanguis ab iis legatur effuſus, tum quod Templum profanatum, tum quod Deo ipſi ſit illuſum. Quod unice in Epiphanica tempora convenit. 3. *Templum* tantum conqueruntur fuiſſe *contaminatum*, non deſtructum; addunt quidem Hieroſolymam in *acervos lapidum* redactam, ſed, præterquam quod cenſeri queant, ut ſolent miſeri, exaggeraſſe deſolationem urbis, verba reſtricte capi poſſunt de domorum & murorum deſtructione, & urbe ab incolis deſerta, eaque ratione in ſolitudinem verſa; quod hiſtoria docet factum eſſe, nec non *relate* intelligi ad ſcopum & propoſitum hoſtium, ſicut & ſeq. verſ. 2, 3. accipi debent; de quo poſtea. 4. Nulla fit mentio exſilii, nec in deſcriptione calamitatis, nec in precibus pro liberatione; quæ negligi non potuiſſet, ſi ad aliam adflictionem reſpexiſſent. Contra, ſanguinem circa Hieroſolymam tantum memorant effuſum, &, ſe in ipſa ſua terra opprimi, ubique ſignificant; & a *vicinis* populis in circuitu illudi. 5. Denique, quum *vinctorum* ſolutionem, & *filiorum mortis* liberationem in ſpecie ſupplicant, ſtatum ſuum depingunt poſt templum profanatum, urbem deſolatam, & multiplicem cædem civium, periculi mortis, & pœnæ capitalis, plenum; in quo tempore Antiochi fuerunt, non in exſilio Babylonico, aut Romano. Conf. Pſ. XLIV: 23. & ibi dicta. 6. Accedit ad hæc argumenta Pſ. adplicatio ad Epiphan. adflictionem jam eo tempore facta. 1 Macc. VII: 16.

§. IV. Hac admiſſa hypotheſi, inſuper quærendum eſt, in quod præciſe tempus hujus adflictionis Pſ. quadret. Dubium mihi non eſt, quin in primo triennio calamitatis, ante recuperatam Hieroſolymam a Juda Maccabæo, ſcena figenda ſit; licet aliqua mala, hic memorata, poſtea repetita ſint; ut quod verſ. 2, 3, & 11. habetur, quodque ad ſeq. fata tempore Alcimi adplicatur, 1 Macc. VII. Rationes ſunt 1. Quod Templum adhuc jacuerit profanatum, & urbs deſolata,

deſolata, verſ. 1. 2. Gentes & vicini populi impune adhuc in eos dictis contumelioſis graſſarentur, & nullum adhuc indicium exſtaret, quo refutari poſſet dictum, *ubi eſt Deus ipſorum?* 3. Populus adhuc promiscuæ cædi eſſet obnoxius, nec eſſet vindex, qui cauſam *victorum* ac *filiorum mortis* ageret. 4. Denique quod pauci, tenues & viles, adhuc eſſent, ac imbecilles verſ. 8. antequam itaque Juda aliquos feciſſet progreſſus.

§. V. Reliqua, quæ in prolegomenis tractari ſolent, ut de *tempore*, *occaſione*, *ſcopo* & *uſu* Pſ., cum ad Pſ. LXXIV. jam expoſita ſint, & inde repeti poſſint, duo enim hi Pſ. ſecum hac parte conveniunt, de *ſtructura*, & *analyſi*, hic tantum agendum reſtat. *Structura* nihil habet ſingulare, aut impediti. Conſtat ex continuo ipſius populi adflicti adloquio ad Deum vindicem & patronum ſuum, partim narratorio & expoſtulatorio, partim precatorio; ut mox dicam. Stylus eſt planus, ſed valde adfectuoſus. *Partes* Pſ. tres ſunt. *Prima* continet querulam narrationem ſtatus adflicti Deo factam cum aliqua expoſtulatione ſuper iræ Dei vehementia in populum, verſ. 1—7. *Secunda tres* precum articulos, una cum rationibus moventibus, pro memoria anteriorum peccatorum deponenda, ac miſeratione populi renovanda, deinde liberatione populi peccatis remiſſis, denique vindicta ab hoſtibus ſumenda, verſ. 8—12. *Tertia* exhibet propoſitum Dei in perpetuum laudandi, cum in libertatem fuerit populus adſertus, verſ. 13.

EXPLICATIO.

§. VI. Cum de hypotheſi Pſ. exponendi ex ſupra dictis facile conſtet, ubi *ſcenam* temporis definivi, a qua nulla eſt discedendi ratio, mox ad *explicationem* pergo. In *prima* parte Pſ., quæ ſtatus adflicti narrationem expoſtulatoriam, ut dixi, & mox patebit clarius, continet, verſ. 1—7. א. narratio occurrit verſ. 1—4. ב. expoſtulatio

latio cum Deo, verſ. 5—7. ✻. *Narrationis* partes *duæ* ſunt, quarum *una* deſtructionem populi multiplicem exhibet verſ. 1—3. *altera* ejus adflictionis conſequens, in populorum vicinorum contumelioſa inſultatione ſitum, verſ. 4. *a. Deſtructionis* narratio his verbis fit a populo adflicto, ſermone ad Deum verſo, verſ. 1—3. *o Deus! gentes irruerunt in hæreditatem tuam, polluerunt palatium ſanctitatis tuæ, poſuerunt Hieroſolymam in acervos ruderum. Tradiderunt cadavera ſervorum tuorum eſcam volucribus cæli, carnes piorum tuorum feris terræ. Circa Hieroſolymam effuderunt ſanguinem eorum inſtar aquæ, nec eſt qui ſepeliat.* Quibus verbis *a.* hoſtilem gentium invaſionem in Cananæam & incolas ejus memorant, & *b.* ejus horrenda effecta. *a. Prius* in principio verſ. 1. *ſupervenerunt gentes in hæreditatem tuam.* h. e. gentiles populi, a fœdere tuo alieni, ſubito & improviſo irruerunt, & occuparunt, terram & gentem Israeliticam, quam gentibus ereptam tibi adſeruiſti olim, & ſemper tenuiſti, in peculium & poſſeſſionem propriam, ac perpetuam. Emphatica eſt oratio, cujus ſingulæ verba ſunt ponderoſa, ad rei indignitatem exprimendam aptiſſima. *Gentes* adpellantur populi hoſtiles a Deo alieni, quibus nullum jus erat in Israelem; ſimul profani & truces, ac operatores iniquitatis, eo titulo inſigniti Pſ. LIX: 6. & nomine eo digni, quod ab omni vero, juſto & æquo, longiſſime aberrarint, & vagam ac confuſam habeant vivendi rationem, cupiditatibus unice obſequentes, non rectæ rationi & legi. Quæ vis eſt vocis עו, a radice, quæ Arab. ſupereſt, & *errandi* habet poteſtatem. Verbum בוא peculiari ſenſu adfert, cum *ſupervenire*, hoſtiliter irruere & improviſo, tum intrare, oppoſite ad foras; adeoque exprimit & hoſtilem ac inexſpectatam invaſionem, & occupationem ac ſubactionem. Quod alias ſæpe obſervavi. Denique *hæreditas Dei* eſt & *terra* & *natio* Israelitica, utraque a Deo vindicata, & in poſſeſſionem propriam ac perpetuam adſerta; adeoque quæ Deo curæ cordique ſit. Hanc a genti-

bus invadi & poſſideri, Deo enarrant, ut ſignificent, Deo illud non eſſe ferendum, nec cum Dei virtutibus ac promiſſis conciliari poſſe, adeoque per modum admirationis, indignationis & expoſtulationis; quæ clarius dein exprimitur, verſ. 5. ut ibi videbimus.

§. VII. *b.* Terribilia effecta invaſionis ac occupationis recenſentur ſequentia. 1. *Primum* eſt Templi profanatio, his verbis: *polluerunt palatium ſanctitatis tuæ.* h. e. terra & gente tua invaſa & occupata, ipſam ſublimem, & magnificæ ſtructuræ, ædem, quam vim habet היכל, Templum totum, nomini tuo dicatum, ſanctitatis & majeſtatis tuæ ſedem, a nemine, niſi ſancto aliquo tuo miniſtro, intrandam, multipliciter & graviter *polluerunt;* cultum, ibi exercendum, non tantum inhibendo, nec intrando ſimpliciter, ſed & ornamentis & inſtrumentis ſpoliando, ac ſcelerata facinora in ea patrando per idololatriam, ibi ſtabilitam & exercitam, blaſphemiam, & ſanguinis effuſionem. Voces rurſus ſunt ſelectæ, ad rem indigniſſimam ſignificandam, & amplificandam; quo epitheton *palatii ſanctitatis Dei* clare tendit: ut facile intelligitur. Addunt alii *everſionem* templi animo prorſus profano; ſed ejus nullum eſt in textu indicium. Conf. de re ipſa Dan. xi: 31. & ibi dicta. Nomen *palatii ſanctitatis Dei* nihil habet, quod nos moretur.

§. VIII. 2. *Secundum* eſt Hieroſolymæ deſolatio, ex parte effecta, & plene ſecundum intentionem facienta, verſ. 1. his verbis: *poſuerunt Hieroſolymam in acervos ruderum. Hieroſolymam* cum adpellant, mente intelligi volunt illud omne, quod huic urbi proprium eſt, eamque celebrem reddit; adeoque *Hieroſolymam*, metropolin regni & religionis, urbem a Deo electam, in qua *fœdus* habet Deus Jeſ. xxxr. 9. ſæpius tutatam cum hoſtium internecione, vi nominis pacis & proſperitatis habitaculum: hanc talem tantamque urbem, ſanctam ſimul & inviolabilem, *poſuerunt* hoſtes, gentiles illi & impuri, dicunt queruli & admirabundi, *in acervos ruderum*, h. e. deſolarunt, & deſtruxerunt,

runt, ut nil, nisi *acervi ruderum*, supersit. Radix עיי, eadem ac עיי, proprie est, *intorsit*, unde עי *intorsio*, & inde *acervus ruderum*, quod ibi omnia distorta, implicata & confusa sint. Phrasis itaque plenariam destructionem comprehendit, ut Jer. XXVI: 18. Mich. I: 6. III: 12.: sed hoc loco *partialem* tantum, actu factam, attamen in totalem exituram: adeo ut *posuerunt* sit ponere cœperunt, muros & domos diruendo, quemadmodum verba *completiva* aliq. sunt *inchoative* intelligenda *a*, præterea *posuerunt* de intentione, & conatu, ponendi in acervos sumi potest *b*. Quod ipsum Syro-macedonibus in animo fuisse vidimus ad Ps. LXXIV: 3. &c.

§. IX. 3. Tertium est piorum promiscua laniena & cædes magna Hierosolymis, & in circuitu, vers. 2, 3. *Tradiderunt cadavera servorum tuorum escam volucribus coeli, carnem piorum tuorum feris terræ: effuderunt sanguinem eorum instar aquæ circa Hierosolymam, nec est, qui sepeliat.* h. e. Sævierunt terribili cæde, præcipue in legis & religionis studiosos, & insepultos projecerunt, ab avibus rapacibus aut feris discerpendos, sepultura vetita, nec parva, sed magna copia necarunt, sive in prælio, sive supplicio capitali, nec in locis remotioribus tantum Cananææ, sed circa ipsam Hierosolymam. Nihil hic impediti, nihil non testatissimi ex historia Maccabaica: uti notum, & a Tillio satis illustratum est. Versus ita cohærent, ut posterior sit prioris illustratio & amplificatio. *Servi & pii* Dei, proprie *Chasidæi*, expresse memorantur ad rei indignitatem augendam, & indicandum, lanienam illam feriisse præcipue legis studiosos, *Chasidæos* in historia adpellatos, & religionis causa esse institutam. Ceterum cum dicitur, eos *avibus* & *feris* tradidisse servos Dei, nec fuisse qui eos sepeliat, illud quoque restricte capiendum est de nonnullis, & relate ad hostium intentionem & molimina, conf. 2 Macc. IX: 15. nec non

a Vid. Glass. Gr. S. l. III. tr. III. can. 3. *b* Id. ib. can. 8.

ad publicam & honeſtam ſepulturam, cujus reſpectu verum erat, *non eſſe, qui ſepeliat.* Nihil in phraſibus eſt obſcuri. Littera ו in לחיות non eſt adfixum, ſed paragogicum, & per emphaticum pleonasmum adjuncta: ut alibi ſit, Deut. XXXIII: 17. Gen. I: 24. Num. XXIV: 3. Job. XXIX: 3. & alibi *a.* Alias legi poſſet, לחית הארץ, ut Jeſ. XLIII: 20.

§. X. β. Subjungitur, ad majorem adflictionis indignitatem demonſtrandam, ejus conſequens, ſummam populi Dei & religionis ignominiam, inde inter *vicinos* populos ortam, comprehendens, verſ. 4. *Facti ſumus, ſeu facti ſumus, obtrectatio vicinis noſtris, vibratio naſi ac labiorum, & ſputamentum iis, qui circa nos ſunt.* Quæ verba jam habuimus Pſ. XLIV: 14., & ibi illuſtravimus, adque adflictionem Epiphanicam adplicuimus; adeo ut hic nihil obſervandum reſtet. Tendunt vero verba, ut facile adparet, ad adflictionem adgravandam, ſimul Deo q. ob oculos ponendum, rem non eſſe Deo, ſalvis virtutibus & relationibus ejus ad populum, ferendam; cum illa contumelia in ipſum Deum redundet, imo Deus ipſe ab improbis hoſtibus petatur, ut diſerte verſ. 12. habetur.

§. XI. 1. Sequitur expoſtulatio, antea tacite inſinuata, ut expoſui, nunc aperte prolata, verſ. 5—7. *Quousque Jehova iraſceris? in purum putum? ardebit ſicut ignis zelotypia tua? Effunde excandescentiam tuam in gentes, quæ te non agnoſcunt, & ſuper regna, quæ de nomine tuo non ſunt adpellata; quia comederunt Jacobum, & habitaculum ejus deſolarunt.* h. e. In tali cum ſimus nos, populus tuus, ſtatu, quem querula narratione tibi expoſuimus, tuamque iram, in nos accenſam, ſentiamus; vix a nobis impetrare poſſumus, quin admirabundi, & cum aliqua expoſtulatione, te rogemus, quousque iram tuam ſis erga nos retenturus? an in purum putum & perpetuum, usque ad totale noſtrum excidium? an zelus tuus, quo gloriam tuam vindicas, & defectionem noſtram a te, legitimo noſtro Domino, & marito, punis, inſtar,

a Vid. Dieu ad Eſth. VII: 5.

inſtar ignis, qui non exſtinguitur, *ardebit in nos*? quam illud a te, tuisque ad nos relationibus, eſt alienum! & nobis ſtuporem incutit! utique longe decentius & convenientius foret, ut ea ratione ageres cum gentibus aut regnis, quæ tui notitiam non habent, nec te colunt, nec tuus ſunt populus, de nomine tuo non denominantur; noſtramque in gratiam iram tuam in purum putum in eas gentes effunderes, quia Jacobum, gregem tuum, devorarunt, & caulam ejus, ſeu habitaculum commodum, vaſtarunt, terra ejus & metropoli deſolata. Tantum itaque abſit, ut nobiscum ita agas, ut propter nos gentes, nos adeo opprimentes, ſta tractare debeas. Pericopa continet interrogationem, & reſponſionem, *illam* verſ. 5., *hanc* verſ. 6, 7. Rogant *quousque*, ad quem terminum usque, Deus iraſci velit? an in purum putum & perpetuum? an inſtar ignis inexſtinguibilis zelotypia ejus ſit arſura? ſic enim capienda ſunt verba per continuam interrogationem; quæ primum *generalis* eſt, dein *ſpecialis*; generalis, *quo usque?* ſpecialis, an in purum putum & perpetuum, an inſtar ignis, qui non exſtinguitur? qua ratione rectius fluit oratio: nec recte dicitur, *quousque in perpetuum?* Conf. dicta ad Pſ. LXXIV: 1. Tantum hic not. emphaſis phraſios *inſtar ignis*, in ultimo membro, quæ indicat, excandescentiam Dei in populum arſuram eſſe ad totale excidium usque; ut, *inſtar ignis*, ſit, qui *non exſtinguitur*, donec materia ſuperſit combuſtibilis; uti Jer. IV: 4. & VII: 20. Qua emphaſi donata phraſi, recte per interrogationem capiuntur verba, *an ardebit inſtar ignis æmulatio tua?* proprie flammans tua facies, ſignum indignabundæ zelotypiæ, quam emphaſin habet vox קנאה, quæ orationem reddit elegantiorem; radix enim proprie eſt, *intenſiſſime rubet*, flammato veluti colore faciei, unde ad æmulationem & zelotypiam facilis eſt tranſitus, cum adfectus a colore, quem inducunt vultui, ſoleant denominari. Eſt autem *zelotypia*, Deo humanitus tributa, ardens Dei ſtudium vindicandæ læſæ majeſtatis & gloriæ, in primis in populo

fœderato, Deo, inſtar uxoris, obſtricto. Indicant itaque, iram Dei in ſe eſſe accenſam, & adflictionem ſuam habere quoque conſpectum vindictæ Dei, a foedifragis in populo deſumtæ; quare & mox *peccatorum remiſſionem* orant, & tempus Ephiphanicæ adflictionis etiam tempus *iræ* Dei appellatur in verbo Prophetico Jeſ. XXVI: 20. LIV: 8. Dan. VIII: 19. XI: 36. &c. & hiſtoria, 1 Macc. II: 40. 2 Macc. VII: 36. Sed interrogatione inſinuant, Deum non decere, totum populum ad internecionem delere; quia tot in eo ſuperſint *pii*, caſtigandi quidem & purgandi, ut eſt Dan. XI: 35. ſed non delendi.

§. XII. In reſponſione, quam ipſi interrogationi ſubjungunt, quem conſpectum habent verba verſ. 6. 7., præſupponunt, quod per ipſam interrogationem erat inſinuatum, Deum non poſſe, ſalvis virtutibus & relationibus ſuis, in purum putum iraſci; ut Pſ. XLIV: 24. habetur, ſed hic expreſſius illud proferunt, ac latius extendunt, cum quaſi a Deo poſtulent, ut iram in gentes effundat, & eam etiam ob cauſam, quod adeo in populum Dei ſævierint: acſi dicerent, tune in nos, populum tuum, ad extremum usque iram effunderes? abſit; indignum hoc eſt; potius ita cum gentibus, *non populo*, agas, & vindictam ſumas ab iis, quod nos ita tractent. Verba ipſa moram non injicient, cum ea habuimus Jer. X: 25. Tantum not. אכל hic in ſing. occurrere, cum Jer. X. in plur. אכלו habeatur, ſive & hic ita ſit legendum, ſicut Vet. verſiones, & duo codices, teſte Houbiganto, habent, ſive diſtributive ſumendum pro *unoquoque* eorum, ſive potius ad principalem autorem, hoſtem ferinum, Antiochum Epiphanem q. digito monſtrandum; uti Pſ. VII: 3. ea ratione *Saulus* deſignatur. Cetcrum, cum gentes hic declarant *devoraſſe Jacobum, & habitaculum ejus deſolaſſe*, eodem ſenſu capi debent, quo verſ. 1. expoſui, partim de partiali deſolatione jam peracta, partim de totali ab ipſis intenta & peragenda, niſi Deus interveniat. Quod hic eo majore jure admittitur, quia Jere-

mie

miæ verba ſimpliciter repetunt, quibus is Chaldæis, qui habitaculum Jacobi plene deſtruxerunt, inprecatus eſt, Jer. x. quæque effectum habuerunt. Adplicant autem ea ad novos Aſſyrios, & Chaldæos, ſuamque ab iis adflictionem, licet paulo diverſam, ſimilem tamen, adeo ut ſibi adplicare potuerint. Ex quo obſervato precatio hæc majorem acquirit emphaſin, & efficaciam ad Deum permovendum; cum effectum habuerint verba Jeremiæ in Chaldæis, quem & nunc habitura eſſe confidunt: acſi dicerent: verba Jeremiæ, quæ exaudiviſti, noſtra facimus, & nunc quoque exaudienda a te eſſe exſpectamus; dixit Jeremias, *effunde iram tuam* &c. dicimus & nos ad ejus exemplum, quia in nos etiam aliqua ratione quadrant. Impleta ſunt ejus verba in Chaldæis; fas eſt, ut & nunc implementum in novis Aſſyriis, hoſtibus noſtris, conſequantur. Quæ ſi admittatur hypotheſis, Pſ. oportet ſit poſt tempus Jeremiæ factus, ſive tempore exſilii Babylonici, ſive poſt illud, tempore prophetarum Zachariæ & Malachiæ, aut deinceps. Quod mihi non ſit improbabile, & ex hac ipſa verborum Jeremiæ citatione robur acquirit; cum negari nequeat, ea hic repeti.

§. XIII. *Directa* precatio, rationibus ſuis munita, per *tres* inſtituitur articulos, verſ. 8—12. *Primus* eſt, quo orant, ut Deus, memoria anteriorum peccatorum miſſa facta, quantocyus tenerrimum ſuum adfectum iis occurrere faciat, ratione ducta a ſtatu ſuo adeo adtenuato, ut brevi ſecum actum futurum ſit, verſ. 8. *ne recorderis nobis perverſitatum anteriorum, cito antevertant nos tenerrimi tui adfectus, quia adtenuati ſumus valde.* h. e. Priorum temporum, & Patrum, perverſitates ne impediant, quominus tenerrimi tui adfectus, & commiſerationes, nobis præſto ſint ad auxiliandum & benefaciendum; ſint itaque quantocyus, quia res ad ſummum venit; nos ita pauci, debiles & exhauſti, ſumus, ut brevi in nihilum recidere debeamus. *Deprecantur* memoriam peccatorum anteriorum, & precantur miſe-

ratio

rationum Dei citiſſimam demonſtrationem, ratione a præſente ſtatu tenui & miſero petita. *Peccata anteriora* ſunt, quæ non a ſe, ſed a patribus per omnia tempora, etiam antiquiora, commiſſa erant, nam ſua mox ab iis diſtinguunt verſ. 9., ut recte advertit Coccejus. Harum memoriam deprecantur *ſibi renovari*; ſcilicet in reatum & poenam ſuam. Qui ſenſus eſt phraſios, ne *recorderis nobis peccatorum anteriorum*, non confundendæ cum alia, *peccatorum noſtrorum*; licet plures ita capiant. *Nobis* ne recorderis eſt in noſtrum reatum & poenam; & *peccata anteriora* ſunt, ut dixi, antiquitus commiſſa. Indicant, Deum per tot ſcelera populi, antea & continuo commiſſa, tandem videri poſſe permotum ad populum delendum, quemadmodum Deus minatus eſt, Jeſ. LXV: 7. & alibi. Hoc itaque ne fiat precantur, ac Deus per illa peccata ab auxilio ſibi præſtando abſtrahatur. *Orant* contra, ut *teneerrimi* Dei *adfectus*, ſeu miſerationes, *antevertant* ſe, ſcilicet inſtar protectoris & benefactoris, adeoque ſibi contingant, præſto ſint, & auxilium præbeant, contra hoſtes, & ita præeundo in hoſtes irruant. Quæ omnia verbo קדם ſunt comprehenſa. Conf. ad Pſ. XXI: 4. & LIX: 11. Petunt denique, ut illud *cito* fiat, ratione ducta a *tenuitate* ſua, quia *adtenuati ſumus*, h. e. pauci, viles, debiles, & exhauſti. Radix דלל proprie eſt, *tendere* & *tendi*, unde per tenſionem adtenuari, gracilem fieri, ſeu viribus ſeu opibus deficere, etiam corpore & mente adtenuari &c. quæ cuncta huc recte quadrant.

§. XIV. *Secundus* articulus eſt, quo ſupplicant, ut Deus, *iræ in miſericordiam verſæ* ſigno præbito, ſeſe populo adflicto adjutorem præſtet, & eum hoſtibus ac malis eripiat, peccataque, quæ iram Dei provocaverant, condonet, idque omne propter gloriam nominis ſui, verſ. 9. *Auxilium nobis præbe, Deus ſalutis noſtræ, propter cauſam gloriæ nominis tui, & eripe nos, & oblitera peccata noſtra propter nomen tuum.* h. e. non noſtri cauſa, ſumus enim indigni & peccatores, qui iram tuam propter peccata in me-

medio noſtri commiſſa provocavimus, ſed quia tu Deus noſter es, & nos de nomine tuo adpellamur, ne nominis tui gloria inter gentes obſcuretur, & ut tu potentiſſimum & ſupremum numen innoteſcas, ac celebreris, præſta te noſtrum patronum in bello cum gentibus, & nos eorum manibus eripe, ac in liberum & proſperum ſtatum adſere, peccata vero noſtra, quæ obſtant, gratia tua, accepto lytro, obtege, & dele. Quæ paraphraſis cum ſenſum clare expreſſerit, nec verba aliquid habeant, quod noſtra indiget opera, plura non addam.

§. XV. *Tertius* articulus eſt, quo petunt, ut Deus gentibus, populo Dei & ipſi Deo irridentibus, & ſignum majeſtatis ac potentiæ Dei illuſorie poſtulantibus, in eo ſitum, ut ſe vindicem ſervorum occiſorum demonſtret, os obſtruat, & ſarcaſticis eorum dictis finem imponat, audiendo clamores vinctorum, & filios mortis nervando, ſimul irriſores illos graviter puniendo, verſ. 10—12. In qua pericopa, *α.* contumelioſa gentium dicta in Deum & populum ejus exhibent, nec ferenda amplius eſſe ſignificant, verſ. 10. *β.* petunt, ut Deus ſeſe talem præſtet, qualem illuſorie volebant gentes, vinctos, & ſub ictu mortis poſitos, liberando, ac irriſoribus vices rependendo, verſ. 11, 12. *a.* Verba gentium contumelioſa & irriſoria in Deum, & populum ejus, his verbis repræſentant, verſ. 10. *Quare dicent gentes, ubi eſt Deus ipſorum? innoteſcat inter gentes*, ſeu tumidos vastatores, *coram oculis noſtris, ultione ſanguinis ſervorum tuorum effuſi.* h. e. nimis injurioſum & inſolens eſt, quam ut ferri a te amplius poſſit, gentes nobis palam inſultare, dicentes, *ubi eſt Deus ipſorum?* potentiſſimum illud numen, in quo præ aliis gloriantur, tanquam ſolo vero Deo; quam vana hæc eſt fides & ſpes eorum! cum nihil minus ſit, quam talis Deus; quod ſi ſit, oſtendat nunc ſeſe talem inter gentes illas tumidas, populum ejus adeo opprimentes, ita ut in oculos noſtros incurrat, innoteſcat coram nobis talis per vindictam ſanguinis ſervorum ſuorum. Quod cum

non fiat; nihil esse eorum numen, manifestum est. Interpretes verba, *innotescat inter gentes* &c. pro verbis populi Israelis habent, quibus, ansa ex calumnia & irrisione gentium sumta, orarent Deum, ut inter gentes coram suis oculis innotescat ultione sanguinis servorum suorum. Sed hoc si voluissent loquentes, dixissent, non *innotescat*, sed *innotescas*, cum Deum adloquantur; nec, quod alii volunt, construi potest verbum יודע cum נקמת, ut sit, *innotescat ultio*, cum genere differant verbum & nomen; praeterea emphasi quoque tunc careret phrasis *ante oculos nostros*; cum ipsi illi sint, quorum causa foret a Deo agenda; sufficisset, *innotescat inter gentes vindicta sanguinis* &c. Rectius longe fluit oratio, si verba gentium irridentium habeantur; quibus sarcasticam suam interrogationem, *ubi est Deus ipsorum?* adstruunt; *innotescat*, si talis sit Deus ipsorum, *inter gentes coram nobis ultione sanguinis servorum tuorum effusi*: quemadmodum Jes. v: 19. irrisores populi ipsius dicunt: *accelleret, prope adducat opus suum, ut videamus, & adpropinquet ac veniat consilium sancti Israelis & cognoscamus*: nec obstat, quod *servorum tuorum*, & non *ipsius* dicatur; ut videri posset deberi, si gentes irridentes loquantur: praeterquam enim quod poeta in oratione ad Deum verba, persona mutata, ita flectere potuerit, loco *servorum ejus* dicens *tuorum*, notari velim haec verba potius habenda esse pro verbis populi Dei, quae explicationis gratia sunt addita, ad sensum verborum, *innotescat inter gentes coram oculis nostris*, definiendum, acsi haberetur; *quare dicent gentes, ubi est Deus ipsorum? innotescat inter gentes ante oculos nostros*; scilicet, subjungit populus loquens, indicatum volunt hoc verbo *innotescat*, ut illud fiat, o Deus! *ultione sanguinis servorum tuorum effusi.*

§. XVI. Hac jacta hypothesi, verba uno alterove illustremus observato. 1. Verbum יודע *innotescat* construendum est cum Deo, tanquam subjecto, & voce נקמת *ultione* tanquam modo, quo Deus innotesceret, adeoque per el-

Ipsius

lipsin usitatissimam præp. ב in נקמת; quod recte vidit Junius, male a Piscatore castigatus, acsi ineptus tunc fieret sermo: *Deus innotescat ultione servorum tuorum*, quod ex supra dictis facile refutatur. 2. Verbum *innotescere*, Deo adtributum, & ad *ultionem sanguinis* relatum, significat manifestationem Dei, tanquam *vindicis* cædis servorum suorum justi ac potentis: ut sensus sit, si verus Deus est, & Israel ejus populus, *innotescat* talis per vindictam ab hostibus, qui servos ejus necarunt, sumtam. Pertinet enim manifeste ad dictum, *ubi est Deus ipsorum?* si sit talis, *innotescat* ultione &c. illustri dato hac ratione suæ justitiæ & potentiæ specimine. Addunt gentes irridentes, quod 3. notandum, *coram oculis nostris*, ut significent, se publicum & clarum, in oculos occurrens, velle specimen, quod manifestum itaque est, & publicum, famamque quaquaversum spargit. Quam potestatem subinde involvit verbum נודע, pro *evulgari* sumtum, & q. sub præcone prædicari: uti ad Ps. LXXIV: 5. vidimus. Denique 4. *innotescere inter gentes coram oculis nostris*, qui etiam gentes reputamur, quod idem est ac publice in mundo coram nobis, vel potius inter gentes illas tumidas & vastatrices Israelis Deus eorum, si sit talis, innotescat vindex sanguinis servorum suorum ab iis fusi; adeo ut se ab iis distinguant, qui hic sarcastice loquuntur, & velint, Deum Israelitarum sese, ipsis inspicientibus, vindicem præstiturum, in gentibus illis elatis, & insolentibus, puniendis, quæ sanguinem servorum Dei effuderunt. Quem genuinum esse verborum sensum existimo, *cum* quod se ab iis distinguant, *tum* quod phrasis, *innotescere in gentibus coram nobis*, illud requirat, *tum* denique, quod non habeatur גוים in textu, sed גיים cum duplice י. Masorethæ quidem punctarunt, acsi legatur גוים, ut ad marginem posuerunt, sed rectius retinetur vox textualis, & punctatur גוים, ut respondeat voci גאים, in Script. quoque obviæ, vel גוים. Radices nimirum synonymæ sunt, apud Arab. superstites, גוה vel גוי, גיי & גאה, quæ pro-

prietatem habent in *eminendo per ſui extenſionem*, vel *tumeſcendo*, unde in bonum pro ſumma potentia, excellentia & gloria, & in malum, pro faſtu & inſolentia ſumitur, quando, met. ab aquis intumeſcentibus ſumta, transfertur ad inſolentes actiones, & violentas graſſationes &c. Quæ luculenter deduxit Cl. Schroeder *a*. Aptiſſimum itaque eſt epitheton inſolentium & potentum, ac violentorum, oppreſſorum, quales fuerunt in primis Syro-Macedones, qui etiam, ut & Chaldæi, adpellantur זדים Pſ. cxxiii: 4. nec non זרים Pſ. xciv: 2. quo ipſi reliqui populi vicini Judæorum, hic loquentes, eos inſignire potuerunt; ſive quod pro talibus publice eſſent noti, ſive quod Judæorum reſpectu tales ſeſe coram omnibus præſtiterint, ſive quod, cum tales habeantur a populo Dei, Deus, ſi talis ſit, qualem Judæi exiſtimant, eos ferre non poſſe cenſendus ſit.

§. XVII. β. Hæc irriſio, non amplius ferenda, ut e medio tollatur, & irriſoribus obſtruantur ora, ſupplicant Judæi *a*. ut Deus oppreſſorum cauſam agat, & ſe eorum vindicem præſtet, *b*. ut irriſoribus vices rependat *a*. *Prius* his verbis, verſ. 11. *intret in conſpectum tuum ſingultus vincti; pro firmitate brachii tui nerva filios occiſionis*. h. e. ipſo facto, petimus, ut demonſtres tibi innotuiſſe, & admiſſas eſſe victorum, & cædi deſtinatorum, lamentabiles quiritationes, iisque robur concedas & firmitatem, ut, calamitatibus erepti, opibus viribus & dignitate præcellant, pro ſumma tua, qua polles, potentia; eaque ratione te præſtes vindicem ſanguinis ſervorum tuorum fuſi: qualem te exhibere debere gentes, illuſorie licet, poſtulant. Verba, ut ſæpe fit, elegantiæ ergo disjuncta, hac ratione conjungenda ſunt: *intret in conſpectum tuum ſingultus vincti & filiorum occiſionis, eosque pro intima firmitate brachii tui nerva*. Populus Dei hic *vincti & filiorum occiſionis* titulo inſignitur, ad miſerum, periculoſum, & oppreſſum ejus ſtatum deſignandum, quo *partim* erat carceri mancipatus, & morti

a Ad Pſ. x: 2.

ti violentæ addictus, *partim* ad incitas redactus, & neci expositus, ut *vincto & filiis occisionis* similis sit. Vox אסיר peculiari usu dicit *bello captum*, sed latius sese extendit ad dura servitute pressum, sub imperio exactoris ejusque baculo positum, qui pistrino, aliove gravi jugo, quotidie exercetur, ut Job. III: 18. *simul vincti eliquata abundant tranquillitate, non audiunt vocem exactoris.* Conf., ad figuratum sensum illustrandum, Hos. X: 10. & Zach. IX: 11. & de statu Judæorum hujus temporis sub *exactore*, Zach. IX: 8. Alterum epitheton ad continuum mortis violentæ *metum* pertinet, in quo qui versantur recte adpellantur, phrasi orientalibus usitata, *filii occisionis*, h. e. morti addicti. Vid. Gejerus. *Vincti* itaque & *filii mortis* sunt, qui dura servitute pressi, & *sub ictu* mortis degunt. Qui verus fuit Judæorum, sæviente persecutione Epiphanica, in primis in initio, seu primo triennio, conspectus: uti in vulgus notum est.

§. XVIII. Petunt nunc, ut horum *suspiria* coram Deo *veniant*, & Deus eos *nervet*: h. e. Deus eorum quiritationes exaudiat, & exserto brachio suo potente eos firmos, vegetos & fortunatos, reddat, eos liberando, & in prosperam ac eminentem conditionem educendo. *Intret in conspectum tuum*, inquiunt, *singultus vincti*, scilicet jam jam morituri, adeoque simul *filii mortis*: quod voce בני תמותה est comprehensum: est enim ὀνοματοποιὸν e sono fictum, dicitque singultum quatientem moribundi *a*. Phrasis vero *intrare in faciem* Dei est emphatica & selecta; desumta a tremenda Majestate, sese in penetrali suo tenente; ubi adiri solet a supplicantibus, quorum supplicationes *intrare* dicuntur, id enim בוא denotat, oppositе ad יצא, quum admittuntur & exaudiuntur. Vox פנים subinde majestatem venerandam dicit, quum principibus adtribuitur, ut Job. XI: 19. quæ *velo* quasi obducta dicitur, quum aditus negatur & exauditio; conf. Ps. XXVII: 9. Alterum membrum habet,

a Schultens clav. p. 235.

bet, *ſecundum robur brachii tui nerva filios mortis:* hæc enim connectenda ſunt, vocibus, *ſecundum robur brachii*, non cum præced., ſed ſeq. conſtructis, ut facile patet. Nihil hic difficile niſi in verbo יתר; cujus emphaſin non perſpexerunt Interpretes, quod radicis יתר, unde infin. Hiph. יותר, veram vim non penetrarint. Radix יתר primariam ſedem habet in *vibratione intenſa* ac *tremula*, proprie *nervi*, quum reddit ſonum *tir*; ex quo fictum eſt verbum; hinc יתר pro nervo adhibetur ſive *arcus*, ſive *tentorii*, vel pro *funibus firmis* generatim; & figurate transfertur ad *robur vibrantiſſimum*, *vigorem durantem*, fortunas lautas, ſtabiles, eminentes & præcellentes *a*. Ita Prov. 11: 21. *integri in terra* יותרו *nervabuntur*. Sic & Deut. XXVIII: 11. והותיר *nervabit te Dominus in omni opere manuum tuarum:* &c. h. e. *nervo in his omnibus durante & vibrante te augebit, ut viribus, opibus, fortunis emineas ac præcellas;* verba ſunt Cl. Schultens *b*. Ita hoc loco, *nervare*, ſeu *nervando nerva*, *filios mortis*, eſt eos firmos, validos, fortunatos & eminentes, redde. Quæ ampliſſima eſt & elegantiſſima ſententia; quæ fit elegantior voce מות, cui opponitur, ſi originariæ ejus poteſtatis ratio habeatur: dicit enim proprie, *humoris maceratione diſſolvi c*, cui opponitur יתר proprie *compingere*, *coagmentare*, & hic יתר *nervare*, nervis conſtringere.

§. XIX. *b. Poſterius*, quod petunt, eſt, ut irriſoribus idem contingat, quod in Judæos commiſerant, nec parva, ſed abundante menſura, & copia, verſ. 12. *Et redde vicinis noſtris ſeptupliciter in ſinum ipſorum probrum ipſorum, quo te probroſe lacerarunt, Domine!* h. e. probra, quæ in Te, populumque tuum, tam impudenter conjecerunt, experiantur ipſi per legem talionis, nec parva, ſed magna menſura, quæ ſinum repleat, & ipſis pro abundante mercede ſit; adeoque adfligantur magis, quam nos, & magis illudantur. Nihil hic noſtræ curæ relictum eſt. Conf. de phraſi

a Id. de Ambig. §. 31. & ad Prov. 11: 21. *b* l. c.
c Id ad Job. 1v: 21.

phrasi & forma precum, quæ dixi ad Ps. XXVIII: 4, 5. De implemento, respectu populorum vicinorum, ex historia Maccab. satis constat.

§. XX. Ultima Ps. pars propositum continet officio populi probe fungendi, postquam liberationem fuerint consecuti, in Deo pastore cum gratiarum actione laudando & celebrando in perpetuum, vers. 13. *Et*, vel *tunc*, *nos*, *populus tuus*, *& oves pascui tui*, *confitebimur tibi in seculum; enarrabimus laudem tuam in generationem & generationem.* h. e. Hæc, quæ supplicavimus, quum fuerimus consecuti, tunc nos tibi præstabimus verum & genuinum tuum populum, te, sicut oves pastorem, agnoscendo, a te dependendo, & te sequendo, simul tibi gloriam nominis tui dabimus, & laudabilia tua opera ac beneficia, in laudem tuam, enarrabimus & celebrabimus, quamdiu nos & posteri nostri fuerimus, & populum tuum constituerimus. Declarant itaque, se erga Deum sese gesturos, quemadmodum status & relatio sua ad Deum requirit, & beneficia Dei in se collata exigunt, posteaquam votorum fuerint compotes facti; oppositе ad gentes, Deum probro adficientes. Quod ex nexu facile colligitur: particula itaque *& in & nos*, est *tunc*; ut sæpe alias. Nihil hic obscuri.

PSALM.

PSALM. LXXX.

1. *Præfecto Schoſchannim inſtrumentum felicitatis.*
2. *Paſtor Israelis! auribus percipe, qui inſtar gregis Joſephum ducis: o Tu qui inſides Cherubis! coruscum Te fac.*
3. *Coram Ephraim & Benjamin & Manaſſe excita potentiam tuam, & ito ad ſalutem nobis.*
4. *Deus! reduc nos, & illumina faciem tuam, & ſervabimur*, vel *ut ſervemur.*
5. *Jehova, Deus exercituum! usque quo fumas in orationem populi tui?*
6. *Feciſti, ut pane lacrymis veſcerentur, & lacrymas plenis cyathis biberent.*
7. *Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannant eos.*
8. *Deus exercituum reduc nos, & illumina faciem tuam, & ſervabimur*, vel, *ut ſervemur.*
9. *Vitem ex Aegypto avulſam transtuliſti; gentes expuliſti, & plantaſti eam.*
10. *Evacuaſti coram illa, & radices ſuas late & alte egit, & implevit terram.*
11. *Montes umbra ejus cooperti ſunt, & palmites ejus ſunt cedri Dei.*
12. *Sagittas ſuas usque ad mare, & ad fluvium emiſit teneros ſuos ramos.*
13. *Quare perrupiſti maceries ejus? ita ut omnes illac pertranseuntes eam discerpant.*

14. *De-*

14. *Devaſtavit illam aper e ſylva, & fera agreſtis depavit illam.*

15. *Deus exercituum! redi quæſo, & vibrante oculo e cœlis intuere, & viſita vitem hanc,*

16. *Et ſurculum, quem plantavit dextra tua,* quemque *contra filium Tibi roboraſti.*

17. *Combuſtum* ſit *igne purgamentum: præ increpatione faciei tuæ pereant.*

18. *Sit manus tua ſuper viro dextræ tuæ,* quem *contra filium hominis tibi roboraſti*

19. *Et ne recedamus a Te: vivifica nos, ut nomen Tuum nuncupemus.*

20. *Jehova,* Deus *exercituum! reduc nos, illumina faciem tuam, & ſervabimur,* vel, *ut ſervemur.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Eccleſia Judaica, exerto Dei brachio ex Aegypto liberata, & peculiari Divini Numinis cura in ſummum gloriæ ac felicitatis faſtigium educta, hoc in Pſalmo graviſſimis preſſa vexationibus, a truculento hoſte, *porco ſylveſtri* adpellato, in eam hoſtiliter irruente, inflictis, quod ad *exteriorem* ejus conditionem repræſentatur: eoque in ſtatu collocata, Dei auxilium ardentiſſimis precibus implorat, multisque rationibus Numen divinum ad miſericordiam flectere conatur, ut Heroës, ad ejus liberationem ſeſe accingentes, Dei ſub auſpiciis opus, quod aggreſſi fuerant, felicem ad exitum perducere poſſint.

§. II. Hoc argumentum, Pſalmi *materiam* conſtituens, ab *Aſapho* in elegantioris ſtructuræ carmen, certis adſtrictum numeris redactum, muſicæ ſacræ, in Templo exercendæ, partem abſolvere, & *inſtructionis* uſum habere debebat: quemadmodum ejus *titulus* demonſtrat. *Præfecto Schoſchannim, inſtrumentum felicitatis Aſaphi Carmen.* Carmen מזמור appellatur, quod majore arte elaboratum, numerisque ſuis adſtrictum, multifaria *vocis ſectione & fractione* canendum foret inter muſica inſtrumenta. Vox enim מזמר eſt a *ſecando* & *amputando*, & eo nomine venit carmen, ſive quod multa circumciſione & amputatione opus ſit, ſi perfectum futurum ſit, ſeu verius quod *multam* vocis *modulationem* ejusmodi carmina poſtulent. Auctor ejus *Aſaph* memoratur, tum quod præfixum ל in titulis Pſalmorum *auctoris* ſoleat eſſe criterium, tum præſertim quod cæteroquin *de Aſapho* vertendum eſſet, & *Aſaph* objectum Pſ., quod abſurdum, tum denique quod *a Præfecto ſchoſchannim* diſtinguuatur: ex quo colligitur, *Aſaphum* non eum eſſe, cui Pſalmus eſſet committendus, ſed a quo compoſitus eſt. At enim quis ille *Aſaph*, inter Doctos non convenit. Sunt enim, inter quos Cl. Bochartus *a*, qui non celebrem illum *Aſaphum*, Davidi æqualem, unum ex tribus ſummis muſices præfectis, ſed alium ex eadem fortaſſe familia, qui tempore exſilii Babyl. vixit, intelligunt, quod Pſ., ejus nomen præferentes, de illa calamitate tanquam præſenti loquantur: vid. Pſ. LXXIV, LXXIX. Quæ ſi vera ſit hypotheſis, a variis Aſaphis Pſalmi ejus nominis ſint facti, neceſſe eſt. Pſ. enim LXXVIII. Aſaphum, Davidi æqualem, auctorem habuiſſe, ex eo conſtat, quod beneficia in populum collata ad illa tantum usque tempora percenſeantur. Sint itaque a diverſis Aſaphis compoſiti, poſtea ob nominis ſimilitudinem, vel quod ſcribæ unius ejusdemque cenſuerint eſſe auctoris, in una ſerie collocati. Verum quidem eſt, Aſaphum tempore Davidis fuiſſe celeberrimum non tantum *cantorem*, ſed & *prophetam* ſeu *videntem*, 2 Chron.

a Hieroz. p. I. l. III. c. 29.

XXIX.

XXIX: 30. sed plures ejus nominis postea fuisse ex 2 Reg. XVIII: 18. colligitur, ubi *Joah filius Asaphi* temporibus Hiskiæ memoratur; nec dubium est, quin nomen illud, ob primi *Asaphi* celebritatem, ad plures cantores transierit. Sic & sæpius alias usu venit, ut *primi sacri ordinis autoris*, observatum est summi Viri, singularis mei amici, T. Hemsterhusii *b*, *nomen ad posteros dimanaret*. Nec tamen in ea opinione securus acquiesco, cum Asaphus, *videns* κατ' ἐξοχὴν appellatus, exstaticis raptibus in futurorum contemplationem ductus, ea tanquam præsentia depingere potuerit: licet cum styli perspicuitate vix conciliari poterit; ecstaticorum enim abruptus, sublimis, & non facilis ac leniter fluens, ut in his Psalmis observatur, stylus est. Fruatur ergo hic quisque suo judicio. Vulgatæ opinioni patrocinatus est Cl. Vitringa *b*. Duo sunt, fateor, quæ ad recentiorem Asaphum judicium inclinant: unum, quod calamitas præsens describatur, alterum, quod stylo historico magis quam prophetico, minus ecstaticis proprio, depingatur.

§. III. Quicquid sit, sive ab antiquo illo, sive recentiore aliquo Asapho sit compositus Psalmus, virum sane divinitus afflatum spirat, & *usui* salutari destinatus fuit, ut pii in gravissima calamitate constituti de vera ratione liberationis & salutis consequendæ *instruerentur*: quo titulus עדות mihi tendere videtur. Illa enim vox non a rad. עוד, Hiph. העיד *contestatus & obtestatus est*, derivanda est, ut vulgo interpretes, qui *contestationem* hic vertunt, seu *memoriale*, ut Gejerus, varioque sensu explicant, sed a rad. ערה, ut a כסה כסות &c. quod ex plur. עדות cum ו mobili ulterius confirmatur. Cum enim ערה & עדה dixerint, hinc, uti a עדה est עדות, sic a עדה, עדות, & sic עדות cum ו mobili: utrumque in *legibus* & *institutis* Divinis denotandis frequenter teritur, quippe quibus homo *ornatur* & *instruitur* ad felicitatem, ערה enim radix *ornandi* & *instruendi* potestatem habet. Hinc עדות ut עדוי quicquid *ornat*, quo

a Ad Lucian. Tim. p. 135. *b* Obs. S. l. VI. c. 13.

ſenſu pro regio *ornamento* & apparatu עדות venit, 2 Reg. XI: 12. Pſalmus ergo עדות aptiſſimo ſenſu dicitur, qui ad felicitatem homini aut populo comparandam eſt deſtinatus, q. d. *inſtrumentum felicitatis:* ſeu aureum ac ornatiſſimum inſtrumentum, ut explicatur Pſ. LX: 1. ubi idem comparet titulus, qui mox exponitur מכתם ללמד *aureum carmen ad docendum*, vel *inſtruendum*. Quo ſenſu a titulo משכיל non longe abiret, niſi quod *legis* & *inſtitutionis divinæ*, uſu Script., involvat intellectum; ut ſit ornatiſſimum inſtrumentum felicitatis a Deo edoctum: quod precibus optime reſpondet, ut hoc Pſ. occurrit, Pſ. CXIX: 99. ex alibi.

§. IV. Hunc ſcopum ut divinus Pſaltes adſequeretur, publico *uſui* Pſalmus tradendus erat, tum ut hæ preces publice funderentur, tum ut populus de ſtatu Eccleſiæ & vera inſtaurationis ratione inſtrueretur. Quem in finem *præfecto Schoſchannim*, ſicut titulus habet, commendatur: מנצח interpretum conſenſu *præcentorem*, vel præfectum muſices, deſignat, quippe cujus eſt curare, ut muſica *rite* ac *integre ſine vitio* in Templo perageretur: quæ radicis poteſtas eſt. נצח enim in Kal proprie *merum* & *ſincerum* eſſe denotat, unde pro *veritate* & non fucata ſinceritate in Script. vox נצח frequentis uſus eſt. 1 Sam. XV: 29. Job. XXXIV: 36. Hab. I: 4. ubi conſulendus Cl. Schultens. Hinc נצח in Pih. eſt *monuit*, curavit, ut aliquid pure ſine vitio conſtet. Unde מנצח ejusmodi *monitorem*, vel *curatorem* muſicæ ſignificat. Verum cum triplicis ordinis *præfecti* fuerint, ex inſtitutione Davidis, 1 Chron. XXV. alii *ſummi*, Aſaph, Jeduthun & Heman, alii *Ephemeriarum* præfecti 24. eorum filii, ſecundum ſacerdotum *Ephemerias*, alii denique *magiſtri* 12. Ephemeriarum præfectis ſingulis ſubjecti; ultimi ordinis hic eſſe intelligendos, ex *inſtrumento* muſices hic addito, cui præfectus erat, colligitur. Ephemeriarum enim præfecti univerſam muſicam adminiſtrabant, non hujus aut illius inſtrumenti: ſed inferiores illi magiſtri ſuos modulos aut inſtrumenta curanda habuiſſe videntur, ut alii *tibias*, alii tubos,

bos, alii buccinam, alii citharam, alii tympana, alii cymbala curarint, 1 Chron. xv: 15. Quale autem organum muſicum per *Schoſchannim* indigitetur, difficilius forte determinatur. De quo ad Pſ. XLV. expoſui.

§. V. Sed ad alia, quæ nos paulo propius in Pſalmi intellectum ducunt, properamus. *Remotioribus* enim prolegomenis, quæ *auctorem*, *tempus*, *formam* Pſ. *exteriorem* comprehendunt, abſolutis, *propiora* ſunt in lucem protrahenda, quæ cum Pſ. intellectu proxime cohærent, & ad eum viam directe ſternunt: quæ ad *methodum* verbalem, & realem, qua argumentum Pſ. eſt pertractatum, & *hypotheſin*, ex qua explicandus eſt, referri poſſunt. De *verbali* methodo, quæ *ſtylum* dicit, hic nihil aliud obſervamus, quam ſtylo *ſupplicatorio* & *facili* Pſalmum eſſe compoſitum: *petitiones* Deo repræſentantur ſtylo nec abrupto, nec ſublimi, ut prophetis vel ecſtaticis ſæpe in uſu eſt, ſed plano, etſi aptis metaphoris, tanquam luminibus, non deſtituto: deinde, ſtylus animum ſupplicem, ſenſu malorum vividiſſime tactum, ſpirat. Quæ ex ipſa explicatione fient manifeſta. *Realis* methodus, in *analyſi* ſita, ſponte ſeſe in oculos ingerit. Cum enim eædem petitiones iisdem vocibus ter concludantur, verſ. 4, 8, 20. *Reduc nos*, *Deus*, *luceat facies tua*, *& ſervabimur*: in tres partes Pſalmus ſeſe facillime dividit, quæ easdem preces, cum inſigni variatione, continent. *Prima* ad verſ. 4. opem & auxilium Dei ad Eccleſiæ liberationem generali phraſi ſimpliciter implorat. *Secunda* ad verſ. 8. ſupplicationem graviſſima ratione confirmat, auxiliique divini neceſſitatem ex afflictiſſimæ Eccleſiæ ſtatu demonſtrat, ut Numen benigniſſimum ad miſericordiam flecteretur. *Tertia* inde ad finem idem fortius adſtringit, ex comparatione inter priſtinam felicitatem, a Deo gratuite conceſſam, & præſentem calamitatem, inſtituta; ut ſuperioris temporis beneficia, quibus Deus ſeſe quaſi obſtrinxerat Eccleſiæ, ne fruſtra viderentur collata, & male collocata, Deum ad eccleſiam vindicandam quaſi compellerent. Num vero illæ

partes, totidem diverſas perſonas, ſibi ſuccinentes, & vices reddentes, requirant, adeoque tres cantorum chori, ſibi reſpondentes, hic in ſcenam ſint producendi, dicere non auſim, cum diverſarum perſonarum hic nullum ſit indicium. Eædem enim preces ab eadem perſona cum nova ſemper inſtantia ter repeti poſſunt.

ANACRISIS.

§. VI. Atenim altioris indaginis eſt, veram Pſalmi exponendi *hypotheſin* jeciſſe, quippe a qua genuinus ejus intellectus dependet. Cum enim diverſis temporibus Eccleſiæ Dei fuerit afflicta conditio, cui ejusmodi preces aptari poſſent, ne vaga ſit Pſalmi interpretatio, in illud tempus, quod hic intenditur, inquirendum, illudque ex characteribus, afflictionem hic deſcriptam diſtinguentibus, derivandum eſt. Cum enim tempus in Pſalmo non fuerit conſignatum; nulla alia via ad ejus demonſtrationem patet, ac quam *attributa*, hic occurrentia, pandunt. Ceterum, cum Pſalmus noſter ejusdem plane ſit argumenti, ac Pſ. LXXIV & LXXIX., qui ejusdem itidem ſunt auctoris, *criteria* temporis tum ex collatione, noſtrum inter & illos inſtituta, tum ex ipſo Pſ. noſtro erui poſſunt. Sunt autem præcipua, quæ temporis notam characteriſticam conſtituunt, ſequentia. 1. *Primum* eſt, eccleſiam jam eo tempore, quo calamitas *incepit*, longe lateque extra *Cananæam* fuiſſe diffuſam, ita ut in ſpecie per Babyl. & Aſſyriam, nec non per Aegyptum fuerit diſperſa, qui verſ. 12. ſenſus eſt: *emiſerat palmites ſuos usque ad mare, & usque ad fluvium ſtolones* ſuos: ut ſuo loco videbimus. 2. *Secundum*, quod ad ſtatum Eccleſiæ ante afflictionem itidem pertinet, a *ſynagogarum* multitudine per Cananæam derivatur. Sic Pſ. LXXIV: 8. *combuſſerunt omnes conventus Dei*, ſeu *ſynagogas*, ut recte Aquila & Symm. 3. *Tertium*, eodem etiam referen-

rendum, *prophetarum* defectum comprehendit. Sic ibid. verſ. 9 —— *non eſt amplius prophetа, & nemo noſtrum eſt, qui novit*, quousque, ſcilicet duratura ſit calamitas. Senſus eſt; prophetarum ſeriem jam ceſſaſſe, &, ſi vel aliqui hic illic divinitus inſpirati ſint, eos tamen tempus, ſeu terminum affictionis ad quem, ignorare. 4. Ipſa vero affictio civitatis quidem & ſacrorum ruinam, multorumque ex populo violentam occiſionem, ſed *exilium* non complectitur, quæ *quarta* eſt nota. Quin haud obſcurè hic illic exſtant indicia populi in ipſa Cananæa graviſſime afflicti, & preces pro liberatione fundentis. *Vinea* non in alias terras translata repræſentatur, ſed in loco ſuo omni tegmine & ſepimento orbata, ac ferarum incurſionibus expoſita, nec non earum deſolationes experta, exhibetur. Precantur quidem *reduc nos*, verſ. 4, 8, 20. ſed vel diſperſorum recollectionem, & ad Dei faciem in Templo lucere ſolitam reductionem, vel rerum ſuarum inſtaurationem, vel denique favoris & auxilii divini redditionem, ut eſt verſ. 15., intelligunt: de quo ſuo loco.

§. VII. 5. Habet præterea hæc calamitas aliud inſigne, quo diſtinguitur, criterium, in ejus cauſa & vero conſpectu ſitum, quo ea in innocentium mactatione, religionis præcipue cauſa, collocatur. Pſ. LXXIX: 10. *Innoteſcat Deus noſter &c. ultione ſanguinis ſervorum tuorum effuſi: veniat ad Te clamor vincti: fac ſuperſtites filios occiſionis*, h. e. mactationi deſtinatos. Populus itaque hic partem occiſus, partem vinculis conſtrictus, & cædi deſtinatus, occurrit: quod ex Pſ. XLIV: 24. ejusdem plane argumenti clare confirmatur. 6. Accedit, populum, etſi graviſſime preſſum, nondum hoſtium poteſtati perfecte traditum depingi: ſic Pſ. LXXIV: 19. *ne turturis tui vitam feræ tradideris* &c: erant valde *attenuati* Pſ. LXXIX: 8. partim occiſi, partim vinculis conſtricti; vinea, ſepimentis dirutis, ferarum inſultus patiebatur, ſed locum adhuc tenebat in terra Pſ. LXXX: 15. imo, quod probe notandum, ſeſe ad liberationem ſuam efficien-

dam,

dam accingebant, Deumque ſupplices precantur, ut Heroas ſuo ſpiritu animet, eorumque coeptis felicem det exitum. *Sit manus tua*, orant noſtro Pſ. verſ. 18., *ſuper virum dextræ tuæ* &c.

§. VIII. Ad hos characteres ſi quis, verbi prophetici & hiſtoriarum non prorſus imperitus, præcipuas Interpretum hypotheſes examinaverit, is earum falſitatem liquido deprehendet. Communis ſane opinio, quæ habet, exilium x tribuum, Aſſyriacum, vel Babylonicum, hoc Pſalmo ob oculos ſiſti, cui ſententiæ calculum quoque olim addiderat Cl. Vitringa *a*, ſed a qua poſtea discesſit, ut ex nonnullis locis comm. ad Jeſ. liquet, cum nullo criterio ſupra producto conciliari poteſt. Ante illud enim tempus Judæi per Babyloniam & Aegyptum ſedes adeo frequentes nondum fixerant, ſynagogas nondum habebant: eo etiam tempore prophetarum ſeries nondum deſierat, terminus exilii ignotus in genere non erat, ſed a Jeremia clare definitus: populus penitus in hoſtium ditionem ceſſerat, & in exilium abductus erat: nec afflictionis religionis cauſa vel minimam præferebat ſpeciem, ſed belli ſolennis erat effectum: denique neminem habebant, a quo rerum ſuarum inſtaurationem exſpectare poterant: Cyrus enim, de quo hic cogitari poſſet, regnum Babyl. ante devicerat, quam eum pro liberatore ſuo agnoſcere potuerint Judæi, ita ut in exilio ipſo, ſtante regno Babyl. de Cyro vix cogitare potuerint: accedit, haud obſcure innui, eos heroas ex ipſo Dei populo eſſe ſuscitandos. Zerubbabelis vero ducis, de quo alii cogitant, quippe cui hoſtium debellatio, & populi vindicatio, nulla ſpecie attribui poteſt, hic nulla labenda eſt ratio.

§. IX. Præcipua eorum ratio, qui *exilium* intelligunt, in formula *reduc nos* ſita, ſupra jam eſt refutata: aliorum autem, qui *Aſſyriacum* exilium indicari cenſent, ratio ex verſ. 2. petitur, ubi coram *Ephraimo*, *Benjamine* & *Manaſſe*, potentiam Dei excitandam orant: ſed vel ſola *Benjaminis* men-

a Syn. V. l. 1. p. 11. c. 10.

mentio eam refutat, cum *Benjaminis* tribus x tribubus nunquam fuerit accenſita, ſed cum Juda, Judæ regnum, per Babyl. deſtructum, conſtituerit. Quare autem illarum tribuum in ſpecie fiat mentio, ſuo loco inquiremus.

§. X. Cl. Cocceji hypotheſis habet, preces fidelium vet. teſt., quibus gratiam Dei in Chriſto ſub Euangelio manifeſtandam implorarent, tribus diſtinctis periodis fundendas, repræſentari, quarum prima foret ante regni Israëlitici deſtructionem, ſecunda ante regni Judæ ruinam, tertia exilium Babyl. & tempora inſequentia; quibus periodis fideles, ſuorum temporum calamitatibus excitati, in ardentiſſima vota meliorum temporum ſub Meſſia erumpentes, hoc Pſ. exhiberentur. Anſam hujus opinionis tum petitio ter repetita præbuit, tum Ephraimi & Manaſſis mentio, verſ. 3. tum phraſis *illuminationis* faciei Dei, quæ ſingulis petitionibus recurrit. Sed hæ rationes parum roboris habent. Eædem preces emphaſios cauſa non ſine inſigni orationis elegantia repetuntur, ac gradatim adſcendunt, precantiumque ardorem indicant. De Ephraimo & Manaſſe hic memoratis ſuo loco. Phraſis vero *illuminationis faciei* nimis generalis eſt, quam ut hinc illud colligi poſſit. Sed rationes aliæ non deſunt, quibus hypotheſis refutatur. 1. Ex univerſo contextu certum eſt, per *ſalutem*, quam implorant pii, divinam *liberationem* ex præſente calamitate, qua premebantur, intelligi. Salus enim afflictionibus opponitur, quare alia, ac quæ eas tollit, eſſe nequit. 2. Salutem ab inſigni heroa, ſpiritu Dei animato, adferendam intelligunt, ut ex verſ. 17. 18. liquet: qui *Chriſtus* eſſe nequit, quod *vir ille dextræ divinæ* tempore calamitatis illius exiſteret, quodque Eccleſiæ afflictæ ſtatum inſtauraret: quorum neutrum Chriſto convenit. 3. Salus indigitatur a Deo tanquam imperatore, per *robur* ejus, adferenda; adeoque in Eccleſiæ, ſub hoſtium potentia gementis, vindicatione, & hoſtium deſtructione, ſita. Ita verſ. 3. *excita robur tuum, ito ad ſalutem nobis*, tanquam magnus imperator, cu-

jus robori nemo reſiſtere poterit. 4. Preces denique intelliguntur, quas Deus cum aliqua indignatione tanquam iratus aliquandiu reſpuerat: hoc enim eſt *quousque fumas contra orationem populi?* verſ. 5. Quod petitioni gratiæ Chriſti, ſuo definito tempore manifeſtandæ, minus recte applicatur. 5. Accedit poſtremo, calamitatem, quæ hic depingitur, nec in exilium Babyl. nec in præcedentia tempora convenire, ut ex ſuperioribus liquet.

§. XI. Ergo, ne longiores traham moras in re, ut exiſtimo, liquida, criteria, ſupra prolata, tempus hujus calamitatis accurate definiunt, illudque ad tempora Maccabaica manifeſte reſtringunt. Eo enim tempore Judæi quaquaverſum per orbem diſperſi ſedes præcipue in Aſſyria & Aegypto fixerant frequentes, ſynagogarum magna erat ubique multitudo, Prophetarum ceſſaverat ſucceſſio, afflictio erat omnium diriſſima, ſed in ipſa Cananæa, ita ut in hoſtium poteſtatem non plene ceſſerint; fortiſſimi enim heroes, Maccabæi fratres, ſeſe ad populi vindicationem cum optato ſucceſſu accinxerunt: hæc denique ſola afflictio *religionis* itidem cauſa inſtituta eſt, ut ex libris Maccab. & Joſephi conſtat.

§. XII. In ſpecie vero ſcena Pſ. in eo videtur figenda tempore, quo Maccabæi fratres ſeſe Syrorum inſultibus publice oppoſuerunt, eo cum ſucceſſu, ut omnibus præclaram de ſe concitarint ſpem, fore, ut, divina ſecundante gratia, Eccleſiam a Syrorum dominatu in libertatem vindicarent. Calamitas enim hic tanquam præſens depingitur, eamque jam aliquandiu durasſe, verſ. 5. innuitur. Heroas vero, tanquam vindices, omnium oculos in ſe vertiſſe, verſ. 17 & 18. clare ſignificatur: ergo virtutis eorum jam aliqua exſtitiſſe ſpecimina, quæ ulterioris ſpei fundamenta eſſe poterant, ſtatuatur, neceſſe eſt.

PARS

PARS PRIMA,

AUXILII DIVINI, AD LIBERATIONEM EX PRÆSENTI AFFLICTIONE, PETITIONEM IN GENERE COMPREHENDENS,

VERS. 2—4.

§. XIII. *Primæ* Psalmi partis, quæ petitionis generalem propositionem comprehendit, duo sunt membra, quorum prius aptissimum ad Deum *adloquium*, vers. 2. posterius *argumentum* precationis continet, vers. 3, 4. Adloquium, quo Deus aptissimis titulis compellatur, & ad exaudiendas preces supplicatur, his verbis comprehensum est: *o Pastor Israelis! auribus percipe; qui instar gregis Josephum ducis: o Tu qui insides Cherubis! coruscum te fac.* Sic enim verba distinguenda sunt: titulus enim *ductoris Josephi* ad præcedens, & non ad sequens, membrum referendus est, quemadmodum ex comparatione cum titulo *pastoris*, qui ejusdem est significatus, ac *ductoris*, nec non ex collatione cum titulo *insidentis* Cherubis, qui a pastoris persona plane abhorret, si litteram spectes, facile colligitur: quod Masorethæ per *accentuationem* suam jam indicarunt.

§. XIV. Tituli, quibus Deum compellant, ab *altera* parte conditionem & statum externum populi, ab *altera* arctas, quæ Deum inter & populum intercedebant, relationes, aptissime repræsentant. Cum enim Deum *pastorem* & *ductorem* suum invocant, se *ovium* seu gregis speciem præferre, indicatum volunt: ut est Ps. LXXIX: 13. *ovium* autem sub emblemate tum in genere imbecillitatem suam, qua ad sui

defenſionem ac gubernationem inepti erant, tum in ſpecie præſentem conditionem miſerandam, qua, ovium inſtar, luporum & leonum inſultibus expoſiti, defenſoribus & rectoribus, qui ſe tueri deberent, deſtituti erant; inſinuatam voluerunt, quare *oves mactationis* adpellantur, Pſ. XLIV: 12. Qui genuinus fuit conſpectus Judæorum temporibus Antiochi Epiphanis. Pontifices enim, penes quos ſumma rerum erat, profani erant homines, Eccleſiæ nullam curam gerentes, cum paganis præterea in populi perniciem conſpirantes: ita ut gregis diſperſæ, paſtoribus deſtitutæ, ac hoſtium atrociſſimorum inſidiis expoſitæ, geſſerint imaginem. Quæ ejus conditio ulterius elucet ex *Israelis* & *Joſephi* nominibus. Cum enim Deum *paſtoris Israelis*, & *ductoris Joſephi* titulo inſigniunt, inter alia, quæ mox proferam, in animo habuiſſe videntur exponere ſtatum præſentem cum *Israelis*, Eſavum fugientis, & extra domum paternam *oberrantis*, & *Joſephi* fratrum odio expoſiti, & omni ope ac cura humana privati inter peregrinos vagantis, ac quibusvis periculis expoſiti, recte comparari poſſe.

§. XV. Sed arctiſſimæ Deum inter & populum relationes ex iisdem titulis luculenter elucent. *Ovium* enim emblema demonſtrat, eos eſſe *populum* Dei, a Deo peculiariter *amatum*, ab eo collectum & ſegregatum; cujus *curam* gerere, cui pabulum omniaque neceſſaria ſuppeditare, quem *defendere*, cui *viam* ad ſummam felicitatem monſtrare, in ſe, qua paſtor, ſuscepit. Hinc *Paſtor* non tantum, ſed in ſpecie *ductor* adpellatur, quippe cujus eſt anteceſſorem agere gregis, eique viam præmonſtrare & præire, & quidem viam regiam & patentem, quæ verbi ſit poteſtas eſt. Huc itidem facit, quod *Paſtor* Israelis, & *ductor Joſephi* in ſpecie, nuncupatur. Eo enim innuere videntur, tum quid a Deo in præſentia petant, tum quo fundamento. Deum paſtorem Israelis & ductorem Joſephi ſupplices invocant, ut ſeſe iis, in ſimili conditione poſitis, talem quoque demonſtret, qualem olim *Jacobo* & *Joſepho*, *illum* con-

conſervando, & multis bonis cumulando, ut multis divitiis domum redierit, *huic* ad ſummam felicitatem viam monſtrando. Talem ſe Deum velle, qui ſimilia ſibi ſubminiſtret, his titulis directe indicare videntur. Sed quo fundamento id petant, iidem tituli declarant. Cum enim *Israelis* ſint poſteri, & *Joſephi* fratres, vel filii, quibus promiſſa facta ſunt a Deo, in majoribus iſtis Deus demonſtravit, qua ratione cum poſteris eorum agere vellet, ſe ſcilicet eorum, æque ac Patrum, fore *paſtorem* & *ductorem*.

§. XVI. Ex dictis, in fallor, elucet, quare Deum non ſub *ſui paſtoris* & *ductoris* nomine, ſed *paſtoris Israelis* & *ductoris Joſephi* compellent, ita ut Interpretum obſervatione, qua totum populum hic Israelis & Joſephi ſub nominibus venire notant, hic non indigeamus. Etſi enim Deum ſuum quoque eſſe paſtorem hic ſimul inſinuatum velint, directo tamen & primo ſenſu ipſæ *Israelis* & *Jacobi* perſonæ hic indigitantur, ea, qua explicui, ratione. Unde liquere videtur, hic reſpici ad Gen. XLVIII: 5. ubi Deus *paſtor Israelis* memoratur, & XLIX: 24.

§. XVII. Sed quare addunt *inſidentem Cherubis?* 1. Ut eundem Deum, qui Israelis paſtor & Joſephi ductor fuerat, & *ſuum* eſſe *regem* indicarent. Hic enim titulus Deo non niſi poſt liberationem ex Aegypto datus eſt: a quo enim tempore columnam nubis & ignis inhabitare, & ſupra arcam inter Cherubinos ſedem capere cœpit, adeoque ſe regem Israelis demonſtravit, hoc titulo inſignitus eſt. 2. Ut *Paſtorem*, qui ſimul *rex* erat, ſe intelligere innuerent, quemadmodum *reges* ſolenni *paſtorum* titulo venire ſolent. 3. Ut, *Regem* ſuum ac Deum fœderatum, qui ſeſe populo luculentis promiſſis devinxerat, quique ſedem inter ipſos fixerat, hoc elogio indicarent, ut, cum regis ſit populum defendere, & Deus eum in finem ſedem ſupra arcam in medio populi capeſſiverit, Deum hoc titulo ad ſui liberationem flecterent. Ceterum, cum ad inhabitationem Dei ſupra arcam hic reſpiciatur, uti ſatis vulgatum eſt,

vid. Exod. XXV: 22. 1 Sam. IV: 4. 2 Sam. VI: 2. Jeſ. XXXVII 16. phraſi ſequentes ideæ, quæ hic ad rem faciunt, involutæ ſunt, *a.* Deum eſſe Regem, throno inſidentem, ac *miniſtris* cinctum: thronus cœlum eſt, cujus ſanctum ſanctorum eſt ſymbolum, *miniſtri* ſunt *Angeli*, qui & alibi eo nomine inſigniuntur, uti Gen. III. Pſ. XVIII: 11. ſive ea vox *potentem* & *robuſtum*, ut apud Syr., ſive aliud quid denotet, de quo hic diſputandum non eſt *b.* Deum eſſe *regem* Israelis, externo præſentiæ ſymbolo inter eos habitantem; cujus miniſtri maxime illuſtriores per *Cherubinos* ſunt depicti: quippe qui tum cœleſtes tum terreſtres miniſtros delinearunt. *c.* Deum eſſe *regem* fœderatum populi, qui ſupra *arcam fœderis* ſedem fixit; argumento, ſe fœdus obſervaturum & promiſſa fœderis impleturum, adeoque populum eſſe tuiturum, & ei felicia quævis procuraturum. *d.* Denique, Deum *gratiam* & *miſericordiam* populo exhibere velle per operculum arcæ, *propitiatorium* dictum, cui inſidebet Deus, inſinuabatur. Operculum enim arcæ, ἱλαστήριον, per ellipſin pro ἐπίθεμα ἱλαστηρίου, *operculum propitiatorium* dictum, ac ſanguine conſpergi ſolitum, obedientiam mediatoris, in ſanguinis effuſione demonſtratam, expinxiſſe, adeoque *gratiam* Dei in Chriſto ob oculos poſuiſſe, exploratum eſt. Quo *e.* columnæ nubis & ignis ſymbolum, quo Deus ſe conſpiciendum præbebat ſupra arcam, itidem collineat, quippe quo Deus populo præſentiam ſuam non tantum in deſerto demonſtraverit, ſed & hoſtes ſæpe proſtraverit, ut Aegyptios in mari rubro, & varias liberationes Eccleſiæ ſuæ procuraverit, nec non viam per deſertum, tanquam *ductor*, monſtraverit.

§. XVIII. Sub hisce titulis, ad præſentem ſuum ſtatum & Deum ad ſui liberationem flectendum accommodatiſſimis, benigniſſimum & potentiſſimum Numen ad preces ſuas exaudiendas invocant. *Paſtor Israelis*, dicunt, האזינה *auribus percipe*, & *inſidens Cherubis* הופיעה *ſplendidus appareas*. Prior vox, ab אזן *auris* derivata, *aurem advertere*, ſe ad audiendum

dum parare, dicit, cujus conſequens eſt ipſum *audire*, quo ſenſu venit, cum a יצא diſtinguitur, ut Deut. I: 45. Jeſ. LXIV: 4. ſed abſolute poſitum ipſum *audire*, ut hic, comprehendit. Cæterum, cum Deus hic *paſtoris* ſub perſona veniat, quam apte hoc verbum hic inſurpetur, facile perſpicitur. Paſtoris enim eſt, ad balatus & clamores ovium aures intendere, eosque ad animum revocare, ut ad ovium auxilium promte accurrat. Poſterioris verbi יפע primigenia poteſtas in *radiando* procul & ex alto loco, in *emicando*, ſita eſt, unde apud Arab. de *editis* & *altis* locis ac rebus uſurpatur. Sic Deut. XXXIV: 2. Deus dicitur *radiaſſe* ex *monte Paran*. Ex *Tſione*, Pſ. L: 2. Ex quo non obſcure colligitur, ad columnam nubis & ignis, Divinæ majeſtatis ſedem, ſeu in monte Sinai, ſeu ſuper Tabernaculo, ſeu in editiſſimo Templi loco, conſpicuam, hoc verbo respici, quippe in quo Symbolo Deus *ſplendide* apparebat, & ex quo lucidiſſimi fulgoris radii emicabant. Hanc fulgidam faciei lucem cum Deus denſa quaſi nube aliquandiu involviſſet, ſeſeque atra texiſſet caligine, populum hoſtium inſultibus tradendo, & ad preces ejus non attendendo, ſupplices precantur, ut, nube discuſſa, præſentiæ ſuæ ſigna exhibeat, & faciei ſuæ lucem ſplendere faciat, ut, qui Deum precibus adeunt, Eum præſentem, & ad preces exaudiendas paratum inveniant, ejusque potentiam in ſui vindicatione illuſtrem reperiant.

§. XIX. Duo in animo habuiſſe videntur, ut, phraſi illuſtrata, ejus ſenſum ad ſubjectam materiam applicem; *alterum*, quod directe & proprie intendiſſe videntur, precum ſuarum exauditionem comprehendit. Cum enim Deus miſerorum clamores hucusque neglexerat, ſeſeque denſa caligine quaſi occultaverat, dum in graviſſima calamitate, in quam ſevero Dei judicio inciderant, perſeverarent, & exitum non reperirent, ſupplices hic orant, ut Deus a precibus ſuis aures amplius non avertat, nec ſeſe populo, ipſum adeunti, occultum præbeat: ſed eas ad animum revocet, ſeſeque

ſeſeque annuentem & propitium exhibeat. *Alterum* ipſum Dei auxilium, & ex eo emanantem liberationem populi, complectitur. Animum enim ad preces populi advertit Deus, cum, ſe eas exaudire, ipſo opere demonſtrat. Splendidus apparet, cum ab hoſtibus vindictam ſumit, & virtutum ſuarum in populo liberando ſplendidiſſima vibrat ſpecimina. Quo ſenſu occurrit Pſ. xciv: 1. *Deus ultionum, Jehova, Deus ultionum ſplendidus apparuit.* Vid. & Pſ. l: 2. Quod vero prius illud proprie & directe hic intelligendum cenſeam, ad id hæ rationes me compulerunt. 1. Quia verba *ad nos* ad Deum continent, quo Deum aptis ſub titulis ad preces audiendas impellere conantur: quo phraſes itaque directe referendæ ſunt. 2. Quia verſ. 5., quo innuunt *Deum ſimul* contra preces populi, *illuminationis* contrariam ſeſe expertos fuiſſe demonſtrant; quam illuſtrem Dei apparitionem cum nunc petant, a Deo petitionum ſuarum exauditionem hoc verſu directe implorant. 3. Quia verſ. 3 & 4. petitionis argumentum proprie conſignatum eſt.

§. XX. Eſt autem illud his verbis verſ. 3, 4. comprehenſum; & *alterum* primæ partis Pſalmi *membrum* abſolvit. *Coram Ephraim, & Benjamin, & Menaſſe excita potentiam tuam: & ito ad ſalutem nobis. Deus reduc nos, & illumina faciem tuam ut ſervemur*, vel *& ſervabimur. Salutis* nomine id, quod petunt, exprimunt: ad eam vero conſequendam auxilium & favorem Dei ſupplices implorant; eum enim in finem petunt, ut Deus robur ſuum excitet, ad ſalutem ſuam veniat, ſe ipſis reddat, & faciem ſuam lucere faciat: quemadmodum ex textu clare elucet. *Ito*, dicunt, *ad ſalutem nobis: illumina faciem tuam, & ſervabimur*, vel *ut ſervemur:* utrumque enim conſtructio Hebr. patitur, & hic locum habet; ſalutem quippe ſuam eſſe illuminationis certiſſimum effectum, ſignificatum voluerunt. Radicis רחב, qua voce hic utuntur ſupplices, vis ſita eſt in *amplitudine, & laxo ſpatio*, dicitque proprie *amplus & late patens fuit.* Unde רחוב eſt, *aliquem, qui anguſtiis preſſus erat & circum-*

cumſeptus, *in ſpatium & libertatem*, *cum amplitudine & abundantia conjunctam*, *traducere*, uti verba habent Cl. Schultens *a*, quæ *ſalutis* luculentiſſima eſt deſcriptio, ad hunc locum accommodatiſſima. Antiochi enim Epiphanis tempore ab hoſtibus undique obſeſſi, partim carceribus incluſi, partim in cavernis & ſpeluncis delitescentes, omnes graviſſimis malis ſeu periculis preſſi, & hoſtium, quemadmodum ferarum inſultibus ôves, inſidiis undiquaque expoſiti, qui tutum nusquam habent refugium, &c. merito tanquam in *anguſtiis*, poſiti hic repræſentantur. Erat utique עת *tempus anguſtiæ*, Dan. XII: 1. Quod Pſ. CXVIII: 5., qui ad eadem tempora primo ſenſu pertinet, egregie indicant, quum læti dicunt: *ex anguſtiis invocavi Jah: respondit mihi in latitudinem*, (ſc. me educendo,) *Jah!* quæ poteſtatis noſtri verbi egregia eſt explicatio. Quod enim ibi ſe adeptos grati confitentur, hic ſupplices implorant, ſcilicet, ut Deus ex illis anguſtiis, quibus tantum quod opprimebantur, populum liberaret, in libertatem aſſereret, & in ampliſſimum pacis & benedictionis campum, quo bonis promiſſis abundanter frui poſſent, transferat. Quemadmodum per Maccabæos conſecuti ſunt. Cæterum hunc genuinum loci eſſe intellectum, ſupra demonſtratum eſt. Quibus addi poteſt, *ſalutem* hic intelligi, quæ cum excitato Dei *brachio* tanquam cauſa ſua proxime cohæret. Cum autem *brachii* extenſionem ad Israelitarum liberationem a potentia Aſſyriorum & Babylon. ipſe Coccejus referat, quam incongrue *ſpiritualis* Meſſiæ ſalus hic indigitaretur, nemini non patet.

§. XXI. Hanc ſuam liberationem in Dei *potentia* & *favore* unice eſſe ſitam confitentur, quare ſupplices petunt, ut Deus fortitudinem ſuam coram Ephraimo, Manaſſe, & Benjam. excitaret, & Herois inſtar ad populum ſervandum gradiretur, ut ſeſe populo reddat, faciemque ſuam lucere faciat: a quibus mediis liberationem ſuam eſſe derivandam inſinuant. Deus verſ. 3. tanquam Heros introducitur, qui

a Orig. Hebr. l. 1. p. 18.

fortitudinem ſuam, quæ aliquandiu otioſa jacuerat, excitat, & hac ſua virtute ad populi ſalutem ſeſe confert. Quæ perſona Deo & alibi aptatur, ut Jeſ. LI: 9. *Excitare, excitare, indue robur, brachium Jehovæ!* Pſ. XLIV: 24. *Excitare, quare dormires, Domine? evigila.* Quod enim hic *fortitudo*, id alibi *brachium* Domini dicitur, imo *brachium roboris* ejus, Jeſ. LXII: 8. Heroes enim, hoſtes aggreſſuri, *brachium* denudare, & in ſignum fortitudinis *exerere* ſolent. Habet præterea vox Hebr. גבורה, quæ hic occurrit, peculiarem emphaſin, quæ animum heroicum & virtutem prævalentem complectitur. Denotat enim *vim victricem & victoriosam*, a גבר *prævalere, ſuperiorem eſſe*, ut recte Cl. Coccejus *a*. Quæ poteſtas & in eo conſpicitur, quod verbum, in malam partem ſumtum, *ſuperbire, inſolenter ſe efferre* ſignificet, ut obſervavit Cl. Schultens *b*. Talis eſt vis & *fortitudo* divina, cui nihil reſiſtere poteſt: unde אל-גבור *fortis prævalens* vocatur Dominus, Jeſ. IX: 5. quæ tetigiſſe ſuffecerit. Hanc *virtutem* petunt ſupplices ut Deus *excitet*, h. e. eam publice demonſtret, ejusque ſpecimina edat, & effecta ſiſtat. Latet præterea in hoc verbo, *a*. eam virtutem aliquandiu in Deo quietam & otioſam jacuiſſe, quatenus nulla ejus fuerit demonſtratio. Hinc enim erat, quod populus in tantas inciderit calamitates, quodque hoſtes ei prævaluerint. *b*. Populum ſine ea fortitudine Divina ex anguſtiis, quibus tantum quod oppreſſus erat, in libertatem vindicari non poſſe. Quæ Judæorum conditio fuit, cum ſub Syrorum dominatu gemerent. *c*. In ea liberatione præſtanda illuſtriſſimo modo apparere poſſe *virtutem* divinam: quæ ſingulari etiam modo tempore Maccabaico enituit, ut cuivis notum.

§. XXII. Nec emphaſi caret, quod addunt, & *ito ad ſalutem nobis*: verbum enim ילך hic heroicum greſſum denotat, ita ut *excitare potentiam & ire*, idem ſit, ac exerto robore herois inſtar ad ſervandum populum progredi, quemadmodum Gideoni dicitur, Jud. VI: 14. *ito in robore hoc tuo & ſervabis*

a In Lex. *b* Ad Job. XXXVI: 9.

ſervabis Israelem ex manu Midian. Sic 2 Sam. VII: 23. *Deus iviſſe* dicitur *ad redimendum populum ex Aegypto.* Idem & hic ardentibus votis expetunt, ut Deus ſcilicet irreſiſtibile ſuum robur exerat, ſeſeque ad populum liberandum accingat, & cum illuſtri ſuæ virtutis demonſtratione exequatur. Sed, ſicut hæc facilia ſunt, ita quo ſenſu *coram Ephraim, Manaſſe* & *Benjamin*, hæc fortitudo dicatur excitanda, longe difficiliores habere videtur explicatus. Cum enim Syriacæ perſecutionis tempore regnum Ephraimi non tantum non ſubſiſteret amplius, ſed & a Cuthæis eorum terræ eſſent occupatæ, & Ephraimitæ maximam partem in peregrinis exilii terris permanſerint: qua ratione coram iis excitanda foret potentia, quæ Judæis præcipue, in terra Judæ degentibus, liberationem præſtaret, difficultate non caret. Miſſis aliorum opinionibus, ne nimis prolixus evadat commentarius, noſtras cogitationes repræſentaſſe ſufficerit. Duæ mihi ſuppetunt ſolutiones, quarum alterutra adſumenda videtur. *Altera* eſt, univerſum populum in terra Cananæa afflictum ſub harum tribuum nominibus ob certas rationes ob oculos poni. *a.* Quia *Joſephi* erant filii, & fratres, ac Jacobo dilectiſſimi, quippe qui ex *Rachele* oriundi erant. Cum itaque graviſſimas ob rationes, ſupra datas, Deum *paſtoris Israelis* & *ductoris Joſephi* ſub titulo compellaſſent, nihil cum eo erat conjunctius, quam univerſum populum ſub filiorum Joſephi, ejusque fratris, nominibus repræſentare; ut in eadem maneret metaphora. *b.* Accedit, hos omnes Jacobo & Joſepho fuiſſe *dilectiſſimos*; quorum per conſequens Deus, tanquam paſtor Israelis & ductor Joſephi, peculiarem deberet habere curam. *c.* Placuit figura eo magis, quod illi tres tunc nati fuerint, quum Deus peculiari ratione Jacobi & Joſephi paſtorem ageret. *Ephraim* & *Manaſſe* enim progenuit Joſeph, cum, a fratribus proditus, extra domum paternam, quaſi ovis deperdita, ſingulari Dei ductu agebatur, & *Benjamin* ejus frater natus eſt, cum Jacob uxorem amatiſſimam perderet, & Dei cura

ac conſolatione indigeret. *d.* Ipſa præterea nomina harum tribuum ad ſtatum præſentem populi erant accommodatiſſima. *Ephraim* enim & *Manaſſe* promiſſum Dei de populi *multiplicatione*, & *benedictione* ſupra Patres, quæ omnium malorum antecedentium memoriam perfecte delere poterat, expingere, & *Benjamin* affectum Dei erga populum denotare poterat. Cui cogitationi favere videtur, verſ. 16, 18. ubi orant, ut manus Dei ſit ſuper *viro dextræ ejus*, qui & *filius dextræ* Dei vocatur, verſ. 16. manifeſte ad *Benjaminis* nomen facta alluſione. *e.* Commendavit hanc figuram, quod hæ tres tribus in caſtrametatione populi in deſerto locum tenuerint poſt *arcam* ad occidentem, ita ut Deus ſupra arcam ſeſe *coram* ipſis manifeſtum facere debuerint, cum caſtra loco movenda eſſent. vid. Num. II., quo phraſis, *excita* potentiam, & *illuſtris appareas*, *coram Ephraim*, &c. forte reſpexit.

§. XXIII. Alia adhuc in promtu eſt ratio, quare hæ tribus in ſpecie memorentur, forte veriſimilior, ſaltem ſimplicior, qua *ſupplices* inter & *has tribus* diſtinguitur, ita ut fortitudinem Dei ad ſuam liberationem excitandam, *coram illis tribubus*, ad earum conſolationem & exhortationem, perceperint. Diſtinguunt ſane ſeſe ab his tribubus, cum dicunt: *excita fortitudinem coram Ephraim*, &c. *& ito ad ſalutem nobis.* Quo ſenſu adeo illuſtrem divini roboris manifeſtationem in hoſtibus debellandis, & afflictis vindicandis, petunt, ut Ephraim & Manaſſe, ſive exules earum tribuum, qui, regno ſuo deſtructo, & terris ab aliis occupatis, in exilio manſerunt, per illa ſpecimina ferirentur, & ad veteres ſedes recuperandas excitarentur; uti Jer. XXXI: 22. conſolationem ſaltem inde perciperent, quod Deus populo ſuo & cultui ſuo auxilium & patrocinium præſtiterat. Quod ex prophetiis & hiſtoria conſtat eſſe factum. Sic enim Jeſ. XXIV: 13. *illi tollent vocem*, *cantabunt*, *in excellentia Jehovæ binnient inde a mari*, h. e. tractu occiduo, Aegypto ſcilicet, ſeu inſulis maris, celebrantes vindictam, Judæis

dæis in terra Cananæa ab hoſtibus ſingulari Dei ope & favore effectam: de ea enim hic agitur. Additur verſ. 15. *propterea in cavernis glorificate Jehovam, in inſulis maris nomen Jehovæ, Dei Israelis.* verſ. 16. *ab extrema terræ ora audimus cantica: decus Juſto*, ſeu Chaſidæis, & eorum principi Judæ Maccabæo. *Extrema terræ ora*, tum Cananææ extremos tractus, tum etiam remotiores terras complectitur. Quod itaque Pſalmo noſtro implorant pii, ut fortitudo Dei coram exulibus appareat, illud implendum fore Jeſaias prædixit, cum laudes Dei liberatoris populi ab iis in diſſitis oris canendas eſſe prænunciat. Hiſtoria præterea docet, Judæos exules ad animum revocaſſe calamitates & liberationes fratrum in Cananæa, ut vel ex epiſtola 2 Macc. 1: 1. colligitur, & res ipſa confirmat. Cum enim Hieroſolymis ſedes eſſet religionis, omnesque fratres eſſent, exulibus non potuit non curæ cordique eſſe conditio Judæorum in Cananæa. Ad hæc ipſa præterea tempora prophetiæ referendæ præcipue ſunt, quæ de Ephraimitarum & Judæorum inimicitia & æmulatione auferenda vaticinatæ ſunt, ut Jeſ. XI: 11. Ezech. XXXVI. Cui amicitiæ hæc ipſa liberatio Judæorum, ab afflictione Epiphanica, & glorioſa eorum poſt eam conditio, robur addidiſſe videtur: ita ut pii eam etiam ob rationem orare potuerint, ut Deus populo afflicto ſuccurrere, & potentiam ſuam adeo valide exerere vellet, ut Ephraimitæ, antiquiſſimi Judæorum æmuli & hoſtes, de ſingulari Dei cura erga Judæos convicti, omnis inimicitiæ reliquias deponerent, & cum Judæis in Cananæa in unum corpus coaleſcerent.

§. XXIV. Sed quare additur, coram *Benjamine*, cum Juda ſemper conjuncto, & in terram Cananæam, ut videtur reduce? Probabile mihi eſt, duplicem id fieri ob rationem, *altera* eſt myſtica, a nominis illius ſignificatu, quo *filium dextræ* dicit, petita, ita ut coram Juda Maccabæo, filio dextræ Dei, fortitudinem Jehovæ manifeſtandam precentur, *altera* ad Templum, tribui Benjamin præcipue affig-

nandum, reſpicit: ita ut ſupplices in hoc Pſalmo, in cavernis, aliisque locis diſſitis & occultis, poſiti, has preces fudiſſe cenſeantur, quibus precarentur, ut Deus fortitudinem exerat, quemadmodum coram exulibus Ephraimitis, ita & coram Judæis Hieroſolymis ac in vicinis terris degentibus, ut utrique illius potentiæ effecta experirentur, & ex diſperſorum liberatione ac congregatione ad priſtinas ſedes, & religionis, Hieroſol. celebrandæ, exercitio, conſolationem ac lætitiam perciperent. Addatur, Hieroſolymæ, poſt exilium Babylonicum, quatuor tribus legi, 1 Chron. IX: 3. habitaſſe, Judæ, Benjaminis, Ephraim & Manaſſis, quarum & hic fit mentio. Ceterum, quod piis in ſpeluncis & locis remotioribus terræ Cananææ has preces attribuam, nihil habet ab hiſtoria illius temporis, quo Pſ. compoſitus eſt, alienum: habitaſſe enim pios, Epiphanica graſſante afflictione, in locis occultis, ex libris Maccab. notiſſimum eſt. Vid. 1 Macc. I: 56. II: 31, 36. 2 Macc. VI: 11. X: 6. Sed in iis etiam ſacra cantica eſſe compoſita ex Jeſ. XXIV: 15, 16. egregie elucet. *Propterea in cavernis*, ita habet prophetia de iisdem temporibus, *glorificate Jehovam* &c. *ab extrema terræ ora audimus cantica: decus juſto*, quæ cantici erat materia.

§. XXV. Concludit petitionem formula ſolennis & familiaris, quæ ter iisdem verbis hic repetitur, niſi quod in nomine Dei aliqua occurrat variatio, hic enim verſ. 4. *Deus* ſine alio epitheto reperitur, verſ. 8. *Deus exercituum*, verſ. 20. *Jehova Deus exercituum*, quæ elegans eſt gradatio. Videtur autem illa formula afflictis illis ſemper in ore fuiſſe, quippe quæ ſummam petitionis populi diſperſi & vexati a Syris egregie exprimit, indeque *repetitionis* ratio repetenda. *Deus reduc nos*, dicunt verſ. 4., *& illumina faciem tuam, & ſervabimur*. Deum nomine אלהים compellant, tum ut indicarent, ſe ſummum numen per *ductorem Joſephi & paſtorem* Israelis intelligere, in eo ſe fiduciam ſuam collocare, ac liberationem ſuam ab eo exſpectare, non ab homi-

nibus

nibus, aut principibus folis; tum etiam ut fiduciæ ſuæ fundamentum, in promiſſo foederali, quo Deus ſeſe hoc nomine *Deum Iſraelitarum* dixit, poſitum, exponerent. Petunt, *a.* ut Deus *eos* reduceret. *b.* faciem ſuam *illuminaret*, ipſique ea ratione *ſerventur*. *a.* Phraſis Hebr. השיבנו duplicem admittit interpretationem, alteram uſitatiorem & ſimpliciorem, alteram paulo occultiorem: poteſt enim verti, *reduc nos*, & *redde Te nobis*. Prior populi *disperſionem* pro hypotheſi habet, ejusque *recollectionem* indicat: quod explicatione non indiget. Quæritur tantum, quo ſenſu id Epiphanicæ afflictioni reſpondeat. Cum enim populus in ipſa terra Cananæa fuerit preſſus, non in exilium abductus, *reductioni* locus vix videtur eſſe. Sed, licet in peregrinas terras tunc non fuerint ſolenniter deportati, cujus rei hic nullum quoque apparet veſtigium: varia tamen ratione *disperſi* fuerunt. 1. Quatenus Hieroſolymam religionis exercendæ gratia adire non licuit, adeoque extra cultus Dei ſedem aberrare, *ſacraque ſua in montibus & ſpecubus beſtiarum more palantes celebrare*, debuerint, ut loquitur auctor 2 Maccab. x: 6. Quæ veriſſima eſt *diſperſio*, ex qua *reducuntur*, quum ad *montem ſanctitatis*, *& ad domum* Dei liber patet aditus, ut Pſ. XLII: 3. XLIII: 3. iidem ſimili phraſi precantur. 2. *Diſperſi* fuerunt, ſi non *extra* terram, licet non defuerint, qui calamitate preſſi ad exules confugerunt, ſaltem *per* terram Cananæam, quum, locis & ſedibus ſuis excuſſi, in montibus & ſpecubus latitare, & vel in terra oberrare debuerint, nusquam tuto & ſecure degentes. Quod ex hiſtoria vulgatiſſimum eſt. Has ob rationes Judæi, ex calamitate illa liberati, *recollecti* dicuntur, & in hiſtoria, & in verbo Prophetico. Sic Judas Maccab. legitur, 1 Maccab. III: 9. *congregaſſe perditos*, ipſi etiam 2 Macc. II: 19. ſe ſperare declarant, ut Deus *nos*, *noſtri miſertus*, *ex toto terrarum orbe in ſacrum locum congregat*, *qui nos ex tantis malis eripuerit*. Inter prophetias inſignis eſt, quæ Zach. X: 8. &c. occurrit. Nobis moras non licet nectere.

§. XXVI. Quod

§. XXVI. Quod ſi *disperſionis* intellectus minus adlubeſcat, duplex alia ſuppetit via, quam uſus verbi, ejusque conſtructionis, pandit. a. Verbum שוב latius aliquando de rerum reſtitutione in integrum uſurpatur, ut Job. XLII: 10. *& Jehova reduxit captivitatem Jobi;* h. e. fortunarum ruinas redintegravit. Quo ſenſu ſancti hic orarent, ut Deus reip. & religionis deſtructionem reſarciret, & populum priſtinæ felicitati & tranquillitati redderet. b. Sed pronomen affixum ſubinde pro ſeparato ſumitur, & contracta ac elliptica ratione loquendi, per dativum &c: explicandum, cujus phraſios exempla coacervavit. Buxt. *a.* Quo ſenſu השיבנו idem eſſet, ac לנו השיב *redde nobis*, ſive דבר reſponſum, ſive *te ipſum.* Prius intelligitur Job. XXXIII: 9. *ſi poteris*, השיבני h. e. לי השיב ſc. דבר, quod additur Gen. XXXVII: 14. & alibi, *redde mihi verbum*, ſeu *reſponde mihi.* Vid & Job. XL: 4. 2 Chron. X: 16. Parum abeſt, quin huic interpretationi hic primas dem: nihil enim eſt cum textu conjunctius. Cum enim Deus aures aliquandiu a precibus populi avertiſſet, & *contra eos fumaſſet*, ut verſ. 5. innuunt, tandem ut *reſpondeat*, precesque afflictorum exaudiat, aptiſſime ſupplicant. Cujusmodi petitione nihil ſolet eſſe vulgatius. Vid. Pſ. IV: 2. V: 2, 3. XVII: 2. XX: 10. LV: 2. Sed, cum activa verba abſolute ſumta pronomen reciprocum frequenter complectantur, *redde nobis*, egregie ſignificare poterit, *redde Te nobis.* De qua ellipſi vid. Feſſelius *b.* Secundum quem ſenſum, priſtinam divini favoris & potentiæ manifeſtationem ad ſuam liberationem implorarent. Quemadmodum verſ. 15. *Deus exercituum redi quæſo.* Quod cum ſeq. noſtri verſus membro egregie connectitur. Cum enim mox ſubjungant, *& lucere fac faciem tuam*, quam apte præſentiæ divinæ reſtitutionem præmiſerint, nemini non patet. Faciei enim illuminatio eſt ejus redditionis conſequens. *Redde te nobis, tuamque faciem*, nobis redditam, *lucere fac ſuper nobis.*

§. XXVII.

a Gr. l. II. c. 17. *b* Adv. ſ. l. I. c. 15.

§. XXVIII. *b.* Quid *faciei divinæ* illuminatio ambitu ſuo complectatur, nemini obſcurum eſt, cum hac phraſi nihil ſit in Script. frequentius. Cui frequentiſſimo uſui anſam præbuiſſe videtur cum *nubis & ignis* columna, Numinis Divini ſedes, ejusque *facies* dicta. Exod. XIV: 24. XXXIII: 14, 15. tum etiam benedictio ſacerdotalis quotidie pronunciari ſolita, cujus pars erat: *lucere faciat Jehova faciem ſuam Tibi.* Num. VI: 25. Cæterum, cum in *facie*, quæ perſonæ præſentiam indicat, benevoli vel malevoli affectus indicia ſeſe oſtendant, diverſæ animi affectiones per *faciei* varium habitum exprimi ſolent. Eſt autem *lumen vultus* ſerenæ animi tranquillitatis, & benevoli affectus, argumentum, quare ejusmodi animus hac ſub phraſi paſſim venit in Script. ut Pſ. XLIV: 14. *ſervavit ipſos dextra tua, brachium tuum, & lux faciei tuæ, quum ipſos acceptos haberes.* Hinc *lucere* dicitur facies alicujus ſuper aliquo, cui quis *benevult*, ejusque favoris præbet indicia, & effecta præſtat. Cum itaque a Deo precantur, ut *faciem ſuam lucere faciat*, *a.* tacite inſinuant, ſeſe Deum per aliquod tempus expertos eſſe *iratum*, tantum abeſt, ut aliqua favoris Dei effecta ſenſerint. Hinc enim graviſſima illa calamitas, in quam inciderant. *b.* Animum a Deo ſupplicant *placatum* & *benevolum.* *c.* Eumque ipſo facto *demonſtrari* in ſua *liberatione* petunt. Quare addunt, *& ſervabimur*, vel *ut ſervemur:* votum enim ſuum non tantum exprimunt, ſed & neceſſarium *lucentis vultus divini* conſequens indicatum voluerunt. Ubi enim Deus favore ſuo populum complectitur, ejusque ſigna repræſentare vult, quævis *bona* in ſinum populi effundantur neceſſe eſt: ita ut ſui vindicationem, & omnium rerum reſtitutionem, cum favore Dei eſſe conjunctam haud obſcure indicet, cum dicit: *lucere fac faciem tuam*, & *ſervabimur.* Quæ fuſiore expoſitione non indigent.

§. XXIX. Illud tantum obſervandum reſtat, ut membrorum hujus verſus nexus eniteat, priorem partem complecti *ipſum* illud, quod precantur, *bonum*, poſteriorem vero *me-*

dium; quo illud acquirendum erat, ſi nimirum prius membrum reddas, *reſtitue nos.* Hanc ſuam ex disperſione recollectionem, reip. ac religionis inſtaurationem, ſupplices petunt, quum dicunt *reduc nos*: quod idem eſt, ac *ſerva nos.* Hanc vero liberationem a luce & ſplendore vultus Dei exſpectant, & petunt, quum addunt, *& lucere fac faciem tuam, & ſervabimur.* Quo ipſo exponunt, tum ſpem & fiduciam ſuam in ſolo Dei favore & potentia poſitam, quæ unica ſalutis & liberationis erat cauſa, tum affectum & ſtudium ſuum, quo in communionem Dei ferebantur. Non enim *liberationis* ſimpliciter deſiderio ſeſe teneri, ſed quæ cum *favore* & affectu Dei benevolo copulata eſt, & ex eo fonte fluxit, oſtendunt, cum non tantum, *reduc nos*, ſed & *lucere fac faciem tuam*, pronunciant; quo ſenſu David Pſ. IV: 7. *Multi dicunt: quis frui nos faciet bono? attolle ad nos lucem faciei tuæ, Domine:* ſi vero phraſin *reduc nos* interpreteris *reſponde nobis*, vel *reduc Te nobis*, qua ratione tum cohæreant partes, ſupra explicui.

PARS SECUNDA.

PRECUM EXAUDITIONEM URGENS, ET MISERIÆ DESCRIPTIONE DEUM AD MISERICORDIAM FLECTENS.

VERS. 5—8.

§. XXX. Quemadmodum qui malorum ſuorum ſenſu preſſi a clamoribus non deſiſtunt, donec malis eripiantur: ſic Deum ad exaudiendas preces permovere

vere non ceſſant pii, ſed ulterius inſtant, Deumque ad precum exauditionem his verbis compellunt, verſ. 5. *Jehovah Deus exercituum, usque quo fumas in orationem populi tui?* Aptiſſimis titulis ſummum Numen compellant, *Jehova* enim veritatis & fidelitatis Dei in promiſſis implendis pignus eſt, nomen Dei memoriale; quod nomen, quo Deus ſe ipſe inſignierat, Deum quaſi ad promiſſa implenda, adeoque populum liberandum, obligabat. Deinde cum אלהים addunt, ad fœderis promiſſum, quo Deus dixerat, *ſe Deum populo futurum*, respiciunt, & hoc etiam nomine Deum ad ſui liberationem excitant. Quomodo enim cum hoc nomine, & promiſſo eo comprehenſo, quo Deus quævis bona populo pollicetur, conſiſtere poſſet tantæ calamitatis duratio? Sed peculiarem meretur animadverſionem, quod *Deus exercituum* appelletur. Sic enim voces vertendas eſſe conſtat, ſive per ellypſin אלהי intelligas, ut in phraſi *Jehovah Sebaoth*, ſive abſolutum pro conſtructo poſitum velis, ut ſit pro אלהי, quemadmodum 2 Sam. v: 10. Pſ. LXXXIX: 9. Hoſ. XII: 6. & ſæpe alibi, mihi perinde eſt. Modo per *appoſitionem* non explices, acſi Deus ipſe hic diceretur *exercitus*, quod licere cenſet Coccejus *a*, titulus enim *Deus exercituum* eſt uſitatiſſimus, ſed *Deus exercitus* nusquam reperitur, nec Deus, ſed populus *exercitus* ſpeciem præfert.

§. XXXI. Vim & elegantiam hujus tituli minime exhauriunt Interpretes, cum *angelorum*, & *hominum*, a Deo aſſumtorum in populum ſive Judæorum, ſive gentium ſub N. T. reſpectu, Deum hoc nomine venire obſervant. Licet enim angeli *exercitus*, & Deus, eorum miniſterio utens, *Deus exercituum* appelletur, 1 Reg. XXII. Pſ. CIII: 21. nec non ipſe *populus* Israeliticus *exercitus Jehovæ*, ut notum, Exod. XII: 41. ipſæ quoque *gentes* a Deo in populum collectæ, Jer. III: 19. ita ut *Deus exercituum* hac ratione commode appellari poſſit ſupremum Numen, quatenus eccleſiæ ſummus Rector eſt, eaque, ad exercitus modum bene ordinata,

a In Lex.

voluntatem Dei impleat, hoſtiumque vim frangat; dubium tamen mihi non eſt, quin aliud adhuc hic lateat myſterium. Eſt enim illud in hoc Pſ. peculiare, quod animadverſionem meretur, titulum hunc, qui alias rariſſime in Pſ., iisque paucisſimis, reperitur, hic ſæpius repeti, quod ſine ratione factum non videtur. Suppetit autem nobis duplex ratio, quarum altera Deum tanquam ducem & imperatorem exercitus bellici repræſentat, altera Deum populi ſui regem majore emphaſi ſiſtit, ac olim ſub regibus fuerat. *a.* Titulus *Dei exercituum* a perſona, quam Deus in deſerto, quum populus Aegypto eripiebatur, geſſit, originem repetiiſſe videtur, Deumque tanquam imperatorem introducit, qui exercitus ſuos ducit, & in hoſtes agit. Sic Israelitæ *exercitus Dei* appellantur, Exod. XII: 41. & caſtrorum prætulerunt ſpeciem, Deus, ſeu Angelus Domini, *princeps exercitus Jehovæ* appellatur, Joſ. V: 13. Hæc eadem ſcena renovata eſt ſub Maccabæis, qui cum ſuis ſub ductu Dei, ſummi imperatoris, ſeſe hoſtibus ſtrenue oppoſuerunt, & bella cum Syris geſſerunt prosperrima, ſuas victorias Deo attribuerunt, ſymbolumque prætulerunt, *auxilio Dei* 2 Macc. VIII: 23. Qui cum *exercitus Dei* præſtiterunt, Deum, tanquam *Deum exercituum*, peculiari emphaſi invocarunt. Quo egregie respicitur, Pſ. XLIV: 10. ubi queruntur, *Deum cum exercitibus ſuis non exiiſſe.* Deus ergo *exercituum* hic dicitur, quatenus imperatorem & ducem ſeſe exhibuit exercitui Maccabæorum, eorumque bellicis expeditionibus præſto adfuit. *b.* Altera ratio frequentisſimi uſus hujus tituli a peculiari relatione Dei ad populum poſt exilium Babylonicum, & præcipue ſub Maccabæis, repetenda eſt. Theocratia enim, per reges Judæ & Israelis multum obſcurata, priſtinum vigorem recepit, & in lucem revocata eſt, quum per *duces*, & *ſacerdotes*, Deo ſacras perſonas, Eccleſia adminiſtrata eſt poſt exilium, ita ut Deus tunc ſummus *Rector* & *dux* majore rurſus emphaſi conſtitutus ſit, quam antea. Quo respicitur Jeſ. XXXIII: 22.

Jehovah

Jehovah eſt judex noſter, legislator noſter, rex noſter, ipſe ſervabit nos. Quo itidem facit, quod hic titulus nusquam frequentius uſurpetur, quam apud Zachariam, cujus hæc, quam dedi, ſatis elegans eſt ratio.

§. XXXII. Ab hoc *Jehovah Deo exercituum* ſupplices petunt, ut preces populi exaudiat, moxque ad populi liberationem ſe accingat, ratione petita a diuturna ira, qua Deus, non obſtantibus precibus populi, in eum accenſus fuerat. *Quousque*, dicunt, *fumas in preces populi tui?* præteritum עשנת *fumaſti* per *præſens* reddidi, ut futurum ſimul comprehendi poſſit. *Usque quo fumas*, h. e. in fumando perſeveras, *usque quo fumabis?* Verbum *fumare* iræ vehementioris deſcriptionem continet. Ira enim cum *igne*, fumum in *nares* propellente, comparari ſolet, quia irati, ſanguine & ſpiritibus ebullientibus, *fumum* per nares emittunt: eſt enim *naſus iræ ſedes*, ſtylo veterum; unde אף *naſum*, dein *iram* denotat. Hinc עשן eum אף paſſim conſtruitur, ut Pſ. LXXIV: 1. *quare fumat naſus tuus in oves paſcui tui?* Vid. & Deut. XXIX: 19. Pſ. XVIII: 9. Sed ſelecta phraſis eſt, qua Deus *in preces fumaſſe* dicitur, dextre intelligenda. Senſus enim non eſt, Deum ipſis precibus *iratum* fuiſſe, tum quod *preces* per ſe malæ non ſint, aut Deo displiceant, tum quod *populi Dei* orationes Deo gratæ ſint, ſi eas per ſe ſpectes: ſed Deum *iratum* ſeſe exhibuiſſe ipſis in precibus populi, ita ut iram quidem non provocaverint preces, ſed eam nec placare, nec ſerenitate induere vultum Dei, potuerint, non efficere, quominis Deus *fumare* pergat. Videtur vero phraſis reſpicere vel ad iræ fumum, quem preces dispellere non potuerunt, vel ad tenebras faciei divinæ, quas iræ fumus produxit, quibus vultus Dei quaſi obductus *lucem* ſalutarem non vibrabat, ita ut *illuminationi* faciei opponatur; vel denique ad fumum *ſuffitus*, quocum preces comparantur, quique *bonæ fragrantiæ* Deo eſſe dicitur; ut ſenſus ſit, tantum abeſſe, ut Deus in fumo precum acquiesceret, easque exaudiret, ut, contra, hujus fumi gratiſſimi loco

Deus *iræ fumum* mediis in precibus ſpiret. Quæ Calvini eſt non inelegans cogitatio, nescio quam ſolida.

§. XXXIII. Sed quicquid hac de re ſit, intellectus realis in obſcuro non eſt. Cum enim *naſi fumus* iram denotet, eaque in Deo, ab omnibus affectibus libero, non *commotionem*, ſed naturalem *voluntatem* puniendi peccata, a ſanctisſima Dei natura alienisſima, Deoque injurioſa, quæ propterea pœnæ debitum ſecum trahunt, ſimpliciter ob oculos ponat, *fumare Dei in preces* nihil aliud dicit, ac, non obſtantibus precibus, puniendi voluntatem retinere, & in malis infligendis, aut continuandis, perſeverare, per preces non flecti, non placari: imo ſeſe populo precanti propitium & facilem non præbere, ſed aditum ad lucem faciei occludere, ita ut fiducia & ſpes exauditionis populo oranti pereat, ejusque *ardor* in precibus ſenſim exſtinguatur. Sed emphaſi non caret, quod *populi* Dei preces dicant: præter generalem enim & vulgatum ejus intellectum, quo Judæi a Deo in fœdus aſſumti, & arctis vinculis cum Deo copulati, ejus *populus* audiunt, ſpeciatim in hoc elogio ad *fidem* ſuam, in fœderis conditionibus implendis præſtitam, reſpexiſſe videntur: ita ut, ſe a Deo non defeciſſe, nec idololatria, ut olim, ſeſe taminaſſe, hoc titulo inſinuatum voluerint. Quod ad Deum flectendum erat accommodatisſimum. Sic Pſ. XLIV: 18. idem illud confitentur, ubi dicunt. *Hoc omne nobis accidit, & non obliti ſumus tui, nec mendaces nos in fœdus tuum fuimus*, verſ. 21. *ſi obliti fuerimus nominis Dei noſtri; manusque noſtras ad Deum peregrinum expanderimus.* Quod temporibus Maccabaicis, quibus religionis cauſa vexabantur, gravisſimisque minis ad idololatriam Syriacam cogebantur, ad rem quam maxime faciebat obſervaſſe. Quo ipſo in elegantiorem vocis *precum* emphaſin detegendam ducimur. Vox enim Hebr. תפלה orationem ad Judicem directam ſignificat, qua quis *juſtæ* ſuæ cauſæ defenſionem a judice petit. Pſ. IV: 2. *Deus juſtitiæ meæ audi* תפלתי, juſtitiæ meæ implorationem. Radix פלל *judicare* denotat, ut notum.

notum. Pii de ſumma injuria ſibi a Syris inflicta querebantur, & calamitatibus injuſte a Syris illatis preſſi ad Deum judicem confugiunt, ſuæque cauſæ patrocinium a Judice totius terræ ſupplices petunt. Quo ipſo Deus magis adhuc ad preces populi exaudiendas obligabatur. Quum enim, tanquam *judex* juſtus, ab injuſta oppreſſione vindicaverat populum, eo magis tanquam ejus Deus & fœderatus eripere debebat.

§. XXXIV. Ultimam denique rationem, qua preces urgent, a *diuturna* calamitate deſumunt, de cujus diuturna duratione contra omnes populi preces præcipue hic conqueruntur, cum dicunt, *usque quo fumas?* ſic Pſ. LXXIX: 5. de eadem afflictione: *usque quo Jehovah iraſceris?* לנצח h. e. purum putum, ſine miſericordiæ temperamento? id enim vox נצח ex primigenia poteſtate comprehendit. Quod Pſ. LXXIV: 10. hac ratione exprimunt: *usque quo probra in nos, Deus, conjiciet hoſtis? ſpernet inimicus nomen tuum?* לנצח *plene* & perfecte? ſic ib. verſ. 19. *ne obliviscaris in æternum*, vel penitus. Hypotheſis hujus querelæ in nimia afflictionis *duratione* poſita eſt. Quod non abſolute, ſed reſtricte eſt intelligendum, ut facile patet; & relate ad calamitatis originem, & gravitatem. Atrocitas & gravitas breviſſimam afflictionem longam facit, ita ut horribili calamitate preſſi, quam diu ferre nequeunt, *usque quo* recte dicere poſſint: an ad internecionem usque? ſeu, fere oppreſſi ſumus, quamdiu adhuc durabit? Hoc in ſtatu erant res Judæorum tempore Antiochi, ut, niſi cito ſuccurriſſet Deus, & miſeris opem tuliſſet, de rep. & religione actum fuiſſet. Quod in exilio Bab. ſic ſe non habuit. Deinde, ſeverisſima afflictio, quæ religionis cauſa inſtituitur, adeoque ne ſpeciem quidem juris ac juſtitiæ prætendere poteſt, ſumma injuria populo immiſſa, vel brevis cenſetur longisſima: ejusmodi enim ſumma ſcelera per *juſtitiam* Dei vix aliquo tempore tolerari poſſe videntur. Accedit denique, diuturnam exiſtimari afflictionem, quæ *preces* longo tempore fatigavit & fefellit:

fefellit: quo ſenſu hic occurrit. Ardor enim precum ſe diu tueri non poteſt: nec Deus tam diu *preces* ſpernere poſſe videtur. Licet itaque hic Pſalmus in ſpeluncis, ut conjeci, a disperſis compoſitus, liberum ad ſacra celebranda nondum patere aditum demonſtret, attamen Maccabæos jam in debellandis hoſtibus ſtrenue eſſe occupatos, ſimul indicat, adeoque poſtquam aliquandiu duraverat afflictio, ſed nondum profligata, Pſalmus concinnatus eſt, absque quo tempus præciſe definiri poſit. Duravit vero adflictio Syriaca, ſi late ſumas, 26 fere annis, ab initio profanati Templi ad initia Simonis Ethnarchæ, ſed poſt *triennium*, & quòd excurrit, Templum repurgatum eſt, & ſacra inſtaurari cœperunt. Quod *breve* quidem tempus eſt, ſi durationis tantum habeas rationem, quare *momentum exiguum* dicitur Jeſ. LIV: 7. ſed *longum*, ſi gravitatem afflictionis, aliasque circumſtantias, conſideres. Quibus accedit, affectum concitatiorem, quem pii hic induerunt, & poeticum fervorem, omnia in majus augere, & fortiſſime exprimere ſolere.

§. XXXV. Ipſa querela, cujus hypotheſin in luce collocavi, hunc præbet intellectum, ut ſine ambagibus ejus ſenſum exhibeam, *calamitatem* ad extremum veniſſe, ſeſeque in eam redactos eſſe conditionem, ut, niſi Deus ſubito opem ferat, cum rep. & religione actum ſit, &, ſi Deus hoc in ſtatu nondum ſuccurrat, videri debeat in æternum velle iraſci, ac relationibus Deum inter & populum renunciare. Acſi dicerent: tanta in afflictione ſi preces populi Tui repellas, Domine! ſi poſt tam diuturnam calamitatem nondum exaudias populi ſuſpiria & clamores; *quousque tum?* Significatur, *a.* Calamitatem ſummum adtigiſſe culmen, ita ut major ſine certiſima populi pernicie fieri non poſſit. *b.* Iræ Divinæ hic terminum eſſe figendum, tum quod cum relationibus Dei ad populum ulterior duratio iræ divinæ conſiſtere vix poſſit, tum quod conditio populi ferre non poſſit, ut diutius duret afflictio. Huc cum res deveperit, & Deus jam jam populum liberaturus ſit, ejusmodi preces in piis excitari

excitari ſolent, quæ propterea certiſſime exaudiuntur. Vid. Zach. I: 12.

§. XXXVI. Subjungunt acerbiſſimæ querelæ de diuturna calamitate ejus enarrationem & vividiſſimam deſcriptionem, a populi triſtiſſima affectione deſumtam, qua *lacrymis* ſeſe conſumebat, absque ut vicinis, hoſtibusque ſuis, ullam miſericordiam concitare potuerit, contra ludibrio ipſis fuerit ac contemtui. Quod utrumque ad Dei gratiam impetrandam accommodatiſſimum erat. Cum enim Deus ſit *miſericors*, *triſtitiam* populi ſui ſine commotis visceribus quaſi adſpicere poſſe cenſendus non eſt: ignominiam quoque populi, qua ipſum afficiebant vicini & hoſtes, nulla ducti commiſeratione, ferre non poterat Deus, populi rex & vindex. Moeſtitiam populi his emphaſios plenis vocibus exprimunt, verſ. 6. *Feciſti, ut pane lacrymis vescerentur: & lacrymas plenis cyathis biberent.* Vehementioris triſtitiæ, quæ lacrymas tanta copia exprimit, ut cibi & potus loco eſſe poſſint, deſcriptionem hoc verſu comprehendi, dubio procul eſt: ſed voces, earumque ſtructura, difficultate non carent. Prius membrum duplici ratione reddi poteſt; vel, *cibaſti eos pane lacrymarum*, ut ſit in ſtatu conſtructo, quemadmodum Jeſ. XXX: 20. לחם צר *panis anguſtiæ*; vel, *pane lacrymis*, per modum appoſitionis, ut vice & loco panis ſint lacrymæ; quod Pſ. XLII: 4. dicitur, *fuit mihi lacryma mea panis.* Quæ poſterior verſio nobis omnino, cum Cl. Schultens *a*, ſeſe approbat, cum quod *panis lacrymarum* durior ſit phraſis, quæ alibi nusquam occurrit, tum quod ſenſum fundat magis emphaticum, ſi *panis ipſa lacryma* fuiſſe dicatur. Sive autem reddas *ſicut panem*, ut כ ſimilitudinis per ellipſin intelligatur, ex Pſ. CII: 10. *Cinerem* כלחם *ſicut panem comedi*, cujus ellipſios ubique obvia ſunt exempla, ſive ipſas lacrymas *cibum* præſtitiſſe velis, ac *panem lacrymas* pro vice panis interpreteris, fere perinde eſt; hoc tamen ſim-

a Har. conſ. III. p. 142.

ſimplicius & fortius: cujus exemplum eſt, Pſ. XLII: 4. Jeſ. XXX: 20. 1 Reg. XXII: 27. Job. III: 24.

§. XXXVII. Quo ſenſu *panis* dicantur ipſæ lacrymæ, difficiles non habet explicatus. Quemadmodum enim panis famis objectum eſt, ac quotidie ſumitur, & plena menſura ſumtus *ſatiat*, ita ut nullius amplius cibi quis feratur deſiderio: ſic *lacrymæ* ab homine, magna triſtitia affecto, unice expetuntur, & quotidie ex oculis emanant; imo magna copia effuſæ *cibi* deliderium eripiunt, & faſtidium creant aliarum rerum, ita ut anima panem reſpuat, tota in lacrymas immerſa. In ſpecie vero lacrymarum copia, & quotidianus diffluxus innuitur, ac, deliciarum non tantum ſed & neceſſarii alimenti in locum ſucceſſiſſe, indicatur, ita ut, cum antea laute & lætè viverent, tiboque cum gaudio vescerentur, nunc *lacrymis* ſeſe alant, omnibus deliciis privati, & panem ipſum faſtidientes. Quæ profundæ *triſtitiæ* luculenta eſt deſcriptio. Sicut enim moeſtitiæ ſigna & effectus lacrymæ ſunt, ita ſumma triſtitia in eo elucet, quod lacrymis ſeſe immergat quis, in iis conſolationem unice quærat, lautis non tantum ſed & neceſſariis alimentis renunciet, & niſi niſi lacrymas petat aut quærat.

§. XXXVIII. Eodem collineat membrum poſterius, ſed difficilioris interpretationis, quam vox obſcurior שלש præcipue adfert. *Et potum ipſis dediſti lacrymas* שלש; *in menſura* habet Vulg., ut LXX. ἐν μέτρῳ, Chald. תלתי *tripliciter*: quod ad propriam vocis Hebr. ſignificationem propius accedit. Vox enim שלש *ternarii* numeri ideam involvit; unde *triental* paſſim redditur ab interpretibus, & *menſuræ* aliquod genus intelligitur: quam *menſuram* alii ignorare ſe profitentur, alii *tertiam* Ephæ partem conſtituere cenſent, ex voce ipſa, & lingua Aethyop. argumento ducto, ut Cl. de Dieu *a*. Videtur ſane ad *menſuræ* genus illa vox translata, ut ex Jeſ. XL: 12. liquet. *Quis menſus eſt triente*, בשלשי, *pulverem terræ*. Sed quantæ ſit capacitatis illa menſura, certo definiri nequit.

a Ad h. l.

nequit. Etsi enim vox *ternarium* proprie numerum dicat, inde tamen ad quamvis rem *excellentiorem* denotandam, transire solet. Sic Prov. XXII: 20. *nonne scripsi Tibi* שלשום *trina* h. e. eximia, *in consilio & scientia*. Hinc שלש *heros*, q. d. virum triplicatum, fortitudine & dignitate præstantem virum, denotat: ut enim *septenarius*, sic & *ternarius* numerus excellentiæ signum & symbolum esse solet, in specie *firmitatis*, & *fortitudinis* notio videtur, e *triplici* filo nexo, non facile rumpendo, Eccles. IV: 12. orta. Quo etiam respicitur Prov. XXII: 20. ut observavit Cl. Schultens. Nec tamen *trientalis*, seu tertiæ partis ephæ, penitus repudiatum velim intellectum, quem ex lingua Aeth. illustrat *de Dieu*. Est quidem, fateor, quod Cl. Vitringa ad Jes. XL: 12. objicit, *nimis magna mensura, quam ut commode inservire posset potationi*: sed orationem, e vehementiore affectu profectam, rem exaggerare, ex textu liquidum est. Sensus ergo est, lacrymas non vulgari mensura, sed insolita, populo bibendas esse datas, ita ut ex *trientali* quasi haurire debuerint.

§. XXXIX. Habet & aliud structura vocum, quod minus limpide fluit. Præpositio enim ב, quæ voci משוש præmittitur, ad sequentem vocem שלש rectius pertineret: *ut sit, bibere eos fecisti lacrymas in triente*: ita ut *trions* sit vas lacrymas continens. Prior illa difficultas, quam præfixum ב peperit, facile tollit *irrigandi* potestas, quæ verbo נתן inest: quum ב ante משוש illud, quo quid perfunditur, denotat, ut sit, *irrigasti nos lacrymis*, quod idem est, ac *bibendum nobis dedisti potum lacrymarum*. Chaldæus interpres vocem חמר *vinum* inseruit, ut facilius fluat sermo: *bibere nos fecisti vinum cum lacrymis*: quemadmodum membro superiore, *panem* לחם *intinctum lacrymis*: sed ab elegantia & emphasi orationis recessit. Nolunt enim dicere, panem lacrymis permistum, sed ipsas *lacrymas* ipsis fuisse cibum, nec *vinum* lacrymarum, sed ipsas eas bibendas ipsis esse præbitas. Quid itaque faciemus voce שלש, præfixo suo privata? Quod si שלישית

legere liceret, ת ex seq. ת, in תשימנו, deficiente per connexam scripturam antiquam, sensus foret, *irrigasti lacrymis tripliciter*, pro multipliciter, sicut Ez. XXI: 14. *plicabitur gladius tripliciter*, & Lat. *tergeminum* [a] usurpant; confirmat Chald. vertens תלתי *tripliciter*: sed per ellipsin ב esse potest pro בשליש, uti Jes. XL: 12. ut sensus sit, Deum *irrigasse populum lacrymis magna mensura admensis*, id est, aquæ vel vini loco lacrymas magna copia ipsis dedisse bibendas. Quæ vehementioris tristitiæ luculenta itidem est descriptio; tum quod lacrymarum copia emblemate comprehensa sit, tum etiam quod, qui lacrymas vini loco bibere dicitur, sese omnem *consolationem* respuere, & tristitiæ penitus immersum esse, indicet, ita ut nullum sit nisi in *lacrymis* solatium. Quod ex Ps. CII: 10. egregie confirmatur; ubi ecclesia afflicta ejusdem temporis, (pertinet enim Ps. primo sensu ad Epiphanica tempora) tristitiam suam in hæc verba exprimit: *Quia cinerem tanquam panem comedi, & potum meum lacrymis miscui*, id est, loco panis fuit *cinis* mihi cibus, & lacrymis loco vini potum meum paravi: quo nihil aliud indicatur, ac profunda moestitia, quæ nullam admittit *consolationem*: *cinerem enim* & pulverem comedere *solatii* privationem denotat.

§. XL. Hæc ipsa fuit conditio populi sub afflictione Epiphanica gementis. Lætitiæ non tantum instrumenta musica in Templo & per totam terram silebant, sed & lamenta & gemitus ubique audiebantur, omniumque facies sordibus ac lacrymis commaculatæ erant. Sic 1 Maccab. 1: 26. *Et fuit luctus magnus inter Israelitas in omni loco ipsorum: nam ingemuerunt principes, senesque, virgines & adolescentes infirmati sunt, & pulchritudo mulierum immutata est, omnis sponsus assumsit lamentum, quæ sedebat in thalamo erat in luctu*, III: 45. *sublata erat lætitia ex Jacobo: tibiaque & cithara defecerat.* Cum autem tristitia sit *calamitatis* signum, eam ipsam hoc tempore fuisse maximam, profundæ

a Vid. Turneb. adv. l. III. c. 20.

fundæ triſtitiæ deſcriptio, quæ hoc loco exſtat, clare indicat. Quæ ſponte ſua elucent. Quare nihil niſi unicum ex Jeſ. locum addam, ut Prophetiarum concentus eniteat. Sic enim ille c. XXIV: 7— de eadem afflictione. *Luget muſtum, languet vitis, ingemiſcunt omnes læti corde, ceſſat hilaritas tympanorum, deficit ſtrepitus exultantium, ceſſat hilaritas citharæ: cum cantico non bibitur vinum: clamor ſuper viro eſt in vicis, confuſa eſt omnis lætitia: migravit hilaritas terræ.* Alia ſimilia ubique occurrunt.

§. XLI. Quam accommodatiſſima hæc lamenta populi ſint ad Deum flectendum, quo hoc in loco collineant, ut demonſtrem, opus vix eſt. Deus enim eſt Numen miſericordiæ pleniſſimum, populi ſui Deus fœderatus, qui ab eo coli vult in lætitia & gaudio, nec pati poteſt, ut populo calamitate opprimatur, & gemitibus intabescat. Deinde cum animum contritum & proſtratum, peccatorum & malorum ſenſu vivide affectum, lacrymæ, ex animo fuſæ, exponant, nihil aptius erat ad Deum movendum, quippe cujus eſt, animos afflictos erigere & vivificare, quod ipſum ſe facturum promiſerat. Sic enim Jeſ. XXV: 8. *Deterſit Dominus Jehova lacrymas ab omnibus faciebus, atque opprobrium populi ſui removebit a tota terra, quia Jehova ſic fatus eſt.*

§. XLII. Quod ultimum itidem cum inſigni virtute Deum ad preces exaudiendas permovendi præditum ſit; populi enim *opprobrium* ad ipſam *religionem*, a Deo inſtitutam, imo ipſum Deum, populi vindicem, ac cultus objectum, quodammodo ſeſe porrigebat, illud motivum expreſſe memoratur, verſ. 7. *Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannant eos.* Crucem præcipue figit ultima vox למו, quam alii reddunt *ſibi*, ſive *ſecum*, ſive *inter ſe invicem*, alii *eum*, ſc. Deum, alii *nos*, ut LXX. Vulg., Syr. & Arab., qui legiſſe videntur לנו. Quæ lectio repudianda non eſſet, ſi majore veſtita eſſet auctoritate. Sic in eadem perſona continuaret oratio. Sed a Maſoretharum lectiones

recedendum non cenſuerim, cum ſat egregium & facilem fundat ſenſum. Verti autem debet per *eos*, tum quod aſſitata ſit verbi עזר conſtructio cum ל pro *ſubſannare* aliquem, tum quod למו paſſim tertiam perſonam pluralem deſignet, ut verſ. 6. Nec obſtat perſona prima, quæ membro priore hujus verſus occurrit, *a.* enim perſonarum mutatio in odis elegantiæ cauſa frequentiſſima eſt. *b.* In hoc Pſ. quoque ſolemnis. *c.* Non ſine ratione videtur adhibita. Pſalmiſta enim ipſe cum aliis inter vicinos, vel & in ſpeluncis, latitans, rixas & contentiones vicinorum maxime excipiebat. Reliqui in terra Cananæa, qui in hoſtium manus inciderant, vel ſeſe iis opponebant, ut Maccabæi, in eorum inſultus & ſubſannationes incurrebant. Quemadmodum & verſ. 3. ſe ab Ephraim & Manaſſe ac Benjamin diſtinguunt. Quod tamen nimis urgendum hic nolim. Cæterum *futurum* tempus hic adhibetur, licet præteritum & præſens maxme intelligatur, quod oratio in medio verſ. 6. inceperat cum futuro, ו converſivo munito, in ושמח: unde liquet, eadem ratione futurum hic, ut ibi, eſſe vertendum, nec non quod de futuro maxime ſolliciti erant, & Deum eo etiam argumento ad liberandum populum compellunt; ceteroquin enim poneret populum *ſummum ludibrium*, ut hucusque ſatis experti fuerant. Sed hæc leviora ſunt, nec tamen negligenda.

§. XLIII. Difficultatibus, quæ ad verſionem pertinent, ſublatis, ſenſus luci exponendus eſt. *Prius* membrum *vicinorum lites & jurgia* complectitur, quæ diſperſos præcipue tangebant. *Poſuiſti nos*, dicunt, *vicinis noſtris*, (ſcilicet, populis *circa nos*, ut alias Script. loqui ſolet, etiam Pſ. ad hæc tempora ſpectantes, ut Pſ. XLIV. 14. LXXIX: 4. intellige Moabitas, Ammonitas, Philiſtæos, præcipue Edomæos, odio & invidia erga Judæos ſemper flagrantes, & ipſorum calamitatibus inſultare ſolitos. *Poſuiſti nos iis* מדון LXX. *εἰς ἀντιλογίαν contradictionem*, ut Vulg., *διὰ μάχης per pugnam*, ſeu *in pugna*. Vox Hebr., etſi mediæ ſit ſignificationis,

ficationis, & in genere *contentionem in judicio* denotet, deflexit tamen ad *jurgia*, *quæ viliorum & abjectorum sunt hominum*, cum *convitiis conjuncta*: sic de *rixis* mulieris rixosæ & *iracundæ*, Prov. XIX: 13. XXI: 9, 18. *iracundi* XV: 18. *irrisoris* C. XXII: 10. superbi & *arrogantis* XXVIII: 25. cum *contumelia* etiam conjungitur, C. XXII: 10. imo de *contemtu* videtur usurpari C. XXIII: 29. ubi inter ebrietatis mala & miserias referuntur præter *væ*, *egestatem*, *vulnera*, quoque מדון & שיח, verte *contemtus & profunda tristitia*, vel *calamitas*. Qui *jurgia* & *meditationem seu fremitum* reddunt, quod ebriorum sit *lites serere*, non attenderunt, Salomonem non *vitia* ebrietatis, sed misera ejus effecta recensere. Verte igitur *ignominias* & *profundam* tristitiam, rei & vocibus satisfacies: שיח enim respondet rad. שוח & שיח; quarum proprietas, in *subsidendo* sita, quemadmodum quod humo paludi mergitur profundius, ad *mœrorem* acerbiorem transiit, ut Ps. XXXV: 14. XLII: 6, 7. Habet præterea phrasis, *ponere quem aliis jurgium*, insignem emphasin, sive per ellipsin pro אנשי מדון *viros* contemtissimos, rixarum & convitiorum materiam & objecta sumas, ut Jer. XV: 10. Jeremias audit איש ריב ואיש מדון *vir litis & rixarum totius* terræ, in quem omnes conviciis & jurgiis impetum faciunt, qui verus ejus sensus est, sive abstractum hic pro concreto poni censeas, ut *jurgium* sit jurgiis & contumeliis obnoxius, quemadmodum Ps. LXXXIX: 4. *opprobrium* & *subsannatio*, & Ps. LXXXVIII: 9. *abominatio*, pro eo quem omnes abominantur. Quod sæpe insignem habet emphasin, & *superlativi* est descriptio.

§. XLIV. Queruntur itaque dispersi, se contemtui, odio, contumeliis & convitiis publicis, vicinorum esse expositos, ita ut tantum absit, ut sortis ac conditionis suæ afflictæ misereantur vicini, consolentur, ac opem sibi ferant, ut, contra, humanitatis quasi sensu depositio, in se impetum faciant, probra conjiciant, & rixas secum agitent, rogantes, ex. gr. *ubi est Deus vester?* Ps. LXXXIX: 10. ubi fiducia vestra

ſtra in Deo, & *gloriatio* de Deo, & vero ejus cultu vobis præſcriptò? &c. vos eſtis peſſimi homines, digni ejusmodi malis, quæ patimini. Alios injuſte ex terra expuliſtis, occidiſtis crudeliter, eandem nunc juſte ſubitis ſortem. Hunc genuinum exiſtimo loci ſenſum, ab Interpretibus, qui, ſignificatione vocis יסר non obſervata, in omnia alia abierunt, minus perceptum, quem phraſis exhibet, comparatio cum Pſ. parallelis confirmat, & res ipſa exigit. Hac ratione enim Judæos tunc temporis paſſim fuiſſe exceptos, & male habitos a vicinis, notius eſt ex hiſtoria, quam ut demonſtrare neceſſe habeam. Nec difficultatem parit, *Deum* hic dici *poſuiſſe* populum *rixas* & *convitia;* nihil enim aliud innuitur, quam Dei providentia populum in eam conditionem deveniſſe, ita ut Deus non tantum id permiſerit hoſtibus, ſed & juſtas ab rationes populum tradiderit in eorum poteſtatem, omniaque ſic direxerit, ut populo hæc mala acciderint.

§. XLV. Referamus denique has querelas ad *ſcopum*, quem intendunt, & egregiam *vim*, quam habent ad Deum flectendum, luci exponamus. Eo enim fini conditionem ſuam afflictam Deo attribuunt, eamque vivide his phraſibus depingunt, ut, Dei gloriæ intereſſe, inſinuent, ut ex illa calamitate quam citiſſime liberentur. a. Quia *Dei cauſa*, propter religionem ſuam, quam abnegare nolebant, in ea mala inciderant, Pſ. XLIV. Quod tacite innuunt, quum a *Deo* ſe in eo ſtatu eſſe poſitos declarant, ita ut ratio calamitatis non tam ad populum, quam Deum ipſum ſpectet. *b*, Quia contumelia ſua in ipſam *religionem* & Deum redundabat; convitiis ipſi, qua populus Dei, appetebantur, & lites de veritate Dei & religionis ſuæ ſecum ferebantur. Vicini enim populi, idololatriæ dediti, ex hac graviſſima afflictione colligebant, vel Deum Judæorum eſſe infirmum, qui populum vindicare non poterat, vel eſſe inmitem, vel ſaltem non eſſe ſummum Numen, ut Judæi contendebant, aut Judæos non eſſe ejus populum, ut gloriabantur. Quæ

ratio

ratio eſt, quare hæ ipſæ *lites* populi Pſ. LXXIV: 22. *lites Dei* dicantur. *Surge Deus*, ibi dicunt, *litiga litem tuam: recordare opprobrii a ſtulto per totum* diem.

§. XLVI. Eodem collineant poſterioris membri verba, quibus populum ab ipſis hoſtibus, qui eos opprimebant, *illudi* & *ſubſannari* conqueruntur, his verbis. *Et hoſtes noſtri ſubſannant eos;* eos ſcilicet, qui in eorum manus inciderunt, vel cum ipſis in certamen deſcenderunt; ut ſupra notavi. Verbum Hebr. לעג propriam ſedem habere videtur in *creberrima vibratione ac contorſione naſi ac labiorum*; apud Arab. enim dicit, *crebro vibravit naſo & labiis*, unde tum ad *loquelæ* barbariem, ſeu nimiam rapiditatem, quæ diſtinctos non fundit ſonos, adeoque inepta labiorum videtur eſſe motitatio, transfertur, Jeſ. XXVIII: 11. XXXIII: 19. tum de illuſione ſarcaſtica uſurpatur, qua quis verbis ac geſtibus aliis irridet: quod labiorum & naſi vibratione ac contorſione paſſim fieri ſolet. Quo ſenſu frequentis eſt in Script. uſus, uti Jeſ. XXXVII: 22. Jer. XX: 7. Pſ. XXII: 8. LXX. hic recte utuntur verbo μυκτηρίζειν *naſo ſuſpendere*. Nondum omnem loci elegantiam, & acumen, quod in hoc verbo hic ineſt, percepimus. Videtur enim hic recte ad *linguam* hoſtium, Judæis *barbaram*, & *ridiculam*, ſimul reſpici, & ipſorum hoſtium *characterem* hic ſignari, ut *ſubſannare* hic ſit barbaris & ridiculis labiorum motitationibus Judæis illudere, convitiari, quod Syro-Macedonibus, Græce loquentibus, proprie convenit, cum quod Judæi *Græcam linguam* potiſſimum ſub *barbaræ* linguæ nomine exprimere ſoleant, tum præcipue quod Jeſ. XXXIII: 19. illi hoc titulo inſigniantur, & hoc criterio diſtinguantur. *Populum barbarum non videbis*, ait Propheta, nomine Dei populo liberationem ab his hoſtibus promittens, *populum profundi labii, ut non intelligas*, *ridiculæ linguæ* נלעג לשון *ut non percipias.*

§. XLVII. *Hoſtes* ergo ſunt Syro-Macedones, barbare Judæis loquentes, qui hoc tempore ipſos miſerrime vexabant, iisque cuncta hæc mala inflixerant: qui *hoſtium* nomen

men in ſumma emphaſi merebantur, quod Judæos ex odio, religionis cauſa, hoſtiliter petebant, quæ propria radicis שׂטן emphaſis eſt, & in eos inimico admodum animo irruebant. Quo ſenſu a *vicinis* diſtinguuntur. Hi *ſubſannarunt* Judæos, quibuscum ipſis res erat, multis cum contumeliæ ſignis ipſos trucidando, præterea Maccabæorum parvam manum deridendo, & auxilii divini, cui fidebant, vanitatem iis exprobrando, quemadmodum olim fecit *Goliath*, 1 Sam. XVII: 10. & Rabſace Jeſ. XXXVI: 18. XXXVI: 17. Quod graviſſimum erat crimen, vindictam Divini numinis clamans. Ad quod ſi conniveret Deus, & populo afflicto promtum non præſtaret auxilium, ſe ſuamque veritatem abnegaſſe, & relationes ad populum ſuum exuiſſe, cenſeri deberet. Miſeris inſultare atrociſſimum peccatum eſt, eos cum irriſione affligere, & cum delectatione mactare, longe adhuc atrocius: ſed populum Dei adeo barbare tractare, & Deo ipſi, ejusque cultui, projecta audacia inſultare, ferendum non erat Numini juſto & peccatorum vindici. Unde ſponte elucet, quam accommodatæ ſint hæ querelæ ad Deum permovendum. De veritate hujus facti nihil memoro, quod ea ex hiſtoria Maccabaica vulgatiſſima & teſtatiſſima ſit.

PARS TERTIA,

TUM COMPARATIONEM FELICITATIS PRÆTERITÆ ET CALAMITATIS PRÆSENTIS COMPLEXA, TUM PETITIONEM INSTAURATIONIS IN EO FUNDATAM.

§. XLVIII. Quum parte ſuperiore, quæ proxime præceſſit, per præſentis afflictionis commemorationem Deum ad miſericordiam flectere incœpiſſent pii,

pii, idem argumentum perſequuntur hac pericopa ultima, & per comparationem inter præteritam & præſentem conditionem inſtitutam clarius repræſentant, ac fortius urgent. Cum enim Deus ipſe populum hunc elegiſſet, in terra Cananæa plantaſſet, multaque beneficia alia in eum contuliſſet, adeoque arctiſſimam ad eum habeat relationem: multis nominibus videri poſſet obligatus ad populi, nunc graviſſime preſſi, liberationem efficiendam. Niſi enim opus manuum ſuarum miſſum faceret, & relationibus ſuis ad populum renunciaret, ſuamque perſonam, qua populi conditorem, & paſtorem & vindicem, agit, exueret, populum ſuum ab hoſtibus opprimi, remp. plane exſtingui, pati non poterat. Unde facile enitet, præteriti & præſentis ſtatus collationem magna vi ad Deum permovendum pollere, adeoque firmum *precationum* fundamentum ſuppeditare poſſe. Partes hujus pericopæ, cujus ſummam repræſentavi & ſcopum, *tres* ſunt. a. *Prima* continet præteritorum beneficiorum & florentis ſui ſtatus deſcriptionem, verſ. 9—12. *b. Secunda* præſentem conditionem miſeram, præteritæ oppoſitam, complectitur, verſ. 13—14. *c. Tertia* argumentum eſt petitio auxilii divini ad ſui liberationem, inde ad fin. Pſ.

§. XLIX. Beneficia, quibus Deus hunc populum mactaverat, & ſe ei ſimul quaſi obſtrinxerat per arctas relationes ad populum, quas illa bona attulerunt, quæ populi liberationem ex Aegypto, ejusque introductionem in Cananæam, & multiplicationem ac benedictionem in ea, complectuntur, metaphora elegante a *vite* ducta involvuntur; cum quod uſitatiſſimum ſit in Script. emblema, ut ex Jeſ. v. XXVII: 2. Jer. II: 21. Deut. XXXII: 32. aliisque locis elucet, tum quod ſit aptiſſimum, quippe quo genuinus non tantum populi conſpectus, & ſingularis ejus prærogative præ reliquis terræ gentibus, ſed & beneficia divina, & inde natæ relationes, vividiſſime expinguntur: quæ cuncta egregie hic ad rem faciunt; ut ſequentia docebunt. Eccleſia Judaica inter reliquas terræ nationes tanquam *vitis* terræ

unica verſatur, quæ, nobili ſatu orta, a Deo deſtinata eſt & apta ad fructus nobiliores, Deo & hominibus acceptos, edendos. *Vitis* expingit *ſemen Abrahæ*, ſive Patriarcharum poſteros, ſeſe in varias, lateque diffuſas, propagines diffundentes, qui externa ſpecie inbecilles, & contemtibiles, præ reliquis optimorum fructuum ſpem præferunt, & exſpectationem faciunt. Præcipua *vitis* attributa, quæ hic unice in cenſum veniunt, ſunt, α. ejus ſpecies externa, qua nihil firmi, nihil grati, nihil, quod ſe commendet, habet. Ezech. xv: 1. β. Ejus expanſio, & proceritas, qua ſeſe longe lateque diffundit, & in altum elevat. γ. Fructus ejus omnium nobiliſſimi & acceptiſſimi.

§. L. Hæc attributa quam apte reſpondeant Eccleſiæ Judaicæ, vix opus eſt, ut attingam, cum res per ſe in oculos ſeſe ingerat. α. Judæi per ſe erant *infirmi*, qui ſe nec vindicare nec defendere & ſuſtinere poterant, nulla ſpecie Deo ſeſe commendantes, hominibus inviſi & ſpreti. β. Ipſe tamen ille populus ſeſe ſtupendum in modum ſubito multiplicabat, & in maximum numerum excreſcebat, ita ut ipſos Aegyptios ſuperare videretur. Quod ſequentibus temporibus, quibus meliore ſolo uſi ſunt, magis adhuc conſpicuum fuit, de quo poſtea. γ. Præcipuum tamen, quo ſe commendabat hic populus, erat ejus *aptitudo* ad fructus nobiliſſimos edendos; id eſt, ad opera veræ religionis, pietatis, & virtutis præſtanda. Quam aptitudinem repetebant, 1. ab origine ſua, Abrahamo, viti generoſiſſima, cujus ſoboles erant, & ſuccum trahebant. Hic primus eorum ſatus fuit, ſecundum quem æſtimantur. Jeſ. LI: 1. *Intuemini rupem, unde excisi eſtis, & foramen ciſternæ, unde effoſſi eſtis: intuemini Abrahamum Patrem veſtrum, & Saram, quæ vos parturiebat.* 2. A promiſſis Abrahamo factis, quibus *jus populi Dei* acquiſiverunt, & quorum virtute Deus ſeſe iis revelavit, veramque religionem in medio ipſorum ſtabilivit: quæ peculiaris erat prærogativa, qua præ reliquis apti erant Deo grata facere, ſeſeque actibus religioſis exer-

exercere. 3. A viris excellentioribus, ſapientia & pietate claris, qui inter eos verſabantur, & ad fructus proferendos idoneos reddebant.

§. LI. Quam adcommodatiſſimum eſt emblema ad *ſcopum*, quem Pii hic intendunt. Cum enim populus *vitis* conſpectum gerat, adeoque ſolus vera religione eſſet imbutus, qua ad opera Deo grata ſolus aptus erat, ſine ipſius *religionis* detrimento exſtirpari non poterat. Hac enim *vite* deleta, cum nobiliſſimo veræ religionis fructu in mundo actum erat, & illuſtriſſimæ vitis primæ propago, cui promiſſa data erant, exſcinderetur. Quæ cum benigniſſimum Numen pati non poterat, eo nomine ad exaudiendas preces rectiſſime compellitur.

§. LII. Præclara ſunt ſummi Numinis beneficia in hunc populum collata, quibus eum ex Aegypto, ſervitutis & afflictionis loco & ſtatu, liberavit, per deſertum duxit, in Cananæam, expulſis & deletis antiquis incolis, transtulit, multiplicavit in ea, & in ſublime gloriæ faſtigium extulit. Quae beneficia phraſibus metaphoricis, a *vite*, & cura ei impendi ſolita, ductis, hic ob oculos ſiſtuntur. Sunt autem, *a.* Translatio vitis a ſolo infelici in foecundius & melius. *b.* Plantatio & curatio ejus. *c.* Foecunditas ejus incredibilis inde nata. *a.* Primum beneficium, priore verſ. 9. membro comprehenſum, ita habet. *Vitem ex Aegypto avulſam transtuliſti*, in Cananæam ſc.; ut ex ſequente membro liquet. Verbum Hebr. נסע egregiam non tantum emphaſin præfert, ſed & *divitem* hic ſenſum habet. In origine dicit, *avulſit* tentorium, palo ejus, in terram defixo, revulſo, & inde ſecundario *profectus* eſt, ac in Hiph. effecit, ut, avulſo tentorio, proficisceretur, ſeu abitum procuravit. Propriæ ſignificationis, quæ in Arabica lingua proſtat, veſtigia ſunt Jud. XVI: 3. Jeſ. XXXIII: 20. & alibi. Sed *divitem* ſenſum hic habet; *avulſionis* enim conſequens, ſive *translationem* in alium locum, ſimul comprehendit, ut ex textu clarum eſt. Quod Chald. verbo נטל, quo hic utitur,

luculenter expreſſit, eo enim ipſo de eadem re uſus eſt, Jeſ. LXIII: 9. ubi *angelum faciei* dicit *redemiſſe populum & ſuſtuliſſe*, & ſublatum transtuliſſe; περῆρας *transtuliſti* habent LXX.

§. LIII. Sequentes ergo ideæ hac notione, ut ejus amplitudinem clarius pandam, ſunt involutæ, 1. *Prima* eſt, populum ex Aegypto vi, ac magna cum potentiæ demonſtratione, fuiſſe extractum, quemadmodum tentorium alte infixum revellitur. Diuturna inhabitatione non tantum affixus erat ei ſolo, ſed & magna cum vi ab Aegyptiis detinebatur, ita ut exerto Dei brachio, multis miraculis, maximis plagis, fuerit evulſus & liberatus: quod ex Script. conſtat. 2. *Secunda* eſt, Deum *ſuscepiſſe*, humeris impoſuiſſe, hunc populum, inſtar tentorii avulſi, & portaſſe in deſerto, ut eſt Jeſ. LXIII. Deut. XXXII: 11. Quæ egregia eſt pictura ſummæ *curæ*, qua Deus Israelitas in deſerto ſuſcepit, defendit, omnibusque neceſſariis abundanter inſtruxit, eosque, Deum ſuis murmurationibus onerantes & fatigantes, clementer *toleravit*. 3. *Tertia* habet, Deum in ſedes alias hunc populum transtuliſſe, & longe melius ſolum ei dediſſe, terram ſc. *Cananæam*, lacte & melle abundantem, *glebam pinguem*, *cornu olei plenum*, ſtylo Jeſ. v. 2. Ex quo obſervato ſponte elucet ratio, quare *Aegyptus* hic expreſſe memoretur. *Vitem ex Aegypto transtuliſti*, loco ſcilicet valde noxio foecunditati hujus vitis: quippe quo premebatur, omni cura privabatur, & dejecta ac deſerta ſpernebatur, quo denique pernicioſiſſimum ſuccum trahebat, qui venenatas & acerbiſſimas producebat uvas, idololatriam ſc. & vitia quæcunque. Quæ populi conditio fuit in Aegypto. Quare magno beneficii loco habenda erat ipſa ex hoc *loco liberatio*.

§. LIV. *b. Secundum* beneficium eſt *fundatio* populi in terra Cananæa, Gentibus exterminatis, & *cultatio* ejus in ea, qua omnia neceſſaria ad fructificationem ſunt ſubminiſtrata. *Expuliſti gentes & plantaſti eam*. h. e. Cananæis par-

partim deletis, partim expulsis, firmam & stabilem populo in ea terra præbuisti sedem: quod per Josiam cum clarissima Divinæ potentiæ manifestatione effectum est, ut constat: quare hic non necesse est morari. *Curatio* ejus his vocibus exprimitur, vers. 10. פנית לפניו *vacuaveras coram illa* reddit Coccejus, alii *scopasti*, *repurgasti*, *locum*, *spatium*, *fecisti*, qui omnes נוה radici in Pih. *evacuandi & purgandi* significatum attribuunt, quem præterre videtur & in aliis Script. locis, ut Gen. XXIV: 31. Lev. XIV: 36. Jes. XL: 3. *viam evacuare*, purgare impedimentis. LXX. habent ἡτοίμασας *viam parasti*, videntur subintellexisse דרך *viam*, ut Jes. XL: 3. Quo vulg. etiam respexit, cum vertit, *dux itineris fuisti*. Sed Chald. supplevit Canaæos, vertitque, *scopasti a conspectu ejus* Canaæos, quemadmodum Theph. III: 15. נוה *exterminavit inimicos tuos*. Ad *viæ* parationem hic respici non potest, quod emblemati *vitis* transportandæ id non conveniat, quodque vitis jam *plantata* consideretur, ergo de præparatione *loci*, in quo plantata erat vitis, rectius capitur.

§. LV. Radix נוה, ut ad penitiorem loci intellectum viam planiorem sternam, *in facie adversa* proprie tenitur, ut ex derivato נוה elucet, licet *aversæ* faciei nonnunquam præferat potestatem, unde *evanescendi* ortus est usus. Ps. XC: 9. *Dies nostri* נוו *evanuerunt per excandescentiam tuam consumti sunt anni nostri*. Quo sensu Arab. frequenti in usu est. Ab *adversa* facie profluxit *adspiciendi* usus, qui variis metaphoris involvitur. Sic. Ex. XIV: 27. נוה בקר est, *faciem advertente matutino*, seu adspirante, illucescente. Hinc in Pih. *facere*, *ut quis*, vel *quid*, *nativam suam faciem ostentet*. Quod varie applicari & intelligi potest. In genere transfertur ad quæcunque impedimenta removenda, quæ nativam rei speciem obscurant & obtegunt. Hinc *viæ* parandæ, seu ab impedimentis purgandæ, fluxit notio, quippe quo efficitur, ut via, a sordibus, lapidibus, virgultis, offendiculis, libera, suam advertat faciem, antea obvelatam. Hinc evacuare domum dicit, seu facere, ut domus sua nuda facie

facie niteat, omnibus ornamentis & impedimentis remotis. Denique, cum *facies* orientalibus pro *parte interiore*, ut *cervix* pro *exteriore*, uſitata ſit, hinc faciem rei oſtendere uſurpari cœpit pro *interiora* rei nudare, & in conſpectum producere.

§. LVI. Hæc ſi ad præſentem locum applicemus, duplex exorietur ejus ſenſus, qui cum *purgationem loci*, tum vitis *paſtinationem* ſeu *ablaqueationem*, complectitur, quod utrumque egregie ad rem facit. *Purgatio* loci in ejus *elapidatione* præcipue ſita eſt, qua locus ab impedimentis, quæ vitis fructificationi obſunt, purgatur. Ut Jeſ. v: 2. ויסקלהו & *lapidibus eum purgavit*, qua figura exterminatio idololatrarum & idolorum, aliorumque criminum expurgatio, expingitur, quæ per Joſuam primum, deinde per Judices & præcipue Davidem eſt perfecta. Hæc enim cuncta obſtacula *lapidum* ſub emblemate veniunt, nullam aliam ob rationem, quam quia Judæorum fructificationem, qua opera legis præſtare debeant, impediunt. Addidi ipſius vitis *paſtinationem*, quia ad *interiores* terræ partes penetrat, ac *radices* vitis denudat, eo ſcopo, ut radices inferne purgentur ab herbis noxiis, vel earum radicibus, quæ ejus nitori & incremento obicem ponunt. Quo ipſo gratuita Dei operatio expingitur, qua per prophetas & doctores in fundamentales populi opiniones inquirit, eas luci exponit, ad examen vocat, & a noxiis præjudiciis liberat. Quæ præjudicia de pluribus Diis, Dei veri cultu per imagines, de externis ritibus Deo per ſe placentibus, & juſtitiam propriam conſtituentibus, aliisque rebus, populum occuparunt, & prophetis continuam materiam declamationum & reprehenſionum præbuerunt. Quam apte autem *cum herbis noxiis* comparentur, nemini obſcurum eſt. Addi poſſunt profanæ opiniones & atheiſticæ, quibus providentia Dei negatur, vita æterna in dubium vocatur, & viæ Dei carpuntur, ejusque juſtitia vindicativa negatur, vel reprehenditur: quæ

radix

radix proferens cicutam & *absinthium* appellantur, Deut. XXIX: 17—. qui locus huic rei illustrandæ sufficit.

§. LVI. *c. Tertium* beneficium, ex plantatione & curatione vitis natum, incredibilem ejus *fœcunditatem* complectitur, qua inferne radices egit, & superne sese longe lateque diffudit per terram, ita ut montes sua altitudine superaverit, & extra proprii soli fines in alias proserpserit regiones: quæ summa est vers. 10, 11, 12. *Et radices suas late & alte egit: & implevit terram, montes ejus umbra operti sunt; palmites ejus sunt cedri Dei. Ramos suos usque ad mare, & ad fluvium propagines suas emisit.* Ubi ante omnia observandum, verba præteriti & futuri temporis hic permisceri, ut, utrumque tempus hic locum habere, insinuetur. Vitis jam in eam altitudinem ac latitudinem excrescere inceperat, cum Ps. compositus est, & majus adhuc incrementum ipsi destinatum erat ex consilio ac promisso Dei, ut post Epiphanicam afflictionem contigit, quo tempore promissa de *multiplicatione supra Patres & benedictione* impleta sunt: utrumque hic egregie ad rem facit. Bona maxima in populum collata, æque ac in eum conferenda, Deum ad populi liberationem efficiendam flectere apta nata erant. Veracitas enim Dei impedit, quo minus hæc vitis perfectæ hostium conculcationi & exstirpationi tradatur.

§. LVII. Consistit autem *fœcunditas* ejus *a.* in radicibus late & alte actis, *b.* in diffusione per terram. *a.* Prius his verbis continetur; *& egit radices altas & latas.* sc. vitis, cujus proxime facta fuerat mentio. Interpretes de Deo passim intelligunt, & reddunt in pers. fec., *plantasti radices ejus*, ut Vulg. & LXX. κατεφύτευσας τὰς ῥίζας αὐτῆς, quibus reliquae versiones antiquae concinunt, nec ab iis multum abeunt recentiores. Rectius Coccejus *radicaverat radices suas* in pers. tert., quæ rectissima est interpretatio, ut cum ex seq. membro, *& implevit terram*, sc. vitis, tum ex constante verbi usu in Hiph. elucet. Jes. XXVII: 6. *Futuro tempore*, (id enim est יבים sc. ישרש) *radices aget Jacob, germinabit & florebit Israel, & replebunt*

plebunt orbem habitabilem proventu, qui locus noſtrum illuſtrat. Ita Job. v: 3. *vidi ſtultum* שרש *radicantem*. Caeterum cum verbum ipſum *radices agere* ſua poteſtate propria denotet, & inſuper vox *radix* addatur, emphaſin, in ejusmodi conſtructione quæri ſolitam, qua ſummum rei gradum dicit ejusdem nominis repetitio, hic negligendam nollem. Quoties verbo additur *conjugatum nomen*, *multum intenditur ſignificatio*, quem canonem multis demonſtravit Bochartus *a*, ut ex Gr. & Lat. la Cerda *b*. *Radicare radices* dicit, *altè* & *late radices agere*, quod ſubjecto myſtico egregie convenit. Populus enim Judaeus in terra Cananaea ſedes ſuas adeo firmiter & late ſtabilivit, ut nulla ope evelli potuerit, niſi divina vindicta in hoſtium manus forte tradatur. Israel terram occupatam, & ab antiquis incolis purgatam, *ſolus* fere poſſidere incepit, & in ea tanquam *ſua* ſeſe ſtabilivit, ut hoſtium impetus ſpernere potuerit; tantae fuerunt *opes*, tanta potentia, quam in ea terra cum tempore acquiſivit, ut tempore Davidis & Salomonis factum erat, & temporibus Maccab. praecipue contingeret. Sed hae ſolae non fuerunt *radices*, quae *firmitatem* & *ſtabilitatem* huic viti conciliant: conſiſtit enim populus quam maxime in *promiſſis*, patribus factis, & *fœdere* Dei, quo ea populo renovata ſunt: quod aeternum & perenne fœdus eſt, donec Oeconomiæ finis advenerit. His promiſſis acceptum ferre debebat populus, quod in terra Cananæa ſtabilitus fuerit, adeoque *radices egerit:* hinc enim erat, quod potentiſſima Deo cura gauderent, & ſub ejus umbra latitarent, quod hoſtibus eſſent terrori, denique quod opibus & divitiis, quæ robora & nervi reip. ſunt, abundarent.

§. LVIII. *b. Alterum*, quod de fœcunditate ejus teſtatur, eſt ſtupenda ejus expanſio & diffuſio per quævis terræ loca, etiam editiora; quæ per *gradus* accuratius deſcribitur, verſ. 11, 12. *a. Primus* gradus eſt ejus diffuſio per *terram*

a Hieroz. p. 1. l. II. c. 17. *b* Ad Virg. Aen. l. XII. p. 749.

terram Cananæam, planam & depreſſam, verſ. 10. fin. *Implevit terram*, ſc. *Cananæam*, ut cum ex voce abſolute poſita, tum ex ſeq., ubi eam extra terræ Canan. fines proſerpſiſſe refertur, haud difficulter colligitur. Vox enim abſolute poſita, nec per circumſtantias aut epitheta ad certam regionem, aut orbem, relata, pro terra Israelis κατ' ἐξοχὴν ſumitur, ut Hoſ. 1: 2. IV: 1. Pſ. LXXXII: 5. De terra plana & depreſſa cogitandi anſam præbuit præter primigeniam vocis poteſtatem, quæ quicquid *depreſſum* & *humile* eſt comprehendit, ut ex Arab. lingua conſtat, verſ. 11. ubi *montes* in ſpecie memorantur, *ejus umbrâ* tecti: quæ *ſecunda* eſt gradatio. Emblema nobis ob oculos ponit Judææ gentis primam in terra Cananaea *multiplicationem*, qua per totam terram quaquaverſum ſeſe diffudit: quemadmodum *vitis*, quae primum plana loca occupat, & per terram ſerpit, donec ſeſe in altum erigat.

§. LIX. β. *Secundus* gradus eſt ejus *exaltatio* ſupra *montes* & *colles*, qua in tantum excrevit numerum, tantamque adepta eſt potentiam, ut ſupra potentiſſimos terrae incolas, qui adhuc ſupererant, eminuerit, eosque vel exſtirpaverit, vel ſubjugaverit, ac terras eorum occupaverit, magnaque gloria excelluerit, ut cum nobiliſſimis orbis regnis comparari potuerit. Id eſt, quod verſ. 11. habetur. *Operti ſunt montes umbra ejus, & rami ejus cedri Dei.* h. e. altiſſimi, & divinam ſpirantes majeſtatem: epitheton enim *Dei*, voci additum, ſummum rei gradum denotare tralaticium eſt, ſed hic *divinæ* majeſtatis ſymbolum & ſimulacrum, in ea re elucens, ſimul involvit, ut mox dicam. Ad litteralem caeteroquin interpretationem nihil neceſſe eſt obſervare, praeter duplicem ſenſum, quem poſterius membrum admittere poteſt. Alter eſt, quo verbum *tegi* repetitur ex membro *priore*, ut ſenſus ſit, & *ramis ejus tectæ*, ſc. ſunt *cedri Dei*, altiſſimae nim. arbores, in montibus plantatae. ita LXX. *operuit montes umbra ejus*, καὶ αἱ ἀναδενδράδες αὐτῆς τὰς κέδρους τῷ θεῷ, & *arbuſta ejus* (ἀναδενδράς eſt vitis arbuſti-

va, quae arborem conſcendit,) *cedros Dei* operuerunt. Quam interpretationem defendit de Dieu, & adoptavit Coccejus. Syrus ſupplevit ל ſive *juxta*, ſive *ſupra*, & *rami ejus* apud *cedros Dei*, quas conſcendunt, ut ſolent *vites*, vel *ſupra cedros*, ut ſuper iis emineant. Sed longe aptius eſt reddere cum aliis, & *rami ejus cedri Dei* ſunt; qua ellipſi nil eſt vulgatius. Rationes ſunt 1. Quod *ramis* vitis inſolentiore phraſi *tectæ* dicantur cedri: *ſupereminere* dicerentur, non *tegere* cedros. 2. Ratio redditur membro poſteriore, quare *montes ejus umbra* dicantur operti, quia ſc. tantae erat proceritatis vitis, ut rami ejus *cedros* altiſſimas aequarint. 3. Longe aptiſſima eſt comparatio cum *cedris*, & egregiam emphaſin habet epitheton *Dei*, ſi *rami* hujus vitis *cedri Dei* eſſe dicantur, ut mox patebit.

§. LX. *Prius* membrum, quod habet, *montes ejus umbra eſſe tectos*, ſequentia de Judaeorum multiplicatione & potentia ob oculos ponit. α. Eorum diffuſionem per omnes Cananaeae partes & loca, ita ut ubique ſedes figerent, & montes ac colles ſuis habitaculis obtegerent: quae ſumma eſt populi multiplicatio, ad quam Davidis & Salomonis temporibus perveherant, & quam ſecundum prophetias adhuc aſſequi debebant, quum ſupra *Patres multiplicarentur*, uti poſt afflictionem Epiphan. impletum eſt. β. Cum hac multiplicatione conjuncta foret omnium *regnorum* Cananæae occupatio; (*Montes* enim ſunt regnorum & rerump. uſitatiſſima ſymbola) Judæi non niſi Davidis tempore Cananæos perfecte domare, & ſub jugum mittere potuerunt, ita ut eorum ſedes occuparint, & eos ſub ſua *tutela* latitare, ſibique obſequium praeſtare, coegerint. Quod poſtea rurſus ſub Maccabæis accidit. γ. Denique ſumma *potentia* & *gloria* populi hoc emblemate depingitur, quippe quae tanta foret, ut celebratiſſima regna non tantum æquaret, ſed & ſuo ſplendore *obſcuraret*, ac ſua *umbra quaſi tegeret*, ita ut regnum Judæorum praecipue in omnium oculos incurreret, & per omnium ora volitaret. Quemadmodum Davidis

Davidis & Salomonis temporibus ſuper Syriacum Damascenum, & Arabiæ regna, longe eminuit, ut ex hiſtoria notum eſt: ne nunc de aliis vicinis minoribus regnis, ut Idumæo, Moabitico, Ammonitico &c., dicam. Quam eandem felicitatem ſub Maccabæis recuperavit. *δ.* Poſtremo comprehendit vicinorum populorum ſubjugationem, qua in Judæorum poteſtatem redacti ſub eorum umbra laterent, & in eorum potentia ac protectione ſecuritatem ſuam ponerent. Quo ſenſu Dan. II: 9. Nebucadnezar cum arbore celſiſſima & frondoſiſſima comparatur, *in cujus ramis nidos ponerent aves*, populi ſub ejus umbra ſeſe occultantes. Sed notiſſimum ac facile emblema ulteriore commentatione non indiget.

§. LXI. Animadverſionem merentur *inſtrumenta*, quibus tantæ potentiæ & gloriæ culmen conſcendit populus, ut ſupra montes ſeſe erexerit: quæ ſequens membrum deſcribit, quo *rami ejus cedri Dei* appellantur, propter ſummam eorum *firmitatem*, *craſſitiem* & *proceritatem*, quae *cedrorum* notiſſima attributa hic in cenſum veniunt. Cum autem *cedri* vulgatiſſima ſint emblemata *regum* & *principum*, opibus & potentia fortium, ac dignitate & gloria reliquos ſuperantium, nec non faſtu ſaepe & ſuperbia cœlos petentium, ut ex Jeſ. II: 13. X: 33. Ezech. XVII: 3, 4. XIX: 10, 11. &c. Zach. XI: 1, 2. aliisque locis conſtat; dubium non eſt, quin per *ramos* vitis ejusmodi *reges* & *principes* intelligantur, quibus populus Judaeus *regni* non tantum formam ac ſplendorem accepit, ut *montes* aequaverit, ſed & regni fortiſſimi, ac potentiſſimi, ſplendore ac gloria ſumma fulgentis, ita ut ejus fama per orbem dimanaverit. Imo, quod notandum, *rami* ejus forent *cedri Dei*, non tantum propter proceritatem, ſed & peculiarem eorum relationem ad Deum, qui *ramos* in eam altitudinem extulerat, & ſua majeſtate ac potentia veſtiverat, ut Davidem, Salomonem, Hizkiam, Joſiam, Maccabaeos, qui hic praecipue ſpectantur. A quo tempore *regni* ſpeciem praetulit Judaea gens, & quidem regni

potentissimi ac splendidissimi, & quamdiu eam tuita est, hujus emblematis colores præstitit: eo enim tempore *regibus* & *principibus* ornata fuit, qui *ramorum* fortium & excelsorum, quibus populi potentia & gloria crevit, speciem gesserunt. Alia, quæ emblema illustrant, mitto.

§. LXII. γ. *Tertius* gradus est populi diffusio per remotas terras extra Cananæam, vers. 12. *emisit sagittas suas ad mare, & ad flumen teneros ramos suos.* Vocem קצירה *sagittas* verti, quia rustici Latini tenerrimam & ultimam palmitis partem *sagittam* appellare solent, sive, ut inquit Columella *a*, *quia longius recessit a matre, & quasi micuit, ac prosiluit, sive quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit.* Vox Hebr. a rad. קצר proprie *secuit*, *amputavit*, dicit *sectum*, est enim forma part. pass., quod cum *ramis* & *messi* conveniat, utrumque denotare solet. Sic pro *stolone* & *propagine* sumitur, Job. XIV: 9. XXIX: 1. & pro *ramis* tenerrimis, seu ultima palmitis parte, quæ, utpote infrugifera, *resecari* solet, hic usurpatur, quod & ex alia voce synonyma יונקותיה confirmatur, quæ cum *teneros ramos*, succum ex matre *sugentes*, tum *stolones*, ex radicibus ad truncos arborum enatis, significat, a rad. ינק *sugere*. Pro *stolonibus* venit, Job. XV: 30. Jes. LIII: 2. pro summis ac tenerrimis *ramis*, Gen. XLIX: 17. Hos. XIV: 7. Ezech. XVII: 4. quod huic loco unice quoque convenit; ut cuivis in promtu est.

§. LXIII. Quæritur, quid hic sint *propagines* & *teneri rami vitis*. Interpretes emblema de *imperio* populi usque ad mare & fluvium extendendo passim interpretantur, & ad Davidis ac Salomonis tempora referunt. Equidem non negaverim, eo tempore amplissimum fuisse & latissimum eorum regnum, ita ut ad *mare mediterraneum* & *Euphratem* sese vere porrexerit, quemadmodum ex 1 Reg. V: 1. 2 Chron. IX: 26. Ps. LXXII: 8. constat. Sed illud hoc emblemate depingi, vel præcipue intendi, vix crediderim, *a*. Quia vers. 11. illud jam delineatum erat, longe aptiore symbolo,

a De re rustica l. III.

lo, ut ſupra expoſitum eſt. *b.* Quia de *tenerrimis* ramis ac ſummis palmitum partibus, a matre radice longius remotis, & non de *ramis* fortioribus, ſeſe eousque porrigentibus, agitur. Unde colligitur, de *diffuſione* populi per illas terras, & coloniis in eas miſſis, emblema rectius intelligi. Cum enim teneri & ſummi palmites *vitis* ſint propagines, eaque depingat *populum Judæum*, nihil aptius quam *colonias*, ex populo ortas, ad eum pertinentes, ſummas ejus partes ac propagines, expingere poſſunt *tenerrimi rami*, in remotas terras emiſſi. Quo ſenſu emblema ſumitur, Gen. XLIX. 22. *fœcunda vitis eſt Joſeph, fœcunda vitis ſecus fontem: palmitum quisque procedit ultra murum:* in textu eſt בנה *filiæ*, ut, *poſteritatem* Joſephi ultra terminos ſuos excrescendam hic intelligi, indicaretur. Unde patet, filios & filias Judæorum in exteras oras mittendos, ibique figendos, noſtro loco deſignari. Huc itidem pertinet Ezech. XVII: 4. ubi Jechonias Babelem deportandus, ibique propagandus, cum *ſumma ramorum parte* comparatur, quæ abſciſſa *in terram negotiationum transferretur*, ut ſc. ibi cresceret. Nonnihil roboris opinioni noſtræ addit Chaldæus, qui de *discipulis ad mare miſſis* emblema ſcite interpretatus eſt.

§. LXIV. Sed quousque illæ *coloniæ* ſeſe extenderent? *ad mare*, inquiunt ſancti, *& ad fluvium:* ubi per *fluvium* κατ' ἐξοχὴν *Euphratem* intelligi, ex Script. locis in vulgus notum eſt. Vid. Gen. XXXI: 21. Exod. XXIII: 31. Pſ. LXXII: 8. Jeſ. VII: 20. VII: 7. XXVII: 12. & ſæpe alibi. *Mare* abſolute poſitum ſolet *maris mediterranei* eſſe criterium; quod *mare magnum* appellatur, Joſ. I: 4. Sed pro *Nilo*, fluvio Aegypti, ſpeciali quoque uſu venit, ut Jeſ. XIX: 5. *Deficiunt aquæ ex mari*, & *fluvius exſiccabitur*. Vid. & Nah. III: 8. Ezech. XXXII: 1, 3. Solent enim Hebræi majora aquarum receptacula appellare *maria*, maxime *fluvios* vaſtiſſimos: ſic *Euphrates* alibi hoc etiam nomine inſignitur, Jer. LI: 26. Utraque ſignificatio hic locum reperire poteſt. Terræ enim Cananææ limites, ad quos hic alluditur, tum

Euphrates

Euphrates & mare mediterraneum ponuntur, uti Deut. xi: 24. Jos. i: 4. tum *Euphrates* & *Nilus*, seu *fluvius Aegypti*, Gen. xv: 18. qui limites regni Salomonis constituuntur, 1 Reg. v: 1. 2 Chron. ix: 26. Nec in eo difficultas est, quod Nilus *mare* appelletur, & Euphrates *fluvius*; sic enim alibi Euphrates sub *maris* nomine venit, & *Nilus* נהר *fluvius*, in illustri loco, Zach. x. 10, 11.

§. LXV. Cæterum sensus, ex dictis profluens, huc redit, populum Judæum ad Euphratem & mare mediterraneum, ac Aegyptum in specie, *quaquaversum* diffundendum esse, ubique sedes ac domicilia fixurum, suosque habiturum *cives* & populares in locis, quæ ad mare Mediterraneum pertingerent, & ad Euphratem. Unde patet, loca Assyriæ, Babyloniæ, Syriæ &c. quæ Euphrates alluit, & ab altera parte Aegyptum, etiam Asiæ nim. tractum maritimum ad mare mediterraneum, intelligi, &, quo tempore Ps. conscriptus est, Judæos per omnes illas terras fuisse diffusos: quod non nisi post exilium Babyl., & post regnum Persicum destructum in emphasi contigit. Sed post exilium ingens Judæorum copia in Aegypto mansit, & Assyria ac Babylonia; deinde sub Lagidis & Seleucidis sese per Asiam & Aegyptum magis magisque disseminarunt, ut ex *Josepho* & Libr. Maccab. notissimum est. Quod majore longe emphasi *Maccabaicis* impletum est temporibus, quippe quibus ubique terrarum sedes fixerunt.

§. LXVI. Sed insigne acumen quod hic recte infigitur, silentio involvendum non est, maxime cum illud ipsum observatum difficultatem aliquam tollere poterit, quam exilii Babyl. neglecta mentio contra nostram hypothesin de compositi Ps. tempore suppeditat. Videtur mihi vir Sanctus hic illud exilium in oculis habuisse, illudque insigni prudentia in bonum & favorem suum vertisse, ne ex eo colligeretur, Deum & olim iram suam in populum effudisse, adeoque nil in eo esse paradoxi, quod & nunc populum affligat. Hanc ob rationem exilium Babyl. hic consideratur in salutari, quod

quod attulit, bono, quo populus occasione illius exilii in quasvis terras longe lateque progressu temporis est disseminatus, vitisque hac ratione suas propagines misit ad Euphratem & mare quaquaversum. Illæ enim *coloniæ* Judaeorum non tam destinato consilio, quam quidem Regum jussu factae sunt, & *transportationis* servorum conspectum habuerunt. Quod in exilio Bab. & Assyr. non tantum verum est, sed & in Lagidarum & Seleucidarum quoque abductionibus, ut ex historia constat. Cum itaque Deus tanto erga populum semper usus fuerit favore, ut eum in Cananaeam non tantum transtulerit, longe lateque disseminaverit, & in summam celebritatem evexerit &c. sed & in maximo malo ita succurrerit populo, ut illud ipsum in magnum bonum ei verterit, eaque occasione longe diffitas terras occupaverit, quid ab eo alienius videri posset, quam hanc vitem exstirpandam dare hostibus? Ex quo elucet, quanta arte sancti ad Deum permovendum & flectendum utantur, quantamque vim habeat praeteritae conditionis commemoratio.

§. LXVII. Quod ut fortius feriret, praesentis status descriptionem subjungunt, ut cum praeterita prosperitate praesens calamitas comparata Dei misericordiam commoveat. Verba ita habent, vers. 13, 14. *Quare perrupisti maceries ejus, ita ut omnes, illac pertranseuntes, eam discerpant. Devastavit illam aper e sylva, & fera agrestis depavit illam.* Malum antecedens & primarium, reliquorum causa, in protectricis providentiæ Dei cessatione & ablatione situm est. Hoc enim munimento privati hostium incursationibus & direptionibus erant expositi, quibus resistere non poterant. Utitur poeta divinus phrasibus metaphoricis a *vite* petitis, ut in eadem metaphora pergeret. *Quare perrupisti maceries ejus*, quiritantes, & summam Dei severitatem admirantes, dicunt, non acsi cum Deo expostularent, Deoque nullas stare rationes justas indicatum vellent, sed ut tum querelas suas effunderent, iisque Dei misericordiam

excitarent, tum etiam graviores videri esse rationes, quæ plenariam suam destructionem averterent, insinuarent, adeoque, si Deus sibi subito non succurreret, videri posset, relationibus ad se renunciasse, & indignationi nimium, quam par erat, indulsisse, saltem querelæ occasionem dedisse, ut non sine ratione quærere possent: *quare sic feciſti?* illudne Tibi glorioſum est? &c. Quo sensu similes querelæ, in odis sanctorum obviæ, intelligendæ sunt, ut Pſ. x: 1. LXXIV: 1. Jeſ. LXIII: 17.

§. LXVIII. Sed ad querelæ *argumentum* accedamus. מצרים *maceriem*, seu lapides congestos, quibus vinea contra ferarum impetus solet muniri, denotare solet, quemadmodum גדר sepimentum ejus exterius *ſpinoſum* ad arcendos homines, quæ voces copulantur, Jeſ. v: 7. Vid. & Prov. xv: 19. xxiv: 31. Hic vero nihil impedit, quominus utrumque conjungamus, & *maceriem* ac *ſepimentum* ſpinoſum intelligamus, cum quod in plural. *maceriæ ejus* occurrat, tum quod hominum transeuntium, ac ferarum vitem vaſtantium, mox fiat mentio. Cum autem *maceriæ* sint *munimenta* vineæ, quibus ab omni impetu hostili tuta redditur, dubium non est, quin sensu mystico omnia illa *media* per *maceriam* intelligantur, quibus resp. & religio conservatur, ac defenditur. Providentia præcipue divina protectrix, quæ *murus igneus* appellatur, Zach. II. Jeſ. XXVI: 1. & a qua, præsente vel absente, bona vel mala populi derivari solent, ut Deut. XXXI: 17. Pſ. CXXVIII: 2, unde *vae* illud, *ſi ab ipſis discesſerit Deus*, Hoſ. IX: 12. variis modis *munimentum* populo præstat, sive terrorem hostibus incutiat, sive consilia ipsorum disturbet, sive populo inspiret animum & fortitudinem, sive heroas suscitet, & populo concedat victorias, quibus hostes absterrent vel subjugant, sive alia ratione populo saluti & præsidio sit. Unde sponte elucet, quid *maceriarum disruptio* complectatur; providentiae sc. divinae cum omnibus mediis aliis, modo memoratis, ablationem.

§. LXIX.

§. LXIX. Quo tempore hoc praesidio orbati fuerint Judaei, mala consequentia definient. Sepimentis enim disruptis, hominum & ferarum mox expositi sunt incursionibus, & vastationibus, ut seq. docent. Primum malum, ex disrupta maceria ortum, est, quod viatorum direptionibus patuerit, omnesque illac transeuntes eam discerpserint, vel discerptam collegerint. Hebr. textus habet & *omnes transeuntes* viam פרכוה *vindemiarunt eam*, Vulg. ex LXX., qui reddunt, τρυγῶσιν, recentiores passim, *ut carpant eam*, potius *collegerunt eam*, sc. decerptam. Radix פרכ in Script. amplius non occurrit. Cant. v. 1. qui locus in Lexicis profertur hanc in rem, alia omnino radix constituenda est: מר פרכי non est, ut vulgo, *carpsi myrrham*, quae insolita phrasis est, sed *irriguus fui myrrha*, ut mox vs. 5. *manus meae stillant myrrha*, quod cum myrrhae liquore conjunctius est. Radix פרכ, apud Arab. exstans, respondet Heb. מר *irriguus fuit*, unde מרכ *leo*, q. maxime *irriguus*, h. e. medullosus & fortitudine praeditus. Nostra vero radix פרכ ex vicinis linguis, praecipue Arab. & Aethiop. derivata significatione, in *colligendo*, in unum cogendo, & conservando, propriam sedem habere videtur, quod ex derivatis, in lingua Hebr. superstitibus, confirmatur. Hinc enim פרכ *arca*, quia in *arcam res asservandae colliguntur*, ut recte de Dieu *a*, & post eum Ludolphus *b*. Sic מרכ *stabulum*, locus, ubi colligitur & continetur jumentum, ut Arab. in usu est. Plura adferre nunc non licet. Sensus itaque est, viatores vitem, nullis munimentis obseptam, passim *vindemiasse*, ut recte LXX. seu collegisse uvas decerptas, fructus sine discrimine in usum suum vertisse, vitemque spoliasse.

§. LXX. Sensum mysticum, in genere haud difficilem intellectu, duo criteria definiunt, & ad certum tempus restringunt. Alterum suppeditant *illi*, qui populum Judaeum hic dicuntur spoliasse, alterum ipsa *spoliatio* subministrat.

a Ad Exod. xv. *b* Comm. ad Hist. Aeth. p. 204.

Praedones non illi sunt, qui eo scopo tantum illuc tendunt, ut prædentur, sed qui forte fortuna in ea loca incidunt, & alio animo illac transibant, qui prædam juxta viam invenientes eam diripiunt, & auferunt, ut solent *viatores* viam transeuntes. Nec destruendæ, sed spoliandæ tantum vineæ illos intentos fuisse, verbum *colligendi* & *vindemiandi* evincit. Unde nunc clare, ni fallor, elucet, tale indigitari tempus, quo populus Judæus per exercitus transeuntes spoliatus est, absque quo directe id in animo haberent hostes, sed qui illac transeuntes occasionem dabam, qua populum invenerunt nudatum, & cura ac potentia destitutum, arripuerunt, multisque modis eum spoliarunt, & opibus exhauserunt ac divitiis, agros frugesque ipsorum corruperunt. Quod nullo alio tempore adeo impletum est, ac quo Syrorum & Aegyptiorum exercitus, sibi invicem hostiles, per terram Judæorum intermediam continuo ultro citroque peragrarunt, quævis obvia non tantum diripuerunt, sed &, ut in ejusmodi casibus fieri solet *a*, agros frugesque depravarunt, populum expilarunt, & per terras grassati sunt, maxime, cum illi exercitus, qui Judæis quoque hostiles erant, illac iter facerent. Quod a temporibus Antiochi M., quibus bella continua inter Syros & Aegyptios de Judæa & Cœlesyria flagrarunt, quam maxime fieri cœpit, adeoque non longe ante afflictionem Epiphanicam; de qua vers. seq. agitur. Hos exercitus direptores in oculis etiam habuit Zach. IX. 8. ubi Deus promittit, se populum ab illis liberum & immunem esse præstiturum, *castrametabor circa aedem meam*, dicit Dominus, *& liberabo eam ab exercitu illac transeunte & redeunte: nec amplius transibit per eos exactor.* Subjungam tantum verba Josephi *b*. *Antiocho M. in Asia regnante in continua vexatione fuit tam Judaea quam Cœlesyria, quod eo bellum gerente cum Ptolomaeo Philopatore, hujusque filio, qui Epiphanes cognomina-*

a Vid. Gronov. ad Grot. J. B. & P. II. 11. §. 10. *b* Ant. l. XII. c. 4.

nominatus est, sive vinceret, sive vinceretur, male multarentur, non aliter ac navis, fluctibus utrinque oppugnata, inter prosperam & adversam Antiochi fortunam jactat. Reliqua, quæ ad sensum illustrandum & commendandum faciunt, ab unoquoque historiæ perito facile suppleri possunt.

§. LXXI. Hucusque hominum impetus passa videri posset vinea, quippe qui eam depasti sunt magis quam conculcarunt & destruxerunt: sed *mox fera sylvestris* eam invasit, ac diruit, Antiochus sc. Epiphanes, qui non instar viatoris & transeuntis eam tantum discerpsit, sed & hostili animo in eam directe irruit, omniaque susque deque vertit, & destruxit. Urbe Hierosolyma occupata eam sanguine innocuo replevit, magna in ea edita strage, eamque cum Templo ornamentis spoliavit, & brevi post per Apollonium Ducem igne, cæde, & vastatione omnia ubique diruit, ac multis afflictionibus Judæos ad Græcanicam idololatriam cogere instituit; horrendum in modum ubique sæviens, ita ut *porci* sylvestris, vitem hanc devastantis, imaginem perfecte præstiterit, ut ex Hist. Maccab. & Jos. nemini non notum est. Nostra itaque opera in sensu textus demonstrando & illustrando tantum versabitur. Verba ita habent. *Devastavit eam aper de sylva, & fera agri depasta est;* quæ satis constans interpretum est versio, si rem in genere spectes: a qua nulla de ratione discessit D. Hillerus *a*, vocem *de sylva* reddens *prae sylva*, plusquam *sylvam*, & cum verbo conculcare vel evastare conjungens hoc sensu: *devastavit vitem plus quam sylvam porcus.* Sed 1. ordo vocum inversus hic intruditur, & magnum habet incommodum; 2. *de sylva* additur, ut porcus definiretur, & distingueretur. 3. Posterius membrum, quo *fera agri* memoratur, priore membro *porcum sylvae* intelligendum esse, clare evincit. 4. Sueta est phrasis, ut Jer. v: 6. *Leo de sylva. Porcus e sylva* hic διακριτικῶς *aprum* denotat, quem Græci πάπαν appellant, Hebr. per circumlocutionem *porcum e sylva*,

a Hieroph. p. 1. c. 30.

va, ut a porcis vulgaribus distingueretur; de quo fuse Bochartus exposuit a. Additur *fera agri*: LXX. vertunt μονὸς ἄγρος & *singularis ferus* Vulg. h. e. *sus ferus, qui cum aliis non congregatur*, uti interpretatus est Hes. Sed de eo etiam vid. Bochartus b. Cyrillus vero, notante eodem Hes., *onagrum* intelligit, ad Hos. VIII: 9, & ita LXX. interpretatur. *Onager* enim *solitarius* apud Hos. dicitur, quod loca deserta & solitaria amat, quo sensu LXX. etiam cepit Ill. Ez. Spanheimius c, ne, eandem *feram*. LXX. intellexisse, necesse sit statuere. Quicquid hac de re sit, phrasis יער שדי est generalis, quae quascunque feras *in agro micantes, exultantes, & semet rapido cursu evibrantes*, denotat, ut ex vocis interiore potestate a Cl. Schultens d observatum est: ad quae nihil nunc addo. Nulla ergo ratio foret phrasin ad *apros* restringendi, maxime cum usus etiam sit generalis, ut ex Ps. L: 11. constat, & hic a *porco sylvestri* distingui videatur.

§. LXII. Nec tamen necesse est, ut diversa subjecta rationalia mystice hic intelligamus, cum eadem persona in genere *fera*, & in specie *porcus* sylvestris, dici possit: licet hic neutiquam haereremus, si quis subjecta distinguere velit. Quemadmodum enim *porcus* emblema nobis est Antiochi Epiphanis: sic, praeter alios ejus Duces, praesertim *Apollonius*, qui, ab Epiphane missus, Hierosolymam magna *strage* replevit, & Judaeos gravissime persecutus est, *ferae agri* imaginem perfecte praestat: cum quod juris ac aequi nullam habuerit rationem, tum mansuetudinis & humanitatis ne micam quidem in se superesse demonstraverit, sed ferum ac truculentum sese exhibuerit Judaeis, tum denique quod rapidissime & inopinato Judaeos invaserit *Apollonius*, & in eos impetum fecerit, instar ferae citissime sese moventis, tum quod maximam ediderit inter Judaeos stragem, & ingentes rapinas, ac latrocinia, exercuerit: quae ex historia notissima sunt. Id autem est, quod hic *depascere vineam* dicitur instar *ferae*

a Hieroz. p. I. l. III. c. 29. b l. c. c Ad Callim. p. 184. d Orig. l. I. c. 10.

ſinae, ſc. in vineam immiſſa, quæ eam ſpoliat & vaſtat, ut Exod. XXII: 4. Quo emblemate violenta populi oppreſſio, bonorum injuſta defraudatio, vexationes qualescunque depingi ſolent, ut Jeſ. III: 14. *Vos*, dicit Propheta ad ſeniores & principes populi, *depaviſtis vineam, rapina pauperis eſt in aedibus veſtris, quid vobis eſt, quod populum meum conteritis, & facies inopum commolitis?*

§. LXIII. Peculiarem meretur animadverſionem *apri*, vineam *vaſtantis*, emblema, ſub quo *Antiochum Epiphanem* hic repræſentari dixi. *a*. Ille luxu, ebrietate, libidine ſua, ſeſe demonſtravit *porcum*, in luto ſeſe volutantem: animal abjectiſſimum, & contemtum, multis furibundis actionibus & geſtis ſeſe comprobavit. *Hieronymus* ad Dan. XI. ex hiſtoria teſtatur, *eum fuiſſe luxurioſiſſimum, & in tantum dedecus per ſtupra & corruptelas venuſſe regiae dignitatis, ut meretrix quoque & ſcortis publice jungeretur, & libidinem ſuam populo praeſente compleret*. Sed de *moribus* ejus vid. Polybius *a*. Filarchus *b*, & Diodor. Sic. *c* Illud tantum notabo, quod *Epimanes* inde loco Epiphanis dictus fuerit. *b*. *Porci* emblemate eo majore jure & emphaſi hic venit Antiochus, quod Judaeos ad *porcinam carnem* comedendam, eamque idolis offerendam, novo prorſus inſtituto ſub gravisſimis minis coegerit, & eo præcipue nomine eos vexaris, ac vaſtarit, ut ex Joſepho *d*, & libris Maccab., ex gr. 1 Macc. I: 47. 2 Macc. VI: 18. VII: 1. conſtat: quo & Jeſ. LXV: 4. ubi reprehenduntur, *qui carne porcina vescuntur*, respicitur, nec non c. LXVI: 17. quo ipſo ſeſe magis adhuc abominandum exhibuit Judaeis, quibus *porco* nihil erat deteſtabilius. *c*. Sed *aprum*, quod ſaevisſimum eſt animal, ſeſe demonſtravit incredibili ſua feritate & ſaevitia, quam in Judaeos exercuit, dum eos horrendis modis ſpoliavit, trucidavit, & crudelisſime tractavit: quod hic dicitur, *vitem vaſtare*; & aptisſime adſcribitur *apro*, fruges & vineas devaſtanti.

a Apud Athen. l. v. p. 193. *b* Ib. l. x. p. 438. *c* Excerpt. Valeſii p. 304. *d* Ant. l. XII.

devaſtare ſolito, ut multis teſtimoniis comprobavit Cl. Bochartus *a*, qui & verbum Hebr. כרסם, quod hoc ſolo loco reperitur, ex Arab. lingua illuſtravit, & *corrodendi* ac *conſumendi* habere notionem obſervavit, quod cum Syr. verſione, & ſeq. verbo *depascere*, nec non אכל Pſ. LXXXIX: 7. optime convenit. Sed ad majorem emphaſin obſervari velim, præcipue adhiberi ſolere, quum aliquid dentibus apprehenſum mordacius laceratur & convellitur: quæ viva imago eſt apri per vineam graſſantis, & luculentiſſima Antiochi, in Judæos inſano furore ſævientis, deſcriptio.

§. LXXIV. Nihil reſtaret, quam ut in myſterium, quod in littera ע ſuſpenſa in voce יער ineſt, inquiramus: ſed, cum Maſoretharum illud ſit inventum, nescio an operæ pretium fuerit, tempus eo triviſſe. Varios qui amat luſus, eos apud Bochartum *b*, & alios, reperire poterit. Alterutrum nobis placet, ut verbo abſolvam, vel quod *urbem Romam* יער רומה intelligi voluerint hujus myſterii auctores, ut Cl. Vitringa ad Jeſ. v: 5. conjicit, vel quod nomen יער, ab ea littera incipiens, in oculis habuerint. Judæos enim Imperatores Romanos per *aprum*, & Romanum imperium per *Eſavum* ac *Edomum*, intellexiſſe, conſtat, & a Doctis abunde eſt demonſtratum. Sed hæc aliis relinquamus.

§. LXXV. Preces ipſæ, in hac præteritæ felicitatis & præſentis calamitatis comparatione fundatæ, eo tendunt, ut Deus vitem, ejusque præcipuam propaginem ſeu ſtirpem, a Deo ipſo plantatam, & contra hoſtem roboratam, *viſitet*, vitis purgamenta igni conſumat, & hoſtes increpatione perdat, adeoque heroas, qui ſeſe hoſtibus opponebant, *filium dextrae* ſuæ, protegat, & contra Antiochum ejusque copias, ſeu *filium hominis*, corroboret, & validos efficiat, ut ſic Deo adhæreſcant, & vivificentur, rep. & religione in integrum reſtituta. Quæ ſumma eſt, ex mea opinione, difficillimæ pericopae, quae a verſ. 15. ad finem ſeſe

a l. c. *b* l. c.

porrigit. Quatuor ejus ſunt partes: *prima* complectitur petitionem gratiae & auxilii Dei, viti & praecipuae hujus propagini praeſtandi contra hoſtem, verſ. 15, 16. *Secunda* in impiorum & hoſtium exitio ſupplicando verſatur, verſ. 17. *Tertia* defenſionem & protectionem heroum contra hoſtes precantur, verſ. 18. *Quarta* parte reip. & religionis inſtaurationem implorant, verſ. 19. quae ſolita clauſula terminatur, verſ. 20.

§. LXXVI. *Prima* pars nihil habet, quod lectori moras injicere poſſit, niſi in membro ejus *poſteriore*, verſ. 16. quare in eo illuſtrando opera noſtra unice verſabitur. Verba ex noſtra verſione habent: *Et ſurculum, quem plantavit dextra tua, quemque contra filium Tibi roboraſti.* Unde patet, verba a verſu ſuperiore pendere, & *viſitare* hic eſſe repetendum. *Viſita vitem hanc, & ſurculum* eſt, tua gratia & favore, tuo auxilio, Te ipſi praeſentem demonſtra. Vox נטע mihi hic loci dicit *ſurculum*, vel *ramum* obumbrantem, magna umbra praeditum, adeoque *protegentem*, & a ſolis aeſtu inmunem praeſtantem, a rad. נטה quae apud Arab. ſupereſt, & eam, quam dixi, poteſtatem praefert: respici ad *ſtirpem* vel ramum, ex verbo plantandi colligitur, & ex verſ. 11., ubi *rami* vitis dicuntur *cedri Dei*, *montes umbra obtegentes*, confirmatur. Emblema eſt principum & heroum, populum protegentium, & contra vexationes ac perſecutiones defendentium, ut ex verſ. 18. confirmatur: nam quod hic eſt, *ſtirps quam dextra Dei plantavit*, id verſ. 18. *vir* dicitur *dextrae Dei*. Deus itaque eos principes ſingulari ſua providentia *excitaſſe*, & ſpiritu ſuo animaſſe, ac curaſſe, cenſendus eſt. Quo illuſtrius *Maccabaeorum*, praeſertim *Judae*, primi ducis, qui ſe Antiocho, ejusque copiis, oppoſuit, emblema dari non poteſt. Illos enim Deus ſuscitavit *liberatores* & *vindices* Judaeorum, & contra Antiochi edicta & impetum hoſtilem *obfirmavit*, & robore induit plusquam vulgari: quod ultimo verſ. 16. membro his verbis declaratur, *& contra Filium roboraſti tibi.* Inter-

pretes passim reddunt, & *super filium*, scilicet *visita*, vel *propter filium*, ac intelligunt vel Messiam cum Chald. Paraphr., vel Israelem, vel tribum legalem &c. Sed nihil simplicius est nostra versione, quae limpide & facile fluit, nec ullo supplemento opus habet, quemadmodum omnes aliae. Deinde *Filium* hic in malam partem esse sumendum *pro hoste*, patet ex vers. 18. ubi *vir dextrae Dei* & *filius hominis* sibi opponuntur; ut suo loco videbimus. *Filius* itaque hic est *filius hominis*, sive deficiat בן אדם, quod ex LXX., qui υἱὸν ἀνθρώπου habent, probabile fit, & per sequentis verbi חזקתה primas litteras facile fieri potuit, sive per ellipsin ex vers. 18. supplendam. Contra hunc filium Deus *roborasse* dicitur propaginem vitis frondosam, scilicet *Judam* Maccabaeum, qui sese cum fratribus edicto regis opposuit, & firmo proposito in regem se armavit, omnes ejus impetus intrepide perduraturus. Quo sensu verbum חזק cum ל constructum occurrit, 2 Chron. XIII. 7. ubi *filii Belial* sese hoc verbo leguntur *obfirmasse* ל *contra Rehabeamum*.

§. LXXVII. *Secunda* pars ex nostra opinione preces continet de impiorum & hostium interitu, vers. 17. *combustum sit igne purgamentum: prae increpatione faciei tuae pereant.* In posteriore membro, de hostium pernicie capiendo, nonnullos habeo interpretes consentientes, sed in priore solum Syrum, qui reddidit, *ure igni farmenta ejus*, si simile quid in oculis eum habuisse quis dicere velit, de quo nihil affirmaverim. Interpretes in eo fere conveniunt, ut prius membrum vertant, *combusta est igni*, *succisa est*, & de vite incensa ac excisa litteraliter, de populo Judaeo, afflictione Babylonica vel Epiphanea gravissima passo, mystice intelligunt: sed vix dubitaverim, quin a vero sensu aberraverint. *a.* Calamitatis mentio hic apte fieri non potest, cum quod ea supra fuerit descripta, tum quod hic hostium perniciem, suamque liberationem, precentur: nimis abrupte afflictionis descriptio hic inseritur. *b.* Nexus

xus utriusque hujus versus *membri* evincit, utramque de iisdem personis esse intelligendum: cum vero posterius manifeste ad hostes pertineat, prius de *vite* ipsa capi nequit. *c.* Vitis denique hoc in Ps. non tanquam *combusta* & *excisa*, sed *arrosa* & *consumta* per feras agri, occurrit, ut ex vers. 13, 14. patet *d.* Habet præterea & illud incommodum versio communis, quod *combustum* collocetur ante *excisum*, cum vitis antea *excisa*, quam *combusta* consideranda sit.

§. LXXVIII. Tentemus itaque alia via rem expedire. Utrumque membrum de hostibus Judæorum agit, sive sint impii ex Judæis, qui Syris opem ferrent, ut ex Dan. XI. & historia constat, sive *Syri ipsi*. Prius membrum per posterius, quo res magis proprie traditur, exponitur: utrumque hostium exitium precatur, & optative sumendum, hac ratione; *combustum sit igne purgamentum: ab increpatione faciei tuæ pereant*, vel in fut. *combustum erit, & peribunt*, quod perinde est. Licet optativum in precibus aptius adhibeatur: solent autem Hebræi modum *optativum* sæpe per *futurum* efferre, ut demonstrat *Glassius a*. Participia vero apud Hebr. variorum temporum sunt, quod per *est*, *fuit erit*, *sit*, suppleri possint *b*. Observandum præterea est, participium מוסס hic *nominis* vicem tenere, vel ipsissimum esse *nomen*, uti apud Arab. quo sensu etiam occurrit Jes. v: 25. *& erit cadaver ipsorum* מוסס non *succisum*, sed *purgamentum*, sordes in plateis jacentes, *stercus*. Participia pro nominibus sæpe usurpari, vel & in ea degenerare, notissimum est: מוסס itaque *nomen* est & subjectum constituit orationis, quod cæteroquin nullum hic foret; dicitque *sordes verrendo ejectas* & *aggestas*, quæ igni comburi solent: radicis enim propria potestas in *verrendo*, *converrendo*, sita est, ut ex comparatione cum מס jam collegit acutissimus Gussetius, sed ex Arab. extra dubium collocatur. Aptissimum utique emblema impiorum & hostium populi

a Gr. s. l. III. tr. III. can. 45. *b* Id. Ib. tr. IV. can. 2. &c.

Dei, quippe qui, juris & aequi nulla habita ratione, religionis veræ hoſtes, & veræ Eccleſiæ inimici, *ſordes* & *purgamenta*, & res nullius pretii, nullius ponderis, in quibus nihil bonæ frugis ineſt, unde nulla *utilitas*, imo quæ Deo & hominibus abominationi ſunt, & *noxæ*, jure meritiſſimo appellantur. Jeſ. XXXIII: 12. *ſpinæ verrendo aggeſtæ* iidem dicuntur hoſtes, & *paleæ* emblemate ac *ſordium* nihil eſt vulgatius ad ejusmodi homines depingendos. Hæ ſordes aggeſtæ, precantur, ut *igni comburantur*, hoſtesque *per Dei increpationem pereant*: quæ ſeveri, & valde conſpicui, judicii Divini egregia eſt pictura. *Ignis* expingit *iram Dei*, omniaque mala, quæ inde profluunt, & inter magnos cruciatus homines conſumunt. Vid. Mal. III: 19. Pſ. I: 4. & Jeſ. XXXIII: 12. Matth. III. &c. Emphaſin egregiam habet phraſis *increpationis Dei*, per quam perituri forent hoſtes, quæ cum ſummam Dei indignationem deſignat, tum omnipotens ejus verbum, quo quoscunque hoſtes uno ictu proſternit, *ob oculos* ponit. Sic Jeſ. L: 2. *mare dicitur exſiccaſſe ſua increpatione.* Videtur autem *faciei* Dei mentio, cui increpatio attribuitur, præter generalem ſenſum, quo iram & ſeveritatem increpantis exprimit, nos ad hiſtoriam Pharaonis ducere. Ad ipſum enim, ejusque exercitum, Deus ſeverum & minantem ſuum vultum vertiſſe, & *ex columna nubis ac ignis*, *faciei* divinæ notione inſigniri ſolita, in eos *conſpexiſſe* dicitur, Exod. XIV: 24. Cæterum, quod ad *implementum* attinet, facillimum illud eſt demonſtratu. Libri enim Maccab. ſingulare plane iræ Divinæ effecta exhibent, quibus impii Judæorum & Syri graviſſimis plagis affecti, & miraculoſe proſtrati ſunt. *Execratio* Dei illos cum domibus abſumſit, Zach. V: 1. & hoſtes miraculoſe ſaepe *territi*, *fugati*, ac deleti ſunt, de quibus ex Joſeph. & libris citatis abunde conſtat. De *Jaſone* per exteras terras vagante & turpem exitum conſecuto, 2 Macc. V: 8, 9. de *Menelao* ab Antiocho Eupatore necato Joſephus. De *Alcimo* plaga divinitus inflicta excruciato, 1 Macc. IX: 55, 56. De *Antio-*

cho

cho ipſo in itinere Hieroſolymam verſus, ut eam totius gentis ſepulchrum faceret, curru excuſſo & morbo fœdiſſimo, vermibus incredibili faetore ex carne erumpentibus, inter multos cruciatus exſtincto, memorat non tantum hiſtoria Maccabaica, ſed & exotici ſcriptores teſtantur: ſic & reliqui perſecutores paſim perierunt, vindicem Dei manum experti.

§. LXXIX. Modus, quo Deus iram in hoſtes effudit, & vindictam de iis ſumſit, in eo paſim ſitus fuit, quod Deus ſtrenuiſſimos ſuscitaverit heroas, quos ſpiritu fortitudinis animavit, & per quos mirabili prorſus modo hoſtium copias fudit, ac Judæos graviſſimis illis afflictionibus eripuit: quod, ex hiſtoria notiſſimum, verſ. 18. futurum prædicitur. Huc enim tendunt ſanctorum preces, quæ a ſpiritu productæ *prædictionis* habuerunt conſpectum, quibus verſ. 18. in hæc precantur verba. *Sit manus tua ſuper virο dextrae tuae, quem contra filium hominis tibi roboraſti.* Sic poſterius membrum vertendum eſt, licet Interpretes, quos inſpicere licuit, eandem perſonam per *virum dextrae* & *filium hominis* intelligant, *& ſuper filio hominis, quem tibi roboraſti*, ſc. ſit manus tua, reddant. *a.* Diverſæ phraſes & epitheta *perſonas* diverſas omnino requirunt. *Vir dextrae Dei* & *filius hominis* manifeſte opponuntur, alter divino robore accinctus, alter imbecillis, tanquam *homo*, repræſentatur. *b.* Nulla ratio dari poteſt, quare qui modo vir dextræ Dei appellatus erat, mox eodem verſu *filius hominis* dicatur: quæ minus concinna eſt repetitio. *c.* Accedit, Macabæos & alibi tanquam Heroas deſcribi, quibuscum Deus eſt, Zach. IX: 13. X: 5, 6. ubique, hoſtes contra aliq. depingi ut homines miſeros & imbecilles. Sic Pſ. IX., qui litterali ſenſu ad hæc eadem tempora pertinet, Antiochus Epiphanes adpellatur, verſ. 20, 21. emphatice אנוש *homo* ἀσθενὴς infirmus, Pſ. X: 18. Senacheribus quoque אדם *homo*, Pſ. CXXIV: 2. Principes, in quibus fiducia non eſt collocanda,

בן־אדם filius hominis eleg. Pſ. CXLVI: 2. Jeſ. 11. quæ noſtro loco illuſtrando ſufficiunt.

§. LXXX. Quemadmodum igitur *Antiochus*, ejusque duces, & ſucceſſores, *filius hominis* propter imbecillitatem, & virium defectum, ſi cum *viris* a Deo roboratis comparentur, ſic heroes Maccabaici, & præſertim *Judas*, qui tempore compoſiti Pſ. princeps eorum erat, *vir dextrae Dei* nuncupantur. *a.* Quia magni erant *heroes*; qui ad magna facinora erant apti. *b.* A Deo ad ea deſtinati; inſtrumenta, quibus Deus in Eccleſia vindicanda uteretur. Cum enim illa liberatio *dextrae* Dei ſeu ejus potentiæ adſcribi ſoleat, *vir* dextræ alius eſſe nequit, ac per quem Dextra Dei effectum ſiſtit. *c.* Dextra Dei *roborati*, ita ut tum animo intrepido, divino auxilio nixi, ſeſe periculis objiciant, tum etiam ea cum inſigni potentiæ Dei demonſtratione ſuperent. *d.* Chald. de *juramento*, dextra fieri ſolito, interpretatur, ut *vir dextrae Dei ſit*, cui *Deus dextra ſua juravit*: quod ſi quis ad ſuperiora addere velit, per me licet. Sed quæ dixi huc directe pertinent, ut vel ex poſteriore membro liquet, & ex verſ. 16. confirmatur. Super hoc viro dextræ Dei, quem ſibi in uſum & honorem ſuum roboraverat contra Antiochum, ejusque copias, de quo ad verſ. 16. dictum eſt, precantur, ut *manus Dei ſit*, potentia ſc. quæ eum *ducat*, *protegat*, ei *vires ſufficiat*, ac denique per ipſum effecta ſiſtat, hoſtes proſternendo, & Eccleſiam afflictam vindicando. Quæ omnia hac phraſi comprehenſa ſunt. Conf. Jeſ. LI: 16. Pſ. CXXXI: 5. *Manum* pro potentia adeo frequenter uſurpant orientales, ut & rebus inanimatis eo ſenſu attribuant. Sic *manus* inferorum, Pſ. XLIX: 1. *manus flammae* Jeſ. XLVII: 14. *manus peccati*, Job. VIII: 4.

§. LXXXI. Preces ſuas *duabus rationibus* confirmant: altera eſt, quod *vir dextrae Dei erat*, ſuper quo per conſequens *manus Dei* eſſe debebat, absque quo auxilio *virum dextrae Dei* ſeſe præſtare non poterant Maccabæi, altera eſt, quod Deus *eum contra filium hominis roboraverat ſibi*, in

in honorem nominis sui, ad Ecclesiæ suæ liberationem suscitaverat, & contra hostes animaverat; quem deserere non posset, sed manu sua protegere, eique adesse, deberet.

§. LXXXII. *Quarta* denique pars complectitur instaurationem religionis ac reip. his verbis, vers. 19. *Et ne retrocedamus a Te: vivifica nos, ut nomen Tuum nuncupemus.* Duo hic petunt *a.* ne a fide & cultu veri Dei deficiant, *b.* ut, in pristinum statum restituti, Deum autorem salutis, & cultus sui objectum, nominare, glorificare ac colere possint. *a. Prius* membrum, ex nostra versione, petitionem constantiæ in fide & religione continet. Sic enim rectius verba redduntur, quam cum aliis: *& non recedamus a Te:* aptius enim id precantur, quam promittunt: nec illud in constructionem impingit. Particula enim וְ *deprecandi* & dehortandi usum sæpe præfert, ut Ps. XXXV: 24. *ne lætentur super me.* I Sam. II: 24. אַל autem est infinit. verbi נָסַג, ut proprie verti debeat, *& ne retrocedere*, h. e. *retrocedendo recedamus* a *Te*, a tui fide & cultu, & obsequio Tibi debito. Sic Jes. LIX: 13. L: 5. Respicitur sine dubio ad *persecutionem* Epiphanicam, causa religionis institutam, qua gravissimis sub minis ad defectionem compellebantur, cui multi jam succubuerant, & metus erat, ne, ea durante, & Maccabæis in bello cum Syro-Macedonibus inferioribus, plures a vera religione ad idola gentium abriperentur, certe piorum animi frangerentur, & cum religione patria actum foret: ideo aptissime orant, ut Deus heroas illas protegat, iisque sua dextra adsit, ne ad defectionem cogerentur. Quæ ab unoquoque extendi, & ulterius illustrari possunt.

§. LXXXIII. Altera supplicationis pars omnium rerum instaurationem complectitur, his verbis: *vivifica nos, ut nomen tuum nuncupemus.* Liberatio ex afflictione Epiphanica, & populi restitutio in integrum, *vivificationis* phrasi & alibi insignitur, ut Jes. XXXVI: 19. Hos. VI: 1, 2. Dan. XII: 2. Ps. LXXXV: 7. *Nonne Tu nos rursus vivificabis?* Ratio appellationis est. *a.* Quia res omnes collapsæ & destructæ pristi-

priſtinum ſtatum recuperarunt, & de novo florere cœperunt. *b.* Populus, tentatione purgatus, ac ab impiorum communione liberatus, novam vitam demonſtravit, ardenteque religionis ſtudio flagravit. *c.* Quia Deo, ejusque ſpiritui, effectus hic eſt adſcribendus, in quo Divina potentia & gratia clariſſime eluxit.

§. LXXXIV. Conſequens liberationis eſt, *nomen Dei nuncupare; ut nomen Tuum nuncupemus*, dicunt, vel, & *nuncupabimus nomen tuum*, h. e. Tibi ſalutem & liberationem noſtram unice acceptam referemus, Te appellabimus *ſervatorem* & *Deum* noſtrum, Te glorificabimus, Te ſtudioſe colemus, in Te fiduciam collocabimus, tuum nomen ubique terrarum nominabimus, celebrabimus, & inter gentes propagabimus, a Te appellabimur, *populus* dicemur, *cujus Jehova Deus eſt*, *cui benedixit*. Sic *Symmachus*, ἐν τῷ ὀνόματι σε πληθησόμεθα, *& nomine Tuo vocabimur*: quo ſenſu phraſis ſumitur, Gen. IV: 26. Jeſ. XLIV: 5. Reliqua, quæ huc pertinent, & implementum demonſtrant, ab unoquoque ſuppleri poſſunt.

PSALM.

PSALM. LXXXI.

1. *Praefecto ſuper Gittit, Aſaphi* Pſalmus.
2. *Laetos ſonos edite Deo, robori noſtro, jubilate Deo Jacobi.*
3. *Efferte carmen, & tendite tympanum, cytharam ſuavem cum nablio.*
4. *Clangite in menſe buccina, in plenilunio die feſti noſtri.*
5. *Quia ſtatutum Israelis hoc* eſt, *liquidum jus Dei Jacobi.*
6. *Qui præceptum hoc Joſepho inpoſuit, cum emicaret ipſe in terram Aegypti. Labium, quod,* vel *ejus quem, non novi, audiam.*
7. *Removi ab onere humerum ejus, manus ejus a corbe,* vel aheno, *receſſerunt in perpetuum.*
8. *In anguſtia invocaſti & expedivi te, respondi tibi in latibulo tonitru, exploravi te juxta aquas Meribae,* ſeu contentionis. *Sela!*
9. *Audi, populo mi! & conteſtabor te, Israel! ſi audiveris me.*
10. *Non erit tibi Deus peregrinus, nec adorabis Deum alienum.*
11. *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui te e terra Aegypti eduxi. Os tuum late aperito, ego inplebo illud.*
12. *Et populus meus voci meae non auſcultavit, nec voluit mihi Israel.*
13. *Et dimiſi eum in umbilicationem,* vel *inſitam pravitatem, cordis ipſorum, eant in conſilia ſua.*

14. *Utinam populus meus audiat me, Israel in viis meis ambularet!*

15. *Sicut parum, inimicos eorum proſternam, & ſuper hoſtes eorum reducam manum meam.*

16. *Oſores Jehovae abnegarent ſe ipſi, & eſſet tempus eorum in perpetuum.*

17. *Etcmque alerem adipe tritici, & melle ſatiarem te e rupe.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Cum inter ea, quæ regnum Hiskiæ illuſtrarunt, ſicut totius regni reformatio, ſacris repurgatis, & in priſtinum, quo tempore Davidis & Salomonis fuerunt, ſtatum revocatis; ita ſolennis feſti *Paſchatis* celebratio haud exiguum mereatur locum, ſive ad ſacra eo tempore peragi ſolita, ſive ad immenſum populi confluxum, non Judæorum tantum, ſed & Israelitarum, reſpicias, ita ut de eo teſtetur hiſtoricus, 2 Chron. xxx: 26., ſimile non exſtiriſſe a *temporibus Salomonis* ad illud tempus usque: nemini mirum accidat, ſi dixero, eam ſolennitatem non tantum ſacris canticis, ſed & hoc noſtro in ſpecie fuiſſe celebratam, tum quod Hiskias *verbis Davidis & Aſaphi videntis* Deo jubilare laudes canere, 2 Chron. xxix: 30. tum quod nullum tempus ſeſe offerat, cui Pſalmus noſter aptius conveniat: quod cuique, Pſalmum cum hiſtoria conferenti, ſponte ſua ſeſe in oculos ingeret.

§. II. Argumentum enim Pſalmi eſt publica exhortatio, tum feſti læte agendi, tum feriæ ad Deum converſionis, directa ad Israelitas, a Judæis diſtinctos, ſub ſpe ſubitæ liberationis ab hoſtibus, qui eos tantum quod oppreſſerant,

&

& rerum omnium felicisſimæ inſtaurationis, ſpe vero fundata in *ratione* & *cauſa* malorum, unice a populi contumacia, & non ab inminuto Dei adfectu erga populum, repetenda. Poeta incipit cum exhortatione Israelitarum ad feſtum Jehovæ, Deo Jacobi & Judæ celebrandum, cum ſit ab eo univerſo populo præſcriptum tempore liberationis ex Aegypto. Dein *beneficia* Dei in populum recenſet una cum præcepti de Jehova, ſolo Deo, colendo commemoratione. Quando Israelis defectionem, nullis mediis vincendam, eamque ſecutam *deſertionem* Dei, & traditionem populi in pernicioſa conſilia, ob oculos ponit. Denique ſpem facit populo ſubitæ liberationis, & perpetuæ prosperitatis, modo vias Dei ingredi, easque tenere, velit.

§. III. Cujus argumenti ut verus conſpectus elucescat, ſequentes ejus characteres ſunt obſervandi. 1. *Primus* eſt, ſermonis exhortatorii *objectum* eſſe *Israelitas*, a Judæis, quorum metropolis erat Hieroſolyma, ſedes religionis, diſtinctos; quod ex nominibus Israelis & *Joſephi* colligitur, & ex diſtinctione inter *eos*, quos adloquitur poeta, & *nos*, præcipue firmatur: dicit enim; *adclamate Deo fortitudinis noſtrae*, & feſtum appellat *noſtrum*. Quo & illud facit, quod *feſti* celebrandi obligationem a Dei præſcripto repetere & inculcare neceſſe habeat; argumento, ipſi rem eſſe cum illis, qui, feſtum Judæorum ad ſe minus pertinere, viderentur exiſtimare. 2. *Secundus* character habet, exhortationis *materiam* eſſe feſti paſchatis, ejusque diu ab iis, ad quos ſermo vertitur, neglecti, celebrationem, cum feria ad Jehovam converſione conjungendam. Feſti paſchatis criterium præcipuum eſt in tempore inſtitutionis ſitum, cum Deus Aegyptum, tanquam populi ſui vindex, intrabat, verſ. 6. quod non niſi in illud feſtum quadrat. Exhortationis ad *converſionem* Pſ. argumentum certiſſimum præbet indicium. 3. *Tertius* fert, longe diverſum eſſe populi, quocum ſe conjungit poeta, & eorum, ad quos ſermonem dirigit, ſtatum, illius laetum, horum adflictum, & ab exci-

dio haud longe remotum. *Laeta* illius conditio facile ex argumento exhortationis, ad feſtum cum omnibus lætitiæ ſignis celebrandum, elucet. Sed *horum* deploratæ res ex reliquis Pſ. partibus ſponte ſeſe offerunt; in ſpecie huc tendit ultima pericopa, quæ ſpem præbet ſubitæ liberationis, ſi ſeſe ſerio convertant.

§. IV. Ad hæc criteria ſi adtendamus, cumque iis hiſtoriam celeberrimi illius paſchatis tempore Hiskiae comparemus, vix dubitare amplius poterimus, quin Pſ. in illud tempus conveniat quam exactiſſime. Hoc enim tempore, cum laeta rerum cataſtrophe inter Judaeos per Hiskiam conſpiceretur, Israelitae partim erant in exilium abducti, partim ab ultimo excidio prope aberant. Quo in ſtatu blande ab Hiskia, nunciis per omnia Israelis loca miſſis, invitantur, & ad converſionem ad Deum Patrum, & ad *paſcha* una cum Judaeis Hieroſolymae celebrandum, 2 Chron. xxx. admonentur, ne veſtigia Patrum inſiſtant, ſed pervicaciam deponant, & ad veri Dei cultum accedant, ſpe ſubitae ab hoſtibus liberationis facta, ſi id egerint. In ſpecie ad *paſcha* Hieroſolymis excitantur, quod tanto tempore ab ipſis neglectum erat, acſi ad eos nihil pertineret. Nec effectu res caruit. Licet plurimi pii regis monita ſusque deque habuerint, alii tamen, nec illi exiguo numero, ex tribubus *Aſer*, *Manaſſe* & *Tſebulon*, ſeſe Hieroſolymam contulerunt, & feſtum laete ac pie cum Judaeis egerunt.

§. V. Pſalmus itaque, ut de *ſcopo* ejus verbo moneam, eo manifeſte collineat, ut Israelitae excitentur ad veri Dei Israelis & Judae cultum reſumendum, ſeſeque ſincere ad eum convertendum, eoque fini feſtum Paſchatis cum Judaeis laete celebrandum, addita ſpe liberationis ab hoſtibus, a quibus premebantur, ſi id ſerio agant. Quem fructum ut adſequeretur Pſalmus, inter ſacra in Templo ſub ductu *Præmonitoris* muſicae publice canendus erat: ut indicat titulus *Praefecto Haggittith*: ad quem nihil habeo, quod obſervem, niſi per vocem *Gittith melodiam* videri deſignari,

designari, secundum quam Ps. erat canendus, ut ex praep. ל *super* 1 Chron. 15: 20. & aliis indiciis colligitur; sive ab urbe Philistaeorum *Gath*, ubi David aliquandiu versatus est, sive aliunde nomen traxerit. De quo ad Ps. VIII. egi. Ceterum, cum haud exiguus Israelitarum numerus tempore festi Paschatis sub Hiskia adfuerit Hierosolymis, Ps. tunc recte cani potuit ad Israelitas excitandos, & simul *Judaeos* ipsos Israelitarum exemplo admonendos, ut, si remp. velint salvam, cultui veri Dei, quem nunc revocaverat Hiskias, adhærescere pergant.

§. VI. Nec ab hac hypothesi abhorret *Auctor* Psalmi, sive hoc ipso tempore vixerit, sive spiritu in tale tempus fuerit ductus, & in ejus usum Psalmum composuerit: quod mihi perinde est, licet ad prius magis propendeam. Etsi enim *Asaph*, quem titulus pro auctore habere jubet, tempore Davidis fuerit celeberrimus, unus ex tribus summis præfectis Musices, nihil tamen vetat credere, & hoc tempore Hiskiae similis nominis virum exstitisse, qui Ps. fecisse potuit. Nec illud temere statuitur, cum *Asaph* aliquis diserte memoretur, cujus filius, paulo post hoc tempus, tempore sc. expeditionis *Senacheribi* in Judaeam, in summa dignitate fuit apud Hiskiam, 2 Reg. XVIII: 18. Accedit, 2 Chron. XXIX: 30. narrari, jussisse Hiskiam, ut Deo laudes canerentur *verbis Davidis & Asaphi videntis*. Novi equidem, hunc pro eo haberi, qui tempore Davidis fuit; sed obstat, quod *Asaphus* ille Davidis hoc *videntis* titulo non tantum non ornetur, sed & haud obscure innuatur, eum non fuisse Psalmorum auctorem; tum quod *secundum ductum Davidis cecinisse* dicatur, 1 Chron. XXV: 2. tum quod *Heman*, in eadem sermonis serie *videns Davidis* dicatur, indicio, non Asaphum, sed *Hemanem* tantum ex tribus præfectis divinis gavisum fuisse motibus, & inspirationibus. Quæ nunc latius non exsequar.

§. VII. Partes Pſalmi generales duae ſunt, *altera adhortationem* continet ad feſtum, quippe a Jehova inſtitutum, celebrandum; *altera adhortationis* inſtantiam, qua adhortatio ulterius urgetur, tum ab *obligatione* populi, Deo multis nominibus obſtricti, tum a noxiis defectionis populi effectis, quae ſenſerat, & ſub quibus nunc in primis gemebat, tum denique a ſpe liberationis, quam converſio populi produceret. *Prior* pars verſ. 2—6. comprehenditur, *poſterior* verſ. 7. fin. cujus membra in ſequentibus diſtinctius exhibebo.

EXPLICATIO.

§. VIII. Summa prioris partis eſt adhortatio ad *feſtum paſchatis* laete celebrandum, utpote *feſtum* Dei, univerſo populo præſcriptum, directa in ſpecie ad Israelitas diuturni neglectus reos. Occurrit itaque 1. Adhortatio celebrandi feſti, verſ. 2—4. 2. Feſti inſtitutio toti populo facta, verſ. 5, 6. 1. Adhortatio ita ſonat, verſ. 2—4. *Laetos ſonos edite Deo robori noſtro; jubilate Deo Jacobi. Efferte carmen, & tendite tympanum, citharam ſuavem cum nablio. Clangite menſe buccina in plenilunio, die feſti noſtri.* h. e. Quovis modo ſive voce, ſive omne genus inſtrumentis, lætitiam & gaudia demonſtrate in honorem & laudes Dei roboris noſtri, Dei patris *noſtri Jacobi;* tempore hoc tam læto & feſto, quale nobis eſt *plenilunium* hujus menſis. Adhortatio hæc, ut ordine inſtituam, dirigitur 1. ad Israelitas, quotquot Hieroſolymis præſentes aderant; ut laetas voces cum Judæis jungant, ut ex ſupra dictis notum eſt. 2. Argumentum adhortationis eſt, *Deo tempore feſti laeta accinere.* 3. Deus, in cujus honorem hæc agerentur, adpellatur *robur populi*, & *Deus Jacobi*: neutrum ſine ratione. *Prius* enim epitheton *roboris noſtri* Deum repræſentat, tanquam unicum populi præſidium, & *ſpei* ac *fiduciae* objectum, qualem

qualem ſeſe Deus & olim ſæpe præſtiterat, & nunc adhuc *Judaeis* in ſpecie exhibebat, tutum faciendo populum Judæ ab hoſtium impetu, quem Israelitæ cum inſigni tribuum & terræ jactura experti erant. Ideo dicit poeta, *Deo, robori noſtro*, quo nos adhuc inſigniter gaudemus. Sed ſimul inſinuatur, Israelitas hoc firmamento frui poſſe, ſi modo ſeſe ei adjungere velint, & eum quaerere Hieroſolymis. Epitheton enim *roboris noſtri* in ſpecie reſpicit ad *ſedem* religionis Hieroſolymis; cujus reſpectu erat Jehova Deus *roboris* Judaeorum, quorum metropolis erat Hieroſolyma. *Alterum* epitheton, Deus *Jacobi*, paulo generalius eſt, & Israelitis ob oculos ponit obligationem Dei illius colendi, cum ſit *Israelitarum* aeque ac *Judaeorum* Deus, utpote Deus *Jacobi* communis ipſorum Patris.

§. IX. β. Laetitiae & laudum ſigna hic varia accumulantur, partim per *vocem*, partim per *inſtrumenta* edenda. Ad *vocem* pertinent verba *laeta ſonare*, *jubilare*, & *efferre carmen*, de quorum poteſtate & uſu non eſt, quare hic multis diſſeram; uno itaque verbo. Primum verbum רנן eſt ἀνωματοποιὸν, a ſono fictum, ſignatque *tremulum* & *tinnulum*, inde *laetum* & hilarem ſonum edere: ſecundum, ירע, proprie tremulum & *fractum* ſonum comprehendit, uſurpatur vero de clangore *belliço* & *triumphali*. Tertia phraſis, *tollere carmen*, ad *cantum* pertinet, dicitque, clara voce confidenter efferre canticum. Inſtrumenta laetitiae memorantur *tympanum*, *cithara*, *nablium* & *buccina*: de quibus dicere nihil adtinet, cum nihil ad Pſ. intellectum faciat, & ad Pſ. XXXIII: 2. ac alibi nonnulla obſervaverim. Hic notetur ſingularis phraſis תנו תף, non, ut ſolet, vertenda, *date tympanum*, nullo ſenſu aut emphaſi; ſed *tendite*, intendite, *tympanum*. Radices enim נתן, נתה & תנן ſedem habent originariam in *tendendo*: uti alibi notatum eſt. Senſus eſt, inſtrumenta illa eſſe intenſiſſime exercenda.

§. X. γ. Veniamus itaque ad *temporis* deſinitionem, verſ. 4. *clangite menſe buccina, in plenilunio, die feſti noſtri.*

Inter-

Interpretes per *menſem* intelligunt *Kalendas*, ſive ſingulorum menſium, ſive *primi* ſive *ſeptimi* menſis Tisri; nec abhorret uſus vocis: ſed cum mox addatur *plenilunium* & *dies feſti noſtri*, exiſtimaverim, ſtructuram verſus hac ratione eſſe concinnandam; acſi legeretur; clangite in *plenilunio menſis die feſti noſtri.* Nihil enim uſitatius eſt, præſertim in Pſalmis, vocum ſeparatione, quæ ſecum conſtruendæ ſunt. Clangere in *menſe* in *plenilunio* eſt in *plenilunio menſis.* Verti vocem כסה *plenilunium*, ut in lingua Syr. uſurpatur, notante de *Dieu*, qui vid. Feſtum itaque intelligitur, in *plenilunium menſis* incidens; quod cum ſit & *Paſchatis*, & *Tabernaculorum*, Interpretes hic de poſteriore cogitant, non tantum ſine ulla ratione ſolida, ſed & contra criterium feſti, verſ. 6. Verum quidem eſt, *feſtum Tabernaculorum* aliquando *feſti* nomine eximie venire; ſed illud cum feſto *Paſchatis* commune habet: quare hinc nihil colligi poteſt. Atenim character feſti paſchatis eſt in eo, quod eo die celebratum fuerit prima vice, quo Deus in terram Aegypti hoſtiliter intravit, & *primogenitos* occidit, populusque ex Aegypto eductus eſt: in cujus memoriam fuit inſtitutum: quo nos ducit verſ. 6. de quo mox. Ceterum cum hoc feſto paſchatis *buccina clangendum* imperatur, buccinæ *clangorem* cave aliter ac in *laetitiae* ſignum capias. Ita Deus de *tubarum* clangore diſerte præcepit, Num. x. & *buccinae* vox latiore uſu etiam *tubas* comprehendit, quia non niſi *materiae* ratione diverſæ ſunt, *buccinae* erant ex *carnibus bubulis*, & *tubae* ex ære, vel argento, aliove metallo. Sic de *clangore buccinae*, Pſ. XLVII: 6. XLVIII: 6. CL: 2.

§. XI. ב. Hæc adhortatio urgetur ab inſtituto Dei, totum populum, æque reliquas tribus ac Judam, obligante verſ. 5, 6. *Quia ſtatutum Israelis hoc* eſt, *liquidum jus Dei Jacobi: qui praeceptum hoc Joſepho impoſuit, cum emicaret ipſe in terram Aegypti.* Nexus per כי *quia* ſcopum verborum eſſe evincit, Israelitis *obligationem* feſti agendi perſuaderet; quod,

quod, ſicut apud Judæos neceſſe non erat, ita apud reliquas tribus & utile, & neceſſarium. Cum enim ritibus patriis a longo renunciaſſent Ephraimitæ; videri poſſent vel obligationis obliti, vel ſibi curæ non eſſe eorum obſervantiam putaſſe. Quare operæ pretium erat, feſti inſtitutionem, ejusque originem & rationem, iis ob oculos ponere. Pſaltes itaque hic declarat 1. feſtum hoc ad publica totius populi *ſtatuta* pertinere 2. facere partem *cultus* Dei Jacobi 3. inſtitutum in memoriam redemtionis populi a ſervitute Aegyptiaca.

§. XII. 1. Primum hæc verba continent, *quia ſtatutum Israelis hoc*, ſc. feſtum *noſtrum*, quod præceſſerat proxime. Sunt, qui ad *laetitiae* ſigna referunt, ſed rectius ad *feſtum*, tum quod cum eo propius cohæreat, tum quod de ipſius *feſti* celebratione, & non de *modo*, quo celebrandum erat, difficultas moveri poſſet. *Statutum Israelis* cum adpellatur, non de qualicunque, ſed *publico* populi totius ſtatuto, ad Israelem æque ac Judam pertinente, cogitandum eſt. Vox enim Hebr. חק a radice, quæ proprie dicit, *ſculpſit*, *cavando incidit*, inſita ſua poteſtate *publicum* & *perpetuum* ſtatutum exprimit, quippe quod in æs inſculpi, & publice affigi ſoleat. Cum additur *Israelis*, indicatur, univerſi populi eſſe ſtatutum; adpellarunt verſ. præced. *feſtum noſtrum*, utpote Hieroſolymis celebrandum; ſed ne a Juda tantum, & non Israele, quis putaret, hic *Israelis* eſſe *ſtatutum* declarat.

§. XIII. 2. Sed unde profectum erat hoc ſtatutum? ab ipſo populo, an a Deo? prius etſi aliquam obligandi virtutem habeat, cum ſtatuta publica migrare non fas ſit, poſterius tamen adfert longe majorem; quare additur, *liquidum jus Dei Jacobi*, vel, ut accentuatio & punctatio Maſorethica habet, *Deo Jacobi*, h. e. in honorem Dei, jus, quod *Deo* debemus, cum ab ipſo ſit præſcriptum, inque ejus honorem fiat. Sed poteſt etiam retineri *jus Dei Jacobi*, ſive ab ipſo pronunciatum, ſive quod ipſe *jure*

exigit, quodque ipſi debetur. Senſus eſt dives, *jus Dei*, & *Deo*, quo tum *auctor* præcepti deſignatur, tum *obligatio*, populo incumbens, adfirmatur, tum *finis* & *ſcopus* in honorem Dei proponitur. Ceterum non ſine ratione iterum Deus *Jacobi* adpellatur; quippe quo titulo omnes *tribus* comprehenduntur, quorum communis pater erat Jacob, antequam Israelis nomen eſt adeptus.

§. XIV. 3. Additur *ratio* inſtituti feſti verſ. 6. *praeceptum impoſuit Joſepho illud, cum exiret in terram Aegypti.* Nimium aberrant, qui vel de Joſephitarum ingreſſu in Aegyptum, vel eorum *exitu*, hic cogitant, cum phraſis *boſtilem* ingreſſum hic denotet, & nexus ſermonis de *Deo* cogitare jubeat. Senſus eſt, feſtum hocce Joſepho fuiſſe præſcriptum, quo tempore Deus terram Aegypti, tanquam Dominus, intrabat, ſeſeque populi ſui vindicem præſtabat: quod factum eſt, cum *primogenitos* per totam Aegyptum una nocte proſtravit; ut eſt Ex. XI. & XII. Phraſis, *exire*, proprie *emicare*, *ſuper terram*, aliquando denotat, cum ſummo imperio terram pertransire, ut de Joſepho, Gen. XLI: 45. ſed hic *boſtilem* ingreſſum una involvit, ut ע fit *ſuper & contra.* Sic de Angelo uſurpatur *exire*, qui exercitum Senacheribi delevit, Jeſ. XXXVII: 58. nec non de Deo, *exeunte* ad *ſalutem populi*, Hab. III. ſed, quod propius accedit, Deus *ingreſſurus* in *medium Aegypti* dicitur, quo tempore *primogenitos* occideret, Ex. XI: 4. quod hic omnino eſt *exire in* & *contra* terram Aegypti. Hoc ipſo tempore *Joſepho* traditur *impoſuiſſe* hoc *præceptum. Joſepho* non ſine ratione, ne *Ephraimitae* & *Manaſſitae*, adeoque tribus Israeliticæ, ad ſe illud minus pertinere exiſtimarent. Deinde *Joſephi* fit mentio; tum, quod cauſam ingreſſus Israelis in Aegyptum præbuerit, tum quod primus & princeps omnium fuerit in Aegypto; ut ab ipſo tunc merito denominari potuerint Israelitæ. Nec emphaſi caret vox Hebr. תפא, quæ, a radice אפי *ornavit* derivanda, in origine ſua *ornamenti* & *inſtrumenti* poteſtatem habet, unde ad

praecepta

præcepta Divina tranſiit, tanquam *ornamenta* ſocietatis, & *felicitatis* inſtrumenta. Hoc nomine cum feſtum Paſchatis inſigniatur, haud obſcure indicatur, partim hoc feſto prima fundamenta & ornatus & felicitatis totius populi fuiſſe jacta, cum hoc ipſo tempore tyrannidi Aegyptiacæ fuerit ereptus, & in libertatem eductus, partim etiam ejus rei memoriam renovare hoc feſtum, ejusque etiam eſſe ſigillum & pignus perpetuum. Unde facile elucet, quare ejus temporis fuerit mentio facta, cum inde libertas populi habuerit initium, ejus rei ſit memoriale feſtum paſchatis, & populus eo nomine ad hoc præceptum, & omnia alia, obſtrictus.

§. XV. Cum Israelitas ad feſtum Paſchatis, utpote a Deo Israelis tempore redemtionis Aegyptiacæ inſtitutum, incitaſſet poeta: apte ſubjungit rationes movantes, quæ Israelitas & de obligatione Dei Hieroſolymis colendi admonere, & eos ad officium præſtandum, ſeſeque ab Idolis ad Deum verum convertendos, impellere aptæ natæ ſunt. Quarum I. prima a beneficiis in populum collatis, quibus libera facta eſt resp., deſumta eſt, verſ. 7, 8. II. Secunda a fœdere Dei cum populo ſolenniter inito, quod ſolius Jehovæ cultum pro conditione habet, verſ. 9, 10, 11. III. Tertia a noxiis inobedientiæ & defectionis effectis, quæ populus expertus erat ad hoc usque tempus, verſ. 12, 13. Sed his rationibus præmittitur teſtificatio animi ad audiendum parati, a nonnullis ex Israele facta, verſ. 6. fin., & ſubjungitur votum pro converſione totius populi, addita promiſſione ſubitæ liberationis ab hoſtibus, & felicis omnium rerum inſtaurationis verſ. 14. fin.

§. XVI. Incipiamus, ut ordinem verſuum teneamus, a teſtificatione obedientiæ voci Divinæ præſtandæ, quam nonnulli ex Israele, Hieroſolymis præſentes tempore feſti, ſolenniter faciunt, verſ. 6. fin. *labium*, *quod*, *vel ejus quem*, *non novi*, *audiam*. Utrumque enim admittunt verba Hebræa, quæ proprie ſonant, *labium non novi audiam*. Sed

vox *labium* vi punctationis occurrit in ſtatu conſtructo, adeoque quid requirit, quocum conſtruatur, quod per ellipſin reticetur, & aliter ſuppleri vix poteſt, quam per *ejus, quem;* ut ſit labium *ejus, quem non novi.* Interea patitur uſus, ut conſtructum pro abſoluto ponatur, niſi punctationem quis *abſoluti* hic velit, adeoque verti quoque poſſunt, *labium, quod non novi, audiam.* Utrumque hic conjungi poteſt, & eſt adfine. Sed majoris eſt, perſonam, cujus hæc verba ſunt, & ſenſum definiviſſe. Miſſis Interpretum opinionibus, multum diverſis, mihi omnino videntur hæc verba ad eos ex Israele referenda, qui Hieroſolymam ad feſtum adſcenderant, & eo tendere, ut adfectum in Jehovam, Deum Israelis, ejusque cultum, explicent, ſive ad ſuperiora, ſive ſequentia, ſive potius ad utrumque reſpicere cenſeantur. *Labium* vel *ignotum*, vel *ignoti*, cum ſe audituros profitentur, indicant, ſe & feſtum Jehovæ Hieroſolymis eſſe celebraturos, & quæ nomine Dei ſibi dicerentur, pronis animis eſſe excepturos, & præſtituros. Audire eſſe pro *adtendere, accipere,* & *obedire*, tralaticium eſt, nec non *labium* pro *ſermone*, per labia prolato, ſumi: quare hic non morabor. Sed quare labium *ignotum* vel *ignoti*? reſpectu Israelitarum, ni fallor, qui a longo & veri Dei Israelis, & cultus ac præceptorum ejus notitiam perdiderant per Idololatriam, & libri legis neglectum; quare ab Hoſea & aliis prophetis ſæpe *ignorantiae* Dei accuſantur. *Ignorantia* laborabant ſi non omnes *theoretica*, ſaltem *practica*, in veræ religionis contemtu & neglectu ſita.

§. XVII. Hæc licet facilia ſint, eſt forte difficilius, qua ratione hæc verba *Israelitis* adtribuantur, cum in prima perſona loquatur poeta: *labium, quod non novi, audiam.* In promptu quidem eſt, poetam Israelis perſonam hic adoptare, & eorum confeſſionem ſuo ore exprimere; quæ figura non eſt inuſitata, aut ignota; ſed, ut ratio & elegantia figuræ elucescat, & omnis difficultas e medio tollatur, obſervari velim, poetam hic rationem habuiſſe Pſalmi ſui publice

blice ab Israelitis, qui tempore festi præsentes aderant, canendi in Templo; quo admisso, *persona* prima quam accommodatissima est. Cum enim superiorem adhortationem ceciniſſent, seque mutuo ea ratione aut essent exhortati, aut excitari admisissent, mox aptissime subjungunt: *labium ignoti audiam*, quisque pro se; acsi dicerent. Vocem Jehovæ, cujus utriusque me ceperat oblivio, ita ut nec *Jehovam*, Deum Israelis, nec ejus *instituta*, recte amplius noverim, a longo ad Idololatriam abstractus, eam, inquam, vocem, denuo ad me delatam, qua ad cultum ejus excitor, nunc ad animum revocare, & observare, paratus sum; &, quicquid in posterum mihi nomine Dei injungitur, exsequar fideliter.

§. XVIII. Unde, ni fallor, manifestum est, non tantum, quam apte hæc prima persona enuncientur mox post præcedentem adhortationem; sed &, quam congrue Deus mox introducatur rationes moventes in animos eorum ingerere. Cum enim aures animosque apertos & paratos ad audiendum & obediendum voci Dei explicuissent: verba Dei majore utique emphasi & elegantia adhibentur, quam si suis verbis usus esset poeta. Deinde ad verba Dei minus abrupte hac ratione pergi, quia verba Dei se audituros esse, fassi erant, sponte sua elucet, absque ut ellipsi, *sic dicit Dominus*, ante pericopam sequentem, opus sit. Verba Dei, quibus prima ratio movens, a fundamentalibus beneficiis, in populum collatis, petita, exprimitur, ita sonant, vers. 7, 8. *removi ab onere humerum ejus; manus ejus a corbe*, vel *abeno*, *recesserunt* in perpetuum; *in angustia invocasti, & expedivi Te, exaudivi Te in latibulo tonitru, exploravi Te juxta aquas contentionis. Selah*: h. e. E statu *servili & adflicto* te potente manu; cum multis tremendæ meæ Majestatis signis, eripui, & ansam animi grati & sinceri in me adfectus explicandi præbui, cujus jam tunc contraria dedisti indicia, futuræ defectionis & rebellionis haud vanum præsagium.

§. XIX. Verſus comprehendunt 1. liberationem populi a ſervitute Aegyptiaca, verſ. 7. 2. Ejus redemtionis *modum* & *accidentia*, verſ. 8. 3. Beneficium primæ redemtionis verſ. 7. exhibeti, non tantum ex eo patet, quod illud ubique ut primarium & fundamentale, quo Deus populum ſibi obſtrinxit, & cui tota œconomia legalis innititur, occurrat in Script., nec etiam ex eo tantum firmatur, quod verſ. 11. ejus expreſſa fiat mentio, verum ex ipſis verbis & phraſibus ſponte ſua ſeſe offert. Conditio enim, ex qua educti ſunt, iis vocibus & phraſibus depingitur, quæ molestam & vilem ſervitutem comprehendunt; qua quis ad laborioſa & abjecta opera eſt obligatus. Quo nos utrumque verſus membrum ducit. Prius, *removi ab onere humerum ejus*, cogitationem injicit oneris gravioris, humeros prementis, quod *jugi* conſpectum ferebat. Indicatur itaque, eos fuiſſe ſub jugo, ad opera moleſta & gravia obligatos, inſtar *ſervorum*, quorum eſt *onera* bajulare, ſic Jeſ. x: 27, *Tempore illo auferetur onus* ab *humero tuo*, & *jugum ejus a collo tuo*, &, quod ad ſcopum propius accedit, de ſervitute Aegyptiaca, Exod. vi: 6, 7. *Educam vos de ſub oneribus Aegypti*, & *eripiam vos ſervituti ipſorum*. Alterum membrum, *manus ejus a corbe*, vel *aheno*, *receſſerunt*, ſive ad *corbes*, qui manibus tenentur, ſive ad *ahena* & *ollas* reſpiciatur, utramque enim notionem admittit vox Hebr., eandem ſervilem & laborioſam vitæ conditionem exprimit. Figura vero erit fortior, ſi de *olla* culinæ cogites, ad quam curandam vilioris ſortis homines & mancipia adhibebantur apud orientales, qui propterea *ſervilem* ſortem hac phraſi exprimere ſolent, ut Pſ. cxiii: 7. *eripies ex lapidibus focariis egenum*, h. e. ex ſtatu ſervili & abjecto. Hac ratione *manus ab olla culinaria recedere* dicuntur, cum quis ab ejusmodi ſervitio liberatur. Sed emphaſi non caret, quod verbum *recedere* in fut. occurrat, *manus ejus recedent*, quippe quo tum plenaria & perpetua liberatio deſignatur, tum etiam tacite inſinuatur, novam ſervitutem, ab Aſſyriis imponendam,

dam, esse e medio tollendam, si modo dicto Dei sint audientes Israelitæ.

§. XX. 2. Hæc liberatio populi sicut erat insigne bonum, per quod Deo erant summopere obstricti, ita *modus* liberationis, plane singularis, qui de potentia & favore Dei erga populum plane peculiari testabatur, obligationem eam reddebat longe majorem: quare poeta addit vers. 8. *in angustia clamasti*, & *expedivi Te*, *respondi Tibi in latibulo tonitru*, *exploravi te juxta aquas contentionis*. Duo priora membra respiciunt ad ea, quæ populo contigerunt ante famosam illam murmurationem juxta aquas *Meribæ*, de qua Exod. XVII. adeoque ad ea nos ducunt, quæ liberationem sunt concomitata. *Angustiæ* itaque, quarum hic injicitur mentio, partim afflictum populi statum in Aegypto, præcipue cum in procinctu esset liberatio, exprimunt, partim ad illud tempus pertinent, quo Israel ex Aegypto eductus undiquaque esset obsessus & constrictus, a fronte per mare, a tergo per exercitum Pharaonis, ab utroque latere per *montes*, ita ut nusquam exitum reperiret, de quo Exod. XIV. Utroque tempore angustiæ *clamarunt* & *invocarunt* Jehovam, & ulla sine ope sua liberati sunt; quod hic indicatur, per *clamasti* & *expedivi Te*, h. e. nihil præter *clamores* tu ad liberationem tui adtulisti, quo beneficium magis extollitur. Exprimitur liberatio duabus phrasibus, quarum altera ad priorem, altera ad posteriorem liberationem pertinere videtur; utique, illud *respondere* in *latibulo tonitru*, nos ad columnam nubis & ignis, sedem tremendæ Dei majestatis, ducit, ex qua Deus oculos iratos vibravit in Aegyptios, eosque & consternatione implevit, & prostravit. Exod. XIV. Quod eleganter dicitur *respondere in latibulo tonitru*, vel potius post *velum tremendæ Majestati*. Vox Hebr. רעם proprie dicit *tremulum motum*, & in specie *naso* adtribuitur, ad designandam graviorem indignationem, quando aliquis *ringitur*, 1 Sam. 1: 6. *nasus tremulus*, & cum *indignatione ringens*. Hinc ad alia non tantum transiit *membra*, sed & ad

mare

mare turbatum, ac coelum tremorem tonantem miscens. Unde vox noſtra Orientalibus abſolute exprimit *majeſtatem tremendam*, quam poteſtatem & hic habet, ut ex altero vocabulo elucet. Illa enim vox, quam *latibulum* reddunt, uſurpatur de *velo* ſeu aulæo, quod ante palatia Magnatum tendi ſolet, ad proſpectum & confluxum promiscuæ turbæ arcendum, quo *velum faciei* P. XXXI. reſpicit, quod regi præpenſum promiscuæ turbæ aditum claudit: intra quod interioris admiſſionis miniſtri & amici admittuntur & protegunturr, Pſ. XXXII: 21. Cum tali *velo* recte comparatur *nubes*, quæ *ignem*, ſeu tremendam Dei majeſtatem, texit in deſerto. Cum itaque hic dicitur, Deum reſpondiſſe *velo tremendi Dei vultus*, indicatur, ex illa columna nubis & ignis Deum populo ſuccurriſſe, & hoſtes, qui ipſum undiquaque premebant, proſtraviſſe: quod hiſtoriæ Ex. XIV. exacte reſpondet.

§. XXI. Sed quid ſibi vult, quod additur, *exploravi te juxta aquas Meribæ*? Ad illuſtrem caſum in deſerto, paulo ante ſolennem legislationem Sinaiticam, conſtat reſpici, quo populus, aquæ penuria laborans, gravi & ſeditioſa murmuratione in Deum & Moſem inſurgens, inſigni miraculo aquam, ex rupe percuſſa largo flumine emanantem, abundantiſſime accepit, Ex. XVII. a qua murmuratione locus nomen *Maſſa* & *Meriba* conſecutus eſt, quia acerbe cum Deo & Moſe expoſtulavit, & novum potentiæ ac favoris Dei experimentum poſt tot & tanta, quæ præceſſerant, ſigna, importune admodum & cum magna incredulitate poſtulavit. Quo ſenſu Deum ibi *tentaſſe* legitur Pſ. XCV. Sed, quemadmodum Deum ibi *tentavit*, ſic & a *Deo exploratus* eſt, quatenus publicum & ſiniſtri in Deum adfectus, & incredulitatis ac diffidentiæ edidit ſpecimen, eo certius, quod tot & tanta potentiæ & bonitatis Dei præceſſerant indicia, tum in populo liberando, per mare ducendo, hoſtibus opprimendis, tum in populo miraculoſe potando & cibando. Quæ cauſa eſt, quare hujus in ſpecie caſus mentio fiat,

fiat, quia per eam murmurationem, quod antea adhuc aliquomodo dubium erat, certiſſimum fecit, ſe eſſe perverſæ & obſtinatæ indolis populum; non niſi ſevera disciplina conſtringendum, & in ordinem redigendum. Quo etiam murmurationis illius commemoratio hoc loco collineat. Cum enim Deus ſummis beneficiis, modo memoratis, mox ſubjungat, *exploravi Te juxta aquas Meribæ*, indicat, & populo inſinuatum vult, 1. Quanta *longanimitate* uſus fuerit erga Israelem, quippe qui a primordiis ſeſe *rebellem* demonſtravit. 2. Quanto favore eum proſequatur, quam ardente adfectu in eum feratur, quippe qui populum, adeo mox rebellem, non abjecit, ſed bonis cumulare non deſtitit. 3. Quam male meritus fuerit populus de Deo, quamque male responderit tot beneficiis, in eum collatis. 4. Quam neceſſaria fuerit arcta & ſevera disciplina, qua populum coercere inſtituit; adeoque quanta fuerit populi obligatio legem Dei exacte obſervandi.

§. XXII. Hinc facile elucescit, apte mox ſubjungi Legislationem Sinaiticam, quæ *ſecundæ* rationis moventis locum hic tenet, verſ. 9, 10, 11. *Audi, populo mi, conteſtabor te, Israel, ſi audiveris me. Non erit Tibi Deus peregrinus, nec adorabis Deum alienum. Ego ſum Jehova Deus Tuus, qui Te eduxi ex terra Aegypti; os tuum late aperito, ego implebo illud.* Acſi diceret Deus: poſteaquam mihi de perverſa tua indole quam certiſſime publico indicio conſtiterit, fœdus tecum inire volui, tum ut mea benignitas eo clarius elucesceret, qua Te, tam rebellis & increduli animi populum, mihi per fœdus adjungere inſtitui, tum ut pertinaci & duræ cervici jugum imponerem, vel frænum injicerem, teque mihi redderem obſequioſum. Quod factum eſt ad montem Sinai, quo fœdus illud inter Deum & Israelem ſolenniter pactum eſt. Quo hic reſpici, autumaverim.

§. XXIII. Occurrit hic 1. præfatio excitatoria & obteſtatoria, verſ. 9. *audi, populo mi*, &c. nimirum, ſic te tunc

temporis adlocutus ſum, blanda quidem ſed ſeria uſus oratione, ut Te mihi populum facerem dicto audientem. *Populе mi!* dixi, ut de adfectu meo eſſes perſuaſus, meumque in Te jus, per redemtionem acquiſitum, cognosceres: *populе* redemte a me, & mihi obſtricte; *audi*, *imo utinam audires;* hæc enim cohærent. Præcepto, vel adhortationi, ad *audiendum* additur *votum* pro populo, ut audiat, quo ſicut adfectus Dei ulterius explicatur, ita tecte inſinuatur, populum *non auditurum*, vel rem eſſe *vovendam* & *optandam*, magis quam *ſperandam*, ac *exſpectandam*. Simile quid Deus dixiſſe fertur tempore legislationis, Deut. v: 26. *utinam hoc animo eſſet* populus, *ut me timeret?* &c. ſic & hic, *audi*, dixi, populе mi, *utinam*, vel *a ſi audires me*. Sed, quid audiret populus? *conteſtationem Dei;* id enim indicatur, cum ſequitur, *audi*, & *conteſtabor te; utinam audias*. Præcipitur & optatur, ut *conteſtatio* Dei aures & animos penetret: quo nomine inſignitur fœderis Sinaitici *propoſitio*, quippe cum *obteſtatione* conjuncta, & eum conſpectum ferens. Verbum Hebr. proprie involvit *iterationem;* quæ in particula עוד *adhuc* ſupereſt. Inde ad qualescunque *adſeverationes fortisſimas*, quibus quid *iterum* iterumque dicitur, & inculcatur, transfertur, & in ſpecie ad tales, quæ *præſentibus teſtibus* fiunt. Sic Moſes *cœlum* & *terram* tanquam teſtes citavit in populum, Deut. iv. & xxxi. & Lex Sin. inter Angelorum ordines, ut totidem *teſtes*, dicitur lata. Act. vii. & Heb. ii. *Conteſtatio* itaque adpellatur *legislatio*, tum quod multa cum *adſeveratione* fuerit facta, tum & dictorum Dei, & conſenſus populi, *teſtes* adfuerint, ſive cœlum & terra, ſive Angeli, tum quod populus ipſe eam *juratus* adſumſerit, ut in terra Cananæa, cum ad *benedictiones* & *maledictiones Amen* responderit. Deut. xxvii. tum denique, quod fœdus hoc plus una vice pactum ſit, & verbis ſæpe repetitis inculcatum per Prophetas.

§. XXIV. 2. Sequitur *fœderis* propoſitio *a.* leges *b.* bona comprehendens. *a.* Leges hac ſummaria formulâ continen-

tinentur, verſ. 10. *Nec erit Tibi Deus alius, nec adorabis peregrinum*, h. e. non alium, præter me, ſolum verum Deum, aut agnoſces, aut ullo cultu religioſo adficies: quibus verbis directe quidem idololatria & ſuperſtitio, ſed indirecte & ſenſu prægnante vetatur, quicquid Divinæ auctoritati ac voluntati adverſatur. Nec alium coles, nec alium audies præter me ſolum, adeoque mihi, ut Deo tuo, Te obſequioſum præſtabis. Præterea, quo prægnans ſenſus confirmatur, hæc verba initium faciunt *decalogi*, adeoque tanquam citatio decalogi, primis tantum verbis prolatis, conſideranda ſunt, ſub quibus totus *decalogus* eſt intelligendus. *b.* Promiſſum, quod alteram fœderis partem facit, ſolenni fœderis formula effertur: *ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te ex terra Aegypti*, & explicatius traditur, cum additur; *aperi os*, & *implebo illud. Formula* habet, Jehovam non tantum eſſe Deum Israelis, cujus ſenſus eſt ampliſſimus, quævis bona hujus & futuræ vitæ complexus, uti nemini non notum eſt, ſed & beneficium *redemtionis* ex *Aegypto* repetitum, tanquam *fundamentale* reip. & Eccleſiæ Israeliticæ, cui innixum eſt privilegium Israelis, tanquam *populi Dei*, & mutuæ relationes ſunt ſuperſtructæ. Quem conſpectum hoc beneficium ubique fert in Script. S., & ex Sabbato in ejus ſignum inſtituto ſatis clare elucet. Additur, *aperi os* & *implebo* illud; quo figurato dicto ſicut ad continua populi deſideria in deſerto respicitur, quæ Deus, cibum & potum miraculoſe ſuppeditando, implevit, ita quævis bona comprehenduntur, per quæ deſideriis ſatisfieri poteſt: temporalia quidem & corporalia primo loco, & expreſſe, ſed ſpiritualia etiam ſecundo loco, & magis tecte & umbratice.

§. XXV. Etſi homines, ſi ad rationalem ſuam naturam, quæ eorum eſt ſumma excellentia, & prærogativa, adtenderent, eique convenienter, ut deberent, agerent, vel per beneficia, ſive præſtita, ſive promiſſa, excitari deberent ad benefactori ſuo placendum, cum in eo animus gra-

tus explicetur, & turpissima ingrati nota evitetur, vel saltem per solennes obedientiæ stipulationes, & fœderum vincula, a legum Divinarum transgressionibus absterreri deberent; ne perfidiæ & perjurii sese reos faciant: tristis tamen evincit experientia, nulla re homines fortius moveri, quam si vitæ & institutorum suorum noxia & pernicioſa experiantur effecta; quæ vividissimum solent adferre sensum molestum; quo sopor excuti, & calcaria ad agendum addi solent. Quæ ratio est, quare prophetæ malorum sensum populo sæpe renovarunt, & ut ad vias, statumque suum, reflecterent, adhortati sunt; ut ex. gr. Hagg. I. & II. *adplicate animum ad vias vestras*, & ad mala, quæ vos premunt, advertite.

§. XXVI. Eodem modo & hic instituit poeta, vel ipse Jehova, Deus Israelis, quem ipse, ut supra dixi, introduceit loquentem. Cum enim beneficia in populum collata recensuisset, ut ad grati animi adfectum adduceret Israelitas, dein legislationis Sinaiticæ, ac solennis eorum professionis, memoriam refricuisset; etiam promissorum, certo implendorum, mentionem feciſſet, ut Israelitæ & per obligationis sensum, & bonorum spem, permoverentur: subjungit vers. 12, 13., quæ *prior* pericopæ pars, & *tertia* est ratio inpellens, mala, quæ inobedientia ipsis pepererat, maxima, ut, si nec gratitudo, nec jugum legis sponte susceptum, nec promissorum spes, eos ad meliorem frugem redigere possent, id tandem *malorum* sensus efficiat. Verba ita sonant, vers. 12, 13. *Et populus meus non auscultavit voci meæ, mihique noluit Israel. Et dimisi ipsum in umbilicationem*, vel *insitam prævitatem, cordis ipsorum, eant in consilia sua.* h. e. cum longo satis tempore, multisque modis, demonstrasset Israel, populus meus, se vitam moresque suos ad normam legis meæ componere nolle, nulloque in me esse adfectu: & ego tandem eum, quasi libello repudii dato, res suas sibi habere sivi, eumque & veteri corruptioni & propriis consiliis permisi, ut in ea, tanquam in malam

malam rem, eant. Duo verſus ea ratione ſibi reſpondent, ut poſterior ſit prioris conſequens, priorque *cauſæ* & antecedentis, poſterior *effectus*, adeoque ille peccati, hic pœnæ, vel proximi reatus, quo quis a Judice pœnæ addicitur, ferat conſpectum; quam poteſtatem ſæpe habent duo &, ſibi reſpondentia, ut *cum* & *tunc*, *quia* & *ideo*, apud Lat.

§. XXVII. Crimen populi, quod tam triſte habet conſequens, duplici phraſi proponit, altera altera fortiore, prior *inobedientiam*, & poſterior ejus *principium* & *qualitatem* exprimit. *Inobedientiam* comprehendit phraſis, *non auſcultare voci Jehovæ*. *Non audivit*, dicit Deus, *vocem meam populus meus*, nec eam ad animum revocando, nec eam præſtando, ſeſeque ad eam conformando, tanquam vitæ & religionis normam. *Vox* Jehovæ hic univerſam *legem*, partim divinitus de monte pronunciatam, partim juſſu divino per Moſen latam, una cum promiſſis & *minis*, comprehendit. Respicitur ad verſ. 9. *audi populo mi* & *conteſtabor te*: de quo ſupra dixi. Additur, & *Israel mihi non voluit*, proprie *prono flexu ad me latus non fuit*. Hæc enim propria verbi אבה poteſtas eſt, quæ Job. IX. in navibus ſecundo vento & flumine latis ſupereſt; proprietas vero eſſe videtur in *curvatione flexa*, Gr. κύπτειν, unde & Lat. *cupere*, unde ad *pronum* adfectum in aliquem vel aliquid tranſiit, indeque eſt, quod derivatum hujus verbi *Patrem* ſignificat; & ſic ad *deſideria* tranſitum fecit, unde *pauperis* & *egeni* fluxit notio, quam ejusdem verbi derivatum continet. Indicatur itaque 1. Israelem nullo fuiſſe in Deum *adfectu*, nullumque amoris Dei ſignum dediſſe. 2. nullo Dei, ejusque *favoris*, deſiderio fuiſſe latum. 3. Sed, contra, Deo, ejusque cultui, & gloriæ renunciaſſe, nec ullam *voluntatis* divinæ habuiſſe rationem. Ceterum emphaſi non caret, quod nomina *populi Dei* & *Iſraelis* expreſſe memorantur, cum pravum eorum inſtitutum per ipſa ea nomina adgravetur, & populus vi nominum eorum de turpitudine

& indecentia vitæ morumque ſuorum convinci queat. Quid enim indignius, quam *populum* Dei, ab ipſo redemptum, ei obſtrictum, & ſolenni fœdere adjunctum, nec vocem Dei audire, nec Deo bene velle? quid turpius, quam Israelis poſteros adeo a progenitore degenerare, qui cum Deo ſeſe tam generoſe & præclare geſſit; eoque nomine ſeſe adeo indignos præſtare, ut Dei nullam plane rationem habeant?

§. XXVIII. Adjungamus, antequam de tempore, quo Israel ſe talem demonſtravit, dicamus, poſteriorem pericopæ partem, quæ triſte inobedientiæ conſequens complectitur, verſ. 13. *Et dimiſi eum in umbilicationem cordis ipſorum, eant in conſilia ſua*, h. e. veteri cordis corruptioni ipſos permiſi, & *dixi*, abeant in perniciosa ſua conſilia: verbum enim *dixi* recte per ellipſin intelligitur ante *eant*; quod ceteroquin nihil haberet, quocum conſtruatur, & nimis abrupte hic occurreret. Phraſes ſunt ſelectæ & emphaticæ, quæ ſpretæ Dei legis, & violati fœderis, noxium effectum vivide depingunt. Prior, *mittere in cordis umbilicationem*, exprimit triſte Dei judicium, quo quis corruptis ſuis deſideriis & cupiditatibus carnalibus pleniſſime traditur, absque ut ulla in poſterum media adhibeantur ad eum emendandum, aut ad meliorem frugem reducendum. Verbum *mittere* cogitationem *repudii*, quo maritus uxorem moroſam expellit, & res ſuas ſibi habere jubet, injicit; de quo frequenter uſurpatur in Script. Ad Deum translatum nihil aliud dicit, ac Deum manum *protectricem*, & *directricem*, a populo abſtrahere, & eum ſibi relinquere; ita ut eum & corrigere & defendere ceſſet, ſed, contra, *obdurari* & *perire* ſinat. Verbum enim *mittere* ad efficacem aliquam Dei operationem, quæ *umbilicationem* cordis, ut cauſa efficiens effectum, ſiſtit, non eſt extendendum, vetante *ſanctitate* & *juſtitia* Divinæ naturæ, cum *umbilicatio* vitium morale involvat, nec verbum mittere aliam ac dimiſſionis & *defertionis* poteſtatem contineat. Sed quid eſt *umbilicatio cordis*? ſic enim vocem Hebr. vertipoſſe, facile

facile evincit vox radicalis, quæ *umbilicum* signat, uti notum, vel eam potius umbilici partem, quæ in nativitate resecatur: ut Ez. XVI: 4. *Umbilicus* autem stylo Orientis usurpatur pro principio & fonte vitæ animalis, unde humorem nutrientem quasi primitus hausimus. Unde ad *corruptionis* principium arte inhærens, quo quis qualemcunque pravitatem inbibit, transfertur, cum de *animo*, ut hic, usurpatur: adeo ut *umbilicatio cordis* sit cor, cui *umbilicus* non est resectus, vel quod vetere sua corruptione & cupiditate plane obsidetur & ducitur: quod alias *cor incircumcisum*, alia metaphora, exprimit. Sed de populo Israelitico adhibita phrasis antiquam populi conditionem corruptam expingit, in qua fuit, antequam a Deo in populum est adoptatus, & per legislationem formatus. Qui, ut notum, fuit status corruptionis, & in specie *idololatriæ*, cui in Aegypto fuit deditus. Quem significatum hæc vox passim habet apud Jer. qui ea frequenter utitur, ad exemplum Mosis, Deut. XXIX: 18.

§. XXIX. Altera phrasis, *ire in consilia sua*, complectitur mala & pernicioſa consilia, quæ ruinam populi secum ferunt, & *impetum* ob oculos ponit, quo quis in ea ruit, eaque ratione in *exitum* se præcipitem dat. *Ire* enim sæpe est *abire* in malam rem; *perire*. Sic Job. XXVII: 22. *tollet eum turbo* & *ibit*, Jes. L: 11. *eatis*, sive dispereatis, *ignis vestri vapore*, *malleolisque*, quos *succendistis* &c. *Ire in consilia* est, in ea *ruere*, & iis *perire*. Sed quæ illa *consilia*? noxia sine dubio & exitialia, sive ad *religionem*, sive ad *civitatem*, ejusque gubernationem, pertinentia; quibus, Deo vero relicto, idolis fiditur, & ad exteras gentes, auxilii ergo, confugiunt, quod a solo Deo, rege suo, exspectare deberent. De quo Jes. XXX.

§. XXX. Quæritur, quodnam tempus poetæ, cum Deum ita facit loquentem, in oculis fuerit; quando a Deo defciverint, & ab ipso deserti, ac libidini suæ suisque consiliis sint

a Vid. Schultens Orig. tom. I. c. 2.

ſint traditi: ad quod α. respondeo, ſæpius, & repetitis vicibus, id eſſe factum; & nexum in genere hic explicari inter defectionem a Deo & deſertionem ejus: ut ſenſus ſit, quoties populus mihi, legique meæ, nuncium miſit, toties expertus eſt, ſe præcipitem ſe dediſſe in gravia crimina ac exitialia conſilia; idque a prima reip. inſtitutione, cujus in præcedentibus facta fuerat mentio, ad hoc usque tempus. Ne de mora in deſerto loquar; quoties hæc temporibus *Judicum* non expertus eſt Israel? Legis contemtus, & Dei neglecta cura, ſecum, præter quævis ſcelera, deteſtabilem traxit idololatriam; & inde quævis pernicioſa orta ſunt conſilia, quibus periiſſet populus, niſi Deus caviſſet, & populus ſeſe ad Deum recepiſſet. β. Sed in ſpecie eam Iſraelis a Deo defectionem, qua ſub Jeroboamo I., duobus vitulis in Dan & Bethel erectis, cultui Jehovæ, Hieroſolymis deferendo ſecundum legem Moſis, renunciarunt, poetæ fuiſſe animo obverſatam exiſtimaverim, tum quod Israel, ſeu populus x. tribuum, hic intelligatur, de quo ſupra, tum epocha defectionis Israelitarum inde repeti ſoleat, uti notum eſt, tum quod Israel, poſteaquam publice multis modis demonſtraſſet, ſe legi Jehovæ plane & obfirmato animo, nullis prophetarum monitis flectendo, nuncium miſiſſe, a Deo ſibi, ſuisque conſiliis, relictus ſit, & ab eo tempore in quævis mala, ſive a Syrorum regibus Hazaele & Benhadado, ſive ab Aſſyriorum Phulo & Tiglatpulaſſaro, inflicta, ſeſe præcipitem dederit, & deteſtandæ idololatriæ ſub *Achabo*, aliisque criminibus, mancipaverit. Quo in ſtatu Israel Hiskiæ tempore verſabatur, Trans-jordanenſibus jam in exilium abductis, & Cis-jordanenſibus haud procul a ſimili judicio remotis. Quæ, utpote nota, tetigiſſe ſuffecerit.

§. XXXI. His rationibus moventibus ſubjungitur votum pro converſione totius populi, ad exemplum eorum, qui Hieroſolymam ad feſtum adſcenderant, ſeſeque dicto Jehovæ audientes fore teſtificati erant, verſ. 6. addito promiſſo ſubitæ liberationis ab hoſtibus, partim prementibus, partim

tim inminentibus, pleniſſimum excidium, verſ. 14—17. ubi ✱. Votum occurrit, verſ. 14. 2. promiſſum, quo ad illud, quod vovetur, præſtandum excitantur, verſ. 15--17. ✱. Votum ita habet, verſ. 14. *Utinam populus meus audiat me, Israel in viis meis ambularent!* ſic enim vertenda ſunt verba, & non de præterito, utinam *audiviſſet*, & *ambulaſſet;* occurrit enim verbum *ambulare* in fut., & votum, cum res nondum eſt deſperata aut effecta, aptius emittitur: quare rectius, veluti inſtitui, verba ad univerſum populum Ephraimiticum, nondum plane abjectum & everſum, referuntur. Supererat adhuc regnum Israelis ſub Hoſea, licet inſigni ſua parte mutilatum, Trans-jordanenſibus jam abductis. Sed ſupererat haud procul a ruina remotum; ut, niſi cito ſeſe ad Jehovam Deum ſuum per veram converſionem reciperet, eandem ſortem ſubire debeat. Audiverat Israel corruptæ indolis inſtinctus, & in propriis ambulaverat conſiliis, a Deo derelictus, & propterea ab excidio prope aberat; in quod certo certius brevi rueret, niſi voci divinæ auſcultaret, & ejus præcepta, unicam viam a Deo ſtratam ad ſalutem, confeſtim & conſtanter ſusciperet obſervanda. Quod ut faciat Israel, cum Deus hic *optet*, illud, ſi θεοπρεπῶς, ut decet, intelligatur; ob oculos ponet, 1. Deum illorum mortem nolle, ſed converſionem & *vitam velle*, adfectu ſerio & ſincero; ut Deus apud Prophetam declarat. 2. Populum, ſi pereat, non Dei, ſed ſua culpa peſſum ire. 3. Adeoque poſſe & debere per legis Dei obſervantiam adhuc ultimo excidio eripi, & in priſtinum ſtatum reſtitui. Hæc niſi admittantur, fruſtraneum & ineptum foret votum, nullius plane ſenſus. Nec tamen ulterius extendi velim: etſi enim in nobis ineptitudinem id, quod vovemus, efficiendi involvat, in Deo, cum id locum non habeat, nihil aliud, ſi urgeas, indicabit, ac Deo certas eſſe rationes, quare effectum omnipotente juſſu in liberis creaturis, quod poſſet, non ſiſtat: quæ latius exequi, nihil adtinet.

§. XXXII. γ. Promiſſum, quod additur, continet α. oppreſſionem hoſtium, brevi, & ſine magna opera, efficiendam, verſ. 15. *Sicut parum inimicos ipſorum proſternam*, & *ſuper hoſtes eorum reducam manum meam*, h. e. & brevi, & nullo labore hoſtes Israelis potentia mea ita adterrerem, ut manus pedesque quaſi truncati jaceant, ſeſeque in poſterum non moveant. Phraſes ſunt ſelectæ. 1. *Sicut parum* & breviſſimum tempus, & facillimam operam exprimit. Vox enim Hebr., quæ proprie *nudum* & *glabrum* ſine pilis, ut Gr. ψιλὸν, exprimit, inde ad omne *tenue* & *exile* transfertur, & *ſicut* parum pro re *contemtiſſima* uſurpatur, Prov. IX: 20. Job. XXXII: 22. 2. Heb. נגף proprie eſt, *contractis alis*, *digitisve*, *debilitari*, ſive luxatione violenta & confractione, ſive *arescentibus* præ ſenio membris, id fiat, ſpeciatim in bello uſurpatur de *proſtrato*, contuſis & debilitatis manibus. 3. *Reducere manum* ſuper *hoſtes* expingit medium, quo id efficeretur, per potentiam Dei, qua hoſtes premerentur, & opprimerentur, ut ſæpe ante factum erat: quo nos illud *reducere* ducit. *Manus* Dei in genere ejus *potentiam* denotat, ſive in bonum, ſive in malum.

§. XXXIII. β. Proſtrationem hoſtium exciperet eorum *ſubjugatio*, verſ. 16. *Oſores Jehovæ abnegarent ſe ipſi*, ſive Jehovæ, ſive Israeli, quod quodammodo dubium eſt, cum & ad utrumque in textu adplicari poſſit, & de utroque in aliis locis occurrat: ut de Deo Pſ. LXVI: 3. de Israele, Deut. XXXIII: 29. & de Davide Pſ. XVIII: 45. Quod tanti non eſt: qui enim Israelem venerantur hoſtes, illi quoque Deum Israelis, a quo ſunt ſubjecti, adorare cenſeri poſſunt. Sed majoris eſt, *oſores Jehovæ*, verumque ſenſum phraſios *abnegare ſe ipſi*, definiviſſe. *Oſores Jehovæ* mihi videntur *Aſſyrii* eſſe, qui Israelem & Judam, non tantum internecino odio proſequebantur, ſed & ipſum Deum Israelis & Judæ; ut ex *Senacheribo* manifeſtum eſt, qui Deum Judæ convitiis proſcidit acerbiſſimis tempore Hiskiæ, de quo hic agitur.

tur. Sed quid ſibi vult phraſis *abnegare ſe ipſi?* Vulgo quidem per *mentiri ipſi*, & de *adulatoribus*, qui præ metu reverentiam fingunt, verti ſolet; at ſine ſolida ratione: verbum Heb. כחש proprie dicit *delere*, *obliterare*, & inde tum *mentiri*, tum *negare:* phraſis vero, ut hic occurrit, reciproce uſurpatur, pro *negare*, vel *abnegare ſe alicui*, ut in locis citatis, ſive id ficte, ſive ex benevolo fiat & ſincero animo; adeoque in genere exprimit, commoda ſua alterius voluntati ſubjicere, & ſe ad alterius beneplacitum accommodare. Senſus ergo eſt, Deum facturum, ut hoſtes, qui nunc Deo & populo ejus inſultabant, brevi eum honoraturi ſint, & commodis ejus, ſive volentes, ſive nolentes, inſervituri.

§. XXXIV. γ. Additur *prosperitas* populi perpetua, verſ. 16, 17. *Et eſſet tempus eorum in perpetuum, & eum alerem adipe tritici, melleque e rupe ſatiarem Te.* h. e. Efficerem, ut quibusvis bonis, ad ſatietatem & lætitiam, te expleres in perpetuum, prosperitate gauderes continua & perpetua, ſecundum promiſſa mea in fœdere Sinaitico Tibi facta. Ad ea enim hic digitum intendi, dubio vacat. Nihil hic difficile, modo obſervetur, 1. *Tempus* hic eſſe *proſperum* & felix tempus: ut Jeſ. XXXIII: 6. a quo ſenſu hic discedere non licet. 2. Temporis fortunati *æternitatem* non eſſe abſolute, ſed reſtricte capiendam, convenienter naturæ œconomiæ Veteris: ut ſenſus ſit, tam diu eam temporis felicitatem duraturam, quamdiu ipſa oeconomia illa legalis. Quæ uſitatiſſima & vera eſt vocis *æternitatis* his in caſibus poteſtas. 3. *Comedere facere de adipe tritici* eſt, præſtantiſſimum triticum utendum fruendum dare. Etſi enim *adeps* proprie ſit *animantium*, uſus tamen fert, ut de quaque rei præſtantiſſima uſurpetur; ut hic de *ſimilagine*, vel *ſiligine*, *medulla* vel *flore* tritici. Vid. & Pſ. CXLVII: 14. Deut. XXXII: 14. *ubi adeps renum tritici* occurrit pro pingui tritico optimi generis. Respicitur ad terram Cananæam, præſtantiſſimi tritici feraciſſimam; ut eſt Ez. XXVII: 17.

4. Denique, *ſaturare de petra melle*, phraſis, petita a Moſe Deut. xxxii: 13., eſt elliptica, pro *melle* de favis in petra vel rupe paratis. Nihil enim erat in Cananæa, apum examinibus abundante, vulgatius, quam apum mellificationes in rupium & petrarum cavernis; quod *mellis* copiæ erat indicium. Opus itaque non eſt, ingenioſa licet, criſi Houbigant, qua pro יזר legit יזף *fluore mellis*, uti Prov. xvi: 24. Ceterum his phraſibus, a *tritico* & *melle*, exempli ergo citatis, ſummam omnium bonorum abundantiam repræſentari, ſicut eſt facillimum, ita notiſſimum.

PSALM.

PSALM. LXXXII.

1. *Psalmus Asaphi. Deus stat in cœtu Dei: in medio Deorum judicium feret.*
2. *Quousque judicabitis inique, & vultus impiorum adsumetis? Sela!*
3. *Jus dicite tenui & pupillo, oppressum & pauperem absolvite.*
4. *Liberate tenuem & egenum; e manu impiorum eripite.*
5. *Non cognoscent, nec intelligent, in tenebris itabunt, commovebuntur omnia fundamenta terræ.*
6. *Ego dixi, vos esse Deos, & omnes filios Altissimi.*
7. *Profecto sicut homo moriemini, & sicut unus Principum cadetis.*
8. *Surge Deus! judica terram, quia Tu cernes in omnibus gentibus.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Psalmi est denunciatio severissimi Dei, tanquam supremi Judicis, judicii, improbis judicibus, & universo populo corrupto, infligendi, post frustraneam admonitionem & increpationem, nomine Dei solenniter institutam; non obstante prærogativa populi Dei, & judicum illorum peculiari ad Deum relatione, quia Deo & jus erat, & fixum sedebat propositum, hæreditatem cernendi

inter omnes gentes. Poeta mox in principio declarat, tempus adeſſe, quo ſummus Judex rationes a judicibus Israelis exigeret, eosque ſevere puniret, niſi officio melius fungi inſtituant. Quo fini, ne, prævia ſine admonitione id fieri, conquerantur, Deum introducit pravos judices acriter reprehendentem, & officii admonentem. Quando ſubjungit, eos ad ſaniorem mentem non eſſe redituros, ſed in pejus ruituros, donec ipſa civitatis fundamenta eſſent conquaſſata, & horribilis rerum confuſio inducta. Quo tempore Deum ſententiam decretoriam pronunciaturum eſſe adſerit, Deumque id facientem introducit: ſubjuncta denique judicii illius adprobatione, & juſtificatione, ex eo petita, quod Deo ſtatutum erat, inter Gentes erigere regnum, & in iis excernere hæreditatem.

§. II. Quod argumentum ut clariore in luce collocetur, obſervari velim. 1. Tribunalia populi Dei hic ob oculos ſiſti tanquam & pleniſſime, & a *longo* depravata, ut clare indicatur per illud *quousque*, verſ. 2. quousque *judicabitis inique* &c.? quamdiu hoc durabit, & quem gradum adſcendet? 2. Adeoque tempus adeſſe, quo ſupremus Judex ab hisce vicariis ſuis rationes exigat, illudque jam nunc incipere: ut liquet ex phraſi, verſ. 1. *Deus ſtat in coetu Dei.* &c. 3. Hunc in finem inſtitui ſolennem & publicam *increpationem* & *adhortationem*, ne ex improviſo ipſos judicis ſententia feriret. Quæ admonitio, ut altius penetraret, Deo ipſi adtribuitur, verſ. 2, 3. 4. De irrito ejus effectu poetam in futurum loqui, & eum, tanquam prophetam, exponere; imo tantum abeſſe, ut reſipiscerent profani judices, ut, contra, magis depravarentur, & contagio latius ſerperet, usque ad omnium rerum terribilem confuſionem: quemadmodum ex verſ. 5. qui verba poetæ continet, liquet. Cum enim Deum introduxiſſet increpantem, ipſe fruſtraneum & contrarium effectum ſuis verbis prænunciat. 5. Quo facto ad *ſententiæ* pronunciationem tranſit, quam Deum ipſum rurſus ſiſtit ferentem, verſ. 6, 7. 6. Cui tandem

tandem ſubjungit ſuam adprobationem, eamque ab objectione aliqua, quam populi Dei prærogativa ſuggerebat, liberat, verſ. 8.

§. III. Hinc ſponte ſua elucet methodus, a poeta in hoc poemate obſervata. 1. Structura poematis ita ſeſe habet, ut modo ipſe Judex ſupremus in ſcenam prodeat, modo poeta loquatur. Cum poeta de tempore rationum exigendarum a judicibus monuiſſet, verſ. 1. ipſius judicis verbis increpationem & adhortationem, ſententiæ præmittendam, effert, verſ. 2, 3, 4. quando ipſe ſermonem reſumit, & irritum ejus effectum prænunciat, verſ. 5. verbis futuri temporis utens, ut, ſe de futuro nunc, & non præſenti, loqui, ſignificet. Hac interlocutione facta, Dei ſermo continuatur, & ipſa ſententia pronunciatur, verſ. 6, 7. Quo finito, juſtam eſſe ſententiam demonſtrat, & a difficultate adparente vindicat ſuis rurſus verbis, verſ. 8. 2. Analyſis ſponte ſua ſeſe nunc offert. Complectitur enim Pſalmus I. præſentiam Judicis ad judicium de tribunalibus ferendum verſ. 1. II. præviam Judicis increpationem, & ad reſipiscentiam adhortationem verſ. 2—4. III. Fruſtraneum illius effectum, rebus potius in pejus ruentibus, verſ. 5. IV. Decretoriam excidii ſententiam, verſ. 6, 7. IV. Sententiæ juſtificationem, verſ. 8.

ANACRISIS.

§. IV. Interpretes, qui in communi aliqua doctrina, omnibus temporibus congrua, non acquiescunt, etſi id faciant multi, varie hic circa hypotheſin Pſalmi exponendi ſcinduntur, dum alii ad eos referant hanc increpationem & interminationem, qui *Abſolomum* ſecuti ſunt, alii canticum velint haud diu ante adventum Meſſiæ compoſitum, quo tempore magnum Synedrium Judæorum erat corruptiſſimum, & prope a fini ſuo: nec tamen in hos judices ſolos, ſed

ſed in omnes, qui a Chriſto nato rerum potirentur, inter homines, convenire. Alii denique Pſalmum tempore Davidis quidem factum ſtatuunt, ſed *prophetice* eſſe intelligendum de Judæorum Proceribus, quo tempore Chriſtus inter eos verſatus fuit, pios damnantibus, & impios, tanquam hæredes vitæ, declarantibus & tractantibus: quos rectores Chriſtus aboleret.

§. V. Nulla eſt harum opinionum, quæ ſe tueri poteſt: non *prima*, 1. quod nullum criterium regni Abſolomi *hic* compareat, 2. quod illud *quousque* ei minus conveniat, 3. quod Deus qua judex tunc *terram* dici nequeat judicaſſe. *Secunda* illo præcipue nititur fundamento, quod canticum tempore corrupti ſynedrii poſt tempora Maccabaica fuerit compoſitum, cujus cum nullum aliud eſſe queat indicium, ac quod Pſ. argumentum exhibeat; hoc vero ſit *generale*, & in ſtatum reip. ante exilium recte conveniat; nullam eſſe rationem canticum ad tam ſera tempora referendi, manifeſtum eſt. Sed *tertia* hypotheſis *a.* Pſalmum ſine ratione facit *propheticum*, cum poeta de Dei increpatione, tanquam re *præſente*, loquatur; & de *judicio divino* tantum in futurum. Pſalmi prophetici, oportet, certa prophetici ſenſus habeant *criteria*, niſi quis pro arbitrio in iis explicandis verſari geſtiat. *b.* Tribunalia Israelis hic in pleno vigore, & ſumma ſua auctoritate, occurrunt; quod a tempore Meſſiæ abhorret, quo, Judæa in provinciæ formam redacta, præcipua auctoritas & poteſtas erat penes Romanos, eoremque *Præſides*. Novi equidem, per *Judices* hic intelligi ſolere *proceres* Judææ gentis, de vera religione & via ſalutis perverſe judicantes, & hinc de piis & impiis male ſtatuentes; ſed ſine ratione, & contra uſitatum verborum ſignificatum: de quo poſtea. *c.* Levia nimis ſunt fundamenta, quibus hypotheſis eſt ſuperſtructa; ut quod illud *ſtare Dei in cœtu Dei* nos ad præſentiam Chriſti inter homines ducat; cum hoc ad præſentiam *Judicis* unice pertineat, & figurata ſit locutio, ſatis uſitata, ut mox patebit.

Sic,

Sic, quod casus judicum intelligatur vers. 7., quo munere excidunt in perpetuum, & ipsa illa regiminis forma abolebitur; cum ejus sensus nullum sit fundamentum in textu, majoris est, quod judicii justificatio repetatur, ut videtur, *a vocatione Gentium* vers. 8. Sed, si hæc vera sit verborum interpretatio, de quo postea; hinc nihil colligi potest aliud, quam Deum hæreditatem cernere posse inter Gentes, adeoque ipsi integrum esse Judæos missos facere; & si in illa perversitate pergant, illud quoque *futurum*, sed suo tempore; quod hic non definitur. Solent autem prophetæ a Messiæ adventu, & Gentium vocatione, rationes moventes & justificantes repetere in usum Judæorum sui temporis, ut Jes. II. VII: 14. XVI: 4, 5. & alibi. Interea non nego tacite insinuari, Judæorum statum, sicut nunc erat corruptus, postea denuo esse depravandum, & ita penitus abolendum, Gentibus eorum loco substitutis: de quo mox.

§. VI. Mea itaque fert opinio, ut ad eam accedam, Psalmum ab eodem Asapho, quem præcedentis dixi esse auctorem, in initio regni Hiskiæ compositum esse, ut corruptis tribunalibus reformandis inserviret, per increpationes & interminationes divinas; quod cum divinus poeta non successurum prævideret; excidium tribunalium & judicum esse ante fores, & certo eventurum, declarat, ac defendit; quemadmodum per Chaldæos effectui fuisse datum, experientia docuit. Hujus hypotheseos sequentes, haud spernendas, habeo rationes. 1. Cum Ps. non sit argumenti prophetici, necesse est vel ad Davidis, vel Hiskiæ tempora referatur; quia utroque tempore *Asaph* aliquis floruit; ut ad superiorem Ps. vidimus, nisi certa adsint criteria, quæ ad aliud tempus, & ignotum aliquem Asaphum, ire jubeant; qualia hic nulla sunt. Hoc itaque admisso, inter Davidis & Hiskiæ tempora dubii hærere non possumus; quia de tribunalium corruptione tempore Davidis nihil constat, contra, laudantur & celebrantur, uti Ps. CXXII: 5. & alibi, & Jes. 1: 21. quo etiam facit, quod *thronus Davidis*, ut *justitiæ* thro-

nus deſcribatur in verbo Prophetico. Sed rem longe aliter ſe habuiſſe tempore Hiskiæ, præcipue in primordiis regni, ex hiſtoria illius temporis non tantum colligitur, & ex ſtudio, quod Hiskias civitati ac religioni reformandæ impendit, confirmatur; ſed & Propheta Jeſaja, qui hoc tempore vixit, extra dubium collocat, ut Jeſ. 1. & XXII.

§. VII. 2. Unde ſecundum nascitur argumentum, ex comparatione hujus cantici & capitis *primi* Jeſ. Tam clara enim & exacta eſt inter hæc convenientia, ut, quin de uno eodemque tempore cogitemus, non poſſimus. Jeſ. eodem modo primum corrupta judicia detegit & perſtringit, dein ad ea emendanda adhortatur; ſed mox indicat, ea in dies in pejus ruitura; quare idem judicium prænunciat. Hoc vero caput Jeſ. ad initia Hiskiæ eſſe referendum, recte evicit *Jeſajæ Commentator*. 3. Accedit, judicium infligendum hic proponi tanquam haud longe remotum, ut ex Pſ. argumento patet, & præcipue ex verſ. 8., ubi poeta per modum precationis illud adprobat, & neceſſarium eſſe indicat: argumento, judicium eſſe opportunum, & non diu differendum: quod a Davidis tempore eſt valde alienum, ſed Hiskiæ tempori recte convenit, cum mox poſt ipſum ſub Manaſſe ſententia eſt pronunciata; crimina enim Manaſſis *citari* ſolent, tanquam ob quæ resp. peſſum iret, vel excidium non averteretur. 4. Denique, ſi conjecturæ ſit indulgendum, in phraſi, *ſicut unus principum cadetis*, digitum conjicerem intendi ad *Sebnam*, primarium Hiskiæ miniſtrum in primordiis regni, omnium ſceleſtorum & impiorum patronum; ſub cujus tutela in primis corrupta judicia erant tuta, ſingulari Dei judicio & munere motum & in exilio mortuum; in quo ſimilis judicii, impiis judicibus haud diu poſt infligendi, fuit triſte præſagium. Vid. Jeſ. XXII. de quo ſuo loco.

§. VIII. Novi equidem, Hiskiam in regno emendando & reformando totum fuiſſe, & ab hoc ipſo ſtudio in hiſtoria non tantum, ſed & Jeſ. XVI: 5. XXXII: 1. laudari ac celebrari,

brari, at enim 1. majore cum ſucceſſu, in religionis exercitio inſtaurando, quam *tribunalibus* in ordinem redigendis; ut ex Jeſ. 1. & aliis indiciis colligitur, 2. quod ſi improbitas ſub Hiskia aliquatenus fuerit repreſſa; non tamen eſt ſublata, quin mox majore impetu, ut ſolent aquæ occluſæ, cum exitum inveniunt, ſeſe exeruit, & totam civitatem inundavit ſub Manaſſe, donec brevi tempore ad ſummum aſcenderit faſtigium: quod hic manifeſte indicatur, cum de ea perverſitate, ut *futura*, agatur verſ. 5. 3. Sed nec illud negligatur, Pſalmum eo ſcopo fuiſſe compoſitum, ut opus reformationis promoveretur, quemadmodum jam obſervavi.

§. IX. Verum enim vero, etſi in primordia Hiskiæ, quando tribunalia a longo fuerant depravata, totum Pſ. argumentum recte quadret, adeoque hic pedem figendum eſſe cenſeam; nullus tamen intercedo, quominus accommodetur, ſeu adplicetur, ſtatui Judæorum circa tempora Meſſiæ, quando ſicut ſimilis corruptio invaderet judicia, & omnium rerum eſſet confuſio; ita idem, ſed gravius, eos feriret judicium, per Romanos infligendum: quod a ſtylo prophetarum non eſt alienum. Illi enim in deſcribendo judicio Dei per Chaldæos ſubinde ita verſantur, ut ſimul in oculis habeant ultimum & pleniſſimum reip. excidium per Romanos, tanquam prioris complementum. Robur huic cogitationi addit verſ. 8., ubi judicium Dei defenditur, ratione petita a regno inter *gentes erigendo*; quod poſt ultimum excidium demum in vera ſua emphaſi factum eſt.

EXPLICATIO.

§. X. *Prima* pars Pſalmi, quæ Judicem ſupremum in medio tribunalium præſentem, ob oculos ponit, ita ſonat, verſ. 1. *Deus ſtat in cœtu Dei: in medio Deorum judicium feret.* h. e. Supremus mundi judex, cui judices po-

puli Dei peculiari ratione adſociati ſunt, & rationes debent, præſens quaſi litem intendit, in cœtu Dei, coram populo, & omnibus Angelis, actionem contra judices populi ſui inſtituens, & paratum ſe demonſtrat ad ſententiam in medio Judicum ferendam; qua eos, niſi reſipiscant, exitio devoveat. Duo ſunt verſus membra, bene diſtinguenda; quorum *alterum* litis conteſtationem & disceptationem Dei cum judicibus, *alterum* ſententiæ pronunciationem, a Deo faciendam, complectitur; prius Deum tanquam *actorem*, poſterius tanquam *judicem* infert; illud jam exercebatur, ſed hoc denunciatur, tanquam haud diu poſt futurum. Prius præcedit, quia Deus non tantum nihil injuſti agit, ſed non niſi poſt publicam *juſtitiæ* demonſtrationem, & agnitionem; quæ ſingularis ipſius eſt συγκατάβασις, qua cum hominibus, tanquam æqualibus, agit, ut in omnium oculos defigatur ſumma Dei juſtitia & æquitas: quo facto, *judicium* demum fert. Hanc eſſe Dei rationem agendi cum hominibus, ex multis Script. locis elucet, ſed ſufficit Jeſ. I: 18. III: 13. V: 3.

§. XI. Sed, antequam in eo exponendo pergam, ratio reddenda eſt noſtræ explicationis, qua *prius* membrum ad *litem intentatam* refero, a communi Interpretum opinione diſcedens. Interpretes enim de Dei *præſentia* in tribunalibus, & *viſitatione* eorum tanquam *judicis*, hic cogitant: ſed, Deum hoc in membro ut *actorem*, qui litem intendit & disceptat, ad judices pravarum actionum reos agendos, ſiſti, haud una ratio evincit. 1. Verbum עמד alium non fert hoc in loco intellectum. Cum enim *judicis* ſit *ſedere*; & actoris *ſtare*, Deus utique, ubi de re judiciali agitur, non *ſtare*, ſed *ſedere* dici debuiſſet, ſi *judicem* præferret. Qua ratione Interpretes ſeſe hic expediant, referre non fuerit operæ pretium, cum nihil ſani adferant. 2. Robur accedit ex collatione loci eximii, Jeſ. III: 13—15. *conſiſtit Jehova ad litem, ſtans ad disceptationem cum populis*, &c. qui locus, de eadem re, & eodem tempore, agens, noſtrum

ſtrum egregie illuſtrat, & ſimul hypotheſin confirmat de *tempore* Pſalmi. Eſt enim, aeſi Pſaltes ad Jeſ. reſpiceret, & propterea conciſius loqueretur. 3. Discrimen inter duo membra, quorum prius utitur verbo *ſtare*, poſterius *judicare*, prius verbo *præſentis*, poſterius *fut.* temporis; de diverſo hoc ſenſu monere debuiſſet, utique cum manifeſte requirit.

§. XII. Nec nihili eſt, quod Deus ſtare dicatur in *cœtu Dei*, & judicaturus in *medio Deorum*; quod discrimen non niſi ex dictis erui poteſt. Interpretes *coetum Dei* & *medium Deorum* tanquam ἰσοδύναμα confundunt, & judicum conſeſſum intelligunt: ſed, ſi ad actionem Dei, tanquam litem intendentis, animum advertiſſent, a communi phraſios uſu non diſceſſiſſent, quo panegyrin populi Dei exprimere ſolet: ut Num. XXVII: 17, 21. Joſ. XXII: 16, 17. Pſ. LXXIV: 2. Senſus ergo eſt, Deum, coetu ſuo, ſeu Eccleſia populi ſui, tanquam *concione* cinctum, litem inſtituere contra judices, ut, univerſo quaſi populo audiente & judicante, cauſæ Dei juſtitia in publicam daretur lucem. Quemadmodum Jeſ. V. populus Israel & domus Judæ provocantur, ut inter Deum & vineam judicent, & Jeſ. I. cœlum & terram Deus *conteſtatur*. Quare autem populus Israeliticus *coetus Dei* adpelletur, neutiquam eſt in obſcuro, cum Dei potentia & juſſu in unum coierit, & legibus Dei ſit tanquam vinculis conjunctus; Deus etiam externo majeſtatis ſuæ ſymbolo in medio ejus verſetur, & ibi colatur. Hæc licet ſatisfaciant, nullus tamen intercedo, quo minus *Angeli* etiam intelligantur, quorum exercitu Deus ſtipatus legem dedit in monte Sinai, Deut. XXXIII. quos & hic jure merito tanquam *teſtes* & judices litis cum judicibus introducit Pſaltes.

§. XIII. Sed cum quibus litem intendit Deus? illud in altero verſus membro exponitur, ubi dicitur, *in medio Deorum judicabit*, litis ſc. intentione præmiſſa; adeoque litem cum iisdem inſtituit, quos *judicaturus* dicitur. De *lite* lo-

quitur poeta in præsenti, sed de *judicio* in futuro; quia jam hoc tempore incipiebat Deus litigare cum judicibus, ut, si in munere tam improbe pergerent, justitia Dei in ipsis judicandis quam clarissime eluceret; cum nec admoniti & increpiti ad meliorem mentem redierint. Deum autem ab hoc tempore, quo Psalmum dixi esse factum, incepisse hanc litem, vel ex uno *Jesaia*, qui hoc tempore floruit, colligitur: cui addendus est *Michas*, qui cap. IV. eodem pede incessit. Cum itaque Deus *stare* dicatur in præsenti, & *judicaturus* in fut., manifestum est *a. judicare* hic dicere definitivam pronunciare sententiam · *b.* idque post litem institutam & omnibus adprobatam; *c.* adeoque post frustraneam *admonitionem*. Sed quæ sententia postea pronunciatur, vers. 7.

§. XIV. Hæc cum sint facilia, nihil restat, quam ut de titulo *Deorum*, quo Judices Israelis hic ornantur, paulo accuratius dicam; maxime cum hujus loci & pravum intellectum, & haud levem abusum, satis vulgatum, deprehenderim. Sunt inter Theologos, qui hunc titulum existimant fuisse proprium summis civitatis & Ecclesiæ rectoribus sub V. T., quorum erat, legem cum plena auctoritate interpretari, & populo instituta religionis injungere, quæ ipsam conscientiam obligabant: quo inter alia referunt, quod de *Legislatore*, ab inter *pedes non auferendo*, Gen. XLIX. & de illis, qui *cathedram Mosis insidebant*, Matth. XXIII. habetur. Sed ne hos quidem intra terminos manent alii, qui ad supremos, ne dicam subordinatos, quod nonnullis imprudenter potius excidere autumaverim, magistratus & reges, in genere extendunt hunc titulum, quo, ut notum, nihil est vulgatius. Sed 1. ad animum revocari velim, Scripturam longe circumspectius agere; nec nisi solis *judicibus*, qui de bonis & vita hominum judicia ferunt, adtribuere, nunquam regibus aut proceribus, minus Pontifici & sacerdotibus; quod utique animadversionem meretur. Imo nec frequenter; sed uno alterove in loco *judices* hoc titulo insig-

insigniuntur, ut Exod. XXI. & XXII.; nec scio an alibi; nam Ps. CXXXVIII. alium forte sensum admittit. Ita cum Script. instituat; quid nos Christianos tam prodigos facit in tam augusto titulo? 2. Nec illud nihili est notasse; Judices populi Israelitici peculiari de ratione, quæ nec in reliquos præfectos Ecclesiæ aut civitatis, multo minus extra oeconomiam V., nec in aliarum societatum judices quadrat, eum titulum gessisse; quia nimirum de rebus civilibus & criminalibus non tantum *judicabant*, sed secundum leges divinitus datas, idque in *Theocratica* regiminis forma. Illud est, quod ipsos hac solum parte aliquomodo adsociabat Deo supremo Judici. Judicabant *nomine Dei*, tanquam ejus præferentes *personam*, secundum *leges* ab ipso publice latas, & præscriptas, cum reliquarum societatum *judices* id nomine *populi*, vel supremorum rectorum, juxta statuta civitatis agant. Quanta hic differentia! Quod ad reliquos rectores Gentis Israeliticæ adinet, sive Reges, sive Pontifices & sacerdotes, illis nec datur, nec competit, hic titulus, nisi quatenus *judicium* exerceant, & *Judices* agant, non qua *reges*, aut sacerdotes. Sacerdotum enim est, pro populo *sacris* apud Deum defungi, & Reges, ne quidem a Deo instituti, id vetante *Theocratica* regiminis forma, nec de *vita* civium, nisi qua *judices*, disponunt. Num autem supremis Judaicæ Ecclesiæ rectoribus potestas fuerit legitima res fidei & religionis cum ea auctoritate ordinandi, quæ *conscientias* obligat, mihi non liquet, nec illud aut *Legislator* Gen. XLIX. evincit, aut locus Matt. XXIII. De quo postea. 4. Sed quo jure Magistratus civiles in genere, qui longe alium conspectum habent, ac sub Oecon. V. Theocratica, hunc titulum gerant, nescio, cum sint a populo immediate constituti, & ejus vices gerant; & secundum leges humanas gubernent. Illud contra novi, horrendum ejus tituli esse, & facile posse esse, abusum, qui in oculos incurrit.

§. XV. Du-

§. XV. Duplicem perſonam, alteram *actoris*, alteram *Judicis*, quam poeta Deo aptaverat verſ. 1., Deus ita introducitur agere, ut α. cum iniquis judicibus expoſtulet, & eos ad ſaniorem mentem adhortetur, verſ. 2—4. 2. ſententiam mortis in eos ferat, verſ. 6, 7. poſteaquam eos in pejus potius ruere, quam in melius ſeſe mutare, conſtitisſet: quod futurum eſſe poeta ſuis verbis interſerit, & ſententiæ, tanquam fundamentum ejus, præmittit, verſ. 5. Adeo ut *ſecunda* pars Pſalmi α. expoſtulationem Dei, tanquam litem publice intendentis, contineat, verſ. 2. β. ſeriam adhortationem ad res melius inſtituendas, verſ. 3, 4.

§. XVI. *a.* Expoſtulatio Dei cum judicibus, qua crimina, quæ exitium eorum ſecum traherent, ipſis intentat, ita ſonat, verſ. 2. *Quousque judicabitis inique, & vultus impiorum adſumetis?* h. e. Quam diu & quo gradu verſabimini, ô Judices! in munere veſtro injuſte & inique, impiorum favore & reverentia ducti; antequam pœna de vobis ſit a *ſupremo* Judice ſumenda? illudne adhuc diutius durabit, & majore gradu a vobis fiet? non ſane; adeoque tempus eſt, ut vel ad meliorem mentem redeatis, vel ſevero Dei judicio peſſum eatis. Hanc omnem emphaſin habet particula *quousque*, & modus *interrogationis*, quo hæc expoſtulatio proponitur. *Quousque* & tempus & gradum comprehendit; ad *tempus* ut plurimum referri ſolet, ut ſit, ad *quod tempus usque?* ſed ad *magnitudinem rei* exprimendam etiam nonnunquam adhibetur, uti ad Pſ. IV: 3. demonſtravi. Interrogatio autem, *quousque?* indicat, flagitia eorum jam diu ſatis duraſſe, & eſſe ſatis *atrocia* ac *multa*; ut vindicem Dei manum clament, & ferenda amplius non ſint, ſed quantocyus punienda, vel emendanda, vel ipſis eorum conſcientiis teſtibus, ſi ad eas adtenderint Ceterum, cum non de criminibus, ſed eorum termino & gradu, interrogentur judices; clare indicatur, ipſa illa flagitia eſſe *notoria*, ut ſic dicam, & ipſis & omnibus notiſſima, ac teſtatiſſima; adeo ut neceſſe non ſit, de iis *quæſtionem* movere: præterea,

&

& illud indicatur, jam a longo eos ea crimina patraſſe, & longe atrociſſima commiſiſſe: quare nihil aliud quærendum ſupererat, quam *quousque?* ſitne terminus, ad quem, nec ne? ſi ſit, nonne adſit jam? cum vix graviora & majora eſſe queant eorum crimina; & diu ſatis provocaverint ſupremi judicis iram.

§. XVII. Sed quæ erant *commiſſa*, quæ judicibus hic intentantur? duabus phraſibus ea exprimuntur, altera eſt *iniquitas* in munere, altera perſonarum impiorum *acceptionem* in judicio comprehendit. Prior eſt paulo generalior, quæ quamcunque injuſtitiam in munere judiciali ambitu ſuo complectitur, ſive aditus ad tribunal alicui denegetur, ſive cauſæ ejus cognitio & discuſſio intercipiatur, ſive iniqua ſententia opprimatur, ſive in jus ſuum, ipſi etiam adjudicatum, non immittatur, ſententiæ judiciali executione negata. Verbum enim *judicare* hic late pro toto munere judicis ſumitur, ita ut *inique judicare* idem ſit, ac inique in munere verſari, eo injuſte defungi, quod illis modis, & aliis ſimilibus, fieri poteſt: ſicut verſu ſeq. diſtincte memorantur *tres* judicis partes, judicium concedere, juſtam ferre ſententiam, & eam potente manu exſequi, ut mox videbimus. Hinc, quid ſit *inique judicare*, haud difficiles habet explicatus, quare paucis defungar; poſteaquam uno verbo obſervavero, vocem Hebr. שׂא propriam ſedem habere in *bilancibus*, quum lanx propendet in alteram partem; unde ad quamvis *injuſtitiam*, in primis in *judicio*, & etiam ſtudium partium transfertur: unde patet, quam apte hic cum verbo *judicare* conjungatur: eſt enim acſi vertas, *quousque judicabitis inclinatione iniqua lancium?* cum judicis in manu non inclinata, ſed recta lanx eſſe debeat, qua juſte & æque cauſas ponderat. Qua metaphora nihil eſt uſitatius in re judiciali.

§. XVIII. Explicemus nunc, quæ crimina phraſis, *inique judicare*, ambitu ſuo comprehendat. 1. *Primum* crimen Judicum eſt, cum ipſi non tantum in injuſtitias & oppreſ-

ſiones innocentum inquiri, eæque ut ad ſe deferantur, quod juſti judicis officium eſt, curare negligunt, ſed vel id fieri vetant, vel querelas, ad ſe factas, ſpernunt, ac repellunt; adeoque actionem ab innocentibus inſtitui recuſant: quo fiat neceſſe eſt, ut crimina impune patrentur, & ubique graſſentur. 2. *Secundum* crimen eſt, cum in *cauſa* cognoscenda ſeſe ita gerunt, ut *juſtitia* cauſæ in obſcuro maneat, ſive teſtes idoneos repellant, & illegitimos admittant, ſive plenariam cauſæ diſcuſſionem fieri prohibeant, ſive præcipitanter in ea agant, ſive rem in longum finant aut curent protrahi, ſive nimis ſumtuoſum faciant juris proceſſum; ſive iniquas condant juris *formulas*, quibus omne jus eluditur, & vel juſtiſſima cauſa, tanquam formulis adverſa, ipſo jure, ut dicitur, nulla redditur. 3. *Tertium* crimen eſt, cum impium, vel reum, abſolvunt, & innocentem, ſeu juſtum, condemnant, adeoque hunc vel fama, vel bonis, vel vita, vel libertate privant; quod capitale commiſſum, & *iniquum* eſt judicium; ſive illud voluntaria juris ignorantia faciant, ſive luxu, ebrietate, pigritia, ſimilibusque modis ſe ineptos reddant ad judicandum, ſive ab aſtutis iniquitatis patronis ſe naſo duci patiantur, ſive amicitiæ, & conſanguineitatis, majorem ac juſtitiæ habeant rationem; ſive divitibus & potentibus adulentur, ſive metu abſterreantur, ſive denique donis & muneribus corrupti ſint, aut & ipſi aliorum bonis inhient, ſive odio, invidiæ, ſimilibusque vitiis litent. 4. *Quartum* crimen eſt, cum innocentem & juſtum, ſi vel in judicio victorem, *jure* ſuo fraudari permittunt; ſententia pronunciata contenti, ea ſive executioni mandetur, nec ne, parum curantes, vel & efficientes, ne id fiat, ſive metu, ſive ſpe incitati ad innocentes & juſtos fraudandos & opprimendos: de quo mox recurret occaſio dicendi.

§. XIX. Iniquæ huic muneris functioni additur *acceptio facierum impiorum*: quod crimen exprimitur per *tollere facies impiorum*, h. e. acceptas & gratas habere, magni æſtimare; nihil

nihil non in eorum gratiam facere; quod vel in bonum, vel in malum, ſumi poteſt; hic, ubi de judicio, & tribunalibus agitur, in malum; cum, ubi de *juſtitia* quæritur, non perſonæ, earumque reſpectus, ſed *cauſa* unice in cenſum veniat. *Facies* hic externum reſpectum, ſeu quicquid cum cauſa, de qua diſceptatur, nihil commune habet, quodque, ſi adtendatur, aptum natum eſt jus pervertere, adeoque *odium* vel *favorem*, cujus utriusque ſigna ſunt in *facie*, exprimit. In hac phraſi, *accipere facies impiorum*, non tam *metus*, quam *favor* adtenditur, illudque intelligitur Judicis vitium, quo in judicando non quid juſtum ac æquum ſit, ſed quid uni parti placeat, quidve favorem ejus demereri aptum ſit, ad animum revocat, & regulam judicii conſtituit, ita ut ex perſona litigante de ejus cauſa, & non ex cauſæ juſtitia, judicium ferat; ſive potentiæ & dignitatis, ſive amicitiæ, ſive opum & divitiarum, ſive aliarum externarum qualitatum, ad cauſam nihil facientium, rationem habeat. Quod vitium in judice atrocius eſt, ſi *impiorum faciem* accipiat. Etſi enim, ſi vel juſtam ferat ſententiam, in eo peccat judex, quod in judicio ad perſonas ſpectaverit, & non ad cauſæ juſtitiam: attamen longe atrociſſimum crimen eſt, tantum dare *impiis*, ut eorum in gratiam jus pervertatur, & innocentes non tantum cauſa, quam vincere deberent, cadant, ſed & oppreſſionibus impiorum ſubjiciantur. *Impii* enim, qui hic memorantur, tum *rei*, quorum injuſta eſt cauſa, tum *ſcelerati* ſunt, qui, juſti & æqui nulla habita ratione, famæ, bonis & vitæ, innocentium inhiant. Utrumque denotat vox Hebræa, ut notum eſt. Horum facies ſuſcipere, iis per omnia favere, & in eorum gratiam jus pronunciare; ſicut eſt injuſti judicis, ita ſimul *ſcelerati* & *improbi*, qui innocentium, quorum patronus eſſe debeat, vexationibus & oppreſſionibus manum præbet.

§. XX. β. Hæc judicum crimina, quæ jam tempore Hiskiæ diu duraverant, & ſummum gradum adtigerant, ut ex ſuperioribus patet, meruerant, ut quantocyus graviſſi-

ma pœna vindicarentur: ſed, quæ eſt ſumma ſupremi Judicis benignitas, & longanimitas, antequam eo veniat, præmittere voluit ſeriam adhortationem; ut, ſi pote, ad ſaniorem mentem ſe recipiant, & iram Dei præveniant. Qui ſcopus eſt verſ. 3, 4. *Jus dicite tenui & pupillo, oppreſſum & pauperem abſolvite, liberate tenuem & egenum, e manu impiorum eripite.* Scilicet, quod per apoſiopeſin reticetur, ſi remp. velitis ſalvam, & vosmet ipſos ſervatos. Eam enim hypotheſin habet adhortatio, & eo collineat, ut ſponte ſua elucescit: cum minus efficax ſit adhortatio ad reſipiscentiam, ſi nullum fructum adferat. Accedit, luculentum hoc promiſſum Jeſ. 1: 18. mox adhortationi ſubjungi, in hæc verba: *agedum venite, & disceptemus inter nos, ait Jehova; ſi peccata veſtra fuerint inſtar coccini, ut nix dealbabuntur; ſi rubuerint inſtar muricis, fient ut lana:* unde noſter textus ſupplendus eſt. Occurrunt hic *a.* perſonæ, erga quas officio defungerentur, *b.* officii partes, diſtincte recenſitæ.

§. XXI. *a.* Perſonæ variis nominibus & titulis deſcribuntur, non ab interno, ſed externo earum ſtatu deſumtis: adpellantur enim 1. *tenues*, ſive opibus & viribus deſtituti, ſive vilioris conditionis homines, oppoſite ad nobiles, & dignitate aliqua illuſtres: quo ſenſu occurrit vox דל, 2 Reg. XXIV: 14. XXV: 12. Jer. XL: 7. LI: 15., ubi *infimi terræ* memorantur. 2. *pupilli*, qui & parentibus & tutoribus ac patronis orbi ſunt, adeoque ſpoliationibus & vexationibus expoſiti. 3. *adflicti*, vel oppreſſi & injuſte vexati, proprie, quibus ſuccus vitalis expreſſus & effuſus eſt. Sic radix עני abſolute dicit *vim facere*, & *vexare*. Ex. III: 7. Pſ. IX: 14. 4. *Pauperes*, proprie *attriti* & *extenuati*, quorum fortunæ ſunt *adtritæ*, & *deſtructæ*. Radix enim רוש proprie dicit, *terendo adtenuari*, quæ poteſtas ſupereſt Jer. V: 17. 5. Inopes & *egeni*; quorum eſt pronum eſſe, ac humiliari, ſuppliciterque petere: quod denotat radix אבה, proprie *incurvatum* eſſe. Hi *vilioris*, *imbecillioris*, & *pauperrimæ* ac adflictæ, conditionis

conditionis homines cum memorantur, non eſt cenſendum, hunc externum ſtatum unice in cenſum venire, nulla *juſtitiæ* & *innocentiæ* eorum ratione habita; nullo modo: cum quod externæ qualitates pauperum & tenuiorum non magis a juſto judice, quam divitum & potentum, ad animum revocentur, ubi de *jure dicendo* agitur; tum quod hic *improbis* opponantur, verſ. 4., adeoque pauperes & inopes, quorum juſta eſt cauſa, quique a divitibus, & potentibus, injuſte vexantur, opprimuntur & adfliguntur, hoc loco intelliguntur. Sed quare *ſtatus* ille externus tantum expreſſe depingitur? 1. Quia, cum miſerabiles illæ perſonæ nihil habeant, cujus cauſa judices ad jus pervertendum moveri poſſint, *juſtitia* judicum in iis maxime elucet. Potentibus & divitibus qui jus facit, eorum perſonas reſpexiſſe magis, quam *juſtitiam* amaſſe, præſumi poteſt, ſed ille demum juſtitiæ ſe ſtudioſum demonſtrat, qui eam erga pauperes exercet & infirmos: quod qui non facit, *injuſtitiæ* amorem clare patefacit. 2. Quia *injuſtitiæ* crimen in iis opprimendis multum adgravatur, *a.* quod iis tuendis & ſublevandis proprie deſtinati ſint judices, quippe quorum unica in juſtitia & auxilio judicum ſalus eſt, *b.* quod injuſtitiæ adjungant *immiſericordiam* & *inhumanitatem*; *c.* quod cauſæ fiant multivariæ eorum adflictionis. *d.* denique, quod Judex ſupremus eorum in primis *curam* gerat, adeoque pro peccatis clamantibus habere ſe velle declaraverit crimina in ipſos commiſſa. *e.* Poſtremo, quod nihil judices ad eos adfligendos movere poſſit, non vindicta, non metus aut ſpes. Eſt itaque ſummus injuſtitiæ gradus, eos vexare.

§. XXII. *b.* Videamus nunc quænam probi & juſti judicis partes ſint erga harum conditionum homines. Textus requirit 1. *judicium* 2. *juſtificationem* 3. *liberationem.* 1. *Judicare* hic tum ad jus perſequendum admittere, liberum & facilem iis præbere aditum, tum jus promte facere complectitur. 2. *Juſtificare* denotat innocentes abſolvere, nec ſeſe ulla ratione pati permoveri ad eos, quorum

juſta cauſa eſt, condemnandos. 3. *Liberare* & *eripere* complectitur potentem tutelam ipſis præbere, & valida manu eos contra impiorum vexationes adſerere, & *improbos* reprimere, ne iis manus injicere auſint. Quæ cum nihil habeant difficilis, verbo tetigiſſe ſuffecerit.

§. XXIII. Ad hæc officia Deus hic adhortatur judices; tum quod diu ſatis ea neglexiſſent, tum quod hæc unica via ſit extremum excidium avertendi, & remp. ſtabiliendi, quæ ſine illis neceſſario peſſum iret. Corruptis enim tribunalibus, & via juſtitiæ obſtructa, quævis vexationes, oppreſſiones, & rapinæ ac cædes, in civitate graſſentur, neceſſe eſt. Quæ ubi regnant crimina, ſicut nulla ſocietas, ita minus Israelitica conſiſtere poteſt: quia Dei, ſupremi judicis, arctior fuit ad eum populum relatio, quæ pati non poterat, ut leges ab ipſo immediate promulgatæ pedibus conculcentur, & tribunalia, quibus Deus præſidebat, in ſpeluncas latronum & officinas injuſtitiæ convertantur. Ea autem fuit Dei benignitas, ut judices prius de *officio* ſerio admoneri curaverit, quam iram ſuam effundat, quod hoc tempore per *Jeſaiam*, Micham, alioſque prophetas ingente cum ſtudio factum eſt.

§. XXIV. Nec tamen eo res adduci potuit, ut ad ſaniorem mentem ſeſe receperint judices; contra, Hiskia mortuo, magis magisque fuerunt corrupti: quod futurum eſſe poeta ſuis verbis prænunciat, verſ. 5. *Non cognoscent, nec intelligent, in tenebris obambulabunt; commovebuntur cuncta fundamenta terræ.* Quod idem Jeſ. 1: 21. teſtatur, cum adhortationi ſimili mox ſubjungat querulam exclamationem de triſti populi in pejus mutati conditione, dicens: *quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis? plena judicio fuit; juſtitia pernoctabat in ea, nunc homicidæ* &c. *Priora* duo verſus membra, *non cognoscent*, & *non intelligent*, duplicem, ſed cognatum, admittunt ſenſum, alterum reſpectu *officii* judicis, quo funguntur, alterum reſpectu *adhortationis* præcedentis. Priore ſenſu indicabitur, eos nihilo meliores futu-

ros

ros in jure cognoscendo, dijudicando, & exercendo, adeoque in officio rite fungendo. *Judicum* enim est 1. *legum* exactam habere notitiam, secundum quas sententia est ferenda. 2. *causarum* accuratam et distinctam habere scientiam 3. *acta* et *probata* probe novisse, et, quanti valeant, dijudicasse. 4. Denique justam et *æquam* facere sententiam, eamque exsequi: quod ad practicam Judicis scientiam omnino pertinet. Judex enim *cognoscere* & *intelligere* dicitur, cum in *causis* discutiendis, & finiendis, versatur, adeoque cunctis muneris sui partibus rite fungitur. Quo sensu de Deo, supremo Judice, sæpe usurpatur, ut Pl. 1. *ubi viam justorum cognoscere* dicitur, & sæpe alibi. Sed posteriore sensu, relate ad superiorem *expostulationem* & *adhortationem*, significabitur, judices ea monita non esse ad animum revocaturos, nec observaturos; nec noxia effecta, si negligerent ea, nec salutaria, si obedirent, percipientes, dijudicantes, & credentes.

§. XXV. Duo *posteriora* versus membra, *in tenebris oberrabunt*, & *commovebuntur omnia fundamenta terræ*, horribilem omnium rerum confusionem, quæ ruinam reip. secum traheret, ex inemendabili hac tribunalium corruptione, orituram, ob oculos ponunt; adeoque triste consequens neglectæ & spretæ admonitionis, in quo proximi excidii reip. præsagium foret, complectuntur. *Prior* phrasis, *in tenebris itare*, vel *oberrare*, eum statum depingit, in quo & omnium rerum regnat confusio, &, qui in eo versatur, consilii inops est, & nusquam exitum reperit, quo pericula effugere, & pedem figere queat. Sensus itaque est, statum reip. esse penitus perturbandum, pericula ubique fore præsentia, nusquam tutum fore locum, ubi quis res suas posset habere salvas, formidines ubique sese oblaturas, & neminem fore, qui salutare consilium ad res instaurandas, & mala præveniendа, aut dare, aut ipse inire possit. Conf. Jes. VIII: 22. LIX: 9, 10. Ceterum, cum de *Judicibus* hoc in specie dicitur, ne eos quidem rerum con-

fu-

fuſioni mederi poſſe, ſi vel vellent, ſed eos ipſos præ inopia conſilii eſſe oberraturos, & nusquam, ubi pedes figant, reperturos, inſinuatur. In hoc ſenſu etſi lubens acquieſco, non poſſum tamen, quin addam; phraſin aptam eſſe injiciendæ cogitationi de judicibus tanquam publicis graſſatoribus, & latronibus, qui eo tandem devenirent, ut in ea civitatis perturbatione per *rapinas* & *cædes* graſſentur, omni pudore & metu poſito. De quo vid. Jeſ. I. Mich. III. & ſæpe apud Jerem. Sic enim verbum *itare* pro *graſſari* ſumitur Job. I. Pſ. XII: 9. XCI: 6. Hoc ſenſu indicaretur, *judices* futuros eſſe *pejores* & *ſceleſtiores*; quippe qui non tantum nullam facerent juſtitiam, ſed & ipſi *latrocinia* exercerent, & in *tenebris graſſarentur*.

§. XXVI. Quando etiam recte ſubjungeretur, *commovenda eſſe omnia fundamenta terræ*: quæ vivida eſt perturbatiſſimæ reip., quæ ruinam meditatur, imago, phraſi a terra petita, quæ, intus per terræ motum concuſſa, *ſubſidere* minatur. Sunt autem *fundamenta terræ* hic loci tum leges ſocietatis fundamentales, ut Pſ. XI: 3., tum *tribunalia* juſtitiæ & æquitatis, tum denique pax civium & concordia. Hisce enim rebus, tanquam *fundamentis*, innititur omnis reſp., omnis ſocietas; quibus vacillantibus non poteſt non peſſundari, tum quod impietas & injuſtitia, nullis *repagulis* occluſa, per civitatem graſſata, de civitate faciat ſpeluncam latronum; tum quod mutuæ discordiæ et bella inteſtina, mutuæ rapinæ et cædes inde ortæ, civitatem diſſipent, et exſtinguant, tum quod divinis judiciis et hoſtium invaſionibus exponatur reſp. Hac ratione ultimum verſus membrum rectius capitur, quam de ipſo *deſtructionis judicio*, ut ſubinde ſumi ſolet; quia in cauſis excidii enarrandis, vel tribunalium graviore corruptione, & inde oriunda rerum confuſione, quæ ruinam reip. adferret, prænuncianda verſatur poeta; judicium ipſum mox verbis Dei pronunciaturus.

§. XXVII. Ceterum, cum de totali judicum corruptione

tione, & inde orta horribili reip. Judaicæ ante exilium Babylonicum confuſione, ex hiſtoria, & Prophetis Mich. VII. Jer. & Ezech. ſatis conſtet; nos de *nexu* inter corrupta tribunalia & rerum perturbationem, inde oriri ſolitam, quæ in ruinam civitatis exit, verbum dicemus, ut, quanti interſit reip., juſtitiam & æquitatem defendi & exerceri, eluceſcat. Ubi *judicia* injuſte adminiſtrantur & inique, neceſſe eſt, 1. *Leges*, vincula ſocietatis, diſſolutæ & enervatæ jaceant. 2. *juſtitia* ex civitate, ſine qua nulla ſocietas ſubſiſtit, expellatur. 3. *ſecuritas* pereat, cum nemo de vita & bonis certus eſſe queat. 4. Boni vel deſerant civitatem, vel opprimantur et exſtirpentur. 5. *Concordia* civium ceſſet, et discordiæ ac mutuæ oppugnationes vigeant, aliis opprimentibus, et aliorum bona et vitam invadentibus, aliis ſe defendentibus. 6. adeoque mutuæ vexationes, rapinæ, et cædes, ubique graſſentur. 7. Fora frigeant, commercia ceſſent, artes jaceant, nihil non boni & præclari exſtinguatur, etc.

§. XXVIII. IV. Poſteaquam ſupremus mundi Judex populi ſui judices coram univerſo populo graviſſimorum criminum, quæ in auguſto hoc munere commiſerant, reos egiſſet, eosque ad meliorem mentem ſerio eſſet adhortatus, illique nihilo meliores, quin deteriores, ſe eſſe factos demonſtraſſent, quod futurum eſſe poeta verſ. 5. declaraverat: tandem ſententiam decretoriam de iis in hæc verba pronunciat, verſ. 6, 7. *Ego dixi, vos eſſe Deos, & omnes Filios Altiſſimi; profecto ſicut homo moriemini, & ſicut unus Principum cadetis.* h. e. Quam ſublimi ſitis in loco poſiti, quantaque auctoritate & majeſtate veſtiti, ut reliquorum hominum conditione & ſorte videamini exemti, & ad divinam prope accedentes: certum eſt, ut quod certiſſimum; vos & vita & munere eſſe privandos, & de ſublimi loco in abjectiſſimam ac miſeram conditionem præcipitandos.

§. XXIX. Occurrit hic א. eminentiſſimæ dignitatis & poteſtatis Judicum deſcriptio, verſ. 6. ב. Judicium excidii, iis infligendum, verſ. 7. א. Summa eorum dignitas & auctoritas per auguſtisſimos *Deorum* & *filiorum Altisſimi* titulos, ab ipſo Deo in illos collatos, ob oculos ponitur; cum ipſe Deus introducatur dicere, illos eſſe ſuo juſſu Deos & filios Altisſimi conſtitutos. Ad quæ intelligenda opus eſt α. ut *perſonas* cognoſcamus, de quibus hic ſermo eſt, β. ſenſum titulorum illorum, quem illis in perſonis habent, γ. originem illorum.

§. XXX. α. Etſi ex ipſo hoc Pſalmo clare ſatis eluceat, *Judices* populi Iſraelitici intelligi; ſunt tamen Interpretes, qui in genere de *Magiſtratu* Judæorum, ſeu proceribus Politico-Eccleſiaſticis, quibus ſacra & civilia erant ſubjecta, & populus utriusque rei reſpectu erat obnoxius, cogitant. Quæ ſententia multis modis laborat. 1. Solius muneris *judicialis*, non *rectorii*, ſeu politici ſeu Eccleſiaſtici, mentio fit in hoc cantico; ut ſupra vidimus. Licet itaque rectores civitatis & præfecti ſacrorum ſynedrium Politico-Eccleſiaſticum habeantur componere, & judicia exercere; hic tamen ea ſola in relatione occurrunt, qua *judices* ſunt & agunt; cum alia officia hic non memorentur, ac *judicum*. 2. *Deorum* titulus nusquam *regibus*, aut *ſacerdotibus*, ſed ſolis *judicibus* datur in Scriptura. Quod ſi verum, aliorum rationem non eſſe habendam, vel ex eo pateſcit, quod *verbum* Dei hic tanquam tituli fundamentum citatur, *ego dixi*: oportet itaque perſonæ, quæ hic intelliguntur, alicubi hoc elogio ornentur in Verbo Dei. Quod qui conſuluerit, deprehendet, *Judices* ſolos, non *reges*, *ſacerdotes*, aut rectores Politico-Eccleſiaſticos, *Deorum* nomine inſigniri. *Judices* Exod. XXI: 6. XXII: 8, 27. qui poſtremus verſus notabilior eſt, quod *Dii* a *principe* populi diſtinguantur: habet enim, *Diis non maledices, neque principem in populo tuo diris devovebis*. Novi eſſe, qui ex hoc loco, collato Act. XXIII: 5., colligi poſſe putat, *Pontifices* Judæorum

rum, qua tales, *Deorum* titulo comprehendi, ſed 1. Anànias ibi perſonam *judicis* gerebat, verſ. 3. 2. deinde, ſi de Pontifice intellectum velis, notandum eſt, Principis populi, & non *Deorum* nomine eum inſigniri, cum Apoſtolus hæc ſolum verba, *principi populi tui non maledices*, citet. Præter hæc loca, ex Lege prolata, neſcio an alia ſint, in quibus *Deorum* nomen ad homines adplicatur, Pſ. CXXXVIII: 1. enim huc non quadrat, cum verus Deus ibi intelligatur, vertique debeat, *coram*, ô *Deus*, *pſallam tibi*: uti ſuo loco demonſtrabo. Tantum *Moſes* adpellatur *Deus*, ſed ſingulari de ratione relate ad *Aaronem*, qui mandata Moſis proferret, & ad *Pharaonem*, quem judiciis Divinis proſterneret, niſi populum dimittat: de quo mox.

§. XXXI. 3. Tertia ratio inde a me petitur, quod titulus hic in alios, ac *judices*, non quadret. *Regibus* utique non convenit, quia ne quidem a Deo *conſtituti* ſunt, ut ex hiſtoria Samuelis conſtat, adeoque ad eos non dixit Deus, *vos eſtis Dei*: a *ſacerdotibus* etiam alienum eſt, cum ſint ſacrorum miniſtri, res populi apud Deum agentes: nec denique in rectores politico-Eccleſiaſticos ſub Oeconom. V. in genere hic titulus convenit, ſive eos qua *doctores* & *interpretes* legum, ſive qua *Legislatores* conſideres: de quo mentem paulo accuratius explicuiſſe, operæ pretium fuerit. Sunt nimirum Theologi, qui exiſtimant, penes Senatum aliquem, vel Magiſtratum Politico Eccleſiaſticum, ſive ex ſolis ſacerdotibus, ſive ex iis & rectoribus politicis compoſitum, talem fuiſſe auctoritatem, leges morales & cærimoniales explicandi, amplificandi, & exigendi earum obſervationem, qualis *divina* poſſit adpellari, quatenus *conſcientias* populi obligabat, & obſequium imperabat abſolutum, non ſine peccato omittendum. Hanc opinionem præcipue fundant *a.* in Deut. XVII. *b.* in *Legislatoris* titulo Gen. XLIX. 10. *c.* in dicto Chriſti Matt. XXIII. & *d.* in loco Mal. II., ne ipſius textus noſtri, de quo disputamus, mentio fiat. Sed hæc hypotheſi fundandæ non ſufficiunt.

§. XXXII. *a.* Deut. XVII: 8. non nisi de *judiciis* in causis civilibus & criminalibus, a sacerdotibus & Levitis, tanquam judicum personas agentibus, secundum leges suprema cum auctoritate, a qua nulla datur provocatio, pronunciandis, agitur, quorum judicio erat standum. Quid hoc ad leges religionis ferendas, ad *conscientias* obligandas, ad leges cum divina auctoritate interpretandas? *Judices* hic sunt, qui *jus* dicunt, & causas cum plena potestate decidunt, non qui leges novas ferunt, aut *conscientiis* imperant. *b. Legislator* in notissimo illo vaticinio, *non recedet sceptrum a Juda, nec Legislator ab inter pedes ejus*, nihil aliud dicit, ac populum fore sui juris, ut suprema potestas non sit penes alios, quorum servituti sit addictus populus; sed ipse populus habeat, qui *judicia* exerceant, & civitatem *ordinent*, quod sine *edictis* publicatis fieri non potest. De quo uberius exposui ad eum locum *a*.

§. XXXIII. *c.* Sed quid sibi itaque vult *cathedra Mosis*? quam qui tenebant, jus habere videntur ritus religionis novos cum auctoritate imperandi, & leges interpretandi, ita ut conscientiæ obligentur. Matt. XXIII: 2. Verum *α.* Dominus hic non de supremis Rectoribus, sed *doctoribus* tantum loquitur, legem vel publice vel privatim interpretantibus: ut ex *scribis* & *Pharisæis* diserte nominatis, exque vers. 8. manifestum est. *β.* Auctoritatem memorat, non quam divinitus collatam jure habebant, sed sibi arrogabant, & ex se aut a populo acceperant. *γ.* Denique non vult Dominus, ut eorum placitis absolute adsurgant, & conscientias suas ipsis obstringant, sed simpliciter, ut ea observarent, ordinis & pacis causa; quamdiu *cathedræ* Mosis adhærerent, vel nihil *Mosi* contrarium docerent, aut imperarent: huc enim tendit illud *insidere cathedræ Mosis*, a qua discedere fas non erat. Quæ clariora fient, si, quod fas est, voces per interrogationem vel hypothetice capiantur, hac ratione: *sedentne in Mosis cathedra?* vel, *si sedeant*, tenete *igitur*

a Disq. select. ad Gen. XLIX. §. 41 & seq.

tur eorum doctrinas. h. e. ſi verum ſit, eos ſe cathedræ Moſis tenere adfixos &c. Hinc itaque pro ſuprema rectorum populi Judicii auctoritate in legibus interpretandis & ferendis nihil colligas. Denique quod ad locum Mal. II: 7. adtinet, ubi dicitur, *labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam & legem ex ore ejus requirent, quia legatus Jehovæ exercituum ipſe eſt*, illum huc nihil facere, & ad Ezram, ſacerdotem ſimul legatum Dei, pertinere, alibi *a* demonſtravi.

§. XXXIV. Hisce fundamentis deſtructis, facile elucescit, hypotheſin, quam oppugno, utpote ſubleſtam, ſponte ſua ruere; nec tribunal aliquod Veteri ſub teſt. eſſe agnoscendum, quod de religione, per Moſem inſtituta, divina cum auctoritate pronunciabat, & conſcientias obligabat. Quale quid nec cum Theocratia, nec cum libertate hominis in re religionis, conſiſtere poteſt. Lex Moſis erat unica religionis norma; quæ in omnium manibus eſſe, & ab unoquoque legi ac explicari, debebat, quantum ad conſcientiæ obligationem adtinebat. Præterea cum *infallibilitas* non fuerit his doctoribus & legislatoribus conceſſa; qua quæſo ratione tanta ipſis competere poſſit auctoritas? & quo ſenſu *Dii* audirent, qua doctores & interpretes, niſi *vi* animos obligandi, & fidem ac religionem imperandi poteſtate gauderent? Denique, ſi tale privilegium inter Judæos obtinuiſſet, utique vel penes *Pontificem*, qui Urim & Tummim gerebat, vel penes prophetas reſediſſet: ſed Urim & Tummim eum habuiſſe ſcopum, aut uſum, nusquam legimus; nec prophetæ, licet Spiritu acti, nomine *Deorum* usquam veniunt.

§. XXXV. β. Sint itaque ſoli *Judices*, qui *Deorum* & filiorum *Altiſſimi* titulis hic condecorantur; quæritur quo ſenſu; eo, respondeo, qui in eos ſolos, & non in alios, qualescunque ſint, ſive reges, ſive ſacerdotes, ſive prophetas, quadrat: cum nulla cæteroquin reddi queat ratio tituli ſolis Judicibus proprii. Unde manifeſtum eſt, *revelationem* vel *inſpirationem* divinam hic in cenſum non venire, tum quod

a In comm. ad Mal.

judi-

judices ea non fuerint gaviſi, tum quod viri inſpirati, aut quos Deus adloquio ſuo eſt dignatus, uti Moſes, Aaron & prophetæ, hoc titulo condecorari non ſoleant; nec ea fuit mens Domini noſtri, cum Joh. x. dicit, eos fuiſſe Deos dictos, *ad quos ſermo Dei* factus eſt, ut mox patebit. Quid itaque in *Judicibus* eſt, quo hunc *titulum* mereantur? 1. *Primum*, quod huc facit, eſt, *judicium*, ſeu *tribunal* ipſorum judiciale, eſſe *Dei*, ſupremi judicis, tribunal; quia *ipſi* & non *hominibus* habetur, & ejus ibi *ſtatuta* vigent, pœnæque ac præmia ſecundum ipſius leges dispenſantur. Quæ tribunalium populi Dei peculiaria erant privilegia, ob quæ judicibus Israelis ſolis hæc elogia competunt. *Dii* & *filii Altiſſimi* non abſolute, ſed relative adpellantur, non perſonarum, ſed *muneris* reſpectu, adeoque non niſi quum pro *tribunali* ſedent, & judicium agunt. *Dii* itaque ſunt, quatenus *judicio* interſunt, quod ſingularem ad *Deum* habet reſpectum, cui Deus præſidere cenſetur; quod denique ea ratione exercetur, ut divinis legibus reſpondeat: non enim exiſtimandum eſt, judices, qui iniquitati manus præbent, hoc titulo inſigniri, nullo modo, tum enim nihil divini ab iis agitur, nec Deo, ſed Satanæ habetur judicium manifeſte injuſtum. Divinum ergo tribunal, a judicibus erectum, iiscum titulos *Deorum* & *filiorum Altiſſimi* communicat. *Dii* adpellantur reſpectu *Dei*, cujus eſt, & cui habetur judicium, adeoque vox אלהים proprie ad *judices* non tranſit, ſed judicii & tribunalis eorum characteres & conſpectum exprimit, retinetque veram ſuam notionem, qua *Deum* verum denotat; conf. Deut. 1: 17. 2 Chron. XIX. 6—8., ubi, quod not., judices dicuntur præfecti *judicio Jehovæ*. Accedit, ſupremum tribunal, quod hic intenditur, fuiſſe Hieroſolymis *coram Jehova*, ut præcipitur Deut. XVII.

§. XXXVI. 2. Hoc primum eſt, *alterum* huic adfine, quod *Deorum* titulum ad eos transfert, reſpicit ad *ſummam auctoritatem*, qua judices veſtiti ſunt, quæ de divina poteſtate quid participat; cujus reſpectu, acſi eſſent *Dii*, agunt. Quic-

Quicquid enim pronunciant supremi in civitate *judices*, pro *jure* habetur, habetque omnia *juris* effecta, quibus nemo obsistere ausit; plane acsi *numen* aliquod edixisset. Ita lex jussit divina Deut. XVII: 10—12. 3. *Tertium*, quod *divinum* quid est in judicibus, habet, quod de *fama*, *bonis*, & *vita* hominum sententiam dicant, & de iis omnibus pro summa auctoritate disponant: quod proprium Dei, qua supremi judicis, munus est; in cujus consortium cum veniant judices, hinc de titulis, Dei propriis, quid participant. 4. Addo denique, tribunal esse in civitate quid *sacrum* & *augustum*, venerandum & adorandum; cui omnia sunt subjecta & obnoxia. Cujus rei respectu judices, cum pro tribunali sedent, tunc enim & non alias *Dii* censentur, *Dii* adpellantur. Quo ipsa vocis [illegible] propria potestas nos ducit. Illa enim vox, a radice, quæ *colere & adorare* significat, proprie τὸ σέβασμα exprimit, ut est 2 Thess. II.

§. XXXVII. γ. Nihil restat, quam ut de *origine* horum titulorum dicam; quam textus exprimit, cum Deum introducit loquentem, *ego dixi*, *Dii estis*, vel *sitis*. Quo hæc tria significari autumem. 1. Titulos illos a Deo ipso in lege, ab ipso Deo lata, iis esse datos. *Dicere* Dei propria sua emphasi nos ad *legem* a Deo promulgatam ducit; unde cum tituli illi repetantur, in ea hos titulos *Judicibus* Israelis concedi, & alicubi exstare, necesse est. Quo ipso ad loca, supra ex lege Mosis prolata, ablegamur, & simul docemur, *legem* non sine emphasi memorari Joh. X., ubi Dominus dicit, *nonne in lege vestra scriptum est, ego dixi* &c. h. e. nonne in legis vestræ voluminibus id exstat, quod Ps. LXXXII. dicitur, *ego dixi* &c. Nec usquam, nisi forte una altera vice, vox *legis* latiore sensu pro Script. V. T. tota sumitur. De quo hic non est agendi locus. 2. *Eminentiam* illam & *auctoritatem*, quæ titulorum illorum ambitu continetur, & cujus respectu *titulos* eos gerebant, esse a Deo, ipsius jussu & institutione, profectam. *Ego dixi*, *Dii vos*, h. e. ego vos *constitui* & *feci* Deos, tum leges

ferem-

ferendo & ſancieṅdo, tum formam tribunalium veſtrorum ordinando, tum abſolutum obſequium, veſtris judicatis præſtandum, præcipiendo, uti factum eſt, Deut. XVII. *Dicere Dei* eſt cum *jubere*, tum *efficere*, uti in vulgus notum eſt. 3. Denique, quales eſſe, ſeſeque præſtare, deberent, ſi titulos illos eſſent merituri, vel ad quæ officia per illos eſſent obligati. *Ego dixi, vos eſſe Deos*, dicit, ego tribunal veſtrum declaravi & conſtitui *divinum*, mihi & coram me, meisque virtutibus & legibus convenienter, habendum, & exercendum: quod facientes, mei ſimiles, meorumque titulorum in partem vos venturos eſſe, declaravi. Unde liquet, titulos illos iis non convenire, nec iis eſſe dandos, ex juſſu Dei, niſi cum tribunal eorum pro *divino* queat haberi, & ejus rei reſpectu ipſis competere: quod recte obſervandum eſt, & ex ſeq. confirmatur. Cum enim mox tanquam *Adam*, homo infirmus, dicantur morituri, manifeſte indicatur, eos *titulis* illis, & eſſe indignos, & excidiſſe; adeoque, eos non niſi juſti & divini tribunalis reſpectu ferre.

§. XXXVIII. Conferamus nunc verba Domini, Joh. x: 35. *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, nec poteſt ſolvi ſcriptura; mene, qui Filium Dei me dixi, blaſphemiæ reum agetis, qui a Patre ſanctificatus, & in mundum miſſus ſum?* Cujus ratiocinii ſenſum hac paraphraſi illuſtro. Si illi, teſte Scriptura, Deorum titulum recte gerunt, qui non niſi *juſſu* & *conſtitutione Dei* eum habent: longe majore jure *Filii Dei* titulum mereor, qui eum non mandato Dei, ſed per ipſam naturam gero, tanquam ipſe *ſermo* Dei, a Deo ſanctificatus & in mundum miſſus, adeoque longe gravius in me peccatis, quod, cum eos dicatis Deos, me blaſphemiæ accuſetis, quod me *Filium Dei* dixero, cum longe meliore jure, & nobiliore origine, is ſim, quam *Dii*, quibus vos eum titulum non negatis. Vis ratiocinii in eo ſita eſt, quod longe excellentior ſit origo tituli, quem Dominus, ac quem judices gerebant, adeoque cadit in hæc verba,

ad

ad quos ſermo Dei factus eſt, oppoſite ad Dominum, qui non erat *factus*, ſed per *naturam* ipſe *Dei ſermo*, vel *Filius Dei*. Comparatio inter *judicum* & *Domini* munus non inſtituitur; acſi munus Judicum, cujus reſpectu erant Dii, ejusdem ſit naturæ, ac Chriſti, quæ longe diverſa ſunt, ſed inter utriusque *tituli* originem, & *fundamentum*: adeoque hic non traditur, *quare* & quo ſenſu ſint Judices *Dii*, & quo ſenſu aut quare Chriſtus *filius* Dei; ſed *unde* ille titulus, & illud munus, ad utrosque devenerit: hac parte Dominus longe erat anteponendus judicibus; quia ad illos *juſſu* & *inſtitutione* Dei devenerat titulus deorum, ſed ad Dominum per *naturam*; illi non erant, ſed *facti* ſunt *Dii*, *Dii dictitii* tantum; at Chriſtus non *factus* eſt, nec conſtitutus, Filius, ſed *natus*, adeoque naturæ & perſonæ reſpectu Ipſe erat *ſermo* Dei, & non factus per ſermonem Dei ad ipſum delatum; ipſe alius non erat per naturam, alius per *conſtitutionem* Divinam; nam qua *Filius* & *ſermo* miſſus eſt in mundum, & quia erat, ideo miſſus, non, quia *miſſus* eſt in mundum, ideo erat. Cum itaque *ſe in mundum dicit miſſum*, rationem, quare ſit *filius*, non tradit, ſed ſe eſſe *Filium* Dei, qui miſſus eſt, & quia Filius eſt, ideo ſe eſſe miſſum, oſtendit, ita ut *filii* Dei manifeſtatio & demonſtratio ſit in illa ſanctificatione & miſſione.

§. XXXIX. Ex quibus difficile non erit, verborum illorum, *ad quos ſermo Dei factus* eſt, *ſenſum* & *ſcopum* explicuiſſe. Verba non tradunt *cujus* rei reſpectu ſint *Dii*, ſed, *unde* illud ſit derivandum, quod ejus rei reſpectu titulum eum habeant. Prius enim ſi obtineret, Deorum titulus diceret, eos fuiſſe *adloquio* Dei dignatos, cujus reſpectu *Dii*, tanquam divinitus adflati, audirent, qui divina funderent eloquia. Sed hoc proprium eſt *prophetarum* criterium, qui tamen hoc elogio nusquam leguntur mactati: nec Dominus dicit, ſi *eos dixerit Deos*, *quia ſermo Dei*, ſed *ad quos* ille factus eſt. Explicatur itaque origo & principium tituli, a *Dei ſermone ad eos* derivandi; adeoque ſignificatur, eos

non esse *ex se*, & in propriis personis, sed Dei *jussu* & *mandato* Deos factos; tum quod Deus in tali munere eos constituerit, quod hunc titulum ferre poterat, tum quod *jusserit*, ut pro *Diis* illi haberentur, & agnoscerentur. *Sermo* Dei ad eos factus, & verbum Dei, quo ad eos dixit, *vos estis*, vel *sitis*, *Dii*, & mandatum de muneris forma, quo fungerentur, comprehendit. Unde elucet, eos *dictos* & *factos* esse Deos, jussu & verbo Dei factos, non proprie & vere, non personarum, sed muneris respectu, cum Christus esset proprie, & personæ respectu, *filius Dei*; quippe missus a Patre, & ipse *sermo Dei*; qui in principio fuit apud Patrem, & caro factus est; adeoque *Deus* longe excellentiore modo ac *Judices*. Idem ergo est, acsi dixisset Dominus; *si eos dixit Deos* scriptura, qui non per se, sed jussu & verbo Dei facti sunt; utique longe majore jure ego me *Filium Dei* dixi, qui non factus sum jussu Dei, sed cum essem missus sum, ut *sermo Dei* manifestarer inter homines.

§. XL. Quod vulgari dicto in proverbium abiit, *tolluntur in altum, ut graviore lapsu ruant*: illud in judicibus hisce iniquis, & injustis, veritatem quoque habiturum, sententia Divina vers. 7. his verbis declarat: *profecto sicut Adam moriemini, & sicut unus Principum cadetis.* h. e. Excelsa illa dignitate, & divino munere, excidetis, & partim cum plebejis & vulgaribus hominibus eandem mortis sortem subibitis, partim violenta morte ex alto dignitatis loco præcipitabimini in exitium. Sensus etsi in genere haud sit in difficili positus, attamen, comparatio cum *Adamo* & *uno principum* aliquid habet, ad quod quis obhærescat, quodque diversas peperit interpretationes: de quo paulo distinctius est disserendum.

§. XLI. Sensus in genere habet, eos munere esse privandos, & cum ipso esse in malam rem abituros, vel muneris abolitionem secum tracturos: ita ut & ipsi hac dignitate orbi interirent, & ipsum *munus* locum in populo habere

bere ceſſaret, quemadmodum tum ex phraſibus, quæ tribunalium corruptorum abolitionem, judicibus quippe exſcindendis, comprehendunt, elucet, tum ex *judicio* Dei manifeſtando, ut verſ. 8. traditur, confirmatur: ubi enim ſupremus judex tribunal erigit, mundum judicaturus, *judicia* hominum in obſcurum itura eſſe, manifeſtum eſt. Sed illud tantum quæri poteſt, num plenaria & perpetua *judiciorum* deſtructio, an ad *tempus* tantum, indicetur. Neutrum ex textu evinci poteſt, cum æque ad *certum* tempus reſtringi, ac ad *continuum*, & *interminabile* extendi poſſit: non enim *in æternum* additur, ſed ſimpliciter *mori* & *cadere* dicuntur: adeoque primo ſenſu ad *temporariam* abolitionem, quæ tempore exilii Babylonici locum habuit, retulerim: quippe quo tempore, & ipſi judices, de quibus hic agitur, partim munere privati ſunt, partim mala morte mulctati; & ipſum judicium ſupremum, quale hic deſcribitur, in populo, extra terram Cananæam miſſo, & ſervitutis jugo ſubjecto, ceſſavit. Atenim, cum hoc ipſum judicium, populo inflictum, fuerit gravioris & ultimi, per Romanos inflicti, prænuncium, & repræſentamen; ſenſu ſecundo ob oculos poni non abnuerim, *tribunalia*, ſuo tempore rurſus, nec minore gradu, depravanda, ita peſſum itura, ut nunquam revocarentur, & reſuſcitarentur. Quod per verſum ſeq., ut mox videbimus, confirmatur. Nec inſolens eſt prophetis, duo hæc judicia, Babylonicum & Romanum, hac ratione conjungere, & una intendere; ut Jer. XVII, XXIII. Ez. V. & alibi. Quemadmodum liberatio ex eo exilio ſæpe ita deſcribitur, ut ſimul ſpiritualis per Meſſiam comprehendatur, tanquam prioris *ſcopus* & complementum: uti notum eſt.

§. XLII. Senſu in genere percepto, ſupereſt, ut de *phraſibus*, & in primis de duplice comparatione, diſpiciamus. *Prius* membrum, *ſicut homo*, vel *Adam*, *moriemini*, omnem emphaſin repoſitam habet in voce *hominis*, & ſenſum fundit generalem, eos non in *munere*, ſed eo *pri-*

vatos, vitam cum morte esse commutaturos. Quod enim judices mortalitatem exuant, nihil habet singulare; cum *Deorum* & *filiorum* altissimi titulus non ad *personas*, sed *munus* eorum pertineat, ut supra vidimus, adeoque communi mortalium sorte non eximat; nec *violenta* mors per verbum *mori* necessario intelligitur, minus, cum *instar hominis* addatur; quippe quo ad communem mortalitatis legem in genere ducimur; etsi nec *violentus* exitus excludatur, cum homini mille mortes incumbant. Quid itaque erit illud, *instar hominis?* & quo respicitur? prius non est in difficili positum, cum ex collatione versus superioris sua sponte eluceat, *Deorum* inter & *hominis* titulos comparationem instituit. Cum autem *Deorum* ad *munus*, ejusque dignitatem & auctoritatem, respiciat, dubium non est quin *hominis* titulus privationem illius muneris complectatur; adeoque sensus sit, eos munere excisuros, & privatos vita defuncturos, non in sublimi illa statione cum honore esse obituros, & sepeliendos, sed, ad privatam & humilem conditionem redactos, ei convenienter esse tractandos.

§. XLIII. Videamus, hoc præmisso, quo respiciat illud *instar* hominis, vel unde illud simile sit repetitum. *Tria* sese mihi offerunt, quorum ratio haberi potest, & ex quibus adeo difficilis est electio, ut ea separanda forte hic non sint, sed junctim intelligenda. 1. *Primum* est, quo *homo* signat gregarium & vilem, nulla dignitate, nullo munere, nullo honore insignem, aut communi grege exemtum. Quo sensu vox Hebr. sumitur, cum *viro* opponitur, ut Ps. XLIX: 3. *etiam filii Adam, etiam filii viri*, Prov. VIII: 4. sic Ps. VIII. *filius Adam* cum *homine misero* conjungitur, & Ps. XXII. *vermis hominis & non vir.* ne alia memorem. ut Jes. V: 15. XXXI: 8. Imo pro *servili* conditione occurrit Num. XVI: 32. Secundum hunc sensum *instar hominis mori* denotat, *a. humili*, quin *servili*, in statu vitam deserere; oppositè ad spectatissimi & potentissimi viri mortem. *b.* cum *contemtu* decumbere; sine ullo honore aut desiderio sui relicto, ut

vile

vile aliquod mancipium perit. *c.* cuivis mortis generi esse expositum, ut viles & abjecti homines solent, oppositè ad personas sublimi in loco positas, & per ipsum munus *sacras* & *inviolabiles*.

§. XLIV. 2. Secundum habet, *hominem* denotari *gentilem*, nulla relatione peculiari ad Deum præditum, nulla prærogativa præ communi hominum genere insignem; oppositè ad *Israelem*, peculiarem Dei veri populum. Quam potestatem vox *hominis* habet, ubi Israeli opponitur, ut Jer. XXXII: 20. Jes. XLIII: 4. Ps. LXXVIII: 60. *deseruit Silunitarum Tabernaculum, & tentorium posuit inter homines*, h. e. *gentes*, sc. Philistæorum, ut ex vers. seq. patet. Ps. CXXIV: 2. nec dubium mihi est, quin & hunc usum ferat in vulgatissimo illo loco Hos. VI: 7. *& illi sicut Adam transgressi sunt foedus meum:* de quo alibi. Hoc admisso, sensus erit, eos, qui antea peculiarem habebant, vi muneris in populo Dei, ad Deum relationem, per quam in partem titulorum Dei venerant, nunc eam in conditionem esse præcipitandos, quæ a *gentilium* sorte nihil differat; omni ad Deum relatione orbos, qui Deo nec cordi nec curæ sunt, magis ac reliquæ gentes omnes; adeoque prærogativis populi Dei esse privandos, eoque in statu morituros. 3. *Tertium* fert, digitum intendi ad ipsum Adamum, ex sublimissimo imaginis Divinæ, & Filii Dei, statu, cum dominio universali & immortalitate conjuncto, in abjectam & miseriæ cujusvis plenissimam conditionem per lapsum præcipitatum, mortisque haud uno generi obnoxium. Ab hoc primo homine quominus cogitationes avertam, facit, quod idem illud, de quo hic agitur, in Adamo summa emphasi fuit conspicuum; ut nemini non notum est; & illud *instar Adami* hac ratione polleat emphasi singulari, cum in *Adamo* & eadem excelsa dignitas, & eadem secuta deplorabilis conditio se exseruerit. Accedit, & alibi, ad Adamum respici, ut, ne Hos. VI. ex vulgata interpretatione citem, Job. XXXI: 33. Ps. VIII.

§. XLV. Alterum membrum, & *ſicut unus Principum cadetis*, (ſic enim vertenda ſunt verba, & non, vel, *ſicut unus*, aut *una*, ô *Principes*, ut nonnullis placet, invita conſtructione) in eo differt a priore, quod, cum *mori* ſit generalioris uſus, & communem mortalium ſortem contineat, verbum *cadere* violentæ mortis cogitationem injiciat, & ex alto præcipitationem includat: id quod ex Lexicis conſtat. Sed, ut hoc faciles habet explicatus, ſic comparatio, *& ſicut unus Principum*, quid impediti. Vulgo de *Principibus gentilibus*, ad quos dictum non erat, *vos Dii eſtis* &c. cogitatur, ut ſenſus ſit, eos, divino illo titulo indignos, prærogativa ejus amplius non eſſe gaviſuros, ſed haud aliam ſortem, ac profanos principes, quorum tam arcta non eſt ad Deum relatio, ſubituros, ad eorumque exemplum ex alto præcipites ituros in perniciem. Non ſperno equidem, licet nulla ratio ſit ad *gentiles* reſtringendi, cum qualescunque *principes*, qui pro tribunali divino non ſedent, ſive ſint Israëlitici, ſive gentiles, comprehendi queant: titulus enim Deorum in ſolos *Judices* ſupremos populi Dei quadrat, ut ſupra diſputavi. Nec tamen in hoc ſenſu acquieſco, cum phraſis, *ſicut unus principum*, ſit ſingularis, & ſtudio electa. Quare cogitationes noſtras altius evehamus, & 1. de Angelis lapſis, eorumque principe, qui *nec principium, nec locum ſuum tenuerunt*, ſed ex Deorum ac filiorum Altiſſimi dignitate in longe viliſſimum ac miſerrimum ſtatum demerſi ſunt, cogitemus: quod ſimile ſuperiori, quo ad Adamum ſimul reſpicitur, apte adjungitur: nec inſolens eſt, ab hoc Angelorum lapſu ſimilitudines peti, aut eo alludi, ut ex Jeſ. XIV. & Ez. XXVIII. patet; nec *Principum* titulus abhorret, ut ex Dan. X, XII. aliisque locis patet. Inſtar unius *principum* ergo eſt, vel ſublimiſſimorum, in ſumma emphaſi ſic dictorum, qui e coelo deciderunt, & vos *cadetis;* ſublimi veſtra conditione vos non magis, ac longe celſiore Angelos, tutos præſtitura. 2. Sed, quo magis in hoc ſimile defixus hæreo, eo probabilius mihi fit,

poe-

poetam ad illuſtrem aliquem ſui temporis caſum, qui in omnium ore erat, reſpexiſſe, ſimileque exemplum petiiſſe, quod iniquiſſimis judicibus, ſimili fato opprimendis, ob oculos ponat. Quam caſum non longe neceſſe fuerit quærere, ſi noſtra hypotheſis de tempore Hizkiæ, quo compoſitus eſt Pſ., recte ſit jacta; cum in *Sebna*, præfecto palatii regis, ſupremæ dignitatis & auctoritatis viro, ſingulari Dei judicio de ſublimi loco dejecto, & in terra peregrina Aſſyriaca contemtiſſime mortuo, ut ex Jeſ. XXII. conſtat, ſeſe ſponte ſua offerat. Quod ſimile eo aptius huc quadrat, quod *Sebna* apud Jeſ. tanquam emblema procerum impiorum, qui mala morte perirent, proponatur, ut a Cl. Commentatore recte eſt obſervatum & illuſtratum. Ad hoc exemplum impios judices animos referre jubet poeta, ut ſortem ſuam, in eo depictam, intueantur. Ceterum *unus principum* hic, non ſimpliciter *aliquem* ex illis, ſed *primum* & *ſupremum* denotat. ut Dan. X: 13.

§. XLVI. Hac decretoria ſententia in impios judices pronunciata; poeta ſermonem reſumit, & *juſtam* eſſe ſententiam per modum adhortationis ad Deum, ut ſententiam exequatur, his verbis declarat, verſ. 8. *Surge Deus! judica terram; quia Tu cornes in omnibus gentibus.* Prius membrum, quod multum negotii non faceſſit, duplicem admittit interpretationem, *alteram*, quæ *vindicationem* eorum, qui ab injuſtis judicibus oppreſſi ſunt, dicit, *alteram*, quæ terræ, penitus corruptæ, deſtructionem comprehendit: cujus utriusque ratio reddenda eſt. *Prior* interpretatio in eo fundata eſt, quod verbum *judicare* haud infrequenter pro *vindicare*, & oppreſſorum cauſam agere ac ulciſci ſumatur, ita Pſ. L: 4. *clamabit ad cœlos ſuperne, & ad terram; ad judicandum populum ſuum*, h. e. vindicandum, & injuriam propulſandam. Pſ. LXXII: 4. *judicabit pauperes populi, ſervabit egenos, & conteret oppreſſorem*, Pſ. LXXXV: 14. Hoc admiſſo, ſenſus erit, Deum, improbos judices puniendo, innocentes ab eorum tyrannide eſſe liberaturum; & cauſam

ſam eorum juſtificaturum. *Poſterior* interpretatio ulterius ſeſe extendit, & univerſæ terræ deſtructionem comprehendit, tanquam quæ incolarum reſpectu tota fere eſſet corrupta, & depravata; quo judicio fieret, ut populus e terra ejiceretur, & terra incolis vacua jaceret inculta, aut incelebrata. Ceterum, cum poeta dicit, ſermone ad Deum converſo; *ſurge Deus & judica terram*, indicat, *a.* ſe de ſententiæ judicialis *executione* loqui, cum judicis ſit, ſententiam pronunciantis, *ſedere;* ſed, hoc facto, ſeſe ad exequendam adcingens de *ſolio ſurgere* dicitur. *b.* Tempus adeſſe, quo Deus ſe *judicem* terræ demonſtret; nec diutius illud eſſe differendum, cum res ad ſummum pervenerit, nec juſtitia Dei, ut bonæ cauſæ diutius deſit, patiatur. *c.* Denique judicium Dei a ſe & aliis omnibus tanquam *juſtum* & *æquum* adprobari. Adhortationis modus, quo utitur, non vult, ſe excidio impiorum & deſtructione terræ delectari, ſed illud tanquam juſtum & neceſſarium adprobari: acſi diceret; res eo devenit, tyrannis adeo graſſatur, & improbitas inemendabilis eſt, tantaque viget innocuorum oppreſſio, ut nemo ſit, qui Te ad judicium, non æquum & juſtum judicaverit, accedere.

§. XLVII. *Poſterius* membrum, quod *rationem prioris* continet, ut ex particula *quia* patet, duplici quoque ſenſu mactari poteſt, relate ad ſuperioris membri ſenſum itidem duplicem. Si de *vindicatione* innocuorum ab impiorum judicum oppreſſione capiatur, referri poterit ad terram, & rationem continebit, quare Deus eam ulcisci & vindicare debeat, quia Deus *eam crevit in omnibus gentibus.* h. e. quia ſibi in peculium & propriam poſſeſſionem elegit; adeoque tanquam hæreditatem ſuam ab impiorum dominio vindicaturus. Sic Jer. II: 7. *contaminaſtis terram meam & hæreditatem meam poſuiſtis abominationi*, quod noſtrum locum illuſtrat; cum Deus hic terram, quam improbi judices polluerant, vindicaturus dicatur, quia *hæreditas* ejus eſt. Sic *terra Jehovæ* adpellatur Hoſ. IX: 3. & alibi. Phraſis

cerne-

cernere in omnibus gentibus dicit, eam ex iis ſolam eligere & ſibi adjungere, ut proprium ſuum peculium, in cujus medio *habitare* velit, quemadmodum de electione populi Israelis Deut. VI: 6. habetur. Verum quidem eſt, verbum *cernere* hic in fut. occurrere; ſed per enallagen pro præterito, quæ emphaſin habet *perpetuitatis*, ut *cernes* ſit *creviſti in perpetuum*, quod præteritum ita exprimit, ut *futurum* ſemper locum habeat. Ita Pſ. 1: 2. *in lege meditabitur*, ſeu meditatur in perpetuum. Pſ. XXV: 1. & alibi.

§. XLVIII. Sed ſi phraſis, *judicare terram*, de illo judicio Dei, quo terram abjicit, & remp. ac Eccleſiam ſuam in ea deſtruit, intelligatur; membrum poſterius rationem continebit, quare Deo hoc liceat, & integrum ſit facere; *quia in omnibus gentibus cernet*, ſive de eo; quod Deus facere poterit & faciendi jus habet, capiatur, ſive quod ſuo tempore reapſe facturus eſt, vel faciendi propoſitum habet: utrumque temporis fut. uſus permittit. Prius ex canone, quo *verba actionis agendi poteſtatem* notant, *a*. qua ratione ſenſus erit, Deum terræ Cananææ nuncium mittere poſſe, cum ipſi integrum ſit, in omnibus gentibus cernere hæreditatem, quam, & ubi, velit. Poſterius nos directe ducit ad vocationem *Gentium*, populo Judæo ſubſtituendarum: in quo nihil eſt difficultatis, cum voces hunc ſenſum clare fundant. Deus *cernere* dicitur in omnibus *gentibus*, cum ſuo jure excerpit & ſeligit præſtantiſſimas quascunque partes, ſeu fideles, quos elegit, ex univerſa gentium maſſa. Verbum proprie dicit, *crevit* vel *discrevit* furſures a farina, inde ad lectionem præſtantiſſimarum partium, & ſic ad *hæreditarias* poſſeſſiones, tranſiit: ut *cernere hæreditatem* ſit præſtantiſſimas partes excerpere jure primogenituræ; hinc apte *cernere* in *gentibus*, ut modo explicui. Ratio vero, quare Deus neceſſe non habeat parcere populo Israelitico, a *vocatione* Gentium petita, nihil habet ſingulare, cum ſæpius in verbo Prophetico occurrat, ad exemplum Moſis,

a Vid. Glaſſ. Gr. ſ. l. III. tr. III. can. 5.

Deut. xxxii: 21. nihil etiam obſcuri; cum gentes fuerint in locum Israelis electæ, ut eſt Rom. xi. niſi quod cum hypotheſi noſtra de judicio Babylonico, hic intento, illud vix conciliari poſſe videatur. Verum hæc difficultas facile evaneſcet, cum obſervavero, 1. verba de *propoſito* Dei, ſuo demum tempore exequendo, intelligi poſſe, poſteaquam plane conſtitiſſet, populum Judæum eſſe emendari neſcium. 2. Judicium utrumque & Babylonicum & Romanum hic una comprehendi, ut ſupra obſervavi: quare plura non addo.

PSALM. LXXXIII.

1. *Canticum Pſalmus Aſaphi!*
2. *o Deus! ne obſtinatum Tibi ſilentium ſit! ne ſurdus ſis! ne tranquillus ſubſidas, Deus!*
3. *Ecce enim! inimici Tui tumultuantur, & oſores tui caput efferunt*
4. *Contra populum tuum: acervatim ſtruunt*, vel denudant,
5. *Dicunt; agite, exſcindamus eos, ne ſint amplius gens, neve memoretur amplius nomen Israelis.*
6. *Corde enim uniter conſpirarunt, contra Te fœdus inierunt.*
7. *Tentoria Edom, & Ismaelitæ, Moab & Hagæi.*
8. *Gebal & Ammon & Amalek, Palæſtina cum incolis Tyri.*
9. *Etiam Aſſur una implicatur cum iis, qui filiis Loti brachio ſunt.*
10. *Fac ipſis ſicut Midianitis, ſicut Siſeræ, ſicut Jabini, ad torrentem Kiſon.*
11. *Qui deleti ſunt ad Hendorum, facti ſunt ſimus terræ.*
12. *Inſta ipſis, principibus eorum, uti Oreebo, Zeeboque, & Tſebachbo, & Tſalmunæ, omnibus principibus eorum.*
13. *Qui jactant; acquiramus nobis habitationes Dei.*
14. *Deus mi! inſta ipſis inſtar rotæ, inſtar paleæ coram vento.*
15. *Quemadmodum ignis comburit ſylvam, & flamma accendit montes.*

16. *Sic eos perſequeris procella tua, & turbine tuo præcipites ages.*
17. *Reple facies eorum notis inuſtis, & quærant nomen tuum, Jehova!*
18. *Pudefiant, & præcipites agantur in perpetuum, notisque publice adficiantur, & pereant.*
19. *Et intelligant, Te, nomine tuo Jehova, ſolum eſſe excelſum ſuper tota terra.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſalmi eſt ſeria cum maxime, & fiduciæ plena, viri pii *oratio* ad Jehovam, Deum Israelis, pro populo Israelis, peculiari foedere cum Deo ſociato, ab hoſtibus vicinis, foedere junctis, undiquaque ad totalem internecionem impetito: qua Deum ad curam populi ſui, ad incitas redacti, ſuscipiendam, & hoſtes illos, qui temeraria & impia hæc conſilia de populo Dei exterminando, Jehovæ, Dei ipſorum, nulla habita ratione, inierant, judiciis ſuis ita proſternendos, ut pudore confuſi, & metu correpti, Jehovæ, tanquam ſupremi rectoris mundi, Majeſtatem cominus venerentur, eique gloriam nominis ſui dent.

§. II. Hoc argumentum facili admodum *methodo*, ſed ſtylo emphatico & ſublimiore, pertractat. I. Deum gravissimis rationibus ad cauſam populi agendam impellit, quæ a præſente populi, in ſummis anguſtiis poſiti, ſtatu deſumtæ ſunt, verſ. 2—9. II. Judicium Dei in hoſtes, quo cum divinæ potentiæ & juſtitiæ demonſtratione gravibus cladibus adfecti repellantur, implorat, ut Jehovam discant revereri, verſ. 10— fin.

ANACRISIS.

ANACRISIS.

§. III. Sed ſicut hæc facilia ſunt, ita forte difficilius fuerit, hypotheſin jeciſſe, ex qua Pſ. exponendus eſt, vel ſtatum populi Israelis definiiſſe, qui has preces peperit, & ad quem adcommodandæ ſunt. Populum enim Israelis hujus Pſ. eſſe ſubjectum, & non Eccleſiam N. T., tam eſt manifeſtum, tum ex conſilio populorum de Israele delendo, ne amplius ſit populus, tum ex populorum illorum recenſione, ut & ipſi illi interpretes, qui ab antiquo Israele lubentes abſtrahunt oculos in Pſ. exponendis, hic in illo populo pedem figant, licet ſit, qui velit, *ſub nominibus hujus Pſ. & eos, qui iſtorum opera imitantur, intelligi more prophetiarum:* quod ſi per *adcommodationem*, ut loquuntur, fiat, in hunc non magis, quam alias partes verbi Dei, quadrat: ſed hoc nihil ad veram & propriam Pſ. interpretationem.

§. IV. Verum enim vero circa caſum ipſum, ejusque *tempus*, in varias partes ſcinduntur Interpretes, dum alii de temporibus Davidis, alii Jehoſaphati, alii Jorami, ut Clericus, alii Hiskiæ, alii reducum ex Babylonico exilio, alii Eſtheræ, ut Altingius *a*, alii Judæ Maccabæi, cogitent: de quibus omnibus judicium ferre tædioſus & inutilis labor foret. Ducamus potius veras lineas hujus caſus ex ipſo Pſ., & criteria ſtatus Israelis exhibeamus, quæ hiſtoriæ peritum eo ſponte ſua ducent, ubi pes figendus eſt. 1. *Primum* characterem præbent populi vicini, quorum catalogus hic texitur, verſ. 7—9. ubi illud animadverſionem meretur, *Tyrios* hoſtibus accenſeri, & Syrorum, vel Syro-Damaſcenorum, nullam fieri mentionem; quo ipſo tempora Davidis, cui amicitia cum rege Tyri interceſſit, & bellum cum Aram ſive Syris, hic locum non reperire, evincitur. Hoſtiles vero populi memorantur, ad ortum, meridiem, & occaſum; *ſeptentrionis*, proprie dicti, prætermiſſa

a Hept. VII.

mentione. 2. *Secundum* criterium ſuppeditat eorum populorum *conſpiratio*, foedere ſociali in populum Dei ſecum pacto, ut unitis viribus Israelem adgrediantur; verſ. 4, 6. non itaque diverſa tempora, nec etiam ſeparata conſilia, & variorum populorum, licet uno tempore, ſed ſeorſim, invaſiones in cenſum veniunt. 3. *Tertiam* temporis notam quæro in *Aſſyrio*, non primo expeditionis auctore, ſed *ſocio* tantum, præterea in Moabitis & Ammonitis tanquam incentoribus & facibus belli: quo verſ. 9. nos manifeſte ducit. *Etiam Aſſur implicatur una cum iis, & illi brachio ſunt poſteris Lothi.* h. e. hoſtiles illi populi in unum coacti ſunt, ut poſteris Lothi in Israele opprimendo ſint auxilio. Bellum itaque proprie erat Moabitarum & Ammonitarum, in quo reliqui populi auxiliatricium copiarum partes habebant. 4. *Ultimum* criterium deſumo a ſingulari *modo*, quo hoſtes ſunt profligati; quem, ex comparatione cum *Midianitarum* clade tempore *Gideonis*, quo reſpicitur verſ. 10 & 11. colligendum, huc redire exiſtimo, ut hoſtes ſe mutuo conſumerent, divinitus ſecum commiſi, Israele primum ſpectante, dein eos perſequente, & ſpoliante: quod inteſtinum prælium inciperet ad externa quædam ſigna ab Israele adhibita: quæ tempore Gideonis fuerunt tria, urcei colliſi & confracti, faces, & buccinarum clangor. Jud. VII. Verum quidem eſt, de eo effecto ex Pſ. non directe conſtare; ſed ex *precum* argumento plusquam probabile fit, tali judicio eos fuiſſe adfectos. Utique ejusmodi quid pio noſtro oratori fuiſſe in animo, ex citatis veteris ævi exemplis certum eſt. Cum autem, preces a Divino ſpiritu fuiſſe profectas, credere fas ſit, quin eæ implementum conſecutæ ſint, dubitare nefas eſt: preces enim a ſpiritu ortæ & Secundum ejus voluntatem fuſæ fruſtra cadere nequeunt.

§. V. Hæc criteria, feliciter eruta, ſi ad animum revocentur, nullum tempus, quod in hiſtoria conſignatum exſtet, ſub manus venit, cui ea aptius conveniunt, quam quo Joſaphatus a Moabitis, Ammonitis, Idumæis, aliisque

trans

trans Jordanem & Syriam populis hoſtiliter eſt adpetitus, easque ad incitas redactus, ut in unius Jehovæ auxilio ſpem ſalutis habuerit poſitam: quam cum ſolennibus precibus invocaſſet, & promiſſo per Prophetam, unum ex Filiis Aſaph, ipſi facto in certam ſalutis ſpem eſſet erectus, accidit, ut carminibus ſacris magis quam armis hoſtes fuerit adgreſſus, eosque divina ope in eam conjecerit confuſionem, ut in ſe arma verterint, & mutuis vulneribus confecti ſint, reliquis in præcipitem fugam datis: a quo tempore florentiſſimo & pacifico ſtatu eſt gaviſus, populis vicinis Majeſtatem Dei Israelis reverentibus. Quæ hiſtoria prolixe narratur, 2 Chron. xx.

§. VI. Hæc hypotheſis prærogativa non tantum ſuffragiorum, Interpretibus Chriſtianis & Judæis in eam maximo numero pedibus euntibus, ſed eo præcipue ſe commendat, quod modo prolata criteria in eam exactius, quam in ullam aliam, quadrent. Belli cum Joſaphato faces fuerunt Filii Loth, Moabitæ & Ammonitæ, ſocii memorantur Idumæi & alii populi *trans mare* & *Aram*, adeoque Arabiæ deſertæ incolæ & Aſſyrii, de quibus hic fas eſt cogitare. Verum eſt, *Philiſtæos* & *Tyrios* non memorari in hiſtoria, ſed Philiſtæos non quieviſſe, ex inveterato eorum odio in populum Dei facile colligimus; illis *Tyrios* fuiſſe adſociatos, verſ. 8. innuit. Erant enim maritimæ oræ ejusdem plagæ occiduæ terræ Cananææ adcolæ. Si conjecturæ locus eſſet, huc referrem, quod de Philiſtæis & *Tyriis* habetur Am. 1. ubi Israelitas tradiſſe *Idumæis* in *ſervitutem* dicuntur. Eos populos animo volviſſe plenarium excidium Israelis, ex oratione Joſaphati l. c. elucet. De *modo*, quo proſtrati ſunt, haud abſimili deſtructioni Midianitarum, ex hiſtoria quoque conſtat; de quo poſtea: adeo ut hic pedem figere queamus, nec neceſſe fuerit reliquas opiniones refutare; cum id hiſtoriæ perito ex ſupra poſitis criteriis non ſit difficile.

§. VII. De

§. VII. De oppugnatione Senacheribi tempore Hiskiæ cogitare vetat, tum quod Aſſyrius non fuerit ſocius, ſed auctor belli, tum quod de ejusmodi conſpiratione nihil legatur, tum denique, quod alio etiam modo deleti ſint hoſtes, quam hic indicatur. Tempus Judæ Maccabæi, quo poſt altare & Templum repurgatum vicini populi undiquaque inſurrexerunt in Judæos, ut gentem eam exſtirparent, multum etſi habet commune cum hoc Pſ., ut ex collato 1 Macc. v. videre eſt, hoc tamen notabile habet discrimen, quod 1. non de gente tota, ſed Judæis tantum in eorum terra verſantibus delendis, conſilia ceperint. 2. non in unum coierint populi, ut hic requiritur, ſed ſejuncti id adgreſſi ſint. 3. non tam mutuis cladibus, quam armis Judæorum fuerint contriti. 4. de Moabitis & Ammonitis tanquam *auctoribus* nihil tradatur. 5. Aſſyrius, qui Syro-Macedonas comprehendere debebit, aliam in ea ſcena perſonam egerit, quam ut *ſocius* hoſtium adpellari ſimpliciter queat.

§. VIII. Sed, hisce miſſis, de *auctore* & tempore Pſ. compoſiti verbum addamus. Vulgatæ opinioni, quæ celeberrimum illum Aſaphum, tempore Davidis, pro auctore Pſ. habet, quominus adſurgam, in cauſa eſt, non tam quod Aſaphus ille nusquam cantica feciſſe dicatur, quam quod de conſiliis & foedere populorum vicinorum contra Israelem, tanquam de re præſente, ſermo fiat, ſine ullo prophetici ſenſus indicio. Mihi itaque probabilius eſt, Aſaphitam aliquem, ſeu aliquem ex poſteris Aſaphi, Spiritu Dei correptum, hoc canticum concepiſſe, & in uſum populi, ad eum conſolandum & erigendum, compoſuiſſe: nec deſtituit nos hiſtoria, 2 Chron. xx., cum ibi occurrat *Jachaziel*, unus poſterorum Aſaphi, qui in medio coetu Spiritu fuit adflatus, & adflictos populi animos in ſpem victoriæ ab hoſtibus erexit: qui, eodem Spiritu actus, eundem in finem hoc carmen confeciſſe cenſeri poteſt.

EXPLICATIO.

EXPLICATIO.

§. IX. Prima Pſ. pars continet, א. petitionem auxilii a Jehova, verſ. 2. ב. rationes moventes ad Deum excitandum, ab hoſtium moliminibus contra Israelem deſumtas, verſ. 3—9. א. Supplicatio ita ſonat, verſ. 2. *o Deus! ne obſtinatum Tibi ſilentium! ne ſurdus ſis! ne tranquillus ſubſidas! o Deus!* h. e. Ne Te, tremenda & adoranda Majeſtas, Deus fortis, teneas, acſi vel os Tibi eſſet tectorio obductum, ut loqui nequeas, vel aures obſurduiſſent, ut quiritationes & clamores noſtros audire non poſſes, vel ita omni cura vacuus & tranquillus, ut moveri, noſtrasque anguſtias ad animum revocare, nolis. Hanc omnem emphaſin habent voces Hebrææ, quæ præcipuas ſilentii *cauſas* exprimunt; oris obſtipati, aurium ſurdarum, & tranquillitatis nimium tenacis, quæ omnes curas reſpuit. Primum membrum, ne *os* Tibi ſit clauſum, & lingua palato adfixa & immobilis, proprie denotat, ex vocis דמם intima poteſtate, cujus radix dicit *adfigi* & compingi firmiter, velut *calce*, aut gypſo illitum, & adfixum; aut *linimento* vel *tectorio ſuperinducto*, unde ad tenaciſſimam immobilitatem, & ſic obſtinatum oris ſilentium, transfertur. Secundum membrum, *ne ſis ſurdus*, proprie ad aures pertinet, ut Mich. VII: 16. *aures eorum obſurdescent.* Tertium, *ne tranquillus ſubſidas*, animi ad liquidam tranquillitatem redacti, curis & commotionibus depoſitis, cogitationem ſuggerit; verbum שקט proprie eſt *ſidere*, *ſubſidere*, cum fæces turbati liquoris ſubſidunt, & fundum petunt, unde ad animum a multo curarum æſtu, & ſolicitudinum ac amaritudinis fæculentia, liberum, animum ſerenum, liquidum & defœcatum, transfertur. Hic denotat animum ab omni cura & motu alienum, & Deum, cum dicitur, *ne tranquillus ſedeas*, alium eſſe, ac qui ab Epicureo depingeretur, indicatur: quod Lucretius per *immortali ævo ſumma cum pace frui*,

ſine dolore, ſine periclis, nec bene promeritis capi, nec tangi ira, elegantiſſime expreſſit.

§. X. Videamus nunc quid poetæ in animo fuit, cum has preces fudit, quidve indicatum velit? 1. Innuit, populum ad eas redactum eſſe incitas, ut, niſi Deus ſubito opem ferat, videri poſſet, Jehovam, Deum Israelis, eſſe inſtar reliquorum falſorum Deorum, numen aliquod aut mutum, aut ſurdum, aut otioſum; quod non poſſit aut populi ſui querelas audire, aut ſine magno labore, beatitati adverſo, ſuccurrere: quæ cum falſæ, & Deo injurioſæ, ſint cogitationes de Deo; differri amplius non debere auxilium populo præſtandum, indicat. 2. Precatur itaque, ut Deus ipſo facto demonſtret, ſe & rerum ſuarum habere notitiam, & gerere curam, quod oſtenderet, ſi populos increpet, & populum defendat, ac eripiat. Illud enim eſt, Deo digne intellectum, *non ſilere*, *non ſurdum* eſſe, *non quiescere*. *Non ſilere* eſt *loqui*: loqui Dei eſt, rem ipſam ſiſtere, quippe ad quod non niſi *verbo* Dei opus eſt. 3. Preces urget, cum ex relationibus Dei ad populum, cujus eſt *Deus*, & quidem Deus fortis; quare duobus hisce nominibus Deum inſignit, tum ex Dei, tanquam potentiſſimi inſpectoris & rectoris mundi, conſpectu; qui pati non poterat, ut impii hoſtes impune graſſentur in innocentes & immeritos: hoc enim ſi contingeret, videri poſſet, Rectori ſupremo vel non eſſe notas actiones hominum, vel non curæ, vel nimiam creare moleſtiam; aut viribus eſſe ſuperiores.

§. XI. 1. Sed unde hæ anguſtiæ? & in quo ſitæ erant? quæ tam citum Dei auxilium requirebant: hoc enarrat vir ſanctus, verſ. 3—9. *a*. ipſa hoſtium molimina exponens, verſ. 3—6. β. Hoſtes recenſens, verſ. 7—9. *a*. Molimina eorum his verbis ob oculos ponit, 3—6. *Ecce enim inimici Tui tumultuantur, & oſores tui caput efferunt contra populum tuum: acervatim ſtruunt arcanum, & conſultant invicem contra loculatos tuos: dicunt, agite, exſcindamus eos,*

ne

ne sint amplius gens, neve memoretur amplius nomen Israelis: corde enim uniter conspiraverunt; contra Te fœdus inierunt. h. e. Quam intempestivum sit Tibi silere & quiescere, &, contra, quam opportunum, Te ipso facto præstare vindicem populi Tui, rerum præsentium status evincit. Ecce enim hostes & osores Tuos sese undarum instar moventes, & insolenter se jactantes; ut consilium, quod deliberato de nobis, populo tuo, exscindendis ceperunt, exsequantur: imo ecce populos, fœdere contra Te ipsum pacto, unitos!

§. XII. Duæ, sed adfines, sese hic offerunt rationes moventes, altera altera gravior, quæ ita proponuntur, ut oratio scandat, & a gravi ratione ad graviorem adsurgat: cujus duplicis rationis indicium est in vocula כי *quia* repetita; *quia ecce* vers. 3., dein rursus, vers. 6. *quia*. Incipit oratio cum vocula *ecce*, quæ vim non tantum habet *excitandi* Deum, sed & *rei præsentis* imaginem sistit, ut temporis, quo Deus se ad opus adcingat, opportunitas indicetur. *Prior* vero ratio hostes in motu contra populum Dei ob oculos ponit, *posterior* hoc crimen adgravat ex eo, quod fœdus contra ipsum Deum censeri possint pepigisse. *Prior* ratio comprehendit α. magnos hostium motus in populum Israelis, β. eorum principium & scopum. *Prius* his verbis, *hostes tui tumultuantur, & osores tui tollunt caput contra & supra populum tuum*: has enim voces, *contra populum* tuum, lubentes cum præcedentibus jungeremus, prava versuum distinctione inde avulsas, quia nectius cum præced. construuntur, quam sequent., & cæteroquin *objectum* deficeret vers. 3. contra quod illi tumultus insolentes cientur.

§. XIII. Hostes Israelis, de quibus hic agitur, *inimici & osores Dei* adpellantur, ut ratio movens majore vi polleret Deum impellendi, nec sine ratione tam atro notantur carbone, tum quod Israel sit populus Jehovæ, qui ejus erat protector, & Numen tutelare, adeoque non sine aliquo Jehovæ contemtu oppugnandus, de quo mox, tum in ge-

nere, quod innocuum populum contra jus & fas invadentes eo ipso se justi & æqui proculcatores, & justi ac legitimi rectoris ac Domini totius universi adversarios, demonstrarent, tum quod idololatræ, veri Dei abnegatores, essent. Hos populos hostiles impios & profanos cum dicit *tumultuari* & *caput contra & supra Israelem efferre*, indicat, eos magno numero, ingente iræ æstu concitatos, summa vi præditos, & insolente superbia ac fiducia inflatos, sese movere contra Israelem, instar undarum perstrepentium, tumultuantium, & obvia quæque obruentium; quam metaphoram verbum *tumultuari* continet apud Hebr., & Jes. XVII: 12, 13. ubi expeditionem Senacheribi depingit, egregie exsequitur, cum dicit: *hei strepitus populorum multorum, qui, ut strepere solent maria, perstrepunt, & tumultus nationum, quæ instar tumultus aquarum ingentium tumultuantur! nationes instar tumultus aquarum multarum tumultuantur.* Conf. etiam Jes. VIII: 7. Ps. LXV: 8. Phrasis *tollere caput super* & *in aliquem* de superbis hostibus, cum virium suarum fiducia alios invadentibus, usurpatur, Jud. VIII: 28. & eleganter Job. XV: 25, 26. — *contra omnipotentem semet extulit, incurrit adversus illum cum cervice*, h. e. *erecto colle insurgit* & *impugnat*, quæ contumacis superbiæ est vivida imago.

§. XIV. β. Sed quo animo & scopo hanc expeditionem susciperent? hoc declarant verba sequentia; *struunt acervatim arcanum, & consultant contra loculatos tuos, dicunt, agite exscindamus eos, ne amplius sint gens, ne amplius memoretur nomen Israelis.* Utitur verbis fut. temp., *struent* & *consulent*, pro præt., ut consilia continua & durabilia, quæ semper quasi renovantur, indicaret. Vers. 4tus consilium comprehendit, quod illos motus populorum peperit, & vers. 5. mutuæ adhortationes, ad illud strenue & summa opum vi exsequendum, proponuntur. Consilium eorum erat de Israele funditus exstirpando, ut *gens* esse desineret, nec alicujus amplius esset nominis. Quod non est accipiendum,

dum, ut nullus Israelita supereſſet, ſed ne unitum aliquod populi corpus, aut politicum, aut Eccleſiaſticum, reſtaret, aut in Cananæa, aut alibi terrarum. vid. Ex. XVII: 14. Emphaſin habet *nomen Israelis*, quo nullum erat glorioſius, cujus deletionem ſicut ſine gravi reatu nemo intendere, ita Deus, ſalva veritate & gloria ſua, permittere non poterat.

§. XV. Hoc conſilium ſumſerant populi, ut habetur verſ. 4. *acervatim ſtruxerunt arcanum*, *conſultarunt contra loculatos tuos*, ſcilicet, populum cum cura a Te clauſum, & reconditum, quemadmodum in loculos ſolemus recondere theſaurum. Verbum Hebr. סתר proxime respondet Lat. *occulere*, habetque proprietatem in *folliculo coriaceo*, quo aliquid involvitur, & ſic reconditur; unde eſt, *condere*, ut quid lateat, ac tutum ſit, utique adſervetur, tanquam theſaurus. Pſ. XXXIX: 20. Pſ. XXVII: 5. Quo epitheto relatio Dei ad populum egregie exprimitur, & ſimul indicatur, Deum pati non poſſe, ut hic populus exſcindatur, & impia eſſe hoſtium molimina, quibus theſaurum Dei diripere tentabant. Contra hos *loculatos* Dei tamen *conſultaverant* populi, & quidem *diligentiſſime*, ac frequenter; ut forma conjug. verbi Hebr. indicat. Quo prius membrum etiam collineat, *acervatim ſtruxerunt arcanum*, ſive *conſilium*, ſive *conſeſſum*, ad capiendum conſilium, quo utroque modo uſurpatur. Quod cum dicitur *acervatim ſtrui*, vel aceumulari, indicatur frequentia ejus, ut ſit arcanum ſuper arcano; ſæpius & frequentiſſime. Ita de aquis coacervatis ſumitur, Exod. XV. Sed interpretes per *callide agere* vertunt, quem uſum etiam præfert; ſed tum intranſitive uſurpatur, cum hic regat vocem ſeq., nec tamen ſpreverim; licet *callide agere ſecretum* aliquo modo offendat. Poſſet forte reddi; *nudarunt ſecretum*, vox enim, hinc derivata, *nudum* dicit. Qui ſenſus egregius foret, *caput extulerunt* contra populum, *nudarunt ſecretum*, & *conſultarunt*, ſcilicet, quod deliberato conſilio ſumſerant: quando recte ſequitur,

quitur, *dixerunt*, quæ erat aperta ſecreti prolatio, & arcani denudatio. Ego hic nihil definio.

§. XVI. *Poſterior* ratio, quæ majus addit pondus, habet verſ. 6. *quia animo uniter conſpirarunt, contra Te fœdus fecerunt.* h. e. fœdere facto contra Te conſpirarunt, idque non præcipitanter, nec fortuito, nec inconſiderate, ſed conſulto, & animo deliberato, non coacte & invite, ſed toto corde, non a nobis irritati, ſed ſponte, & libidinis quaſi œſtro perciti, unitis animis & junctis viribus, fœdere ſecum pacto. Sed quomodo *contra Jehovam*? 1. Quia contra jus & fas, leges conſcientiis a Deo inſcriptas, 2. contra populum unicum in orbe, cujus tutelam Deus ſuſceperat, & quocum fœdus icerat. 3. contra *cultum & religionem* veram, quæ, populo Israelis ad nihilum redacto, in obſcurum eat neceſſe eſt. 4. Imo contra *Jehovam*, proprium & peculiarem Israelis Deum, ut eum vel *infirmum*, vel *mendacem*, verbo falſum eſſe Numen, demonſtrarent; quod Senacheribo in animo fuiſſe, ex inſolenti & improba Rabſaces oratione elucet. Sic Pſ. XIV. redarguuntur hoſtes populi Dei, qui *Jehovam nihil vocabant* verſ. 4., ut verba vertenda ſunt, & non, ut vulgo, *non invocant.*

§. XVII. β. Periculum, in quo populus Dei verſabatur, eo gravius erat, quo hoſtes non tantum animo Israelem exſcindendi eſſent adfecti, ſed & magno numero ac viribus, undiquaque collecti, in Israelem irruerent: quorum populorum, qui hanc conſpirationem inierant, catalogus texitur, verſ. 7—9. his verbis. *Tentoria Edom, & Ismaelitæ, Moab & Hagarei: Gebal & Ammon & Amalek; Palæſtina cum incolis Tyri. Etiam Aſſur implicatur una cum iis, qui Filiis Loth brachio ſunt.* h. e. Non unus alterve populus, ſed ab omni parte, qui noſtras regiones ab ortu, meridie & occaſu, cingunt, adunatis conſiliis & viribus, impetum in nos faciunt; faces belli quidem & incentores ſunt Moabitæ & Ammonitæ, ſed auxiliatrices eorum

copiæ

copiæ ſunt undiquaque collectæ, ex omnibus populis vicinis, ne Aſſyriis, licet remotioribus, exceptis.

§. XVIII. In recenſendis hisce populis hic ordo ſervatus, ut *a.* a vicinis ad remotiores pergatur, *b.* in vicinis a meridie ad ortum tranſeatur, & mox ab ortu ad meridiem redeatur, inde ad occaſum, a meridionali Cananææ plaga maritima ad Septentrionalem. *c.* denique populis hoc ordine recenſitis ſubjungitur, qui fuerint auctores belli, qui ſocii, verſ. 9. Incipiamus, ordinis cauſa, ab auctoribus belli, qui primas in eo tenuerunt, & reliquos in ſocietatem pellexerunt. Illi ſunt *filii Loth*, ut ex verſ. 9. liquet. *Etiam Aſſur una implicatur cum iis, ſunt brachium filiorum Loth*, ſc. omnes illi, quibuscum Aſſur fuit conjunctus; ſic enim verſus capiendus eſt, ut *brachium* ad eos pertineat, quibus adſociatus fuit Aſſur; illi vero omnes ſeſe adjunxerunt filiis Loth, tanquam copiæ auxiliatrices.

§. XIX. *Filii Loth* ſunt *Moabitæ* & *Ammonitæ*, ex inceſtuoſo Lothi concubitu cum Filiabus ſuis orti; ut nemini non notum eſt. Moabitæ, ex filia natu majore, ſedes tenuerunt ad ortum maris Sodomæi usque ad torrentem Arnon; *Ammonitæ* vero ad *ortum* Arnonis verſus Aquilonem, ita ut *Jabokum* adtigerint; quippe qui *terminus* eorum dicitur, Deut. II: 37. Num. XXI: 24. Utrique idololatræ, opibus & viribus ſuperbi, & Israeli ab antiquis temporibus infenſiſſimi. Moabitæ, a Davidis tempore Israeli tributarii, ſub Joramo, filio Achabi, deſciverunt; quam ob cauſam a Joramo, ſocietate inita cum *Joſaphato*, oppugnati, & ad extremas anguſtias redacti ſunt, 2 Reg. III. quæ ipſa *Joſaphati* ſocietas anſam præbuiſſe videtur belli, quod Moabitæ & Ammonitæ intulerunt Joſaphato, 2 Chron. XX. de quo in hoc Pſ. agitur, ut a rege Judæ vindictam ſumerent.

§. XX. Quod cum ſoli efficere non poſſent, in ſocietatem belli adtraxerunt vicinos populos, quoscunque poterant, ne Aſſyriis, etſi remotioribus, neglectis; quod exprimitur verſ. 9. per *brachium* eſſe *filiis Loth*. *Illi brachium*

chium sunt; scilicet, non Assur tantum, sed omnes reliqui: *illi* enim pertinet ad *eos*, quibus una fuit implicitus Assur: de quibus omnibus dicitur, eos *brachium* præbuisse *Moabitis* & *Ammonitis*. Phrasis, quæ faciles habet explicatus, exprimit, populos illos *opibus* & *copiis* suis adjuvisse & corroborasse filios Loth: sunt enim stylo orientali *brachia* alicujus ejus *opitulatores* & *adjutores*, ut Job. XXII: 9. *brachia orphanorum*; & exercitus robusti & fortes adpellantur *brachia* Dan. XI: 22, 31., quæ, ulteriore explicatione aut illustratione non indigent. Symmachus ergo recte συμμαχοι vertit.

§. XXI. Hi populi auxiliatores recensentur sequentes. 1. *Edomitæ*, posteri Esavi, qui montanum *Seir* ad austrum Cananææ proxime mare *Sodomæum*, versus orientem paululum extensum, inhabitarunt; sine quorum ope regnum Josaphati ab austro invadi non poterat. Gens erat aspera & bellicosa, Judæis infesta valde; quæ, a tempore Davidis Israeli obnoxia, *jugum* ægre ferebat, illudque mox post Josaphatum mortuum sub *Joramo*, ejus *filio*, excussit. 2 Reg. VII: 20. Paulo ante societatem inierat cum Joramo Achabi & Josaphato, in bello cum *Moabitis*, nunc cum *Moabitis* ad Josaphatum debellandum: quod *historia* 2 Chron. XX: 10. expressis verbis testatur. Ceterum cum *tentoria Edomi* hic memorantur, vel ad gentem *pastoritiam*, in tentoriis degentem, vel ad statum belli, ubi milites sub tentoriis vivunt, respicitur; quod utrumque huc recte quadrat. 2. Adduntur *Ismaelitæ*, ab *Ismaele*, filio Hagaris ex Abrahamo, oriundi, qui, parentem imitati, & scenitica m ac latrocinalem vitam degebant, & quaquaversum per Arabiam Petræam & Desertam tentoria fixerunt; primitus quidem in *australi* parte Cananææ, dein in *orientali* versus Euphratem, quando, cum Midianitis confusi, totam regionem insederunt ab Euphrate ad mare usque Rubrum, teste Josepho. *a* Conf. Gen. XXV.

§. XXII.

a Ant. lib. 1.

§. XXII. 3. Sequuntur *Moabitæ* & *Hagaræi*; *illi* ad ortum maris Sodomæi, de quibus modo dixi; *hi* ad ortum Rubenitarum, Ptolemæo dicti *Agræi*, & 1 Chron. v: 10, 19. *Haggerii*, & Hieron. *Agaræi*; quos hic intelligendos esse ex ordine, quo hic enumerantur, & nominum convenientia, plusquam probabile fit: num vero Ismaelitarum fuerint portio, & ab *Hagar* nomen tulerint, quæ Bocharti *a* est opinio, dicere non habeo. Sufficerit, populum fuisse, cum quo bella interceserunt Israelitis, quique tandem sunt debellati & subjecti sub Jeroboamo II. ut ex l. c. colligitur. 4. Adduntur in textu *Gebal* & *Ammon*, & *Amalek*, haud longe dissiti, ut probabile est, licet de situ *Gebalis* nihil definiri poterit. Sunt qui in Phoenicia versus septentrionem quærunt, ubi urbs *Gabala* & *Giblim* fuisse memorantur, 1 Reg. v: 18. Ez. XXVII: 9. Jos. XIII: 5. Sed *ordo*, quo recensentur, obstat: quare aliis potius accedo, qui in Arabia Petræa collocant, prope *Amalekitas* & *Idumæos*, ubi regio *Gibalene* memoratur *b*. Fateor tamen rectius & facilius fluere orationem, si, primis nominibus vers. 8. transpositis, legatur, *Ammon*, *Gebal* & *Amalek*; Gebal enim & Amalek fuerunt vicini ad austrum Cananææ, *Ammonitæ* vero ad *Agræos* & tractum Cananææ orientalem versus Aquilonem referuntur. Sic poeta ab austro versus Ortum & Sept. progressus, inde ad austrum reverteretur; imo, ut cum *Idumæis* incepit, sic in Esavi progenie apte desinit. *Amalekitæ* enim ex *Eliphazo*, Esavi filio, oriundi Gen. XXXVI: 12. eandem australem partem Cananææ insederunt, Num. XIII: 9. a *Chavila ad Sur*, 1 Sam. XV. ubi antea *Ismaelitæ* vagati sunt: his enim in orientem magis excurrentibus, *Amalekitæ* eorum sedes maxime incoluerunt, antiquissimi & perpetui Israelis hostes, ab ipso exitu ex Aegypto usque.

§. XXIII. Hinc ad occidentalem plagam pergens poeta sistit ob oculos *Philistæos* & *Tyrios*, oræ maritimæ adcolas, illos australis, hos septentrionalis, populos nemini non notissimos.

a Phal. IV: 11. *b* Vid. Reland. Pal. I: 15.

tiſſimos. *Tyrii* autem, quod hic unice obſervandum, tanquam *ſocii* Philiſtæorum in hoc bello occurrere videntur, ut ex phraſi, *cum incolis Tyri*, colligi poſſe videtur. Tandem adjungitur his omnibus *Aſſur*, qui ultimo loco memoratur, quia remotior reliquis a terra Israelitica & omnibus potentior, licet hoc tempore rebus Cananæis ſe nondum ea ratione immiſcuerit, qua poſtea. Phraſis, *etiam Aſſur una implicatus eſt cum iis*, indicat, 1. arctam ſocietatem inter Aſſurem & omnes reliquos, hic memoratos, populos: verbum enim Hebr. *arctiſſimum nexum* exprimit, dicitque proprie *implicari ac illigari multis ſpiris ac flexibus*, & uſu frequentatur in familiariſſima conſuetudine, ut inter *maritum* & *uxorem*, Israelitam & proſelytum &c: 2. ad hanc ſocietatem, inter omnes eos populos initam, adceſſiſſe tandem *Aſſyrium*.

§. XXIV. Verum quidem eſt, in hiſtoria Joſaphati 2 Chron. xx. non niſi *Moabitas*, *Ammonitas* & *adcolas montani Seir*, ipſis nominibus adpellari, ſed 1. illi incentores & faces belli fuerunt, 2. alios iis fuiſſe adſociatos clare indicatur. Sic enim verba habent c. xx: 1. *poſt hæc venerunt Moabitæ, Ammonitæ, & cum ipſis qui ultra Ammonitas habitant, ut bellum Joſaphato inferant*: qui vero *ultra Ammonitas*? ſic enim vertendum, & non *ex Ammonitis*, ut facile liquet. *Agræi*, ni fallor, *Aſſyrii*, & Arabiæ *deſertæ* incolæ, ſive *Ismaelitæ* & *Nabatæi*, qui omnes mox verſ. 2. generali phraſi dicuntur *trans mare*, ſc. *ſalſum* vel Sodomæum. Reliquorum etſi nulla mentio occurrat in hiſtoria, hinc nihil aliud colligendum eſt, ac quandam eſſe in hiſtoria *reticentiam*, ſacris & exoticis hiſtoricis frequentiſſimam: quod compluribus poſſit demonſtrari exemplis. *Tyrios* vero & *Philiſtæos* Eſavitis adfuiſſe ſocios, etſi ex hoſtili eorum animo præſumi queat, id, quod illis imputatur Am. 1., ubi Israelem dicuntur vendidiſſe *Idumæis*, confirmari poſſet, ſi neceſſe foret, aut tempus & locus ferret: non poſſum tamen, quin citem Joel. iv: 12. ubi, cum adluſione

ſione ad hanc ipſam Joſaphati hiſtoriam, *cunctæ gentes* in *circuitu* dicuntur *congregandæ* in *vallem Joſaphati*, ut judicio Divino deſtruantur.

§. XXV. II. Pergamus potius ad *Judicium*, quod hoſtibus, divinitus infligendum, denunciat vates, verſ. 10—fin. Quod 1. exemplis ſuperiorum temporum proponitur, verſ. 10—13. 2. ſtylo ſublimiore & emblematico effertur, verſ. 14—19. 1. Prius his verbis deſcribitur, verſ. 10—13. *Fac ipſis ſicut Midianitis, ſicut Siſeræ, ſicut Jabini, ad torrentem Kiſonem: qui deleti ſunt ad Hendorum, facti ſunt ſimus terræ. Inſta ipſis, principibus eorum, ut Oreebo, Zeebo, Tſebacho & Tſalmunæ, omnibus principibus eorum; qui jactant: adquiramus nobis habitationes Dei.* Ex multis divini judicii exemplis, quo hoſtes populi Dei ſingulari clade ſunt proſtrati, duo hic ſeligit poeta, alterum quo *Midianitæ*, alterum, quo *Cananæi*, ſunt deleti; *illi* ſub ducibus *Oreeb, Zeeb, Tſebach & Tzalmuna* per *Gideonem*, *hi* ſub rege *Jabin* & duce *Siſera*, per *Deboram* & *Barakum*; cujus rei rationem pandam, poſteaquam verba & phraſes paucis illuſtravero.

§. XXVI. Cum in genere dixiſſet, *fac ipſis ſicut Midian, ſicut Siſeræ & Jabin*; generalem thefin mox exponit, a poſterioribus initio facto, pro more ſcripturæ. Phraſis, *fac ipſis*, egregiam præfert emphaſin, qua quævis mala, eaque graviſſima, divinitus inferenda, comprehendit, ut in formula imprecationis, *ita mihi faciat Deus* &c. ſic Jer. XVIII: 23. *tempore iræ tuae age contra eos*; Ez. XXV. ubi per *facere deſolationem* exponitur, & Ez. XXXI: 11. Hac generali phraſi non contentus, mox addit, quibus modis eos velit tractatos; ſimilibus ſcilicet, ac olim *Midianitae & Cananaei*; quod 1. reſpectu Cananæorum exponit, cum dicit, *ſicut Siſera* & Jabin ad *torrentem Kiſon, qui deleti ſunt ad Endor, facti ſimus terrae*, reſpiciens ad prælium, quo Iſraelitæ, ducibus Barako & Debora, Cananæos cum rege Jabin, & duce Siſera, divinitus profligarunt juxta torrentem *Kiſchon*

& urbem *Endor*, prope montem *Tabor*, in tribu Isſascharis: ut ex Jud. IV & V. notum eſt. Singularis ineſt & elegantia & emphaſis verſ. 11. *deleti ſunt, facti ſimus terrae;* quam genuina potoſtas verbi נמם *delere* exhibet; cujus proprietas eſt in *ſimo* & aliis purgamentis, dicitque proprie *inſtar ſtercoris ejici*, & *everri*, σκυβαλίζεσθαι, unde ad graviſſimam & ignominioſiſſimam perditionem transfertur. Vid. 1 Reg. XIV: 10. coll. XV: 29. Jeſ. XIV: 23. Ex quo facile eluceſcit, quam eleganter hic *deleri* cum *ſimo* terræ conjungatur.

§. XXVII. 2. Ad Midianitas pertinet, quod verſ. 12. occurrit, *inſta ipſis, principibus eorum* &c. Digitus intenditur ad graviſſimam cladem, quæ Midianitis eodem fere in loco, quo Cananæis, per Gideonem eſt inflicta, quæ principum Oreb & Zeeb, nec non regum eorum *Tſebach* & *Tſalmuna*, violentam necem ſecum traxit. Jud. VII, VIII. Not. 1. emphaſis in verbo *inſta ipſis*, ſic enim vertendum eſt, & non, ut vulgo, *pone ipſos*; denotat enim *inſtare* & inpreſſionem hoſtilem facere, ut Jeſ. XXII: 7. *ponendo ponunt portam verſus*, h. e. irruunt. Pſ. III: 7. *undiquaque ponunt contra me*, ſeu hoſtilem faciunt impreſſionem. 2. captata antitheſis in vocibus *principum* eorum & nominum *Oreeb* & *Zeeb*. Vox נדיבים *principum* denotat proprie *liberales*, *munificos*, & *beneficos*, quales eſſe debent principes & potentes inter homines, ſed nomina *Oreeb* & *Zeeb* omnia contraria dicunt, illud enim *corvum*, hoc *lupum* deſignat: in tam rapaces & truculentas beſtias cum principes eorum degenerarint, jure merito in eos impetus hoſtilis fit.

§. XXVIII. Sed quid movit poetam, ut hæc in ſpecie *exempla* proferat? id quod verbo eſt exponendum. Præcipua ratio mihi a convenientia cladis, qua Cananæi & Midianitæ divinitus proſtrati ſunt, & hi hoſtes ſecundum vota & prædictiones prophetæ delendi eſſent, repetenda videtur: quæ convenientia in eo ſita eſt. 1. quod utrisque hoc fatum poſt præcedentes prædictiones contigit. De Cananæis & Midianitis ex hiſtoria Judicum, & de *his* ex-

2 Chron.

2 Chron. xx. conſtat, 2. utrisque divinitus hæc clades inflicta eſt: de Cananæis traditur, Jud. iv: 15. *& contabefecit Jehova Siſeram & exercitum ejus*, h. e. metu, pavore, & conſternatione liqueſcere quaſi fecit, & conſumtis viribus diffluere; ut de exercitu Pharaonis Ex. xiv: 24. & alibi; id enim מהם denotat. Sic Jud. v: 20. *e coelo pugnaverunt ſtellæ ex orbitis ſuis cum Siſera prælium commiſerunt.* Idem evenit *Midianitis*, Jud. vii: 22. 3. quod eodem fere modo fuerint divinitus proſtrati, per mutuas cædes conſumti: quod ut in exercitu expavefacto & confuſo fieri ſolet, ſic in *Midianitarum* eſſe factum, ipſis verbis docet hiſtoria, Jud. vii. quod idem de hisce populis adfirmatur, 2 Chron. xx: 22. quo accedit, Israelitas non pugnando, ſed precando & cantando hoſtes in confuſionem & fugam utrobique conjeciſſe.

§. XXIX. Reſtat, *juſtas* hasce preces fuiſſe evincamus, ad quod viam ſternet *ratio*, quæ hujus judicii, hoſtibus infligendi, datur, verſ. 13. *qui dicunt, adquiramus nobis habitacula Dei:* quo declaratur, hoſtes propoſitum ſumſiſſe, terras Israelitarum ſibi adferendi in perpetuam poſſeſſionem, legitimo hærede exſtirpato vel exterminato; illudque propoſitum palam jactaſſe, imo de eo, tanquam cujus jam compotes eſſent facti, gloriatos eſſe: quæ ambitu verbi *dicere* ſunt comprehenſa. Sed quare *habitationis Dei*? 1. quia Deus non generali tantum ſua providentia, qua hominum habitationes definivit, Act. xvii., ſed *peculiari* & prorſus ſingulari cura eas terras populo dederat poſſidendas in perpetuum; ut Joſaphatus in oratione ſua ad Deum dicit, 2 Chron. xx: 11. 2. quia populus in ea terra, tanquam grex in caulis, ſub tutela Dei, tanquam paſtoris, degebat, adeoque ſine Dei contumelia non expellendus: quam cogitationem ſuggerit vox Hebr., quæ per *habitacula* vertitur; cujus uſus frequentari amat in *ovili* vel *manſione ovium:* ut notum eſt. De re ipſa conf. Pſ. xxiii: & c. 3. Accedit, 3. Deum ipſum hanc terram tanquam *ſuam* con-

ſiderare, ſibique adſeruiſſe; quam populus, colonorum magis, quam dominorum, conſpectum præferens, inhabitabat, & in qua Deus *ſedem* quandam fixerat per *Templum*. 4. Denique emphaſi non caret, quod *Dei*, & non *Jehovæ*, dixerit; ut ſignificaret, *Jehovam* non eſſe ſolius Israelis Deum & Cananææ Dominum, ut Dii gentium habebantur certarum regionum Dii & Domini, verum totius orbis Dominum, & unum verum Deum, quem uſum præfert nomen *Dei*, a nomine *Jehovæ* diſtinctum. Ceterum, cum hæc verba hoſtibus in ore dantur, illud non ita eſt capiendum, acſi *Dei* habitacula directe voluerint occupare, ſeque *Deo* opponere; quod mortalibus in animo eſſe non ſolet, ſed, eo tendere molimina ipſorum, indicatur, ut, ſi ex iis de animo & propoſito foret judicandum, tale quid de iis adfirmandum ſit. Impia itaque & improba hoſtium facinora hac figura emphatice exprimuntur, ipſique tanquam hoſtes Dei ipſius per opera ſua depinguntur: de quo ad verſ. 6. dixi.

§. XXX. Hinc facile liquet & quid poetæ in animo fuerit, cum dicit, *fac ipſis*, *inſta ipſis*, & quam *juſte*, ſine charitatis lege violata, hæc pronunciaverit verba; qua de re in ſeq. dicam: nunc notaſſe ſuffecerit, 1. verba eſſe magis *adprobantis* judicium Dei, quam directe *precantis*: idem enim eſt, acſi legeretur, *fac ipſis*, ô Deus! licet, juſtum & æquum eſt, juſtitiæ tuæ convenienter ita cum iis agere poteris. 2. verba eſſe *prophetantis* verius, quam orantis, *fac* ipſis eſt *facies*, & quod facturus es fac. 3. denique *preces* ſi intelligantur, eæ *populi* Israelis liberationem & vindictam magis intendunt, quam *hoſtium* exſtirpationem, nec hanc hoſtium poenam, niſi quatenus eorum impetus ſine ea reprimi nequit: adeoque non ſunt preces hominis, excidii aliorum, ſed ſalutis & liberationis populi Dei cupidi. Quæ ſi recte obſerventur, non eſt, quod ad has ſimilesque preces obhæreſcatur, acſi animum minus pium, aut caritatis defectum, ſpirarent: ut nonnullis viſum eſt.

§. XXXI.

§. XXXI. 2. Judicium Dei in hoſtes, qui adunatis viribus Judæos undiquaque invaſerunt tempore Joſaphati, quod modo exemplis antiqui ævi ob oculos poſuerat, nunc ſublimiore ſtylo, ſelectis metaphoris, a vento, procella & igni, depingit, & ſcopum ac effectum illorum judiciorum, ut pudore confuſi Majeſtatem Jehovæ cominus revereri discant, exhibet; quando ſubjungit, ſimile quid hoſtes populi Dei in perpetuum eſſe experturos. Hæc ſumma eſt pericopæ, cujus duæ partes generales ſunt, quarum *altera* ad hoſtes præſentes, *altera* ad futuros per omnia tempora pertinet, *prior*, verſ. 14—17. *poſterior*, verſ. 18, 19. utraque & judicium & ejus ſcopum ac effectum comprehendit. a. *Prior* pars, quæ ad præſentes hoſtes, ſupra memoratos, reſpicit, *a.* judicium, iis infligendum, deſcribit, verſ. 14—16. *b.* ſcopum, ut ignominia adfecti Jehovam quærant, verſ. 17.

§. XXXII. *a.* Judicium his verbis, verſ. 14—16. profertur. *Deus mi! inſta ipſis inſtar rotae, inſtar paleae coram vento: quemadmodum ignis comburit ſylvam, & flamma accendit montes, ſic eos perſequeris procella tua, & turbine tuo praecipites ages.* h. e. Hoſtes, & tuos & noſtros, ita invadas judiciis tuis, quæ juſtitiæ & potentiæ tuæ clariſſima ſigna præferunt, ut partim proſtrati jaceant, partim terrore correpti, ac conſiliorum inopes, in præcipitem fugam dentur, haud ſecus, ac vel ſylvæ & montes igni corripiuntur & in flammas abeunt, vel glumæ & ſtipulæ vento urente & rotante agitantur ac diſſipantur. Verſus ita diſtingui poſſunt, ut verſ. 14. *votum*, & duo ſeq. *prophetiam* comprehendant; acſi diceret poeta; votum meum contra hoſtes, quo ut in eos irruas inſtar rotæ & ſtipulæ a vento agitatæ, voveo, eum in modum, ſcio, impiebis, ut ſicut ſylva & montes flammis accenduntur, tua procella urente & turbine auferantur, & præcipites ruant.

§. XXXIII. 1. Votum his verbis conceptum eſt: *Deus mi, inſta ipſis, inſtar rotae, inſtar paleae coram vento:* ſic enim

enim rectius vertuntur, quam, ut vulgo, *pone ipſos*, quod, ſicut ab elegantia metaphoræ, *ponere* enim & *glumæ* inſtar ferri a vento ſunt contraria, ita a verbi poteſtate, quam habet, abit. Verbum enim שים denotat *inſtare*, *impreſſionem hoſtilem facere;* ut ad verſ. 12. obſervavimus. Sed, ut hoc liquidum & facile eſt, ſic in ſimili *rotæ & paleæ coram vento* aliquid impediti eſt, quod vario modo expediri poteſt. 1. Simile hoc ad *celerrimum* & *facillimum* impreſſionis divinæ modum expingendum referri poteſt; ut ſit, quemadmodum *rota* & *palea* vento raptæ celerrime aguntur, & ſine ullo labore agitantur; ſic tu quam citiſſime & ſine ullo negotio tuo in eos irruas. Quem conſpectum fert Jeſ. XLI: 2. *quis dedit ut pulverem gladium ejus, ut ſtipulam propulſam arcum ejus*, reſpectu levitatis, qua gladium adminiſtrabit & vibrabit, & celeritatis, *qua hoſtes perſequatur*, ut recte Cl. Commentator. 2. Patitur, & forte rectius, ſeſe tranferri hoc ſimile ad præcipitem hoſtium fugam & diſſipationem expingendam; ſive vox *rotæ* cum Deo, ſive cum ſeq. membro conſtruatur; quod utrumque admittit orationis ſtructura. α. *Priore* ratione vertenda ſunt verba: *inſtar procellæ rotatæ irrue in ipſos, ipſique ſint inſtar paleæ coram vento:* quo admiſſo, Deus hoſtibus inſtans cum *procella*, & hoſtis cum *palea*, a procelloſo vento raptata, comparabitur. Vox Hebr. ſignat & *rotam* & *turbinem*, ſeu procellam rotatam; ut Jeſ. XVII. de quo mox; ultimum membrum per ſe ſtare poterit, & ſuppleri per *ſint*, ut in verſione inſtitui. β. Sed, ſi *inſtar turbinis* & *inſtar paleæ* conjungantur, quod ſtructura orationis non reſpuit, ſenſus erit, Deum in eos impreſſionem facturum inſtar venti in *rotam*, vel vorticem, & in *paleam*, quæ a vento facillime & celerrime abripiuntur, & diſſipantur: quo ſimili uſus eſt Jeſ. XVII: 13. *& impelletur concitate* (hoſtis Aſſyrius) *ut gluma montium coram vento & tanquam vortex coram turbine*, quod hic eſt: *inſta ipſis inſtar vorticis & paleæ coram vento*, h. e. inſtar venti *vorticem* & *paleam* agentis.

§. XXXIV. Quo-

§. XXXIV. Quocunque modo ſumatur, ſive hoc illove, ſive utroque conjuncto, ſenſus eodem fere redibit; qui duo maxime comprehendit, 1. hoſtes, quantopere ſuperbos, inflatos, & viribus fidentes, haud majore negotio a Deo poſſe diſſipari, ac a vento vorticem, e levi materia conſtantem, & paleam. 2. Dei gloriæ & populi ſalutis intereſſe, ut hoc quantocyus fiat; cum res ad ſummum pervenerit, & de populo Dei ceteroquin actum ſit. 3. Eo itaque collineare preces & vota populi, ut Deus miraculoſe interveniat, & populum extremis anguſtiis eripiat, hoſtes, ſi furorem & hoſtilem animum deponere recuſent, diſſipando, & in præcipitem fugam dando.

§. XXXV. 2. Huic voto poeta per modum prophetiæ ſubjungit, quid Deus in ſalutem populi ſit facturus; non hoc tantum, quod vovit, ſed plus, hoſtes ingente cum ſtrage in terribilem confuſionem & fugam præcipitem conjecturus: quod his verbis exprimitur, verſ. 15, 16. *Sicut ignis ſuccendit ſylvam & flamma percutit montes: ita perſequens ipſos vento tuo urente, & turbine tuo præcipites & ſolutos abire facies.* Simile repetitur ab *igni ſylvas* ſuccendente, & *flamma montes* adurente, ſive *percutiente* & nigrorem inducente: quæ verbi להם poteſtas eſt, propria & derivata: proprie dicit, *percuſſit paſſa manu*, unde transfertur ad *flammam adurentem*, quæ æſtu ſuo percutiat, & nigrorem inducat; ut Cl. Schultens obſervavit: quod in *montes*, qui non abſumuntur, ſed aduruntur, & nigredine veſtiuntur, recte convenit. Hoc ſimile hunc in modum redditur & adplicatur, *ſic perſequeris eos vento tuo urente*, & *turbine tuo præcipites ages*, h. e. eos partim violenta cæde, partim præcipiti fuga, auferes & diſſipabis. *Prius* membrum reſpicit ad *ventum urentem*, qui *preſter* & καύσων dicitur, ventum *Eurum*, in oriente notiſſimum, qui ut vehementiſſimus, & cum ingente fragore conjunctus, ſic & flagrantiſſimus & peſtilentiſſimus eſt, quo homines, animantia, herbæ, arbores aduruntur, et quævis noxia ac lethalia inferuntur: de quo

vento ſæpe loquitur Script., et hiſtorici ac itineratores mirabilia narrant. Hunc ventum ipſa vox Heb. deſignat, quæ, a rad. *uſſit*, *æſtuavit*, ventum urentem et flammante æſtu omnia abſumentem denotat: quare cum *igni* et *flamma* recte comparatur, ut Jeſ. XXIX: 6. *Poſterius* membrum nos ducit ad *turbinem*, ſeu ventum *raſorem*, qui multa cum glomeratione pulveris omnia ſternit ac verrit, a rad., quæ *raſit*, *corraſit*, ſignat. Quod in eundem *Eurum* recte quadrat, quippe qui et *raſor* ſimul et *uſtor* eſt; quare hæ duæ voces ſæpe conjunguntur, ut Nah. 1. *Jehovae via eſt in vento raſore ſimul & uſtore*, Jeſ. XXX: 6. et alibi. De hoc vento apte dicitur, eum *praecipitaturum* eſſe hoſtes, ut verbum reddi debet, *raſore tuo præcipites eos ages*, quod turbini proprium eſt; quo quis correptus ſusque deque agitatur, jactatur, & propellitur inſtar inſani, & haud ſecus acſi furiis agitetur. Quam poteſtatem verbum Hebr. comprehendit. In genere enim dicit, *præcipitem* & *ſolutum abire*, unde ad *mentem perturbatam*, ipſas quoque *furias* infernales, & *feſtinationem*, ſeu præcipitem curſum, tranſiit.

§. XXXVI. Verbis & phraſibus illuſtratis in mentem poetæ haud difficile fuerit penetraſſe. Hoſtes hic cum *ſylva* & *montibus*, judicium Dei cum *igni* & *flamma*, ſeu procella æſtuante & turbinoſa, comparatur. 1. *Sylvæ* emblema nos ad *copiam* & multitudinem, nec non complicatos eorum animos in perniciem Judæorum ducit, & præterea cogitationem injicit materiæ, quæ flammam facile concipit et abſumitur: *montes* ad eorum ſuperbiam, et vanam fiduciam pertinent; quæ emblemata in ſtylo figurato ſatis uſitata ſunt. Conf. Jeſ. III. & X. Jer. XXI: 32. 2. Judicium Dei, cum igni et flamma, ſeu vento *uſtore* ac *raſore*, comparatum, complectitur *a.* violentas partim cædes, partim præcipitatam fugam, cum deſperatione et ſumma confuſione conjunctam. *b.* In ſpecie *mutuas caedes*, et inteſtinas discordias, quibus, haud ſecus acſi furiis infernalibus eſſent correpti, in ſe invicem ruerent, et ſe invicem diſſiparent. Quæ discordiæ, indeque nata inteſtina bel-

bella, et mutuae cædes, divina vindicta iis immiſſæ, apte cum igni, flamma, vento uſtore et raſore, comparantur, ut ex ſtylo emblematico Prophetarum patet, Jeſ. IX: 17. *Quia improbitas exarſit ut ignis, ſentes & vepres abſumet, & incendit perplexitates ſylvæ* etc. ſic L. II. *ecce omnes vos, qui accenditis ignem*, et *vos ſcintillis*, vel *malleolis, circumdatis, ite in luce ignis veſtri, & in ſcintillis quas accendiſtis.* Quod implemento exacte comprobatumeſt; uti ex hiſtoria 2 Chron. XX. nemini non conſtat.

§. XXXVII. *b.* Hæc cum hoſtibus imprecatur et nomine Dei denunciat mala; non eſt illud in deteriorem partem rapiendum, acſi odio et ira concitatus hoſtium perniciem cupide vellet; abſit hoc a pio vatis animo! longe aliud intendit, non exitium hominum, ſed Dei gloriam, ab ipſis hoſtibus agnoscendam et celebrandam; ut ipſe his verbis declarat, verſ. 17. *Reple facies eorum notis inuſtis & quaerant nomen tuum, Jehova!* h. e. ſpe ſua, quam conceperant fundatiſſimam, dejecti, pro victoria pudendam cladem publice circumferant, et de Majeſtate tua, potentia ac juſtitia, ex certiſſimis hisce ſignis convicti, excelſum Tuum nomen, quo Jehova adpellaris, revereri ac ſubmiſſe colere discant. Duplex hic occurit judicii Divini conſequens, alterum *pudefactionem* hoſtium, alterum animum illorum *immutatum* comprehendit. Illud priore membro effertur, *imple facies eorum notis inuſtis*, quæ vocis Hebr. קלון eſt vera emphaſis, a rad. קלה, *torruit*, unde ad illud ſupplicii genus transfertur, quo terga, latera, lumbi, vultus ſolent malefici *inuri*, et *ferro candente notari*, adeoque recte per *notam inuſtam* vertitur: quod huc egregie quadrat; cum de *vento adurente* modo erat actum, quo facies recte percipiuntur *notis inuri*: quod ſuperiorum eſt conſequens. Emblema non eſt difficile explicitu, cum nemini non obvium ſit, depingi ignominioſam cladem, eoque majorem, quod de victoria tam alte præſumſerant, tantisque viribus in populum imbellem invaſerant, præterea pudendum cladis ac fugæ modum;

per mutuas cædes, cum clarisſimis potentiæ & juſtitiæ Jehovæ ſignis, denique animum pudore confuſum, de turpisſimo & ſtultisſimo facinore, quod in Israelem commiſerant, & mox in ſe ipſos verterant, convictum.

§. XXXVIII. Alterum conſequens, ex tali animo oriundum, habet, ut nomen Jehovæ *quærant*, Majeſtatem ejus agnoscendo & ſuspiciendo, potentiam ejus metuendo, clementiam ejus implorando, ipſumque Hieroſolymis donis & muneribus ſuis honorando & colendo. Hunc enim ſcopum habent *judicia* Dei, ut incolæ *terrae juſtitiam discant*, Jeſ. XXVI: 6. hunc etiam ſubinde habuerunt effectum apud populos vicinos, ut Jehovam, Deum Israelis, tanquam potentisſimum numen fuerint venerati, ejusque metu ab Israele laceſſendo & adfligendo abſterriti, imo donis ſuis eum coluerint; uti exemplum eſt in *Philiſtaeis*, cum arcam cepiſſent, Aegyptiis, & aliis tempore Hiskiæ regis poſt cladem *Senacheribi*, ſecundum 2 Chron. XXXII: 23. notabili admodum loco. *Et multi adducebant munus voluntarium Jehovae Hieroſolymam, & res quasque pretioſas Hiskiae, & efferebatur poſt haec coram oculis omnium gentium.* Quod quin Jehoſaphati tempore, poſt hoc tam ſingulare Dei judicium in hoſtes, etiam factum ſit, dubitandum non eſt; maxime cum hiſtoria 2 Chron. XX. ipſis verbis habeat, *timorem Dei corripuiſſe omnia regna terrae, poſteaquam audiviſſent, Jehovam pugnaſſe* cum *hoſtibus Israelis.* Plura ſimilia exempla proferre poſſem, ſi opus eſſet. Conf. Jeſ. XIX: 16. de Aegyptiis, Jeſ. XXV: 3. *de populo valido*, & *civitate gentium violentarum*, Jehovam celebratura tempore Maccabæorum.

§. XXXIX. β. Sed intra hæc tempora non ſubſiſtit vates, verum vota ſua ulterius extendit ad ſequentia tempora in perpetuum, optatque, ut quicunque hoſtes Israelem in poſterum ea ratione invaſerint, eandem ſortem ſubeant, plane quemadmodum Jeſ. XVII: 14. poſt cladem Senacheribi prænunciatam, *hæc ſit portio conculcantium nos*, & *ſors diripien-*

diripientium nos, & Debora in cantico, Jud. v: 31. *ſic pereant omnes inimici tui, Jehova.* Sic plane poeta noſter, quæ altera pericopæ pars, & aptiſſima eſt cantici clauſula, verſ. 18, 19. *Pudefiant, & praecipites agantur in perpetuum, notis publice adficiantur, & pereant. Et intelligant Te, nomine Tuo Jehova, ſolum eſſe excelſum ſuper tota terra.* Duas maxime ob rationes poetam non de iisdem, ſed ſimilibus hoſtibus ſequentium temporum hic agere exiſtimaverim, tum ut ejusdem rei inanis repetitio vitetur, tum ut phraſis, *in perpetuum*, majorem, imo genuinam ſuam, emphaſin retineat: ne nunc dicam, haud inſolitum, quin aptiſſimum eſſe votum, quo canticnm clauditur, ut modo obſervavi. Complectitur *a.* judicium Dei *b.* ejus ſcopum & effectum.

§. XL. *a.* Judicium Dei verſ. 18. ſonat, *perplexi praecipites agantur, notis publice adfecti pereant.* h. e. cum pudore & ignominia partim pereant, partim præcipitem in fugam dentur. Sic enim membra verſus apte ordinantur, plane ut verſ. 16, & 17. Verba ſunt ſelecta, quibus poeta utitur. *Primum*, quod *pudefieri* vertitur, apud Arab. in *perplexitate* teritur, & uſurpatur *de aridis multo ſtrepitu & tumultu inter ſe confuſis*, inſtar ſtipularum in vento: unde transfertur ad *animum perplexum* pudore, ignominia, aliisque adfectionibus, cum mentis *conſternatione* confuſum: quocum apte jungitur verbum, quod, ut verſ. 16. vidimus, feſtinatum & præcipitem curſum denotat, & mentem perturbatam, ac furiis agitatam, involvit. Vertuntur itaque recte, *perplexi ruant.* *Poſterius* membrum, & *notis adficiantur* & *pereant*, eſt, inter multam ignominiam pereant, inſtar maleficorum, qui publicis notis adfecti occiduntur. Verbum Hebr., quod *fodere* notat, inter alias metaphoras, adſumit *impreſſionem*, & *infoſſionem* q. notarum & ſtigmatum, unde denotat, ignominia publica adficere, notis ignominiæ *confodere.* Hæc cum hoſtibus imprecetur in *perpetuum*, eos, quotiescunque populum Dei ſimili ratione impetant, ſive cito, ſive diu poſt hunc caſum, in per-

petuum ſimili Dei judicio eſſe puniendos, & adfligendos, in animo habet.

§. XLI. *b.* Addit quoque eundem ſcopum & effectum, verſ. 19. *Et intelligant, Te, nomine Tuo Jehova, ſolum* eſſe *excelſum per totam terram.* h. e. Te, cujus nomen eſt Jehova, hoc ipſo tuo nomine eſſe, non in Cananæa ſolum, ſed per univerſam terram, excelſum & ſupremum Dominum; a cujus nutu omnia unice pendent. Sic verſum rectius reddimus & intelligimus, ac ſolent Interpretes, qui hic varie inſtituunt. Nomen *Jehovae* eſt proprium Dei Israelis nomen, quo ab aliis ſic dictis Diis diſtinguebatur. Hoc nomine cum Deum vult eſſe per totam terram *excelſum*, ſignificat. 1. Deum Israelis pro ſolo vero & ſupremo numine & terræ totius Rectore potentiſſimo eſſe agnoscendum, & celebrandum. 2. idque in ſpecie nomine ſuo, quo Israelis & Deus fœderatus eſt, qui eum populum ſibi elegit, & ejus vindicem agit: quo reſpicit nomen *Jehova*, Exod. III. 3. imo ab illis in ſpecie virtutibus *veracitatis*, *juſtitiæ* & *gratiæ*, quæ nominis Jehovæ ambitu ſunt comprehenſæ, Exod. XXXIV. Hæc ut *cognoſcant* hoſtes, cum poeta precatur, animum gloriæ Dei ſtudioſum, hoſtium quoque ſalutis, & non exitii eorum æterni, cupidum exprimit: non enim ſimpliciter vult, ut vim nominis Jehovæ *experiantur*, ſed, hoc experimento docti, ad ſaniorem mentem redeant, & Jehovam, Deum Israelis, pro ſolo Deo excelſo & ſummo rectore ac judice agnoscant, & venerentur: id quod verſ. 17. *quærere nomen Jehovae* dictum eſt.

§. XLII. Quæ cum clara & certa ſint, nollem erudito Commentatori, J. Clerico, excidiſſet ad verſ. 17. *Optat hoſtibus non reſipiscentiam & cognitionem Dei, qua eum placent, ſed perniciem, ut ſequentia oſtendunt. Nondum juſti erant homines pro hoſtibus, etiam infenſiſſimis, Deum orare, ut nos Chriſtiani.* Licet mihi propoſitum non ſit, hypotheſin his verbis ſubjectam examinare, aut verba hæc ex hoc Pſ. falſi convincere; quod ex dictis cuivis facile eſt: non poſſum

poſſum tamen, quin harum & ſimilium precum conſpectum & ſcopum verbo aperiam. 1. *Primo* itaque notari velim, non qualescunque hoſtes, multo minus privatos adverſarios, ſed tum publicos populi Dei eosque infenſiſſimos, qui ejus perniciem hoſtiliter & palam moliuntur, tum impios & profanos, omnisque juris, & æqui conculcatores, intelligi, qui per conſequens *peccatorum clamantium* rei ſunt, quos judicis ſupremi juſtitia non permittit abire impunitos; pro quibus ſub ipſo etiam N. T. *orandum* eſſe negat Joh. 1. ep. v. quippe qui ad *mortem peccarunt*. Talibus, tanquam humani generis peſtibus, & latronibus, cum vi liceat reſiſtere, iisque quævis mala infligere, cur orare nefas ſit, ut cum effectu iis nos opponamus, & Deus conatibus noſtris faveat, adeoque contra eos orare, equidem non video. 2. Sed præterea obſervari velim, preces contra hoſtes non legi fuſas, niſi ubi de *voluntate* Dei conſtat, adeoque propheticarum interminationum & prædictionum habere conſpectum, ut ſupra vidimus. 3. Accedit, preces illas non ex animo *vindictæ* cupido proficisci, quod ſemper damnandum eſt, ſed gloriæ & ſalutis populi Dei ſtudioſo, ad ipſorum hoſtium commodum, ut, ſi aliter nequeant, per judicia Dei meliora discant.

PSALM.

PSALM. LXXXIV.

1. *Praefecto ſuper Gittit, filiis Corachi, Pſalmus.*
2. *Quam dilecta habitacula tua! Jehova exercituum.*
3. *Deſiderio tabefaciente & conſumente anima mea deſideravit atria Jehovæ: cor meum & caro mea tremulum & tinnulum ſonabunt ad Deum vivum.*
4. *Etiam paſſer invenit domum, & palumbus nidum ſibi, ubi pullos ſuos reponat, apud altaria tua, Jehova exercituum, rex mi! & Deus mi!*
5. *Beatos! qui inhabitant domum tuam, iterum iterumque Te laudabunt. Sela!*
6. *Beatum hominem! cui robur in Te eſt; in quorum corde ſunt viæ tritæ.*
7. *Pertranſeuntes vallem lacrymationis fontem ponent ipſum; etiam benedictionibus cooperiet pluens.*
8. *Ibunt e robore ad robur,* donec *conſpiciatur ad Deum in Tſione.*
9. *Jehova, Deus exercituum! exaudi precationem meam, auribus accipe, Deus Jacobi, Sela!*
10. *Clypeus noſter vide, Deus! imo vibrante oculo faciem uncti tui.*
11. *Quia potius die uno in atriis tuis limen domus Dei mei obſervare elegerim, quam mille habitare in tentoriis inprobitatis.*
12. *Quia ſol & ſcutum eſt Jehova Deus, gratiam & gloriam dabit Jehova, non prohibebit bonum ambulantibus integre.*
13. *Jehova exercituum! beatum hominem, Tibi confidentem!*

PROLE-

PROLEGOMENA.

§. I. Hoc in Pſalmo illuſtris quidam Vir, Dei ejusque cultus flagrante ſtudio ductus, introducitur, qui votorum pro tranquilla domus Dei inhabitatione, quæ antea, cum hoc privilegio carebat, conceperat, compos factus, & ſingulare curæ Dei, in via ipſius ad hunc ſcopum dirigenda, ſpecimen nactus, ac fiduciæ ſuæ in Jehova optatum fructum conſecutus, ſummam hanc ſuam, aliorumque ejus beneficii conſortium, felicitatem celebrat, ejusque perennitatem ſupplex petit; eo ſcopo, ut pii hoc exemplo & excitarentur ad Deo fidendum, in primis cum in ſimiles caſus difficiles inciderent, & cultus Dei exercitium quantivis pretii ducerent, adeoque nihil non agerent, ut hoc tanto beneficio in perpetuum fruantur.

§. II. Hæc quæ de *ſtatu* perſonæ loquentis, de *argumento* & *ſcopo* Pſalmi in brevem ſummam collecta, expreſſi, paulo accuratius & per partes ſunt explicanda, & demonſtranda, ut via ad Pſ. intellectum ſternatur. 1. *Status* perſonæ, hic loquentis, eſt læta domus Dei, Hieroſolymis fundatæ, vel mox ædificandæ, inhabitatio, ac tranquillum cultus Dei exercitium, oppoſite ad ſtatum præteritum, in quo hac prærogativa carens eam & ardenter expetebat, & per longam moleſtiarum ſeriem, ſolius Dei auxilio nixa, quærebat. Interpretes, ad duplicis hujus ſtatus criteria, ex Pſ. mox eruenda, non adtendentes, perſonam ſibi finxerunt, vel quæ graviſſimis obſtaculis a cultu Dei Hieroſolymis prohibebatur, ſive quod eſſet in exilio, domo Dei deſtructa, ſive quod coram hoſtibus, Saulo aut Abſolomo, (cogitant enim illi de Davide) fugeret; vel quæ per loca deſerta & inhospita ad domum Dei tendebat, uti ſacerdotes & levitæ Hieroſolymam, ut in ordine ſuo ſervirent, adſcendentes, ad quos Pſ. adplicant. Atenim, licet Pſ. in uſum eorum, qui, non niſi multis difficultatibus ſæpe ſuperatis, Hieroſolymam

adire poterant, ut ex verſ. 7 & 8. colligitur, de quo poſtea, ſit compoſitus; praeſens perſonae loquentis conditio erat *laeta*, ſicut hominis, qui votorum damnas factus eſt, longe diverſa a praeterito ſtatu, quo adpetebat, & quaerebat, hanc felicitatem. De praeſente hoc ſtatu teſtatur *a. argumentum & ſcopus* Pſalmi, quo tum beatitatem ſuam & aliorum, domum Dei incolentium, & Deo fidentium, celebrat, tum ſuo exemplo ſalutares fiduciae, in Jehova poſitae, fructus explicat, ut piorum animos in ſimilibus caſibus erigat; de quo mox. *b.* Verſus 3tius utrumque ſtatum complectitur; praeteritum his verbis, *deſiderio conſumente & tabefaciente deſideravi atria Jehovae*; ſic enim in praet. vertenda ſunt; praeſentem vero his, *cor meum & caro mea tremulum & tinnulum ſonabunt ad Deum vivum*, h. e. laetas voces edent. Quae duo verſus membra de uno eodemque ſtatu capi nequeunt, tum quod diverſi temporis verba, alterum praet., alterum futur., adhibeantur, tum quod verborum diverſiſſimus ſit ſignificatus, ut in verſione expreſſi: de quo mox. *c.* Accedit, verſ. 4to *invenit avicula domum*, &c. ad ſtatum hujus perſonae adlucti, ut ſuo loco obſervabo; adeoque innui, eam locum apud altaria Dei inveniſſe. Denique *d.* cum verſ. 7 & 8. ſuo exemplo edoctus dicat, Deo fidentes per vallem lacrymantem *ituros a robore ad robur*, donec coram Deo in Tſione compareant; ſe eo pervenisſe clare inſinuat. Ne nunc *e.* de emphaſi phraſios, verſ. 10. *respice faciem uncti tui*, quae uncti praeſentiam coram Jehova ex verſ. 8. requirit, dicam: quia ſubtilius eſt, & forte dubium.

§. III. 2. Argumentum Pſalmi eſt partim *gratulatorium*, partim *precatorium*. *α.* In priore, verſ. 1—8. felicem ſuum, & omnium aliorum, eodem beneficio gaudentium, ſtatum, quo poſt tot deſideria, tot labores & moleſtias exantlatas, Deo prope adeſſe in Templo & cultu ejus defungi ſibi licebat, extollit, & multis praedicat. *β.* in poſteriore preces pro ſtatus illius perennitate fundit, verſ. 9—13.

Etſi

Etsi enim precum exaudiendarum solam faciat mentionem, argumento eorum non memorato, ex seq. tamen haud obscure elucet, quid ipsi in animo fuerit; nimirum, ut diu versari liceret in domo Dei, nec unquam ad impiorum tentoria necesse haberet divertere.

§. IV. 3. De *scopo* Psalmi constat, tum ex ipso argumento, tum ex clausula, vers. 13. *Jehova exercituum! beatum hominem! qui tibi confidit:* adeoque huc redit, ut α. *fiducia*, in Deo rite reposita, a salutaribus effectis in genere commendetur. β. Cultus Dei studiosi, qui per multas molestias eo tendere debebant, corroborarentur, & ad Deo fidendum, nec de studio remittendum, excitarentur, suo exemplo admoniti, ut patet ex vers. 6—8.

ANACRISIS.

§. V. Cum Persona, ad quam monstrandam accedo, nomine suo non exprimatur, nec in Ps. titulo occurrat; ex *criteriis*, in ipso Ps. consignatis, de ea judicandum est. Quæ itaque ante eruamus, quam de ea judicium ferimus, necesse fuerit. Sub manus mihi venerunt sequentia. 1. *Primum* est, hanc personam fuisse singulari prorsus affectu erga Dei cultum Hierosolymis peragendum prædictam; ut ex toto Ps. elucet. Hoc enim bonum ardentissime desideravit, quum eo careret, hoc omnibus aliis bonis longissime præfert, ita etiam, ut vel dignitatibus quibusvis renunciare voluerit, modo eo perenniter frueretur, vel infimo loco in domo Dei contenta. 2. *Secundum* habet, eam instar aviculæ & passeris aliquando extra hanc Dei domum debuisse oberrare; quod vers. 4. innuitur; ut suo loco patebit. 3. *Tertium*, pium hunc, Dei, ejusque cultus, amantissimum, per difficilia & molesta quævis grassari debuisse, ut hujus voti sui compos fieret, quod per *vallem lacrymantem* insinuat, vers. 7. 4. Hoc in statu eam a Deo, ejusque gratia & au-

xilio unice pependiſſe, & ei confidiſſe, *quartum* habet criterium ex eodem verſu, & toto Pſ., ſponte ſua ſeſe offerens. 5. Denique eam vota ſua tandem conſecutam eſſe, & ſtabilem ſedem apud altaria Dei accepiſſe, *quintum* docet criterium ex verſ. 4, 8. & Pſ. argumento facile eruendum. 6. Accedit poſtremo, non vulgarem, ſed illuſtriſſimam fuiſſe perſonam, cujus exemplum maximam vim habebat, adeoque, quod omnibus proponi merebatur; imo quæ *uncti* Jehovæ nomen eximie gerebat, verſ. 10. *Si unctus* ſit ipſe ille, qui hic loquitur, & non alius; de quo mox.

§. VI. Perſonam quærenti, cui hæc criteria conveniunt, David & Ezras ſeſe obtulerunt, quorum ratio hic haberi poſſit. Ezras, quo tempore cum inſigni comitatu, litteris Artaxerxis munitus, Hieroſolymam anno regis VIImo venit, ut Jehovæ cultui operam daret, eumque inſtauraret, has lineas non male cenſeri poſſet præſtitiſſe, quod ex Ezr. VII., ubi hiſtoria narratur, cum hoc Pſ. comparato, cuique patebit. Ejus utique proprius character fuit *ſtudium legis*; cui ſe totus dedit: oberravit inſtar aviculæ cum comitibus, & per varia rerum diſcrimina, unius Jehovæ ſub tegmine tutus, per loca inhospita & ſiticuloſa, inter medios hoſtes, Hieroſolymam adpulit, ibique ſedes fixit. Roboris quid addit huic cogitationi, quod Ezras fuerit perſona ſacra, ex genere ſacerdotali; qualem videtur requirere tum illud inhabitare *domum* Dei, quod hic celebratur, tum phraſis, *limen domus Dei obſervare* verſ. 11. Hæc licet magna ſpecie ſeſe commendent, duo tamen inprimis impediunt, quominus hic pedem figere auſim. 1. Unum eſt, quod præſens hujus perſonæ ſtatus hic fortunatior & tranquillior depingatur, quam in tempora Ezræ, periculoſa, difficilia & tenuia, etiam corruptiora, quadret. 2. *Alterum*, quod magis ſtringit, titulus *uncti Jehovae*, verſ. 10. ſuppeditat, qualem nec in Ezra, nec alio ejus temporis reperio: ad quod accedit, *Davidis* vel *Salomonis* uſitatum eſſe in Pſalmis titulum.

§. VII.

§. VII. Mihi itaque, etsi Ezram oculis plane dimitti nolim, tutius videtur eos ad *Davidem* flectere, in quo haud minore emphasi omnia criteria concurrunt; imo, cujus magis quam ullius character distinguens est *domus & cultus* Dei Hierosolymis ardentissimum studium; quod ubique in Ps., ut XXVII, XLII. & aliis expressit, & per omnem vitam demonstravit. Ipse etiam votorum compos evasit, sed non nisi post multas oberrationes, multa discrimina & graves molestias; id quod nemini non est notissimum. Modo teneatur, ultima Davidis tempora præcipue in censum venire, post calamitates Absolomicas superatas, cum de Templo haud diu post ædificando esset certus, & ad illud essent omnia parata; ita ut censeri possit, lætam illam conditionem sub Salomone, quam hic præcipue depingit, mente præcepisse. Primitiis quidem ipse est gavisus, cum, malis omnibus superatis, cultu Dei coram *arca*, in Tsione collocata, tranquille potuit defungi; sed plenam messem in Salomone consequeretur; quo forte respicit vers. 10., de quo postea.

§. VIII. Hæc si obtineat hypothesis, quam Ps. explicatio corroborabit, & luce perfundet; eum Ps. XLII., cujus appendix est Ps. XLIII., apte potuisse subjungi, observo; cum, sicut in illo tristis & calamitosus Davidis status sub Saulo vel potius Absolomo, quo, a sacris prohibitus, eorum desiderio flagrabat, & se ad Deo unice fidendum excitavit, depingitur, in hoc nostro digitus ad eum statum intendatur tanquam præteritum, & præsentis felicis ac tranquilli, oppositæ ad præteritum illum, lineæ ducantur. Habent etiam eandem fere inscriptionem, *Præcentori, filiis Koraçhi.*

§. IX. Cujus tituli quis sensus sit, nosterque Ps. quem auctorem habeat, curiosius magis quam utilius inquiritur, & disceptatur; in primis cum titulorum anceps ut plurimum sit explicatio. Prior tituli pars, *præfecto Haggittith*, & *præfectum* musices, & *melodiam* Gittæam, unde etiam ita

dictam, ſignat; de quo ad Pſ. LXXXI. jam egimus: poſteriore in parte num *filii Korach* pro *cantoribus*, an *auctoribus*, ſint habendi, dubium eſt. Mihi prius magis placet, ob rationes ad Pſ. XLII. jam prolatas: quas non repetam. Sint itaque *filii Korach*, ſeu poſteri ejus, *cantores*, quod eorum fuit officium. Quis ſit *auctor*, non liquet, nec noſtra intereſt: ſive David ipſe, ſive alius, ſpiritu adflatus, qui eum introducit loquentem; quemadmodum poetis ſæpe in more eſt, ut in perſonis aliorum carmina condant, perinde eſt.

EXPLICATIO.

§. X. In priore parte, ut ad Pſ. explicationem accedam, in qua felicem ſuum ſtatum præſentem extollit, vir cultus Jehovæ ſtudioſiſſimus, qui hic loquitur, mox in principio erumpit in exclamationem, dicens verſ. 2. *quam dilecta habitacula tua! Jehova Tſebaoth*, quæ de animo, adfectus pleniſſimo, teſtatur. Indicat enim, hinc auſpicia ſumens, ſibi nihil optatius accidere potuiſſe hoc ipſo bono, quo fruebatur, & poſtea magis gauderet in filio, qui Templum conderet, nihil homini pio eſſe felicius & magis diligendum. *Quam dilecta habitacula tua! Jehova Tſebaoth.* Adloquitur *Jehovam*, verum & proprium Israelis Deum, hoc nomine ab aliis ſic dictis numinibus diſtinctum, Deum *veratem*, qui dictis & promiſſis pleniſſimam præſtat fidem, uti Davidi præſtiterat, eum ab omnibus malis liberando, & in felicisſima conditione collocando; in qua nunc erat, Salomonem ſucceſſorem habens, qui Templum ædificaret; & regnum longe prosperrimum haberet; præterea *Jehovam*, qui omnia promiſſa, populo Israelis facta, pleniſſime nunc partim implevit, partim impleret. Sed, quare *Jehova Tſebaoth* ſeu plenius, *Jehova Deus Tſebaoth*, (Jehovæ enim nomen, uti notum, quod eſt proprium, ſtatum conſtructum reſpuit,) id eſt *exercituum*? ſive *cæleſtium*, puta Angelorum, ſive

sive terrestrium, puta Israelitarum, qui *castrorum* Dei epitheto ornantur: quod eo magis quæritur, quia *quater* repetit in hoc Ps. Putem respici tum ad felicissimum omnium Davidis expeditionum successum, soli Deo acceptum ferendum, tum ad potentissimam Dii *protectionem*, qua regnum Davidis tutaretur, & intactum redderet, quo *clypei* titulus, vers. 10, 12., manifeste tendit.

§. XI. Loquitur de Jehovæ *habitaculis*, eaque esse quam *amabilissima* pronunciat; ut mox in principio cantici insinuaret, se jure meritissimo illa tanto ardore desideravisse, & nunc summam in eorum possessione ponere felicitatis, & gaudii. Domus Jehovæ, quam nemo non hic intelligi videt, α. *tabernaculi* nomine, seu *tentorii*, qui vocis usus est, venit, sive quia Jehovam adpellaverat *Deum exercituum*, cujus est *tentorium* inhabitare; sive quia *Templum* nondum erat, adeoque vox ea minus esset trita. β. *Tabernacula* in numero pl. dicuntur ædes Jehovæ, sive quod variæ essent partes, sive excellentiæ ergo. Domus intelligitur, in qua Deus se symbolice sistebat præsentem, ipseque publice & unice colebatur, & unde suas benedictiones in populum conferebat. Quæ tritissima sunt.

§. XII. Explicemus potius summam hujus domus *amabilitatem*, quam hic tantopere prædicat Vir Sanctus, cum dicit, quam *dilecta habitacula*, tua scilicet, & *mihi* sunt, & omnibus esse merentur. Notio enim est relativa, dicitque objectum amoris & dilectionis aliorum. Quod cum præstantissimum & utilissimum, quo amor noster excitari solet, nobis obversari debeat; in *Tabernaculo* seu habitaculis Jehovæ tale quid deprehenderit vir sanctus, necesse est. Non illud longe quærendum est, modo oculis ab externa ædificii specie, quam splendida etiam & gloriosa, quippe quæ non nisi carnalibus hominibus imponere potuerit, abstractis, *scopum* & *usum* horum habitaculorum ad animum revocemus, qua Dei inhabitationi in medio populi, ejusque *cultui* ibi unice exercendo, inserviebant. Etsi enim *symbolica* fuerit

rit inhabitatio, & cultus externus ac ritualis, attamen; erat veri Dei cultus legitimus, a Deo præſcriptus, in quo qui ſeſe occupatum tenet, is ſe Deo præſtabat obſequioſum, & eo nomine acceptum, 2. adeoque habebat hic cultus ſecum *bona* fœderis, quod Deus cum Israele pepigerat, conjuncta: 3. in ſpecie, cum hæc habitacula eſſent Hieroſolymæ adligata, regni Davidici perpetuam ſucceſſionem & proſperitatem obſignabant. 4. Nec hæc ſola erant privilegia, & bona hinc exſpectanda, verum qui ex vera *fide* & ſincero in Deum adfectu his ſacris defungebantur, ut oportebat, de ſummo & æterno Dei favore certi erant, & quævis bona Spiritualia, quæ foederis gratiæ promiſſa audiunt, ſibi promittere poterant. 5. Quocum proxime cohæret, ſacra hæc omnia fuiſſe myſtica & typica, Meſſiam, ejusque oeconomiam, depingentia; quæ ut præſtantiſſimam meditationum materiam, ſic & fidei ac ſpei firmamentum ac pabulum ſuppeditabant longe ſaluberrimum.

§. XIII. Hæc eorumque ſimilia, Davidi fuiſſe animo obverſata, tum ex hoc ipſo Pſ., tum Pſ. XXVII: 4. ubi dicit, ſe unice quæſiviſſe domum Dei incolere, *ad videndam amoenitatem Jehovæ & inquirendum in Palatio* ejus, tum ex ipſa piiſſimi viri indole, facile eluceſcit. Quam ob cauſam hæc habitacula Dei jure meritiſſimo adpellaverat *amabiliſſima & exoptatiſſima:* quo ipſo ſignificat, ſe & ſano de Deo, rerumque pretio, præditum fuiſſe judicio, & vera fuiſſe imbutum *pietate*, in ſpecie, oculos non eſſe fulgore Majeſtatis & ſplendore regni præſtrictos, nec gloriam ac potentiam ambiiſſe, ſed Dei gloriam, ac cultum, præcipue quæſiviſſe, & in Dei præſentia ac favore ſummam felicitatis ſuæ collocare; adeoque ſibi unice in votis fuiſſe & eſſe, ut Deo ſeſe adprobare queat; totamque vitam ſub Dei oculis degat, & ad ejus voluntatem componat. Non enim exiſtimandum eſt, virum pium tanta fuiſſe infectum ſuperſtitione, tamque abjecte de Deo ſenſiſſe, ut virtutis, officiorumque boni viri, nulla vel exigua habita ratione, ſolo

lo cultu rituali, in domo Dei exercendo, contentum, ejus favorem conſequi ſe poſſe putaverit. Quæ peſtilentiſſima eſt hominum inepte devotorum, & carni potius quam Spiritui & rationi litantium, opinio, qua *ſeparant quæ Deus conjunxit.* Quibus ædes Dei ſunt *amabiles*, & *cultus* Dei iis adligatus delectabilis; illorum animus a Deo non poteſt eſſe alienus, nec Deo ſanctiſſimo, & omnis virtutis normæ ac exemplari, diſſimilis. Quid enim *luci cum tenebris?* ſancto Deo cum iis, quorum animæ & manus impuræ ſunt?

§. XIV. Cum Vir illuſtris, & cultus Dei ſtudioſiſſimus, ſibi aliisque Dei amantibus, nihil in hac vita optatius & felicius inhabitatione in tabernaculis Jehovae accidere poſſe, per modum exclamationis, verſ. 2. teſtificatus eſſet, nunc accuratius exponit, א. quo animo fuerit, cum hoc tanto bono carebat, verſ. 3. in priore membro. ב. quanta lætitia in præſentia ſit adfectus, hac prærogativa mactatus, verſ. 3. membro poſteriore, & verſ. 4. Quando ג. beatos prædicat tum domus Dei incolas & adcolas, verſ. 5. tum eos, qui hoc ſuo exemplo animati Deo fidant, nec vel in difficillimis caſibus animis despondeant, addito promiſſo favoris Dei, quo votorum compotes ſint futuri, verſ. 6--8.

§. XV. א. Summum animi deſiderium, quo in Dei cultum Hieroſolymis tempore præterito calamitoſo fuit adfectus, his verbis verſ. 3. exprimit. *Deſiderio tabefaciente & conſumente anima mea deſideravit atria Jehovæ*, ſc. tempore adflictionis & fugæ præterito, quo mihi Hieroſolymam adire, aut cultu Dei legitime defungi, non contingebat: id quod ſupra obſervavi. Verba Hebræa non niſi in animum, quem rei amatæ deſiderium, quod expleri non poteſt, cruciat, quadrant; adeoque ſtatum Davidis, ad quem hoc canticum adplicamus, pingunt, quo hac prærogativa carebat, partim vi præpeditus, partim aliis negotiis, quæ manum domui Jehovæ admovere prohibebant, implicitus. De quo mox, poſteaquam ſenſum & emphaſin verborum in lucem produxero.

§. XVI. Loquitur de *atriis Jehovæ*, ſeque flagraſſe eorum *deſiderio* teſtatur. *Atria Jehovæ*, vel plenius *domus* Jehovæ, quæ duobus *atriis exteriore*, & *interiore*, illo in uſum populi, hoc Sacerdotum & Levitarum, ut notum eſt, ornata erat, hic ipſam *domum* Dei, & *cultum*, cujus maxima pars, in atriis exercebatur, comprehendunt; quod tralatitium eſt Majoris fuerit, vim verborum, quibus *deſiderium* explicatur, quæ haud ſpernenda eſt, tradidiſſe. Prius verbum, cujus proprietas eſt in *pallore*, qualis color eſt *argenti*, de quo derivatum uſurpatur, ad animi adfectionem, quam *deſiderium* vocamus, translatum, non qualecunque, ſed *vehementius* ſignat, quo quis *tabefieri* dicitur, vel qui faciei & corpori eum inducit colorem. Dicit itaque proprie נכסף *tabifico colore* infectus *fui* ob atria Jehovæ, h. e. vehementiſſimo flagravi deſiderio; ut Gen. xxxi: 30. Alterum verbum כלתה, quod *conſumere*, in ſpecie *conſumtione* tabis, denotat, ejusmodi quoque deſiderium, quo vigor animi & corporis evanescit, ob oculos ponit, ut Pſ. cxliii: 7. cxix: 82. & alibi ſæpe. Emphaſin non minuit vox *anima* addita, quæ deſiderii *ſubjectum* continet. Illa enim, a rad. *respiravit*, proprie *flatum*, *ſpiritum*, inde *anhelans deſiderium*, vel animam eo adfectam, denotat.

§. XVII. Cuncta eo tendunt, ut veri, vivi, ſummi, & amplius non ferendi, deſiderii lineæ ducantur; adeoque Davidis animus hoc adfectu flagrans ob oculos ponatur, quo tempore 1. extra domum Dei oberrare debuit, ſive ſub Saulo, ſive ſub Abſolomo. 2. Deo Templum erigere, perpetuis bellis fuit prohibitus: donec ſub finem vitæ in certam ſpem Templi, brevi condendi, venit, eaque ſpe ſe lactavit, imo tanquam impleta lætatus eſt; quando hic Pſ. eſt compoſitus. Spiravit per omne illud tempus hunc animum, ut ex ejus hiſtoria, & multis Pſ., nemini non notum eſt. Huc ſemper vota collinearunt, non tam ut regno potiretur, quam ut Dei cultum, miſere collapſum ſub Saulo, inſtauraret non tantum, ſed quam celeberrimum redderet.

§. XVIII.

§. XVIII. 3. Huic ardenti desiderio successit alius, nec minoris vehementiæ, adfectus, sed lætior & jucundior, *lætitiæ* sc., ex boni optati possessione, partim præsente, partim mox futura sub Salomone: quem adfectum expromit vers. 3. ejusque *rationem* & *causam* vers. 4. Verba vers. 3. ita sonant: *cor meum & caro mea tremulum & tinnulum sonabunt ad Deum vivum*, sc. eum lætis vocibus invocando & celebrando. Quem sensum fundit constructio, ad *Deum vivum*; quæ, ex frequente particulæ *ad* usu apud Hebr., etiam verti potest, *de Deo vivo*, ut Jes. XXXII: 6. Job. V: 8. XLII: 7. 8. & alibi. Intelliguntur *preces* & *cantica*, sive ad Deum, sive de Deo, sive ad quid petendum, sive gratias agendas, sive Deum glorificandum: quæ pia erant piorum in domo Dei exercitia præter cultum ritualem, & cum eo conjungi solita. Quo vir pius indicatum voluit, se in externis ritibus non acquiescere, sed *Deum* ipsum in animo & oculis habere; suumque adfectum, & gratum & Deo dicatum, omnibus modis explicare velle. Non sine emphasi *Deum vivum* adpellat, ut ab *idolis*, Diis mortuis vel nihili, distinguatur, & *omnisufficientia* Dei, qua & vult & potest omnibus desideriis nostris sufficere, sine quo amor & cultus Dei vix possunt subsistere, in animos nostros defigeretur. Ceterum lætum animi adfectum, non qualemcunque, sed purissimum & vehementissimum, designat verbum, quod verti; *tremulum & tinnulum sonabunt*, propriam verbi notionem secutus. Est enim רנן inter nomina a sono ficta, sonum *tremulum & tinnulum* sonans, in ר enim *tremulum*, & in duplice נ *tinnulum* est; unde ad *lætitiam* transiit, in qua similis inest vocis modulatio. In rem est, quod Ps. LXIII: 6. occurrit. *Velut adipe & pinguedine satiata est anima mea; & labiis tremulis* ac *tinnulis laudabit os meum:* quod hic brevius & concisius dicitur, *cor meum & caro mea læta sonabunt.* Quæ duo conjuncta, sicut totum hominem significant, ita lætas voces non corpore solum & ore, sed *animitus* esse edendas indicant. *Labiis* enim et *ore* Deum honorare, *corde* alie-

no, vel longius remoto, eorum eſt, qui Deo illudunt, & hominibus imponunt.

§. XIX. Hisce cum dicit officiis ſe *defuncturum* eſſe, verbo fut. temporis, præſentis ſtatus continuationem, quin amplificationem, intendit; & id, quod jam hoc tempore agebat, continuo, imo in poſterum amplius, eſſe facturum, declarat. In præſentia, cum *arca* Dei in Tſione ſedes habebat, & David pacifice ac tranquille degebat Hieroſolymis, omnibus laboribus & moleſtiis ſuperatis, cultu Dei cum lætitia occupatus erat, & in precibus, ac canticis componendis, Deoque accinendis, totus erat; nec ab hoc officio ad finem vitæ deſiſteret; quin, Templo a Salomone erecto, magis & amplius hoc ageret, tum per cantica ſua, quorum tunc præcipuus foret uſus, tum in Filio & piis ex populo.

§. XX. Sed unde illa læta animi adfectio? ex tranquilla inhabitatione loci, cui veri Dei cultus erat adligatus, qua & ipſe & totus populus, ad minimum & viliſſimum usque, poſt multas oberrationes & ſollicitudines, moleſtiasque, fruebatur. Quam verſ. 4. his verbis proponit. *Etiam paſſer invenit domum, & palumbus nidum ſibi, ubi pullos ſuos reponat, apud altaria tua, Jehova exercituum, rex mi! & Deus mi!* Multi in *ſenſu & ſcopo* verſus conſtituendo multum laborarunt, cum nec qua ratione *paſſeres & oves* in tabernaculo, quin altari, nidificare dicantur, nec quid hoc ad rem faceret, explicare potuerunt: quorum conatus nunc miſſos facio, cum, fundamento deſtructo, & vero ſenſu in lucem protracto, nihil hic difficilis ſuperſit. Interpretes in errorem abduxit, quod *paſſerem & palumbum* proprie & litteraliter acceperint, cum emblematice & inproprie hic occurrant: quid enim *paſſeribus* cum *altari?* quid *aves* memoraſſe adtinet? aves nidificantes in altari nos ad deſolationem domus Dei potius, quam frequentiam & prosperitatem ducerent. Quid multa? David ſe & quoscunque cives, etiam viliſſimos, hic cum iſtis aviculis comparat, ſeſeque

ſeque inſtar earum fixas & tranquillas ac tutas ſedes prope ipſum altare Dei poſt longas oberrationes & varias viciſſitudines accepiſſe, ſignificat. Eſt acſi dicat: ſive, *etiam ſicut paſſer* invenit domum & *palumbus* nidum, ſic *ego apud altaria tua*, ſive, etiam *paſſer*, qui ipſe ego ſum, & mecum alii, etiam viliſſimus quisque, *invenit domum apud altaria tua. Prius* ſi obtineat, apodoſios & protaſios particulæ deerunt, & pertinebit ad claſſem *ſimilium implicitorum*, ut Gejerus recte obſervavit; *poſteriore* ſenſu, vox *paſſeris* & *palumbi*, non proprie, ſed figurate erit intelligenda; quo nihil in Script. eſt uſitatius: imo ipſe David ſe & alibi comparavit avi fugitivæ, & incertis ſedibus vaganti, 1 Sam. XXVI: 20., & ipſi quoque vulgo illuſum fuit hoc ſimili, ut eſt Pſ. XI: 2. *quomodo dicere poteritis de anima mea, eam vagari per montem inſtar aviculæ.*

§. XXI. Hac ratione recte cohærebit oratio, & verſus noſter conditionem Davidis præſentem, oppoſitam præteritæ calamitoſæ, tutam & prosperam depinget, quæ lætas voces peperit, tanquam ei apte congruas: qui nexus clarior erit, ſi mente voculam כי *quia etiam paſſer* &c. intelligas: quod ſæpe contingit. Comparatio inſtituitur inter *paſſerem* & *palumbum*, poſt varias oberrationes tutos nidos nactos, ubi pullos reponant ſine metu & periculo, & *Davidem*, ſtabilem & tranquillam ſedem prope altaria Dei, tanquam *aſyla*, conſecutum pro ſe & *domo* ſua in ſeram poſteritatem. Simile petitur a *paſſere* & *palumbo*. Prior enim vox in genere *avem*, a rad., quæ *ſibilavit* denotat, ſed uſu ſuo *paſſerem* in ſpecie; poſterior vero *palumbum*, vel *turturem*, columbæ ſylveſtris genus, uti Vir in hoc ſtudiorum genere ſummus, Bochartus, docuit. Aves itaque palabundas, incertis ſedibus vagantes, ſimul viles & imbecilles, hic memorat, ut priſtini ſui ſtatus memoriam renovaret, & beneficium, quo mactatus erat, illuſtrius redderet.

§. XXII. Harum enim avicularum inſtar nunc *domum & nidum juxta altaria Dei* acceperat, h. e. tutum & tranquillum domicilium in ipſo illo loco, ubi *altaria* Dei erant; non enim *ipſa altaria* pro *domicilio* haberi vult, ut male accipitur, ſed pro loco ſedibus ſuis proximo: quod particula ים facile admittit. *Altaria* in plur., duplicis *altaris*, holocauſti & ſuffitus, reſpectu. Sed quare *altaria*, & non *domum Dei* memorat? tum, ni fallor, quod media eſſent reconciliationis & *unionis* hominis peccatoris cum Deo, tum quod præcipua cultus ritualis pars in *altaribus* exerceretur, tum quod *aſylorum* habuerint prærogativam; ubi quis tutus & ſecurus eſſe cenſebatur, quod huc recte quadrat, tum denique, quod chori cantorum circa altare verſarentur ad ſacros cantus Deo tempore ſacrificiorum accinendos: quo respicitur Pſ. XXVI: 6, 7. *lotis manibus circumibo altare tuum ad lætis & claris cantibus laudes tibi canendas*, & *mirabilia tua enarranda.*

§. XXIII. Significat itaque his verbis 1. ſe *ſtabilem & fixam* ſedem conſecutum eſſe, 2. tranquillam & tutam ſub Jehova ſummi regis, & veri Dei, tutela. 3. pro ſe non tantum, ſed & *familia* & *liberis*. 4. a loco cultus Dei non remotam, ſed propinquiſſimam, in ipſa religionis *ſede*, Hieroſolymis adligata. 5. adeoque ſe votorum eſſe compotem factum, & cultus Dei exercitio continuo fore occupatum. 6. Denique peculiari prorſus Dei beneficio; eo majoris faciendo, quo vilior ipſius fuerat & calamitoſior conditio priſtina. Quo reſpicit particula *etiam; etiam paſſer invenit* &c. 7. Addi poteſt, non ſe tantum, ſed quosvis alios cum ipſo, in hoc beneficio partem habere; toto regno tranquillo & tuto, & religionis exercitio publice conſtituto; ita ut, quicunque voluerit, nidulari quaſi potuerit juxta altaria Dei. Etſi enim ad Davidem directe & ſumma emphaſi verſus pertineat; nihil tamen impedit, quominus ad *cives* totius regni extendatur, ne viliſſimis exceptis, imo proſelytorum, qui tempore Davidis & Salomonis haud pauci fuiſſe videntur ex *vicinis* populis, ratio quoque, habeatur

habeatur; ad quos avium, in deſerto vagantium, emblema recte adplicatur. Quod verbo tetigiſſe ſuffecerit.

§. XXIV. 1. Definit in felicitatis eorum, qui domum Dei inhabitant, prædicatione, per modum exclamationis prolata, quacum verſ. 2. inceperat; dicens verſ. 5. *Beatos! qui inhabitant domum tuam: iterum iterumque Te laudabunt*: quatenus ſc. ipſis nec unquam *materia* Te celebrandi, nec *animus* ad id pronus, deerit. Indicat, 1. piis abundantiſſimam eſſe Dei laudandi *materiam*, quæ laudes continuas & perpetuas producere poteſt, quam & præterita, & præſentia ac futura, Dei *beneficia* & opera præbent copioſiſſimam. 2. Hoc eſſe digniſſimum & præcipuum religionis in domo Dei exercitium; ſine quo *ritus* quicunque alii minoris vel nihili faciendi ſunt. 3. Ad pia & ſancta hæc officia proniſſimis animis confluere ſanctos, & veros Dei cultores; quorum hoc eſt proprium, ut in laudando & celebrando Deo & toti & ſemper ſint, aut eſſe geſtiant. 4. Res regni ſui ita eſſe diſpoſitas, ut domum Dei ejusmodi laudationibus & hymnis ac Pſalmis eſſe celebrandam prævideat, ſibique certo promittat.

§. XXV. 5. Poſſe itaque vel hoc ipſum ob exercitium *beatos prædicari eos, qui domum Dei inhabitant*, ſive ſacræ, ſint perſonæ, quarum hoc eſt proprium munus, ſive cujuscunque conditionis, ſtatus, ſexus & ætatis, aliæ. Etſi enim domum *Dei* inhabitare propria ſit Sacerdotum & Levitarum, nihil tamen vetat, quoscunque alios comprehendere, qui domum Dei frequentare amant, ſive ſedibus Hieroſolymæ fixis quotidie in domo Dei compareant, ſive inſtar *Annæ* ex Templo non diſcedant, *jejuniis & precibus noctes atque dies Deum colentes*, Luc. 11. ſive, quoties occaſio ſeſe offerat, cultus Dei partibus adſidue & ſedulo fungantur. De quibus omnibus dici potuit, eos *inhabitare domum Dei;* ut facile patet, in primis quum ſub V. T. *Templum* unica & communis eſſet religionis *ſedes*, quam

quisque

quisque ut *ſuam*, vel ſui Dei, domum reſpiciebat, & incolebat, licet ſemper non adeſſet præſens.

§. XXVI. Sed quare illos *adeo beatos?* ut in hanc exclamationem erumpere potuerit Vir pius; *beatos!* &c. 1. Quia tranquillum hoc religionis exercitium in domo Dei erat *felicitatis* temporum, & *favoris* Dei, quo populum proſequebatur, luculentum ſignum. 2. Animi pii & Deo devoti, eoque nomine Deo grati, indicium eſt 3. pia ſunt & Deo accepta exercitia, quæ cum *benedictione* Dei ſunt conjuncta. 4. Quia media ſunt *ſanctificationis* & *conſolationis*. Attamen non qualecunque cultus Dei exercitium hic intelligendum eſt, quod quis facile perſpicit, & Pſ. ipſe indicat, verum a *piis pie* factum, &c.

§. XXVII. Quod Meſſias, Davidis antitypus, ſingularem fiduciæ ſuæ in Jehova fructum conſecutus, quo hoſtium perſecutionibus ereptus ſumma gloria erat mactatus, ſuo exemplo discipulos, Dei reverentes, ad eandem *fiduciam* excitans, Jeſ. L: 10. *Ecquis inter vos reverens Jehovæ & auſcultans voci ſervi ejus; qui ambulaverit in tenebris, & cui nullus ſplendor; confidat in nomine Jehovae, & innitatur Deo ſuo;* idem noſtro textu facit David, exemplum ſuum, utpote ſingulare & illuſtre, ac publicum, civibus ſuis ob oculos ponens, ut in illud, tanquam in ſpeculum, intuentes, fiduciam ejus in difficilioribus caſibus imitati, certam auxilii Divini ſpem concipiant. Cum enim conditionem ſuam adflictam præteritam, & felicem præſentem, qua votorum compos factus fuerat, ſeſeque fiduciæ ſuæ in Jehova uberrimos carpſiſſe fructus explicuiſſet: ſe noſtro textu ad beatitatem eorum, qui Deo fidunt, prædicandam convertit, iisque, ſi in ſimilia incidant discrimina, divinam opem & liberationem exemplo ſuo promittit: ſimili ab iis ducto, qui vallem aridam, ubi nulla vel exigua aqua, transeuntes, uberrima pluvia a Deo irrigati, & refocillati, viribus ſemper auctis in locum optatum læti veniunt, Deoque coram fruuntur. Comprehendit pericopa 1. propoſitionem verſ. 6.

2. Ejus

3. Ejus illuſtrationem & ad ſingulares caſus adplicationem, verſ. 7, 8.

§. XXVIII. 2. *Propoſitio* verſ. 6. quæ ſonat, *beatum hominem, cui robur in Te eſt, in quorum corde ſunt viae tritae*, ſententiam continet cum adjuncto ſimili, quo pars ejus, vel tota, ulterius explicatur, adeoque α. ex nuda ſententia β. adjuncto conſtat. α. Nuda ſententia eſt, *bene homini, cujus robur in Te eſt*, ſc. o Jehova! in quo adloquendo hic pergit. 1. *Hominem* adpellat, de quo loquitur, 2. characteriſtica qualitas, a qua ipſum deſcribit, eſt *fiducia* in *Deo*. 3. *Beatum* prædicat eum, qui ea qualitate eſt præditus. 1. Non ſine ratione *Adami* nomine eum inſignit, ut tum de *quocunque*, tum de *imbecilli* cogitaremus. *Homo* enim, nomine ab Adamo repetito, a. qualemcunque ſine discrimine, ſive divitem, ſive pauperem, ſive vilem, ſive dignitate illuſtrem, ſive ſervum, ſive liberum, in genere qualemcunque Adami ſobolem, ſignificat. b. In ſpecie ad *miſeriam* & infirmitatem hominis nos ducit, ut Pſ. VIII. & CXLVII. Pſ. II: 22. oppoſite ad *Deum*, ut *homo* & *non Deus* Jeſ. XXXI. Quod huc recte quadrat, ubi homo felix pronunciatur, qui non in ſe, utpote infirmiſſimo, ſed *Deo* fiduciam ponit.

§. XXIX. 2. Quæ characteriſtica ejus qualitas, qua ab aliis ſui ſimilibus diſtinguitur, exprimitur elegante & emphatica phraſi, *cujus*, vel *cui*, *robur in Te eſt:* qua a. intrepidus & firmus ejus animus, nullo periculo, malo, aut metu, frangendus, b. firmiſſimum ſubſidium, & inſuperabile robur, quo quævis mala & obſtacula ſuperare, & de quibusvis hoſtibus triumphare poteſt, expingitur. Sed unde utrumque hoc, & animus firmus, & invictæ vires, in homine imbecillo? non ex ſe, aut alia aliqua creatura; ſed a *Jehova:* in quo ejus robur eſſe dicitur; tum *ipſi fidendo*, tum ipſius *auxilio* & protectione gaudendo. Ipſe enim ſicut eſt *potentiſſimus*, cui nihil eſt impoſſibile, nihil reſiſtere poteſt, ita, totius Scripturæ & naturæ conſenſu, unicum *hominis* robur; Pſ. LXII: 12. *Semel locutus eſt Deus, bis illud*

audivi, robur esse Dei; sed non nisi hominis *ipsi fidentis;* absque quo esset, mortalis nec firmo foret animo, nec dignus, cui Deus *robur* suum commodaret, tum quod Deum non honoret, qui eum, sive quod non possit, sive quod nolit, dignum non esse censet, cui se suaque committat, tum quod Deo gloria gratiæ denegetur ab eo, qui Deo non fisus ejus ope fruitur.

§. XXX. 3. Hic jure merito *felix & beatus* a Vate proclamatur, sive *ad fiduciam* ejus in Deo, sive ad *robur Dei*, quo gaudet, respiciatur. Quod posterius cum luce sua fulgeat, ulteriore demonstratione non indiget. Ecquis enim, nisi Atheus, & Epicureus, sive opinione, sive praxi, eum non judicet ter quaterque felicem, quem Deus omnisufficiens & omnipotens suo robore fulcit, sua cura ducit, suisque divitiis cumulat? *si Deus pro nobis, quis, quidve,* contra nos? Sed quare *beatum*, qui in ipso collocat *fiduciam?* triplici, in fallor, nomine; *primo*, quod Deus non nisi *sibi fidentibus* robur suum præstat. Est enim inter Deo fidere, ejusque robore frui, certus nexus; ita ut nemo patrocinium Dei sibi vindicare possit, nisi ipsi firma adhæreat fiducia, nemo ipsi fidat, qui *erubescit*, ut cum Ap. Rom. v. loquar. Qui nexus, ut multis exemplis ab Ap. Heb. xi. est confirmatus, sic haud difficulter perspicitur ab eo, qui sine *fide*, unde *fiducia*, Heb. xi: 1. neminem Deo placere posse resciverit. *Justitia* & *robur* Dei est in Christo, vero Deo & unico servatore; cujus unio nos Deo conjungit. In ipso enim cognoscimus & habemus Verum Deum, cum ipse sit verus Deus & vita æterna. 1 Joh. v: 20.

§. XXXI. *Secundo*, quia sine hac fiducia nullum verum animi robur, nulla, quæ hoc nomen meretur, *intrepiditas*, nullus *vigor*, nulla in periculis *constantia*; nulla virtus heroica Christiana: sed, contra, nil nisi pavor & metus, trepidatio, & anxia sollicitudo. Quid quæso inbecillo, & omnium indigo, homini *animi* erit, nisi obrutuerit & dedoluerit, qui hac *fiducia* destitutus, vel præsentibus malis objicitur

jicitur, vel futura videt imminentia? quid in doloribus, adflictionibus, paupertate, perſecutionibus, morbis, & morte, quid in judicio Dei, ipſum, ſuſtinebit; ab hac una ſi diceſſeris fiducia? Quid audebit præclari, quod edet laudabile facinus; quid, ut periculis caput objiciat, accendet eum, ſi hæc non adſit fiducia? Sed *tertio*, ne in re tam clara, totque ſanctorum exemplis confirmata, diutius verſer, quia vera in Deo fiducia omnem *virtutem*, omnem *tranquillitatem*, & *conſolationem* ambitu ſuo complectitur. Errant, errant graviter, ſibique & aliis turpiter imponunt, qui in animo pietatis & virtutis minus ſtudioſo hanc fiduciam habitare autumant; aut ſine illa conſolationem percipi poſſe fingunt: quod idem eſſet, acſi mala a conſcientia *morſus* ejus ſejungas, aut eam æque ac bonam hominem *abſolvere* dicas, quod *ebriam addere ſitienti*, Deut. XXIX. malum bonum, tenebras lucem, adpellare, in Script. notatur, & cum *væ* ac diris execrationibus reprehenditur. Ne erremus, vera fiducia in Deo non eſt cujusvis, ſed hominis *pii*, & Deo devoti, qui *vivam*, charitatis & bonorum operum plenam, ſeu *frugiferam* poſſidet fidem. Vera eſt, & non ficta, aut temere concepta, *fiducia*, quæ in ſolido poſita eſt, quæ Deo placet, & voluntati ejus convenit, quæ ex unione cum Deo oritur, quæ animum, ab omni carnali ſecuritate abhorrentem, reddit tranquillum, & cum plena acquiescentia eſt conjuncta, quæ denique explorata omni auro purior enitescit. Secundum quæ principia qui judicium inſtituerit, is profecto *fiduciam* & *impietatem* haud magis conſiſtere poſſe, quam *lucem* & *tenebras* in Deo, clare perſpexerit.

§. XXXI. Sed & ipſe poeta per *adjunctum* ſententiæ, *in quorum animo ſunt viæ* tritæ, ut beatitatem, cum fiducia connexam, ſic animi, in quo hæc fiducia habitat, *qualitates*, clariſimæ luci exponit. De quo nunc agendum eſt. Phraſis, *in quorum corde ſunt viae* tritæ, (h. e. *in ſingulorum & omnium*, ſingularis enim numerus in membro priore, & plur. in poſteriore, qui hic alternantur, unumquem-

que, ſeu ſingulos & univerſos, denotat,) *viæ planæ, æquæ, rectæ* & ſubactæ; proprie, viæ *ſtratæ* & *aggeratæ*, ſeu publicæ & *regiæ*, quarum eæ ſunt, quas exhibui, qualitates: hæc inquam phraſis *duplicem* admittit interpretationem, *alteram*, qua certam perſuaſionem de felici rerum ſuarum ſucceſſu, ut qui viam planam et facilem inſiſtit, ſignificat; quo Pſ. 1: 3. *& quicquid faciet, prospere fluet*, reſpicitur, oppoſite ad viam inpiorum, quæ *peribit* verſ. 6. *alteram*, quæ animi, Deo fidentis, *dispoſitiones*, & *qualitates* comprehendit, ſimiles *viae planae* et *tritae. Poſterior* ad animi, qui Deo fidere poteſt, deſcriptionem pertinet. Utraque ex ſeq. verſu quid roboris acquirit; ut mox patebit. Sed in *poſteriore*, cujus præcipuam rationem haberi exiſtimaverim, illuſtranda aliquid operæ ponamus.

§. XXXII. *Viæ planæ* ſunt, quæ nullis offendiculis horrent, non diſtortæ, ſed *rectæ* ſunt, ſine *montibus* tumulisve, ſine *vallibus* et *cavitatibus*, *æqualiter* dispoſitæ, ut Jeſ. XL. explicatur; viæ itaque rectæ, æquæ, faciles et planæ, ac *ſubactæ*, uti ſunt regiæ et publicæ. Quæ, *animo*, vel *cordi*, adtributæ, ſimiles ejus *dispoſitiones* et *qualitates* denotant, ſecundum quas homo in omnibus actionibus incedit, ut *ſcopum* adſequatur: quam ob cauſam *viæ* dicuntur. Animi itaque ductus expinguntur, in quo nihil eſt elati aut depreſſi, nihil perverſi aut tortuoſi, nihil inæquale, aut quod offendit: adeoque qui 1. nec meritis et viribus ſuis ſuperbit, quæ eſt animi *elatio*, Deo exoſa, nec peccatorum ſenſu, & proſtratarum plane virium opinione, nimium humilis & abjectus eſt, & flaccidus jacet, vigore & nervis prorſus deſtitutus, quæ eſt animi *depreſſio* & deſperatio aliqualis, haud abſimilis *valli*, & *profunditati*. 2. Qui a præjudiciis liber, & adfectibus ſubactis, de Deo & via ſalutis recte ſentit, & veritati ac virtuti unice litat, nullis offendiculis, ſpinis, aliisque ſalebris horridus. 3. Qui æqualis eſt, & ſibi conſtat, ſibi ſemper ſimilis; non hic rectus, ibi tortuoſus, & in devia recedens; ſed planus, ſine hypocriſi, et receſſibus; animus æquus et ſimplex: adeoque cujus

idem

idem ſemper ſcopus, eadem agendi norma, eædem, et ſibi congruæ, actiones; in quibus nullæ ſunt contradictiones ſe mutuo evertentes. 4. Denique animus in veritate & virtute callens, ſubactus continuis actibus, tanquam totidem *veſtigiis*, tritus, & habitu præditus; in quo notiones veri & juſti ac æqui alte infixæ hærent; in quo via eſt antiqua regia, & publico hominum, conſcientiæ litantium, conſenſu firmata, cui lex regia amoris Dei & proximi eſt inpreſſa, quam ubique præfert & obſervat.

§. XXXIII. 2. Hoc animo qui ornatus eſt, ſicut Deo jure & ſolide fidit, ita quibusvis caſibus, in quos inciderit, etiam difficilioribus, ſuperior incedit, & ſcopo non excidit. Quod verſ. 7, 8. his verbis proponitur. *Pertranſeuntes vallem lacrymationis fontem ponent ipſum; etiam benedictionibus cooperiet pluens: ibunt e robore ad robur, donec conſpicietur ad Deum in Tſionem.* h. e. Vel per medias adflictiones, & multa discrimina rerum, omni ope humana orbi, ſed Deo confiſi, ejus ſpiritu corroborati ac recreati, ſine ulla laſſitudine, nedum animis despondentes, quin novis identidem viribus aucti, iter ſuum ad Deum ejusque arctisſimam communionem alacres perſequentur, donec in conſpectum ejus veniant, & in habitacula Dei ſalvi adpellant, figurate & umbratice in Tſione, ſed vere & σωματικῶς, ut cum Ap. loquar, in Eccleſia, perfecte in cœlis erecta. Pericopa enim primo ſenſu ad eos pertinere videtur, qui ſtudio Dei Hieroſolymis colendi & fruendi acti, eo non niſi poſt multos labores exantlatos, & varias difficultates, unde unde etiam natas, ſuperatas, pervenire poſſunt. Sed ſeſe latius ad omnes porrigit, qui per ſimiles anguſtias ad arctisſimam Dei communionem, partim in hac vita, partim in futura, tendunt. *Prius* ex Pſ. argumento & ſcopo facile eluceſcit; *poſterius* e ſpirituali Tſionis, & inhabitationis Dei ſymbolicæ, intellectu eruendum eſt; nec niſi ab iis inprobabitur, qui in cultu rituali nihil myſtici nihil ſublimis eſſe, contra claram Script. doctrinam & ipſam re-

ctam rationem, abſurde opinantur, quibuscum mihi nihil negotii nunc eſt.

§. XXXIV. Offert ſeſe hic α. ſtatus eorum qua externus qua internus, β. promiſſum de felici ſucceſſu itineris ipſorum. α. Satus peregrinantium his verbis in primo membro ob oculos ponitur. *Transeuntes vallem lacrymationis ponent ipſum*, ſc. Jehovam, *fontem*. h. e. ipſi fident, & ab ipſo opem exſpectabunt, qui tritas in animo ſemitas habentes per multa difficilia transire debent. Simile petitum eſt ab iis, qui per vallem aridam aquæ penuria laborantes pergunt, nec tamen desperant, aut fatiscunt, ſed Deum pro fonte ſuo, quo irrigentur & refocillentur, habent. Relativum enim in phraſi, *ponent eum*, ad *Deum* pertinere, ex textu & re ipſa clarius eſt, quam ut eſſe dubium debeat. *Prior* membri pars *ſtatum externum*, *poſterior* vero *internum* deſcribit. 1. *Vallis lacrymationis*, ut verti debet, eſt, ubi tenuis tantum aquæ vena manat, & vix guttulæ humoris reperiuntur. Sic Lat. *flere* dixerunt ea, quæ *guttas* emittunt, & Orientalibus *puteus lacrymans* audit, quo tenuiſſima ſudat & flet aqua. Job. XXVIII: 11. *a fletu flumina ligat*, ſc. ut ne gutta exeat a. Interpretibus crucem fixit, quod verbum Hebr. hic cum א, & non ה, in fine veniat; cum בכה ſit *flere* Hebræis. Sed ipſos præteriit, בכא & בכה unam eandemque lacrymandi poteſtatem habere, cum hoc ſolum discrimine; quod בכה *fletum* proprie dictum magis exprimat, verum בכא *fletum* ſuum inproprie extendat ad loca *guttis flentia*, ut Lucretius loquitur. Ergo hic rectiſſime cum א, ubi de *valle lacrymante* ſermo eſt: quod verbo hic obſervaſſe ſuffecerit. Num vero ad Davidem coram Abſolomo Hieroſolymis fugientem, & per *adſcenſum olearum* incedentem ac *flentem*, 2 Sam. XV: 30. ſimul respiciatur, nec adfirmaverim, nec negaverim. Senſus emblematicus non eſt in difficili poſitus, quare uno verbo defungar. *Vallis*, ſicut ſtatum depreſſum, & abjectum; ita *vallis lacrymationis* eum cum multa *miſeria* conjunctum,

a Vid. Cl. Schultens ad l. c.

conjunctum, & nullam vel exiguam consolationem præbentem, expingit. Statum itaque contemtus, adflictionis, & multiplicis miseriæ, in quo nihil, quod animum recreare, aut desideriis satisfacere, spem alicujus boni facere potest. Quod alia metaphora dicitur in *tenebris ambulare*.

§. XXXV. 2. Nec tamen animo despondent, qui Deo fidunt; verum ad ipsum, tanquam fontem aquarum vivarum, sese convertunt, &, in ipso spe posita, se erigunt, ac ab ipso vires & liberationes exspectant. Quod hic dicitur, Jehovam *ponere fontem suum*. Describunt enim hæc verba, non *beneficium*, quo mactantur, sed *officium* quo funguntur, & qualitates animi, quæ requiruntur in iis, quos Deus sua gratia visitat; ut ex seq. liquet, ubi de gratia & auxilio Dei agitur; & ex particula *etiam* confirmatur. Quid vero sit, *Deum ponere fontem*, vix indiget explicatione. Ex dictis enim manifestum est, *fiduciæ* in Deo lineas duci. In statu adflicto, qui nihil opis humanæ, nihil spei relinquit, nihil consolationis præbet; Deum *fontem* ponit, qui animum lassum, & sticulosum, ad Deum elevat, ab ipso opem & consolationem exspectat, animumque in ipso firmat, ipsique se secure, sub spe etiam contra spem, committit, reliquis omnibus rebus, aut meritis viribusve, renuncians.

§. XXXVI. β. Nec fallet ipsum opinio, aut spe excidet; Deus enim ipsi largiter sufficiet. Quod seq. verba declarant. In quibus *a.* benedictio Divina describitur, vers. 7. *b.* ejus *effectus*, vers. 8. *a.* Benedictio Dei his verbis: *etiam benedictionibus cooperiet pluens*, ut recte vertit Cloppenburg., a quo parum, vel nihil, recedit de *Dieu*: qui hic rectius aliis instituerunt. *Benedictiones* hic largissimam & abundantissimam aquæ copiam signant, ut Ez. XXXIV: 26. Hisce *cooperiuntur*, qui undiquaque adfluunt aquis, & toti madent. Verum unde? a *pluente*. Sicut dicitur, *benedictionibus cooperiet pluens*, sc. Jehova *pluvius*, verus ζεὺς ὑέτιος, & ὄμβριος, qui Jovis titulus est apud Græcos.

Græcos. Vox Hebr. eſt a rad. יזר *ſtringere*, unde *pluere*, quod eſt *nubes ſtringere*. Vid. Joel. II: 23. Quid vero ſit, *largiſſima pluvia operiet pluens*, vix opus eſt, ut exponam. Nemini enim non, niſi in emblematica doctrina hospiti, ignotum eſt, *aquam pluvialem* depingere inſtitutionem cœleſtem & Divinam, tum verbo, tum ſpiritu, qua deſideriis hominis, ſalutem anhelantis, ſatisfit, animus cognitione rerum ſalutarium imbuitur, ſenſu favoris Dei & ſpe ſalutis erigitur, & refocillatur, denique a vitiis & pravis adfectibus magis magisque purgatur. Senſus ergo eſt, *doctorem* & conſolatorem cœleſtem piis hisce viatoribus in mediis adflictionibus neceſſaria ſubminiſtraturum, quibus erecti, animati, & corroborati, in curſu alacres pergant, & nullis periculis aut malis fracti, ſed læti etiam ac hilares ad finem optatum perveniant; ſive promiſſa & exempla ad animos eorum adplicentur, ſive in ſpe radicentur, ſive primitiæ boni optati præguſtandæ præbeantur, ſive *ſenſu favoris* Dei lætificentur, ſive denique ſingulari Dei ope ſuſtententur, & mala aut vitentur aut ſuperentur.

§. XXXVII. Hanc gratiam connectit poeta cum refugio ad Deum; cum dicit: *ponent ipſum fontem, etiam benedictionibus cooperiet pluens.* h. e. non ponent ipſum, quin etiam experientur; modo ad Deum, aquæ ſalutaris fontem, ſe recipiant, ſtatim ac hoc fecerint, ejus ſalutarem influxum nanciscentur, quo non tantum animis non deficient, nec ſuccumbent malis, ſed præterea viribus novis mactati iter ſummo ſtudio perſequentur, donec ad locum deſiderii pervenerint. Quod *b.* his verbis adfirmatur. *Ibunt e robore ad robur, conſpicietur ad Deum in Tſione.* h. e. renovatis & & auctis ſemper viribus iter ad Deum in Tſione conficient, donec eo coram fruantur; litteraliter Hieroſolymis in Templo, ſed ſpiritualiter tum in Eccleſia, arcta Dei communione, & pacifico ac ſalutari religionis exercitio, tum in *cœlo.* Quæ ex dictis ſunt facilia; quare uno alterove obſervato ad phraſes & ſtructuram orationis illuſtrandam defungar. I. Phraſis,

sis, ire a *robore ad robur* dicit, integris semper, semperque in majus auctis, viribus ire. Hæc enim phrasios est potestas, hic usus. Vid. Ps. CXLIV: 13. Jer. IX: 2. Rom. I: 17. 2 Cor. III: 18. & alibi sæpe. Rem egregie expressit Jes. XL: 31. *Exspectantes Jehovam recentabunt vires, succrescent iis alæ ut aquilis, ambulabunt & non fatigabuntur.* Significatur, 1. *spem* & fiduciam in majus esse augendam, & animum iis longe fortissimum futurum. 2. in actionibus fidei & virtutis *copiosiores* & *alacriores* futuros, tantum abesse, ut aliquid remitterent. 3. Pericula & mala, unum post aliud, esse superaturos. 4. Propius propiusque ad Dei similitudinem & communionem arctissimam esse magnis passibus accessuros.

§ XXXVIII. 2. Phrasis, *videre ad Deum in Tsione*, pro conspiciendum se præbere, coram apparere, *apud Deum*, usu suo eam comparitionem signat, qua Israelitæ se Deo præsentes sistebant in loco, cultui Jehovæ dicato, sacrisque ibi coram Deo fungebantur. ut Exod. XXXIV: 24. Deut. XVI: 16. Jes. I: 12. Mystice tum in genere *religionis* exercitium, tum arctam cum Deo communionem denotat, partim in hac vita in Ecclesia, partim in *cœlo*, ubi vident Deum *a facie ad faciem.* Ceterum, *conspicietur* est pro *donec* conspiciantur, et finem desiderii, ac votorum complementum, exprimit: ut per se liquet.

§. XXXIX. β. Felicitatem suam, qua votorum damnas factus in præsentia fruebatur, omniumque civium, qui Deo pie fidunt, posteaquam prædicasset, & magnifice extulisset Vir-Sanctus: se ad preces pro statu illius perennitate convertit; quas ex animo, *desiderii* & *fiduciæ* pleno, fundit; *desiderii* ex certa persuasione de domus Dei inhabitatione, quibusvis aliis hujus vitæ bonis longe præferenda, orti; & *fiduciæ*, qua preces esse exaudiendas sciebat, in virtutibus & relationibus Dei ad pios fundatæ; quibus Deus *sol* & *clypeus* eorum est, & gratiam ac gloriam integre ambulantibus dispertit; quando in beatitate Deo fidentium praedicanda definit. David itaque ꝛ. preces suas exaudi-

ri a Deo petit, verſ. 9. ב. earum argumentum vel materiam tradit, verſ. 10. ג. Deſiderium, ex quo ortae ſunt, exponit, verſ. 11. ד. Fiduciam, quacum conjunctae ſunt, ejusque fundamenta, quibus certa exauditionis ſpes innititur, exhibet, verſ. 12. ה. Quando Pſ. concludit per exclamationem, verſ. 13.

§. XL. א. Precum exauditionem his verbis ſupplicat, verſ. 9. *Jehova Deus exercituum! exaudi precationem meam: auribus accipe Deus Jacobi!* h. e. preces, quas ego, unus verorum Jacobitarum, Tibi offero, Tibi, qui Deus es omnipotens & omniſufficiens, Deus Jacobi & genuinae ejus poſteritatis, gratæ ſint & acceptæ, easque a Te admitti oſtende, votis adnuendo, & deſideria mea implendo. Eam enim poteſtatem habent verba *audire* & *auribus admittere* preces, de Deo uſurpata; quod tanquam facillimum prætereo. Emphaſi vero non caret, quod Deum epithetis *Jehovæ Dei exercituum*, & *Dei Jacobi* inſigniat; *quippe* quæ rationes ad Deum movendum, ut preces exaudiat, continent. *Jehova* eſt Dei Israelis proprium nomen; & tum promiſſa ejus, Israeli facta, tum fidem & veracitatem Dei ob oculos ponit. *Deus exercituum* adpellatur, quod ſit ſummus & potentiſſimus *cœli* & populi ſui rector, a cujus nutu omnes & omnia pendent, Deus denique *Jacobi*, qui Jacobo ſingulari modo favit, & poſteros ejus ſe eodem favore complexurum eſſe promiſit.

§. XLI. ב. Hac præfatione, & pia & fiduciæ plena, præmiſſa, ipſas preces vel earum materiam his verbis effert, verſ. 10. *Clypeus noſter vide, o Deus! imo vibrante ocula faciem uncti tui* h. e. Tu, o Deus, qui eſt patronus & protector noſter, & meus & totius populi, oculis amoris, favoris & curæ tuæ, in primis in unctum tuum, qui reip. & Eccleſiæ tuæ præſidet, eſſe apertos & intentos oſtende. Duo verba, *videre & intueri*, inſigni emphaſi conjunguntur, & acri ac vibrante oculorum lumine contemplari denotant: ut Thren. I: 11. Job. XXXV: 5. Pſ. XXII: 8. Jeſ. XLII: 18. &

18. & alibi. Posterius enim verbum הבזיק sedem tenet in *fulmine micante*, vel in omni *tremulo & corusco* motu, qua fulminis, qua oculi, qua alterius rei *a*. Cum autem *oculi* aut iræ, aut favoris, indicia præferant, adeoque vel judicia in hostes, vel curam & multiplicia favoris erga Dei amantes effecta significent; hic de *favore*, *cura* et *benedictione*, Dei esse cogitandum, sponte sua elucescit. *Videre* itaque Dei, et quidem *vibrante* oculorum acie *videre*, expingit intensissimam Dei curam, exactissimam et potentissimam protectionem, omnigenam Dei benedictionem, et quævis favoris Dei effecta, quibus illustratur et splendescit, ac laetitia perfunditur, unctus Dei. Quod alias dicitur, *faciem Dei adtolli* super aliquo, *lucere facere*, etc. Num. VI. Ps. IV: 7. et alibi.

§. XLII. Hæc ut clara et facilia sunt, sic peculiarem meretur animadversionem, tum Dei titulus, quo *clypeus* appellatur, tum *persona*, hac oculorum Dei luce fruitura. *Vide*, dicit Psaltes, *o Deus! clypeus noster*. Sic enim verti debet, et non, ut Coccejus, *clypeum nostrum*, cui praeivit Chald., qui reddidit, *merita patrum nostrorum adspice*. Est enim hoc in Ps. titulus Dei, et non *regis* aut *uncti;* ut ex vers. 12. liquet. De *Patribus* cum Chald. cogitare, absonum, et superstitiosam opinionem de *meritis* Patrum sapit, *Messiæ* autem nullum hic est indicium. Sed quare Deus appellatur *clypeus* Israelis, ubi de oculorum ejus intuitu agitur? *Clypeus noster*, *vide* etc. ut, ni fallor, de *protectore* non potente tantum, sed et ex se omnia vidente, et in omnia intento, cogitaremus. *Clypeus* est Deus, non qui ab alio dirigitur, sed qui ipse omnia novit, et agit, Clypeus *oculatus*, et *vivus*. Num quid altius hic lateat, ad vers. 12., ubi *sol* et *clypeus* conjunguntur, inquiremus. Ceterum, cum *clypeum nostrum* Deum compellat David, populum secum conjungit, et non se, sed Deum esse regem populi et *protectorem* significat: ut Ps. LXXXIX: 19. *Jehova est clypeus noster, sanctus Israelis rex noster.*

a Vid. Schultens Orig. l. 1. c. 12.

§. XLIII. Perſona, hac protectione et benedictione Dei gaviſura, inſignitur nomine *uncti Dei*, h. e. regis, a Deo ipſo electi, et conſtituti; cui ipſa unctio ſpem donorum Dei, quibus ipſi opus eſt in regno adminiſtrando, fecit, et qui hoc ſigno reliquorum numero exemtus peculiarem accepit ad Deum relationem, ſingularem *ſanctitatem;* a nemine impune violandam. Sive David ipſe intelligatur, ſive ad *Salomonem* digitus intendatur. Uterque enim intelligi poteſt, ſive ad phraſin, ſive ad ſcopum Pſ. adtendatur. Facies *uncti tui* eſſe poteſt pro *mea*, qui *unctus tuus* ſum. Nomen frequenter loco *pronominis* apud Hebraeos ponitur, nec ſine emphaſi, in titulo *uncti* ſita. Sed *Salomoni* hic quoque locus eſſe poteſt, ut Pſ. CXXXII: 10. *Propter Davidem ſervum tuum ne avertas faciem uncti tui;* cum quod Salomo Deo Templum aedificaret, et per *preces* Deo dedicaret, tum quod ſub ipſo inſigniter et pace, et prosperitate, omnigenâ floreret regnum. Ceterum cum oculos Dei ſuper *uncto* ejus apertos ſupplicat, reliquum populum una comprehendit, ut ex *clypei noſtri* titulo elucescit. *Uncti* ſolius mentionem facit, quia ipſe, qua rex, populum, ut caput corpus, regit et gubernat, adeoque populi prosperitas et ab ipſo derivaretur, et cum ejus felicitate conjuncta eſſet. Supplex itaque a Deo, ſupremo regni protectore et curatore, petit, ut rex, unctus Dei, et ipſe, et in regno ſuo pace gaudeat, prospere agat, et religio, a rege inſtaurata, domusque Dei in regno aedificata, vigeat, floreatque in perpetuum.

§. XLIV. 1. Huc enim tendebant vota Davidis, et hinc originem repetebant preces ejus, ut Hieroſolyma eſſet ſtabilis *domus Dei* ſedes, et liberum, pacificum ac continuum, ibi vigeret religionis exercitium, ut Pſ. CXXXIII: 9. *propter domum Dei noſtri quæram bonum tibi*, etc. Pſ. XXVII. *Hoc unum quæſivi* etc. ita verſ. 11. noſtri Pſalmi; ubi principium et rationem moventem precum ſuarum his verbis exprimit. *Quia potius die uno in atriis tuis*

limen

limen domus Dei mei obſervare elegerim, quam mille habitare in tentoriis improbitatis. Sic conſtruenda ſunt verba, ſi ad ſenſum respicias, quæ ad verbum ita ſonant. *Bonum die in atriis tuis præ mille: elegi limen obſervare in domo Dei mei præ habitare in tentoriis improbitatis.* Quæ ſtructura vel elegantiæ, vel ligatæ orationi, eſt adſcribenda, & in eum ordinem, quem dixi, redigenda; ut ſenſus inde emergat, longe ſatius ſibi videri, & optabilius, vel unum diem in domo Dei ad limen ejus exigere, quam mille alios in tentoriis improbitatis. Quando cuncta prono alveo fluunt. Inſtituitur hic comparatio inter *inhabitationem domus* Dei ac *tentoriorum improbitatis*; & declarat Vir Sanctus, ſibi longe præferendum videri, vel ad limen domus Dei breviſſimo licet tempore verſari, quam tentoriis improbitatis longiſſimo etiam tempore adſociari. Quæ paulo adcuratius merentur illuſtrari.

§. XLV. *Tentoria impietatis*, quæ *domui* Dei, & cultui ſancto, ibi coram Deo exerceri ſolito, in omni complexu ſuo, ſeu omni latitudine, ſumto, opponuntur, non quævis & qualiacunque intelliguntur, ſed *opulenta*, *potentia*, & *glorioſa* ac ſplendida, quæ carnis deſideria excitant, & ſpecie ſua blandiuntur, videnturque cum *felicitate* conjuncta. Quod ex re ipſa elucet. Alia enim ſi improbitatis tentoria, hisce bonis deſtituta, intelligas; emphaſi prorſus carebit, & nihil ſingulare habebit, viri pii electio. *Tentoria* itaque *improbitatis* ſunt loca bonis, opibus, & dignitatibus, improbe partis, referta: ut Mich. VI: 10. *domus improbi* & *theſauri impietatis* conjunguntur. Docet quoque experientia, poſſeſſionem & fruitionem horum bonorum ſæpe cum multiplici improbitate eſſe conjunctam, & improborum frequentius, quam proborum, hanc eſſe ſortem, ut bonis hisce inanibus adfluant. Vid. Pſ. XXXVII, LXXII. &c. Addi meretur, *divitias injuſtitiæ* Luc. XVI. & eo ſenſu, & alio, quo *fallaces* & *incertæ* notantur, occurrere; a quo parum abit phraſis noſtra, ſi *originis* vocis יש habeatur

ratio. Ea enim, in origine ſua, *jactatum*, & *irrequieto motu circumactum* ſignat; adeoque ad quævis hujus mundi bona, quæ nec poſſeſſorem quiescere ſinunt, nec ipſa ſtabilia ſunt, recte refertur.

§. XLVI. Declarat Vir Sanctus 1. unum *diem* in atriis Jehovæ *mille aliis* præferendum, 2. adeoque ſe eligere vel infimum in domo Dei locum, præ *inhabitatione in tentoriis improbitatis*. Quæ vocum ſtructura, ſecum comparata, hunc, ut modo dixi, fundit ſenſum, brevem in domo Dei, etiam in loco infimo, moram ſibi longe potiorem eſſe & haberi diuturna vel in *medio*, & *optimo*, loco tentoriorum improbitatis. Oppoſitæ utriusque inhabitationis qualitates hic occurrunt duæ, altera *durationis*, altera *modi*, quo ſe habet, ſeu, dignitatis & gradus inhabitationis reſpectu. Ad *durationem* pertinent dies, *unus & mille*; ad *modum* incolatus, *limen terere* domus Dei, & *habitare in tentoriis improbitatis*. *Unus* & *mille* opponuntur, ut breviſſimum & longiſſimum tempus: quemadmodum pauci & multi filii Eccleſ. XVI: 3. *præſtat unus juſtus, quam mille*. Alterum membrum, *limen obſervare*, & *habitare in tentoriis*, ad diverſum modum & gradum inhabitationis respicit. Verbum הסתופף *ad limen domus Jehovae* ſe tenere, vel ſimpliciter ibi conſiſtere & verſari dicit, vel officium *excubitorum* & *cuſtodum* liminum & portarum complectitur; ſed prius probabilius, utpote *vilius*, quod hic majorem emphaſin habet. LXX. itaque non male ſenſum expreſſerunt vertentes, προεφρίπτεῖσθαι *projectum* & *abjectum* eſſe, inſtar *Lazari* ad atrium divitis, Luc. XVI. Huic ſtationi ultimæ prope domum Dei opponitur *habitare in tentoriis improbitatis*, ſc. & diu, et libere ac intime. Verbum Hebr. דור *habitationem*, in ſpecie liberam, intimam, qua quis in orbem it, et ubique verſatur, quæ verbi poteſtas eſt, et *diuturnam*, quæ *ætatem* fert, denotat. Uſurpatur enim vox derivata de *aetate*, et annorum vitæ humanæ præſcriptorum periodo. Adeoque *aetatem agere* hic recte vertitur.

§. XLVII.

§. XLVII. Huic diuturnæ licet et fortunatæ vitæ in tentoriis improbitatis, qua quibusvis bonis adluit, quovis honore gaudet, et omnibus diffluit deliciis et jucunditatibus, cum Vir Sanctus renunciat, et vel vilissimum locum prope domum Dei ea longe præfert; in omnium oculos, et tanum de rerum pretio judicium, et rectum animi adfectum sanctamque mentis dispositionem, ingerit; significans, 1. quanti domum Dei, ejusque cultum, faciat, 2. quanto in eum feratur desiderio, 3. quanta in Deum pietate, quantoque studio ejus voluntatem faciendi flagret. 4. quanta præditus sit modestia, quamque a vanitate illa se efferendi in domo Dei, et primum locum tenendi, sit alienus, Dei ejusque cultus sine ambitione, sine hypocrisi, unice studiosus. 5. Quanta felicitas, et jucunditas cum cultu Dei secundum ipsum sit conjuncta, longe supra quicquid excelsum, et desiderabile est in mundo. 6. Denique quantopere a vanitatibus hujus mundi, et bonis injuste partis, aliisque deliciis carnalibus, abhorreat.

§. XLVIII. Quo cum fuerit animo Vir pius, facile intelligitur, preces, vers. 10. fusas, et ipsum decuisse, et Deo non potuisse non esse gratas; simul inde colligitur, quid in precibus illis intenderit; nimirum, ut per Dei favorem et curam sibi diu et tranquille in domo Dei liceret versari, Deique bonitatem, et delicias, in cultus ejus exercitio gustare. Quæ omnia ex nexu et particula *quia*, quæ versum nostrum cum superiore connectit, elucent. Continet itaque versus noster 1. *principium*, ex quo ortæ sunt preces, *studium* sc. domus et religionis Dei quam ardentissimum 2. Animi adfectionem, quam Deus in precante, qui se Deo adprobaturus est, requirit. 3. Materiæ precum vel *scopi* uberiorem explicationem.

§. XLIX. 1. Subjungit nunc tum *fiduciæ*, qua preces esse exaudiendas confidebat, tum *judicii* et *animi* sui, modo expositi, fundamentum et rationem, his verbis, vers. 12. *Quia sol* et *scutum est Jehova Deus; gratiam & gloriam dabit*,

bit, nec prohibebit bonum ambulantibus integre, acſi diceret: ut pateat, me nec temere indubiam ſpem precum exaudiendarum concepiſſe, nec falſo fundamento aut ſubleſto quibusvis hujus vitæ bonis praetuliſſe cultum Dei in domo ejus; ecce utriusque ſolidam rationem, a Dei virtutibus et relationibus ad pios et ſanctos ejus cultores derivatam! *Eſt Deus ſol & clypeus*, etc. Offerunt ſeſe hic *α.* bona et beneficia a Deo exſpectanda, *β.* eorum characteres, qui ea ſibi promittere queant, et certo certius conſequentur.

§. L. *α.* In *priore* verſus parte, quae beneficia a Deo conferenda exhibet, *a.* Dei proprietates et relationes ad pios deſcribuntur *b.* ipſa bona, inde oritura. *a.* Deus ipſe duobus emblematibus *Solis* et *clypei*, depingitur; quæ faciles habent, ſeorſum poſita, explicatus, ſed quorum conjunctionis ratio haud ita facile panditur. Quid enim *ſoli* cum *clypeo?* Chald., hac disparitate motus, vertit *murus altus* et *clypeus:* nec multum abit Cl. Commentator Jeſ. ad c. LIV: 11. *propugnaculum* reddi poſſe obſervans; ſed cui adſurgere nequeo, tum, quod vel rariſſimus eſt iſte vocis uſus, vel potius fictus aut incertus; utique Jeſ. LIV. *ſolaria*, ſeu tecta, ſoli expoſita, ac radiantia, quod Cl. Millius *a* disputat, intelligi poſſunt, tum quod verſ. 10. *clypeus & videre* conjungantur, ut hic *ſol* et *clypeus*. Quare vel disparia hic copulari, ut ſæpe in myſticis obtinet, quod in ſubjecto conveniant, dicendum eſt, vel alio, quod nobis ignotum eſt, respici. Si *ſcuta* hoc tempore figuris & inſcriptionibus fuiſſent ornata, qui ſatis antiquus, & paſſim receptus mos fuit *b*, *Solis* imaginem in ſcuto fuiſſe viro divino obverſatam, quovis pignore contenderem; nunc, cum de eo nihil adfirmari poſſit, nihil propius ſuccurrit, quam *columnam nubis* protegentis inſtar *clypei*, *& ignis* illuſtrantis inſtar *ſolis*, ipſi in oculis fuiſſe, quod ad eam & ſimilibus in locis respiciatur, uti Jeſ. IV: 5., quodque ejus monumen-

a Ad Jeſ. l. c. *b* Vid. Fr. Junius de pictura Veterum l. II. c. 8.

monumentum fuerit ſupra arcam in domo Dei. Sed forte *rectius* ſoli additur *clypeus* reſpectu radiorum, undique ambientium, & ſanctum ac inviolabilem aliquem reddentium, inſtar *alarum*, quæ ſoli tribuuntur, Mal. III: 20. ubi vid. dicta. Voces quoque *alae*, כנף, & מגן a גנן, ejusdem ſunt poteſtatis, in *cingendo*, obſepiendo, inde *protegendo*, ſitae. *Sol itaque & clypeus* eſt ſol radiis ſuis, inſtar *alarum*, pios cingens, & tutos reddens: ſicut Deus inſtar *avium*, pullos alis tegentium, dicitur Hieroſolymam hoc ipſo verbo גנן *protecturus* Jeſ. XXXI: 5. Qua de re quicquid ſit; *Solis* & *clypei* emblemata in Deum quam aptiſſime quadrare, nemini non notisſimum eſt; cum ipſe ſit pater *luminum*, omnisque *veri*, *boni* & *glorioſi*, fons & dispenſator unicus; potentiſſimus & fideliſſimus populi ſui *protector*, & *patronus*, cujus *oculus* per omnia penetrat, & *manus* omnia vincit & dirigit.

§. LI. *b.* Qualem Deus ſeſe præſtat, cum bona *gratiae* & *gloriae* diſtribuit, nec *bonum inhibet*: quemadmodum mox ſubjungitur. *Gratiam* & *gloriam dabit Jehova*, *nec prohibebit bonum.* h. e. tantum abeſt, ut denegaret bonum, ut contra nihil certius ſit, quam largisſime eum dare *gratiam* & *gloriam.* Negans phraſis, adfirmanti ſubjecta, fortius adfirmat, et certitudinem, ſimul amplitudinem, exprimit. Prov. XXI: 26. *Juſtus dat* et *non cohibet.* Jeſ. XLI: 9. *elegi te & non reprobavi te*, nihil minus quam hoc: ſic, *dabit* et *non arcebit*, eſt, nihil minus; contra, certiſſime et liberaliſſime dabit. Utitur poeta et generali voce *boni*, et ſpeciali phraſi *gratiae* et *gloriae.* *Boni* notio eſt univerſalior, et quicquid utile, jucundum et glorioſum eſt, ac ad civitatis et civium commodum et perfectionem facit, complectitur; quod apte dispescitur in bona *gratiae* et *gloriae*, ſive ſenſu in ſcholis recepto, quo *gratia* ad hujus vitæ, et *gloria* ad futuræ et æternæ bona refertur, quem uſum habet vox *gloriae*, Pſ. LXXIII: 24. *poſt gloriam adſumes me*; ſive alio ſenſu, qui varie conſtitui poteſt. *Gratia* enim et *gloria* ſignificare poteſt, tum *gratiam* multipli-

cem et copioſiſſimam, quam poteſtatem præfert כבד, cujus prima notio eſt *gravitatis*, unde ad *copiam* & *numeroſitatem* transfertur, tum etiam *favorem* Dei, & ejus effecta: *gratiæ* enim vox proprie *intimam teneritudinem* τῆς σπλάγχνης, qualis eſt animantis erga pullos, a cujus *ſtridulo ſono* ficta eſt, denotat, & in phraſi *invenire gratiam* apud Deum & homines, frequenter occurrente, obtinet. Altera vox *gloriæ* pro divitiis, opibus, ſplendore, & quibusvis bonis, quæ alicui gloriam conciliant, uſurpatur. Quocunque modo phraſis intelligatur; quæcunque *bona*, ex benevolo Dei adfectu orta, & de eo teſtantia, quæ veram felicitatem in hac & futura vita adferunt, quæque apta nata ſunt favorem aliorum & æſtimationem conciliare, comprehendi, certum eſt.

§. LII. β. Hæc bona Deus non in qualescunque, nullâ moralium qualitatum ratione habita, confert, ſed in eos, qui, Dei amantes, virtutis ſtudio ſincere & toto animo ducuntur; qui hic *integre ambulare* dicuntur, proprie *in integro*, ſive pro abſtracto *in integritate*, ut Joſ. XXIV: 14. Jud. IX: 16. ſive *habitu* & *more integri*. Littera enim ב aliquando cum emphaſi redundat, & intimam rei naturam dicit; origine repetita a perſona, in quam quis ſe induit, vel qua induitur. Quando egregia emphaſi denotabit eos, qui *integri* perſonam intime induti ambulant; totum vitæ inſtitutum, omnesque actiones hominis *integri* præſtant et præferunt; idque *conſtanter* et *continuo*. *Integritatis* vero vox non abſolutam perfectionem, ſed *relativam* reſpectu et animi, et omnium partium, ſive hominis ſive legis, exprimit, qualis eſt hominis *ſinceri*, et ab omni *hypocriſi* aut *dolo* alieni. Quare *integritas* et *veritas* conjunguntur Jeſ. XXIV. et *integri* ac *contorti viis duabus* opponuntur Prov. XXVIII: 18. ut et *integri via* et *perverſi corde* Prov. XI: 20. De *clauſula*, Pſ. verſ. 13. *Jehova exercituum! beatum hominem, confidentem tibi!* nihil moneo, cum ex ſupra dictis, inprimis verſ. 6., facile intelligatur.

PSALM.

PSALM. LXXXV.

1. *Præfecto, Filiis Korachi, Psalmus.*

2. *Complexus es favore terram tuam, Jehova! reduxisti captivitatem Jacobi.*

3. *Abstuliſti iniquitatem populi tui; texiſti omnia peccata ipſorum. Sela!*

4. *Recollegiſti omnem effervescentiam tuam; redire feciſti ab æſtu naſum tuum.*

5. *Reducito nos, Deus ſalutis noſtræ! & infringe indignationem tuam nobiscum.*

6. *An in perpetuum nobis iraſceris? naſumne tuum protrahes in ætatem & ætatem?*

7. *Nonne Tu denuo vivificabis nos, & populus tuus in Te lætabitur?*

8. *Videre nos fac benevolentiam tuam, & ſalutem tuam des nobis.*

9. *Audiam quid locuturus eſt fortis ille Deus Jehova: Quia loquetur pacem ad populum ſuum, & ad pios ſuos, modo ad ſtultitiam non redeant.*

10. *Veruntamen propinqua eſt timentibus ejus ſalus ejus, ut habitet gloria in terra noſtra.*

11. *Benignitas & veritas ſe invicem offendunt, juſtitia & pax osculantur.*

12. *Veritas e terra germinabit, & juſtitia de cœlo proſpexit,* vel *proſpectabit.*

13. *Etiam Jehova dabit bonum, & terra noſtra edet proventum ſuum.*

14. *Juſtitia coram ipſo gradietur, & ponet in viam greſſus ſuos.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum præclari hujus Pſalmi eſt ſupplex precatio piorum ex Israele, in exilio verſante, pro reductione et inſtauratione populi exulis, orta ex felici et proſpero ſtatu magnæ partis populi, in Cananæam reducis, et cum certa fiducia exauditionis conjuncta, in promiſſis Dei de felici Eccleſiæ tempore, proxime implendis, fundata. In ſcenam hic prodeunt Israelitæ exules, quibus nondum contigerat gratia converſionis et reditus ad Deum, ejusque cultum in Cananæa; vel pii eorum, qui omnium perſonam ſuſtinent. Hi in miſeri ſui ſtatus contemplationem ducti, et proſperam fratrum ſuorum conditionem in Cananæa ad animum revocantes, indeque prudenter colligentes, meliorum temporum, quæ a Prophetis erant prænunciata et promiſſa, ſpem haud longe ab implemento ſuo abeſſe, ad Deum ſeſe in precibus convertunt, ſupplicesque petunt, ut, cum Deus tot favoris ſui erga populum ſuum in Cananæa dederit ſigna, quæ de ira Dei finita, et peccatis remiſſis, teſtabantur, reliquos Israelitas extra patriam et communionem ſuam oberrare non amplius patiatur; ſed tempora illa allucere faciat, quibus Israel et Juda in unum corpus ſub Meſſia perfecte coaleſcant. Quas preces, ſicut tempeſtive fuſas, ita brevi implendas eſſe, ſe confidere teſtantur; cum, tempora illa meliora in verbo prophetico pro-

promiſſa, ante fores eſſe, ex multis indiciis ſe colligere profiteantur.

§. II. Quod argumentum, ſummatim propoſitum, ut in clariore luce collocetur, et per partes explicetur ac demonſtretur, a quo Pſalmi intellectus dependet, 1. notandum eſt, eos, qui hic ſupplicia ſua faciunt, eſſe Israelitas exules, a reliquis fratribus, patriæ jam redditis, diverſos. *Israelitas* ſe produnt, quod ex populi Dei reſtitutione et ſuam urgeant, indicio, ſe ad eundem populum pertinere, nec non quod Cananæam *terram* adpellent *ſuam* verſ. 10, 13. denique quod in promiſſis *populo Dei* factis precum exauditionem fundent, verſ. 9. Eſſe autem *exules*, ſine favoris Dei indiciis oberrantes, et iræ Dei ſigna adhuc præferentes, ipſæ preces, earumque occaſio, quam fratrum inſtauratio præbebat, clare evincunt. Ex quo etiam elucet, eos eſſe ab Israelitis reducibus in terram Cananæam diverſos: cujus & in eo eſt argumentum, quod *diverſæ* perſonæ adhibeantur, cum de reducibus & de ſe loquuntur. Deum terræ *ſuæ* & *populo ſuo* ſeſe propitium demonſtraſſe dicunt, &, ut ſibi eundem favorem præſtet, orant.

§. III. 2. Hinc alterum obſervatum ſponte ſua fluit; exules hos Israelitas eodem, & non diverſo, tempore preces pro ſua liberatione feciſſe, quo reliqui fratres non tantum in patriam eſſent reverſi, ſed ſumma in eo fruerentur proſperitate, omnibus calamitatibus defuncti, & ab omnibus iræ Dei ſignis & effectis liberi. Huc nos manifeſte ducit oppoſitio inter ſuum & fratrum reducum ſtatum, ab oratoribus hisce inſtituta. Cum dixiſſent, *reduxiſti captivitatem Jacobi* &c. & mox ſubjungant, *reduc nos* &c. clare ſignificant, fratribus terræ ſuæ reſtitutis, & proſpere agentibus, ſe cum priſtina calamitate adhuc luctari. Errant itaque, qui diverſa ejusdem populi tempora, & non ejusdem temporis diverſas perſonas ſecum conferri cenſent. Quo accedit, nullum *diverſi* temporis occurrere indicium, diverſarum perſonarum clariſſimum; ut modo vidimus.

Quid? quod pleniſſima iræ Dei ablatio, quæ primis tribus verſibus celebratur, ejusmodi ſtatum, in quo precantes erant, non admittat in poſterum: ut mox patebit.

§. IV. 3. Denique obſervari velim, ſupplices noſtros introduci preces fundere, quo tempore Eccleſia Judaica prope abeſſet a *complemento* ſuo, vel ea inſtarent tempora, quæ *recreationis*, *conſolationis* Israëlis, & *inſtaurationis* omnium rerum, etiam *dies Meſſiæ*, adpellari ſolebant. Cujus obſervati ſequentia ſeſe offerunt argumenta. a. Quia reduces, omnibus calamitatibus defuncti, proſperrima in conditione erant, quæ iræ Dei nihil reliqui habebat; nihil etiam haberet, durante hac oeconomia rerum, verſ. 2—4. quod in nullum tempus, niſi poſt adflictionem Epiphanicam, & Meſſiæ proximum, quadrat: de quo mox. *b.* quia Israelitæ exules, qui, fratribus reſtitutis, in eadem calamitate manebant, ad extremum terminum ſui ſtatus miſeri fere pervenerant. Id quod formula, *an in æternum nobis iraſceris?* &c. indicat: ea enim idem hic denotat, ac ultra præſtitutum terminum, ſupra *multos illos dies*, a Deo apud Hoſ. III. fixos: ne nunc dicam, formulam illam, *an in æternum quousque?* &c. quæ piam cum Deo expoſtulationem involvit, adhiberi ſolere, cum tempus exauditionis ante fores eſt, nec Dei virtutibus amplius convenit, liberationem differre. vid. Zach. I. Jeſ. LXIII: 17. & alibi. *c.* quia tempora illa meliora inſtare diſerte teſtificantur, & in eo fiduciam ſuam collocant, verſ. 9 & 10. *profecto propinqua eſt ſalus ejus* &c.

ANACRISIS.

§. V. Argumentum Pſalmi, hac ratione in lucem protractum, quemadmodum nos in veram hypotheſin Pſ. exponendi ſponte ſua ducit, ſic certam præbet normam Interpretum diverſas opiniones dijudicandi. Interpretes hic vel de Judæis,

Judæis reducibus ab exilio Babylonico, variis adhuc calamitatibus obnoxiis, cogitant, vel ad Judæos reduces in novam adflictionem Epiphanicam delapsos adplicant, vel ad ultimam Judæorum conversionem post longi temporis exilium Romanum oculos vertunt. Sed ex nostra opinione pertinet Ps. ad reliquias Israelis in exilio Assyriaco, tempore summæ felicitatis Judæorum sub Maccabæis, quando Messiæ diu exoptata tempora inminebant. 1. Israelitæ sunt, quibus hæ preces in ore dantur, a Judæis reducibus distincti. 2. Israelitæ, qui in exilio suo continuabant, cum fratres jam essent restituti. 3. Denique, qui, quo tempore Judæi omnes adflictiones superassent, & Messiæ dies in omnium oculis erant, vixerunt. Quæ cuncta ex modo observatis clara luce fulgent. Calamitatis Epiphanicæ finitæ manifestum indicium est in primis quatuor Ps. versibus; quorum emphasis nullo modo patitur, ut de *reducibus* cogitemus; cum in continuo metu, multis malis subjecti, tunc fuerint, & gravis Dei excandescentia adhuc exspectanda esset sub Antiocho Epiphane. Judæi post excidium Romanum hic in censum non veniunt, quod Israelitæ exules hic intelligantur, a *Judæis* reducibus, iisque feliciter agentibus in terra sua, distincti, quodque tempora Messiæ in genere describantur, initio non excluso: de quo suo loco.

§. VI. Convenit itaque huic Psalmo cum reliquis verbi Prophetici partibus, quod Messiæ tempora cum prospero Judæorum statu sub Maccabæis, & Israelitarum conversione, & reunione cum Judæis, connectat. Utrumque enim illud apud Prophetas est vulgatissimum; quod nunc de Israelitarum & Judæorum instaurata unione uno verbo tantum demonstrabo ex luculentis illis vaticiniis Jes. XI: 11. &c. Jer. III. 18. Jer. XXXI: 18. Ez. XXXVII: 15. & Hos. III. & aliis. Alterum illud notius est, quam ut adstrui debeat.

§. VII. Ex

§. VII. Ex qua hypotheſi de *tempore* compoſiti Pſ. judicium eſt ferendum. Probablle mihi fit, Pſalmum temporibus Maccabaicis a Divino aliquo viro fuiſſe factum in uſum Israelitarum exulum, cum ut piorum animi in ſpe proximæ liberationis & ſalutis confirmarentur & erigerentur, tum ut formula ipſis in manus traderetur, ad quam preces ſuas pro ſua populique inſtauratione funderent, tum ut ad beata illa tempora præpararentur, ut, quum Meſſias adveniret, a populo pronis animis reciperetur. *Temporis* nota eſt in pericopa, quæ de Judæorum felici ſtatu in Cananæa, tanquam præſente, & calamitate finita, loquitur. Licet nullus intercedam, quominus ſtatuatur, ſi quis ita malit, antiquum aliquem prophetam, cogitationibus divinis in ea tempora ductum, Pſalmum ea ratione concinnaſſe, ut in ea, quæ dixi, tempora quadret, & a piis eo tempore caneretur. In quo nihil eſt a Spiritu Prophetico, aut *ſcena* prophetica, alienum.

§. VIII. Partes Pſ. *tres* ſunt, in quas ſponte ſua dispescitur. I. *Prima* occaſionem precum continet, repetendam a prospera Judæorum reducum conditione, tanquam nota temporis, Meſsiam proxime praeceſſuri, & *rationem moventem* comprehendente ad Deum movendum, ut preces exaudiat, verſ. 2—4. II. *Secunda* pars ipſas preces exhibet, cum ratione illa movente, verſ. 5—8. III. *Tertia* pars fiduciam precantium, cum ejus *fundamentis*, promiſsis ſc. Dei mox implendis, ob oculos ponit, verſ. 9—14.

EXPLICATIO.

§. IX. Prima pars, quae felicisſimam Judaeorum reducum conditionem in terra Cananaea repraeſentat, verſ. 2—4. *a.* ipſum beneficium Dei in eos collatum, verſ. 2. *b.* ejus cauſam & fontem, verſ. 3, 4. complectitur. *a.* Beneficium ita ſonat, verſ. 2. *Complexus es favore terram tuam*

tuam, Jehova! reduxiſti captivitatem Jacobi. h. e. Cananæam, ſedem inhabitationis tuæ & populi tui, incolis ſuis orbatam & miſere vaſtatam, reductis Jacobitis, repleviſti, inſtauraſti, & favoris tui effectis adeo cumulaſti, ut feliciſſimam ſuam conditionem priſtinam, quam unquam habuit, recuperaverit, quin ſuperet, adpellarique queat terra, *cui Jehova*, fons omnis benedictionis, *faveat*, & in qua ſibi plene complaceat. Hunc ampliſſimum ſenſum phraſes, hic occurrentes, præferunt. Prior, *favore complexus es terram tuam*, cogitationem injicit terræ a Deo *benedictæ*, adeoque prosperrimæ & florentiſſimæ; in qua benevoli Dei adfectus multiplicia exſtant indicia; quæque adpellari meretur terra, *in qua Jehova acquiescit*, *cui* ipſe *favet*, cujusque *Deus* eſt, dicique vult. Quod omnigenam benedictionem, quævis bona, quæ terram glorioſam, prosperam & populum felicem reddunt, comprehendit. Verbum רצה proprie denotat, *firmiter adhærere*, inde *ſibi complacere*, & *acquiescere*, amore & benevolentia complecti; στέργειν Gr. εὐδοκεῖν, ut LXX verterunt. *Terram* Jehovæ adpellat poeta, ut arctam relationem Dei ad eam, & populum ejus, indicaret; quæ de *favore* Dei erga eam teſtabatur. Hanc enim Deus in ſedem populi ſui, veræque religionis, & præſentiæ ſuæ, elegerat; eamque ſuo tempore & ipſe in Filio ſuo calcaret, & in ea Eccleſiam ſuam primum colligeret, ac fundaret. Quæ facilia ſunt.

§. X. Poſterior phraſis, *reduxiſti captivitatem Jacobi*, duplicem admittit ſenſum, ſtrictiorem & latiorem, ſeu uberiorem; *illo* dicit, captivos, ex hoſtili manu ereptos, reſtituere, & patrio ſolo reddere, Deut. XXX: 3. & alibi: *hoc* denotat, in *integrum reſtituere*, reſarcire damnum, res collapſas & diſſipatas inſtaurare, & damna compenſare: uti Job. XLII: 10. *reduxit Deus captivitatem Jobi*, h. e. fecit, ut res collapſæ in melius lætiusque reſurgerent. Quam emphaſin etiam habet, Pſ. XIV: 7. *Quis dabit ex Tſione ſalutem Israelis? cum Jehova reduxerit captivitatem populi ſui, exſultabit*

tabit Jacob, lætabitur Israel. Sic & Jer. xxx: 18. Quam & huic noſtro loco eſſe adplicandam, facile evincit, tum prius membrum verſus, tum ſequens pericopa; quæ declarat, nihil de ira Dei reſtare; adeoque res pleniſſime eſſe in integrum reſtitutas.

§. XI. Quod antequam ulterius explicem, *fontem* inſpiciamus, ex quo hæc tanta beneficia fluxerunt; quod alterum pericopæ membrum eſt verſ. 3, 4. *Abſtuliſti iniquitatem populi tui, texiſti omne peccatum ipſorum. Recollegiſti omnem effervescentiam tuam; redire feciſti ab æſtu naſum tuum.* h. e. *iniquitates* populi tui, quibus æquiſſimas tuas leges iniquiſſime violaverat, & *peccata* ejus, quibus a Te defecerat, & libidini ſuæ morem geſſerat; tu e conſpectu abſtuliſti, & veſte, ſeu velo, gratiæ obtexiſti, absque ut eorum recordareris; adeoque de ira tua in populum ob peccata ejus accenſa pleniſſime remiſiſti, omniaque excandescentiæ tuæ effecta & ſigna, quæ expertus erat, e medio ſuſtuliſti; populum tuum inſtaurando, & eodem, quo antea unquam, favore complectendo. Verba itaque *cauſam* bonorum, verſu *1mo* memoratorum, continent, oppoſite ad malorum, quæ populus paſſus erat, *cauſam* & fontem. Quemadmodum enim peccata captivitatem, deſtructionem populi, & quævis mala pepererant; ſic eorum ſublatio & condonatio malorum ablationem produxit: in quo nihil eſt difficilis; quare uno alterove obſervato circa phraſes defungar.

§. XII. Verſus ita cohærent, ut prior *antecedens*, & poſterior *conſequens* contineat. Quemadmodum enim peccata iram Dei provocant, ſic eorum condonatio excandescentiam ejus ſedat & compeſcit. 1. Peccata, quibus mala ſua accepta ferre debebant Jacobi poſteri, in exilium abducti, nominibus *iniquitatis* & *aberrationis* a ſcopo exprimuntur, quorum *illud* ad legem *æquam* & rectam; *hoc* ad eam, tanquam *viam felicitatis*, quam populus intendit, pertinet, & *illud* in ſpecie quamvis *injuſtitiam* & iniquitatem,

tem, *hoc* qualemcunque defectionem a Deo, ejusque cultu, unica ſalutis via, ad idololatriam, ſuperſtitionem & quasvis concupiscentias, complectitur. Quæ peccata & crimina ante exilium primas tenuerunt inter Israelitas, & judicia Dei tandem ſevera produxerunt: ut ex Prophetis & hiſtoria notiſſimum eſt. 2. Peccatorum condonatio hic dicitur *ſublatio* & *obvelatio*; quæ voces conjunctæ indicant, peccata ex *conſpectu* fuiſſe ablata; quatenus ea in effectis ſuis non amplius conſpiciuntur, vel a Judice non amplius adtenduntur, aut ad animum revocantur. In quo ſita eſt eorum *condonatio*, ſeu *remiſſio*: de quo pluribus hic differere, nihil adtinet.

§. XIII. 3. Conſequens eſt *iræ* Dei judicis & vindicis ceſſatio, verſ. 4. quæ hic emphatice exprimitur. Ipſa *ira* adpellatur tum *excandescentia*, ſive *effervescentia*, inſtar fluvii exundantis effuſa, quæ vis vocis Hebrææ eſt, tum *æſtus naſi*, quod voces proprie dicunt, ſummæ irae ſignum. Quae, θεοπρεπῶς intellecta, nihil niſi ſummum *juſtitiæ* gradum & effectum repraeſentant, qua Deus punit peccata, & laeſam ſuam Majeſtatem vindicat, ſeſeque juſtum ac ſanctum demonſtrat, legisque ſuae auctoritatem a contemtu vindicat. Quae tralatitia ſunt. *Iræ hujus ceſſatio* dicitur *recollectio effervescentiæ*, & *æſtus naſi reductio*, qua ira exundans, & ſe in naſum exſerens, recolligitur & retrahitur, ſeu finitur & aboletur, ita ut nihil ejus amplius conſpiciatur, aut exiſtat.

§. XIV. Senſus ergo eſt; malorum, quae Judaei propter peccata experti erant, *cauſas* omnes plane & plene eſſe ſublatas, adeoque nulla amplius irae Dei ſigna & effecta reſtare, & Deum cum populo reduce pleniſſime rediiſſe in gratiam; ſuique favoris ſigna & effecta plena menſura ei conceſſiſſe. Quo facit, quod *omnia* peccata texiſſe, & *omnem* effervescentiam recollegiſſe, dicatur. Ex quo manifeſtum eſt, in nullum tempus hoc quadrare, quam *Maccabaicum*, poſt finitam adflictionem *Epiphanicam*; quia ante hoc tem-

pus Judæi reduces continuis adhuc vel periculis, vel malis, fuerunt obnoxii, & in ipsa illa adflictione summam Dei excandescentiam senserunt; uti notum est. Hisce malis erepti tandem in longe prosperrimum statum sub Maccabaeis resurrexerunt.

§. XV. Tantum de *scopo* versuum & vero *conspectu*, verbo defungar, cum non sit in difficili positus. Ex dictis enim adparet, felicem Judaeorum in Cananaea statum, & Dei cum populo suo reconciliationem, hic memorari, tanquam 1. occasionem, quae preces peperit 2. notam temporis, quae, eas esse tempestivas, & exaudiendas, demonstrabat 3. rationem moventem, quae Deum ad eundem favorem reliquis Israelitis praestandum permovere posset, quo reduces in Cananaea fruebantur.

§. XVI. Praeclara favoris Dei signa & effecta, in Judaeis reducibus, & prosperrima eorum conditione sub Maccabaeis, conspicua, postea quam pii Israelitarum, in exilio & calamitate adhuc degentium, tanquam occasionem precum & rationem moventem exauditionis, in medium protulissent; de quo supra vidimus: ad ipsas *preces* sese convertunt, vers. 5—8. quas una cum rationibus moventibus *duplici* gradatione, altera *generaliore*, altera *specialiore*, hac ratione proponunt, ut א. pro *reductione* sua in genere orent, rationemque impellentem subjungant, vers. 5, 6. ב. pro salute Messiae manifestanda in specie supplicent, praemissa, fundamenti instar, ratione movente, a promissis Dei, quae non poterant non impleri, repetita, vers. 7, 8. Sic enim cohærent hi versus, & hoc ordine explicandi sunt.

§. XVII. א. Prior pars α. generaliorem precationem, vers. 5. β. rationem moventem, ei subjunctam, continet vers. 6. α. Ipsae preces ita sonant, vers. 5. *Reducito nos o Deus salutis nostrae! & infringe indignationem tuam nobiscum*, h. e. irae tuae signa, quae hucusque longo tempore in exilio experti sumus, Tuo favori, cultui & terrae nostrae, nondum redditi,

redditi, e medio aufer, & nos vel in poſſeſſiones noſtras avitas inmittito, vel in prosperitate populi tui ſortem concedito, vel ad Tui communionem & cultum, ſecundum voluntatem tuam exercendum, admittito; *o Deus ſalutis noſtræ!* qui tot tantisque liberationibus, olim conceſſis, Te nobis talem demonſtraſti, & ulterius præſtiturum eſſe promiſiſti in Meſſia.

§. XVIII. 1. Israelitæ a Judæis reducibus, & prospere in Cananæa agentibus, diſtincti, adhuc ſine Deo, & rege, ſine ephod & cultu Dei oberrantes, hic loquuntur: ut ex diverſa perſona, antea *tertia*, hic *prima*, qua utuntur, & diverſo ac oppoſito populi Dei & ſuo ſtatu, facile elucet. De quo ſupra egi. Sed *pii* ex illo populo, omnium perſonas ſuſtinentes, & pro univerſo populo intercedentes, hic intelligendi ſunt. Quod ſponte ſua elucescit. 2. Deum, quem adloquuntur, aptiſſimo *Dei ſalutis ſuæ* titulo inſigniunt; ut tum præterita beneficia ſe memore & grata mente recolere, tum futura promiſſa in promtu habere, ſignificarent, & relationes Dei ad populum, in beneficiis & promiſſis fundatas, ob oculos ponerent. Titulus, ſicut Deum tanquam omnis *ſalutis* fontem & cauſam unicam in genere proponit, ſic in ſpecie ad *præteritas* liberationes multiplices, variaque *bona* in populum collata respicit, ſimul ad futuras ſalutes ſe porrigit; & ſpecialiſſime ad eam, quam Deus, hoc ipſo nomine *Jeſu* & *ſervatoris* adſumto, adferret. Quam omnem ſenſus amplitudinem hic complectimur; quemadmodum & Jeſ. xxvi: 9. & ſaepe alibi; ſpecialiſſimo ſenſui quare hic locum demus, faciunt ſequentia, ubi *ſalus* per Meſſiam adducenda manifeſte memoratur: ut ſuo loco patebit.

§. XIX. 3. Materiam precum conſtituit petitio *reductionis* populi, & *abolitionis iræ Dei*. *Reduc nos*, inquiunt, & *infringe indignationem tuam nobiscum*. Quo 1. indicant, populum ſuum adhuc in exilio verſari, & in ſtatu a Dei communione ac cultu alieno; adeoque *iræ* Dei, in peccata accenſae, unde illa mala fuerant orta, ſe adhuc praeferre-

ſigna. 2. *Precantur*, ut Deus populum *reducat* & *iram infringat cum ipſo*, h. e. ira infracta reducat. Sicut enim ſtatus exulum ex ira Dei in peccata erat ortus, & de illa, adhuc durante, teſtabatur; ita *reductio*, iram abolitam eſſe, demonſtrat. Phraſis, *infringe indignationem nobiscum*, id eſt, qua nobis iratus es, ut per ſe liquet, iræ ſigna & effecta abolenda comprehendit. Verbum פרר, haec enim radix eſt ſtatuenda, proprie *infractionem* denotat per *crenas* & *inciſuras*, ut cum *acies* rei per multas crenas & inciſuras infringitur, ut penitus *irrita* reddatur & *aboleatur*. *Indignatio* quamdiu viget & effecta edit, *aciem* habet, quae ferit & pungit; ſed quae obtuſa & infracta cenſetur, cum ſe exſerere ceſſat, & mala non amplius producit, quae de *ira* Dei teſtantur. Quod hic ad *reductionem* populi refertur; oppoſite ad ſtatum exulem, ab ira Dei profectum. *Reductionis* vero nomine, quod eſt generalius, utuntur, ut Deo ſe relinquere indicent, quo *reductionis* genere uti velit, ſive populum avitis ſedibus reſtituendo, ſive a malis, quae in exilio patiebantur, liberando, ſive ad Deum ejusque cultum convertendo. Quae omnia generali *reductionis* nomine ſunt comprehenſa. Orant itaque 1. ut in Cananaeam reducantur, qui hucusque extra ſedes patrias, vel ſua culpa, vel coacti, in peregrinis oris verſati fuerant. 2. Quod ſi fieri non poſſet, ut ſaltem a malis liberarentur, quae multa adhuc pati debebant inter Gentes, & proſperitate ac pace gaudeant. 3. Vel ſaltem, ut animis ad Deum verum, ejusque legem, converſi officiis religionis ſecundum praeſcriptum Dei defungi poſſent.

§. XX. Hanc petitionem urgent ex *diuturnitate* exilii nimia, niſi cito finiatur. verſ. 6. *An in perpetuum nobis irasceris, naſumne tuum protrahes in ætatem & ætatem?* Senſus eſt, iram Dei vel nunc eſſe finiendam, & naſum ab aeſtu ejus reducendum, (quae phraſis verſ. 4. occurrit, oppoſite ad *naſi protractionem*,) vel *nunquam*; quod poſterius cum per Dei benignitatem, relationes ad populum, & promiſſa, fieri

fieri nequeat, quare illud hic rejicitur per formam interrogandi, quæ negationem dicit, oportet, *nunc* tandem finis ei imponatur; quia *tertium* non datur inter *nunc* vel *nunquam*, saltem ut videri posset. Ratio est, quia *characteres* temporis nunc adsunt, qui illud opportunum faciunt; & tempus iræ præfinitum characterizant. Quæ temporis opportuni *criteria* duo sunt, *alterum*, quod nulla amplius iræ in Judæos signa sint reliqua, sed illi ad summum prosperitatis & libertatis culmen pervenerint; ut superior pericopa habet; *alterum*, quod Messiæ tempora ante fores sint. Quæ duo tanquam signa temporis, quo Israel & Juda in unum corpus coalescerent, in verbo Prophetico occurrunt: ut supra observavimus. Accedit, tam diu jam fuisse protractam iram Dei, ut videri posset *æternum* duratura, quod non deberet, si *diutius* prolongaretur. Cum itaque dicunt, *an in æternum?* &c. significant 1. illud esse absonum, Dei bonitati & veracitati adversum, 2. adeoque nunc esse *iræ* & *malis* terminum ponendum, cum sit tempus opportunum, & cæteroquin videri possit, *æternam* futuram Dei iram.

§. XXI. 2. Generali huic petitioni adjungunt aliam paulo specialiorem, qua Messiae manifestationem supplicant, vi promissorum Dei, vers. 7, 8. quam ita proponunt, ut *rationem* moventem, fundamenti instar, praemittant, vers. 7. & precationem subjungant, vers. 8. Utriusque versus verba ita sonant. *Nonne Tu denuo vivificabis nos, & populus Tuus in Te lætabitur? Videre nos fac benevolentiam tuam, o Jehovah! & salutem Tuam des nobis.* h. e. Cum Tibi propositum sit, nos communioni tuae & cultui, quae vera nostra vita est, restituere, & populo tuo materiam verae laetitiae in Te subministrare in Messia: hanc tuam gratiam ac salutem ut nobis quantocyus fruendam concedas, etiam atque etiam precamur. Petunt itaque, ut *gratia*, per Messiam adducenda, manifestetur; & preces ex eo urgent, quod Deo propositum sit, populum *vivificare* & *lætificare*

Lætificare eo tempore. Praemittunt autem eam inſtantiam, quia ad ſuperiores preces pro *reductione* ſua pertinet, earumque exauditionem proprie urget: acſi dicerent. *Reduc nos*; quia Tibi ſtat, nos aliquando *vivificare* in Meſſia: quod cum Tibi propoſitum ſit; quaeſumus, eam gratiam Meſſiae fac manifeſtari; cum noſtra vivificatio ab ea dependeat.

§. XXII. Sequamur itaque ordinem textus, & *a.* de ratione movente, ad praecedentes & ſequentes preces ſe extendente, dicamus *b.* de precibus ſpecialioribus inde ortis, & in ea fundatis. *a. Prius*, verſ. 7. habet. *Nonne Tu denuo vivificabis nos, & populus Tuus in Te lætabitur?* Quibus verbis ad œconomiam gratiae, per Meſſiam erigendam, respici, autumaverim; tum quod ſequentia eo manifeſte pertineant, tum quod a *reductione*, de qua modo locuti fuerant, diſtinguant, tum quod *vivificationis* nomine hoc beneficium, ſaltem ultimo, intelligi ſoleat. ut Jeſ. XXVI: 19. Hoſ. VI: 2. Jeſ. LVII: 15. & alibi. Meretur illa œconomia 1. *Vivificationis* nomen, eique 2. proprium eſt, ut *populus Dei* in Deo tunc *lætetur:* quae duo hic occurrunt. 1. *Vivificationis* conſpectum gerit, quia, *auctore* vitae verae, ſpiritualis & cœleſtis, manifeſtato, & per paſſiones conſummato, beneficia *remiſſionis* peccatorum, *ſanctificationis*, & *adoptionis* filiorum Dei, ſumma emphaſi diſpenſantur, & *vita* ac *immortalitas* in *lucem* protracta eſt. In quibus vera hominis *vita* conſiſtit. Quae, aliunde nota, hic latius explicare nihil adtinet. 2. Alterum illud, quod *lætitiam populi Dei* in *Deo* comprehendit, œconomiae Meſſiae quaſi criterium ducit; cum, reatu expuncto, & ſignis peccati exſtantis abolitis, Deo cum populo perfecte reconciliato, & favoris Dei multiplicibus ſignis proſtantibus, Spiritu etiam S. plena menſura in Eccleſiam collato, et charitate Dei in corda credentium effuſa, pleniſſima et uberrima purae et abundantis *lætitiæ* materia ſuppetat Dei in Chriſto amantibus. *In Deo* autem *lætari* arctam cum Deo communionem, et ſpiritualem plane adfectum animi, a rebus

rebus externis prorſus abſtracti, et Deo unice fidentis, exprimit. Quod ſumma emphaſi ſub N. T. locum habet.

§. XXIII. Ceterum cum *vivificationem* ad ſe, et *lætificationem* ad *populum* Dei referunt, indicant 1. pertinere haec beneficia proprie ad *populum* Dei, nec in genere tantum, ſed omnes ejus *cives* in ſpecie; nemine excepto: quare verbo plur. num., *laetabuntur* in *Te populus tuus*, utuntur, ut ſingulis ex populo hoc competere exprimerent. Populus autem Dei etſi hic primo ſenſu omnes credentes et Dei amantes ex Judaeis complectatur, ut ſponte ſua elucescit, latiore tamen *ad gentes*, quae ſibi in ſemine Abrahami benedicerent, ſeſe porrigit. 2. Se in eo beneficio partem habituros, ſignificant; cum ejusdem populi reliquiae ſint & poſteri, nec niſi ad tempus a Deo rejecti, & in ſtatum *non-populi* redacti, ſuo tempore recipiendi; ut verbum promiſſionis habet Hoſ. II: 1., & alibi. Cui innixi ſpem ſuam de melioribus illis temporibus exponunt, dicentes; *nonne Tu denuo vivificabis nos*, & *populus Tuus lætabuntur in Te?* qui interrogandi modus *adſeverationem* denotat, &, certo certius id eſſe futurum, indicat. Eſt acſi dicerent; nonne Tu hoc promiſiſti, & promiſſa implebis? imo vero facies, nosque ſecundum promiſſa iterum *vivificabis*, & populum Tuum in Te facies lætari. Quæ promiſſa ubique proſtant, & ſupra jam citavi. Sed quid ſibi vult illud *iterum* in phraſi, *iterum vivificabis nos?* proprie, *nonne reverteris vivificabis;* ſed, quod pervulgatum eſt, præcedens verbum in ejusmodi conſtructione uſum *adverbii* habet. Idem ergo eſt, ac *altera*, *iterata vice*, vel *rurſus*, *vivificabis nos;* oppoſite ſc. ad deſtructionem & rejectionem populi in exilium miſſi, & *non populi* facti. Non acſi idem ſibi contingere vellent, quod ante repudiationem ſuam habuerant, ut ad primam ſpeciem videtur, ſed aliud ei ſimile, verum excellentius, & eo nomine majore emphaſi dignum; ut, cum *mortui* dicuntur iterum vivificandi, licet *vita* meliore, uti in reſurrectione mortuorum, donentur.

§. XXIV. Hac fide & ſpe meliorum temporum erecti, & promiſſis Dei innixi, *preces* pro manifeſtatione melioris œconomiæ, quacum ſua reſtitutio cohærebat, fundunt, verſ. 8. *Videre nos fac gratiam tuam, & ſalutem des nobis.* Cum, Deum *ſe vivificare*, & populo ejus præbere *lætitiæ* materiam, dixiſſent; nunc temporis *qualitatem*, & *modum*, quo ea beneficia ſibi contingerent, explicant, & ut ea quantocyus repræſententur, ſupplices orant. Deus exules *vivificaret*, & populum *lætificaret*, quando *gratiam* ſuam manifeſtaret, & *ſalutem* ſuam dispenſaret; & hac ratione *vitam* & *gaudium* daret populo ſuo, ei *gratiam* faciendo, & *ſalutem* concedendo. Voces *gratiæ* & *ſalutis* ſunt ſelectæ, quæ œconomiæ Meſſiæ lineas ducunt, quarum altera *principium* & *cauſam* beneficiorum, altera ipſa *beneficia* exprimit. *Gratia* ſeu *benignitas* eximiſſimum ſtudium benefaciendi, quo Deus fertur, ob oculos ponit, & *amorem* Dei, quo hominibus nil merentibus bene vult, exhibet. Quod alias *gratiæ* nomine in Script. venit: adeoque *principium* & *fontem* omnium beneficiorum gratiæ deſignat. Ipſa vero *bona*, ex hoc largiſſimo fonte profluentia, adpellantur *ſalus*, quæ, quicquid hominem perficere & vere *beare* poteſt, ambitu ſuo complectitur; adeoque liberationem ab omni *malo*, & omnis *boni* largitionem, in hac & futura vita. Quæ beneficia, juſtificationis, ſanctificationis, conſervationis & glorificationis, nominibus nota, cum Deus in *Meſſia*, & ejus cauſa, dispenſaret, & ipſe etiam inde nomen *Jeſus*, *ſervatoris*, imo *ſalutis*, accepit; hoc ipſo *ſalutis* nomine ipſum hic comprehendi, non fuerit alienum ſtatuiſſe. Sic Jeſ. XXV: 9. *Et dicetur illo die: ecce Deus noſter hic eſt, quem exſpectavimus, & qui nos ſalvet: hic eſt Jehova, quem exſpectavimus; lætemur & gaudeamus ſalute ejus*, & alibi ſæpe. Agnovit & celebravit hoc Simeon, Luc. II: 29, 30. exſpectarunt hoc pii omnium temporum, & noſtri precatores eo in precibus ſuis reſpiciunt, cum dicunt, *videre nos fac gratiam tuam, & ſalutem tuam des nobis.*

§. XXV. Qui-

§. XXV. Quibus verbis *tria* præcipue petunt, 1. gratiæ & ſalutis manifeſtationem claram & certam. 2. cognitionem & agnitionem ſuam, 3. participationem, & poſſeſſionem ſalutis iſtius. Quæ omnia ad *vivificationem* & *lætificationem* neceſſario requiruntur, & verbis, *videre facere* ac *donare*, ſunt comprehenſa. Forte duo illa verba, ſecum copulata, idem dicunt, ac *datam gratiam ſalutarem videre facere*. *Datio*, 1. manifeſtationem & oblationem. 2. adplicationem, comprehendit. *Videre facere*, 1. gratiam manifeſtatam dicit, *a.* oculis offerre & ſenſibus; ut Abraham et Prophetæ deſiderarunt, & *Simeon* aliique *viderunt*, *b.* non qualicunque modo, ſed *clare* et *perſpicue* manifeſtare, cum certiſſimis veritatis argumentis et ſignis. *c.* denique *intellectui* et *animo* tanta cum efficacia exhibere, ut eam et in omni certitudine ac amabilitate intelligant, ac intimo adfectu amplectantur, et *credant:* quod *revelare infantibus* et ſapientibus occultare etc. dicitur. 2. *gratiam* adplicitam videre facere eſt, eam non tantum fruendam dare; ſed et de ſorte ſua certiorem facere; ita ut *ſciant*, *quæ a Deo donata* ſunt, et in ea *ſalute lætentur*. ut verſ. 7. dictum erat.

§. XXVI. Precibus pro exulum reductione, iræ Dei termino, et ſalutis Meſſiæ manifeſtatione, fuſis, poeta, reliquorum fratrum perſonam ſuſtinens, pium et fiduciæ plenum animum, de precibus exaudiendis certum, teſtificatur, ejusque ſuæ fiduciæ fundamenta ponit *duo*, *alterum* in benevolo Dei erga populum ſuum adfectu, cujus tot dederat, daretque, indicia, *alterum* in propinquitate temporum beatorum ſub Meſſia ſitum. Quæ ſumma eſt ultimæ vel tertiæ partis Pſalmi, verſ. 9—14. Cujus duæ ſunt partes, n. prior *fiduciæ* precantis continet, ſimul *pietatis* ejus explicationem, verſ. 9. in primo membro, 2. poſterior duo *fiduciæ* fundamenta, *alterum*, beneficia in populum collata et conferenda, niſi obſtaculum ponat populus, verſ. 9. *alterum*, oeconomiam Meſſiæ brevi erigendam, verſ. 10—14.

§. XXVII. 1. Animum, pietate et fiducia insignem, sanctus orator, omnium nomine, his verbis exponit, vers. 9. *Audiam quid locuturus est fortis ille Deus Jehova*, scilicet, qui et *potest* et *vult* dictis & promissis fidem præstare; quo nomina *Dei fortis* & *Jehova*, ut nemini non notum est, tendunt. Significat, 1. Deum aliquid secundum vota precantium esse *locuturum*, non verbis modo, sed & *factis*; unde, Ipsum precibus adnuere, patescat. *Loqui* de Deo usurpatum, relate ad preces, utrumque complectitur, & *verba*, quibus vel per prophetias, vel intimationem precantibus factam, preces se exaudire declarat, & *facta*, quibus reapse implet promissa, quibus preces sunt innixæ. Deus enim non *sonos* tantum fundit loquendo, sed *ubi* loquitur, ubi præcipit, rem ipsam sistit præsentem. 2. se illud oculis, auribus & animo, esse excepturum; cum *salus ejus* in *propinquo* sit, vers. 10. ita ut spes sit, suo forte tempore revelandam esse. Quod implementum confirmavit. A temporibus enim Maccabaicis, seu Joh. Hyrcani, quando Ps. videtur confectus, Messiæ adventus tam longe non afuit, ut initia & præludia a longævis observari non potuerint. 3. se *paratum* esse, & ita adfectum, ut, cum Deus loqueretur, & preces impleret, pronis auribus & animis sit excepturus; adeoque esse inter eos, qui *consolationem* Israelis *exspectant*. 4. denique, se *pie*, *patienter* & *avide*, præstolaturum, donec Deus eo, quo dixi, modo loqueretur. Quæ omnia verbo *audire* comprehenduntur. *Audiam*, h. e. spes me alit me auditurum esse, utique profiteor, me, cum Dei dictum fuerit prolatum, esse auditurum, & ita esse adfectum, ut pie & patienter exspectaturus sim.

§. XXVIII. 2. Sed quo fundamento vir sanctus se *bona* Dei verba esse auditurum, credidit? duplici, respondeo, *altero* in præterito & præsente populi Dei statu, in posterum continuaturo, nisi populus cum cane ad vomitum redeat, sito, *altero* in propinquitate salutis Messiæ certo certius revelandæ. *Prius* his verbis proponitur, *Quia loqui-*

loquetur pacem ad populum ſuum, & ad pios ſuos, modo ad ſtultitiam non revertantur. Quæ verba argumentum ſermonis Dei, quem audire ſperabat poeta, non continent, ut Interpretibus viſum, ſed *fundamentum*, cui ſpes ſua innixa erat; quod cum ex particula cauſali *quia*, tum ex eo liquet, quod, *quid Deus* ſit prolocuturus, ſe auditurum eſſe, profiteatur; quid autem illud ſit futurum, a Deo erat audiendum, non ab ipſo enunciandum. In errorem duxit forma fut., *quia loquetur*, ſed ea ſæpe præteritum & præſens involvit, ſive *morem* & *conſuetudinem* dicat, ſive ad futurum ſe ſimul extendat; unde ratio *futuri* eſt repetenda. Senſus ergo eſt, Deum *pacem* populo ſuo procuraſſe, & procuraturum in poſterum, ſi ad perverſam ſuam indolem ſe non recipiat. Quæ ipſa conditio addita evincit, hic de promiſſo Meſſiæ, quod ſe exauditurum ſperabat ſanctus poeta, quippe a ſimili conditione non ſuſpenſo, non agi, ſed de proſpero reip. & Eccleſiæ Judaicæ ſtatu ſub Maccabæis, tanquam ſigno adventus Meſſiæ; de quo ſupra vidimus. Quo etiam pertinet, quod ad *populum Dei*, ad *pios ejus*, reſtringatur, ſc. Judæos & *Chaſidim*, ſive pios illos temporibus Maccabaicis, eo nomine notos in hiſtoria, qui pro lege & patria decertarunt. Eſt itaque, acſi dicat vir ſanctus, omnium fratrum in exilio nomine; *audiam quid boni* nobis Deus loquatur; loquetur enim in bonum noſtrum; quia tam præclara præſtitit, & præſtiturus eſt, *populo ſuo*, & *piis ſuis;* pacem & proſperitatem ipſis procurando, quam perennare faciet, ſi officio ſuo non fuerint defuturi; argumento, nos prope abeſſe a redemtione & liberatione noſtra, per Meſſiam adducenda.

§. XXIX. *a. Populus Dei* & *pii ejus* ſunt *Judæi* in Cananæa, ut verſ. 3 & 7. & in ſpecie *ſtudioſi* legis & religionis, eo nomine inſigniri ſoliti, & in Pſ. & in hiſtoria Maccabaica. *b. Pax* hic cum liberationem a ſervitute, oppreſſione, & bello religionis cauſa geſto cum Syris & impiis, tum quamvis *proſperitatem* aliam, quæ civitatem &

Eccleſiam felicem reddit, comprehendit, ut ſæpe alias. *c.* *Hanc* Deus *loquitur* ad populum, cum eam ipſo facto adfert, & præſtat, in primis *ſingulari* & *Divino* modo; ut tempore Maccabaico. *Loqui* Dei eſt *dictum factum.* *d.* Hanc ſicut Deus populo procuraverat, ita etiam *procuraturus* eſſet in poſterum; quo forma fut., *loquuturus eſt*, tendit; modo redemti *non redeant* ad *ſtultitiam.* e. Huc enim ultima verba, verſ. 9. tendunt, & *ne redeant ad ſtultitiam.* h. e. *at*, ſed, *ne redeant;* modo, quod optandum eſt, ne revertantur. Quo manifeſte indicatur, pacis continuationem, qua nunc fruebantur, ab eo eſſe ſuſpenſam; & tacite inſinuatur, populum denuo eſſe a Deo defecturum; non quidem ad idololatriam, ut antea, ſed *ſuperſtitionem* & morum *corruptionem*, quæ æque ex *ſtultitia* originem repetit, & de ea teſtatur, ac idololatria: quare dicitur, *ne redeant ad ſtultitiam*, a vero Deo placendi, & legem, ut decet, præſtandi ſtudio, in quo ſolo *ſapientia* eſt, remittendo, & propria placita, inſtituta propria, loco legis, ſectando; denique libidini & corrupto adfectui ad quævis vitia & ſcelera indulgendo. Vox Hebr. a *lumbo* ad *vitium* in eo, & inde ad *torporem*, & *ſtultitiam*, tranſiit; dicitque, ut cum prisca Latinitate loquar, *lumbaginem*, quæ eſt *debilitas membrorum*, & animi ſtultitia. Non ſine ratione hæc conditio, vel hoc *monitum*, additur, quia populum ad veterem ſtultitiam poſt Joh. Hyrcani tempora ſe recepiſſe, & in novas calamitates præcipitem dediſſe, donec in novam *ſervitutem*, quæ reip. excidium ſecum traxit, prolapſus fuerit, experientia docuit.

§. XXX. *Alterum* fundamentum fiduciæ, quam de exaudiendis precibus conceperat, eſt propinquitas manifeſtationis Meſſiæ, a nulla conditione pendentis: quod *a.* in genere proponitur, verſ. 10. *Veruntamen propinqua eſt timentibus ejus ſalus ejus, ut habitet gloria in terra noſtra.* h. e. quicquid de perenni illa proſperitate, quæ a populi ſtatu morali dependet, futurum ſit; attamen illud certum

&

& firmum ſtat, ſive bene ſive male officio defungatur, abſolute inplendum; *ſalutem Dei brevi* eſſe manifeſtandam & terram Cananæam, ſeu populi Dei hæreditatem, *gloria* replendam. Ex quo certiſſime mihi perſuadeo, *verba bona & ſalutaria*, in quibus noſtra redemtio & liberatio ſita eſt, me a Deo eſſe auditurum. Hac ratione cohæret verſus cum ſuperiore; quem nexum particula אך *veruntamen*, *profecto*, *tantum*, haud obſcure ſignificat. Ceterum, *œconomiam* gratiæ ſub Meſſia hoc & ſeq. verſibus depingi, ex ſuperioribus clarum eſt, & ex ipſa hac pericopa quam clariſſimum. Phraſes enim, ſi verum & plenum ſenſum ſint habituræ, ut oportet, in nullum populi Judæi ſtatum, ac quo Chriſtus Eccleſiam erexit in eorum medio, conveniunt. Quod ipſa tractatio docebit.

§. XXXI. Noſtro verſu, in quo *de ſalute Dei brevi manifeſtanda timentibus ejus, & gloria in terra populi Dei habitatura*, agitur, feliciſſimi temporis, quo Meſſias in terra compareret, & bona gratiæ ac gloriæ adduceret, & cum Dei amantibus ac timentibus communicaret, lineæ in genere ducuntur. *Salus Dei*, quæ ipſum habet auctorem, ejusque imaginem præfert, ac ejus communionem involvit, quare *ſalus ejus* audit, quævis bona ſpiritualia, quæ hominem perficiunt, comprehendit in hac & futura vita, una cum ejus *cauſa* impetratoria, ſive Meſſia; de quo ad verſ. 8. vidimus. Hæc cum *propinqua* dicitur, eam brevi poſt eſſe manifeſtandam, & dispenſandam, ſatis clare indicatur. Sed quare *timentibus Dei?* ut eorum characteres figerentur; qui hanc ſalutem participarent; ne, promiſcuam ejus dispenſationem fore, & qua in univerſum omnes ex populo Judæo, vel ſoli Judæi, fruerentur, exiſtimaremus. *Timentes Dei* ſunt, qui peccatorum & juſti eorum vindicis ſenſu tacti, & hoc onere preſſi, juſtitiam Dei ſervatoris eſuriunt, & ſitiunt, animo a peccatis alieno, & in legis Dei, ſeu virtutis, obſervantiam prono, præditi. *Timentes Dei* ſunt, qui, Dei, tanquam doctoris & Legislatoris, reverentia

tia ducti, ejus revelationi & verbo ſubmiſſe adſurgunt, & legem Dei violare religioni ducunt, verbo, *reſipiscentes & credentes*, ut in N. T. audiunt. *Alterum* membrum eſt, *ut habitet gloria in terra noſtra*, ſc. propinquum *eſt*, *ut habitet*, quod ex ſuperiore membro ſupplendum eſt. Significatur 1. Meſſiæ manifeſtatio in terra Cananæa, cum ſignis *gloriæ unigeniti Dei*, Joh. 1: 14. 2. Spiritus S. glorioſa effuſio in Chriſti discipulos; ſuper quibus *Spiritus gloriæ* legitur *requiescere*, 1 Pet. IV: 3. Eccleſiæ Chriſti inter Judæos erectio, & propagatio, cum multis Divinæ præſentiæ ſignis conjuncta, & vera ſapientia & ſanctitate fulgens. Conf. Jeſ. IV: 5. *ſuper omnem gloriam erit tegumentum.* 4. Denique ingens *Gentium* confluxus ad hanc Eccleſiam, quæ ſalutem in ejus communione participarent, & agnoscerent, Deum eſſe in medio ejus, Jeſ. II. & ſæpe apud Prophetas. Sic Simeon *ſalutare Dei* adpellat *lucem* ad *illuſtrationem gentium*, & *gloriam populi Israelis*, Luc. II: 32. Sic gloria domus poſterioris fuit illuſtrior ea prioris, Hag. II. imo miniſterium Moſis ne quidem glorioſum propter excellentiorem euangelii gloriam. 2 Cor. III.

§. XXXII. β. Felicem, ſeu ſalutarem & glorioſum, hunc terræ & populi ſtatum, in genere propoſitum, Vir Sanctus per partes & *articulos* varios diſtincte & eleganter repræſentat, verſ. 11—14. 1. *Prima* pars ita ſonat, verſ. 11. *Benignitas* & *veritas* ſe *offendunt*; *juſtitia & pax oſculantur*, h. e. in mutuos ruunt amplexus. Quam cogitationem utrumque verbum ſuggerit. Prius נגשו, quod verti *offenduntur*, vel *offendunt ſe*, proprietatem habet in frontibus & capitibus ſibi invicem impactis, unde ab altera parte ad *boſtilem* impactionem, ab altera *ad amicam* cum mutuo amplexu, transfertur: quam emphaſin hic habet. Alibi ſimpliciter pro *occurrere* ſumitur, ut Prov. XXII: 2. *pauper & dives offenduntur*, *frontibus adverſis*, ſeu, ſibi occurrunt. Poſterius נשקו proprie eſt, *labra labris conjunxit*, & *arctius adpoſuit*; hinc *arctius adhæſit*. Hic cum intimi illi amplexus *benignitati* ac *veritati*, *juſtitiæ* & *paci*, per aliquam

quam perſonæ fictionem adtribuuntur; duo, ni fallor, ſignificantur, virtutum illarum combinatio, & publicum, frequens, ac liberum exercitium; ita ut in publico conſpiciantur, & ubique ſibi occurrant: oppoſite ad id, quod Jeſ. LIX: 14. dicitur, *Jus averſum eſt retrorſum, & juſtitia ſtat a longinquo; profecto lapſat in foro veritas, & integritas nequit intrare.*

§. XLIII. Sed, cum hæc faciliores habeant explicatus, difficiliores forte ipſæ *virtutes*, earumque copulatio. Dubium enim forte eſt, ſintne *Deo*, an hominibus erga ſe invicem, adtribuendæ. *Prius* ſi placeat, *gratia* & *veritas* ſtudium Dei, quo & hominibus nil merentibus benevult ac benefacit, & dictis ac promiſſis fidem præſtat, deſignabunt; *juſtitia* vero gratuitum remiſſionis peccatorum beneficium, in æternis *juſtitiæ* rationibus fundatum, & *pax* ejus conſequens ſeu reconciliationem hominis cum Deo, ac omnigenam hominis *pacem* & ſecum, & cum aliis, exprimet. Quæ ſibi occurrere & ſe complecti dicerentur, quatenus publica & multiplicia eorum exſtant indicia & effecta inter homines. Equidem, ſenſum & phraſibus & harmoniæ ſcript. V. ac N. T. eſſe congruum, lubens concedo; attamen ad alium ſenſum, quo humanæ virtutes intelliguntur, inclino. 1. Quia voces hic abſolute, ſine ulla relatione, occurrunt: quo caſu nusquam de Deo uſurpantur. Dubium non eſt, quin *gratia* & *veritas ejus* dixiſſet poeta; ſi de Dei virtutibus nos cogitare voluiſſet. 2. Phraſes, *benignitas & veritas*, *juſtitia & pax*, *ſe mutuo offendunt*, & *amplexantur*, nescio quid duri, ſi Dei virtutes intelligantur, habeant; utique de *civibus* ſeſe mutua benevolentia, veracitate, juſtitia & æquitate, complectentibus, facilius capiuntur. Ducunt enim nos ad *civitatis* ſtatum, & mutua civium officia. 3. Occurrunt hic tanquam ſigna & effecta *ſalutis* Dei inter homines manifeſtandæ; quæ *ſalutis* notio omnia beneficia gratiæ complectitur, quæ de virtutibus Dei teſtantur: adeoque de virtutibus hominum, inde ortis, & ad ſtatum ſalutis pertinentibus, hic rectius cogitamus. 4. Accedit, verſ. 13. *benefi-*

ficia Dei expreſſe memorari per *etiam Deus* &c. argumento, hic de felici civitatis ſtatu, in virtutum illarum exercitio ſito, agi. 5. Denique uſus Scripturæ, ubi prosperum civitatis ſtatum deſcribit, confirmat hanc interpretationem. vid. Jeſ. XVI: 5. XXXII: 16. Zach. VIII: 16. oppoſite ad triſtem civitatis conditionem Jeſ. LIX.

§. XLIV. Explicemus ſecundum hanc hypotheſin hasce *virtutes*, ſed brevibus. 1. *Prima* virtutum biga eſt *benignitas* & *veritas*; quæ ſæpe junguntur in Scriptura, etiam ubi hominibus tribuuntur, ut Jeſ. XVI: 5. Prov. XX: 28. Pſ. LXI: 8. & alibi. *a. Benignitas* exprimit intenſum ſtudium alios juvandi, eorum commoda promovendi, bene de iis merendi, idque ex generoſo & liberali animo; nec parce & ſegniter, ſed copioſe & ſtudioſe, in ſpecie, ubi ex ſtricto jure ad id non ſit obligatus, ſed *ſponte* & generoſo aliquo animi motu. *b. Veritas* deſignat tum *ſinceritatem*, ab omni fuco, dolo, & adulatione alienam, oppoſite ad cor duplex, linguam fallacem, & labia doloſa; Pſ. XII. Jeſ. LIX. & alibi, tum *veracitatem* in commercio ſermonis, oppoſite ad mendacia & falſiloquia, vel noxia, vel officioſa, tum *fidelitatem*, in dictis et promiſſis præſtandis, et arcanis celandis; tum denique *conſtantiam* in officiis charitatis et benevolentiæ. Quae verbo memoraſſe ſuffecerit. Quae *virtutes* quam arcto connubio cohaereant, facile perſpicitur. Quid enim *benignitas* ſine *veritate*, praeter hypocriſin, et adulationem? quid ſine *conſtantia*, praeter ſubitaneum aliquem motum et adfectum transitorium, qui cito oritur et occidit, et civitatem non reddit felicem? denique, ſicut *benignitas* ſeſe in factis, ita *veritas* ſe in commercio ſermonis, vinculo ſocietatis certiſſimo, exſerit.

§. XLV. 2. Secunda virtutum biga eſt, *juſtitia* et *pax*, quae mutuis osculis ſe amplexaturae dicuntur. *a. Juſtitia* eſt; qua cum rectores et judices, tum cives, ſinguli ordini ſtatui et relationibus ſuis convenienter, ſeſe habent, et gerunt, actionesque ſuas edunt, ſecundum leges bonas et aequas;

aequas; absque ut aut personarum adsumtio, favor et odium, aut oppressiones et fraudes in societate locum habeant; sed cuique honores, possessiones, et bona relinquantur ac dentur, quae singulis competunt. *Justitia* est, qua cuique jus suum datur, et factum tectum manet; cives debita libertate gaudent; et ab omnibus injuriis immunes sunt. *Justitia* denique est, qua in *judiciis*, *commerciis*, et omni *conversatione*, singuli secundum *merita* et *jura* sua tractantur. Quae non sunt obscura. *b.* Adjungitur *pax*, sive tanquam effectum justitiae, ut Jes. XXXII: 17. *opus Justitiae pax*; sive tanquam virtus, et officium, cum justitia indivulso nexu conjunctum. *Priore* sensu indicatur, pacem, tranquillitatem et prosperitatem, sine rixis, litibus, animorum divisionibus, multo minus bellis, in civitate, justitiae et aequitatis sede, locum habituram. Quod sponte sua elucet, et justitiae est necessarium consequens. Quo bono nihil optatius accidere potest societati. *Posteriore* sensu animum *pacificum* ob oculos ponet, et quaevis officia comprehendet, quibus et nostram et aliorum pacem, tranquillitatem, et securitatem conservare, et promovere studemus. Quae virtus cum *justitia* copulatur, tum ut, pacis studium ab omni *injustitia* alienum esse debere, indicaretur, ne in factionem & conspirationem degeneret; tum ut, *strictum* jus semper non esse urgendum et observandum, inculcaretur. *Pacificus* enim animus ulterius tendit ac *justus*; cum officia imperet, quae stricta *justitia* non exigeret, vel salva justitia omitti possent; imo illud jus aliquando vetaret. Animus denique pacificus est, quo de jure nostro pacis gratia multum remittimus; injurias condonamus, non ulciscimur, potius bonum pro malo retribuimus; saltem toleramus malos et mala; irae non litamus; vindictam non sumimus.

§. XLVI. 2. Poeta, qui in prospero et felici civitatis et Ecclesiae statu, ex salutis Dei manifestatione, et gloriae inhabitatione, in terra orituro, depingendo hic versatur,

poſteaquam virtutum juſtitiae, veritatis, benignitatis et pacis, publicum, frequens & liberum, exercitium in populo prædixiſſet futurum; mox in hæc verba loqui pergit, verſ. 12. *Veritas ex terra germinabit, & juſtitia de cælo proſpexit*, vel *proſpectabit*. Quæ verba varias complectuntur ſententias, generales & ſpeciales, ſcopo & phraſibus congruas, quas diſtincte enucleabo; ne amplitudini ſenſus quid detraham. *Primo*, eoque generaliſſimo, ſenſu ſignificatur, virtutes illas, quæ hic *veritatis* & *juſtitiæ* nominibus comprehenduntur, 1. abundantes *fructus* laturas, ſeu qualescunque actiones & officia, ex illis oriri ſolita, producturas, quæ in medio populi conſpicerentur, eumque ſuſtentarent & exhilararent. 2. Continuam fore earum virtutum propagationem, & ſucceſſionem; ita ut non brevi tempore, & cum una generatione, ceſſarent; ſed in longam poſteritatem ſeſe exſererent; & ab una ætate ad aliam transirent, piaque ex pia radice nasceretur ſoboles. 3. Virtutes eas difficili labore non eſſe acquirendas & exſerendas, ſed *ſponte* quaſi nascituras & facili opera exercendas, ut quod ex *terra* ſponte ſua oritur, adeoque ex conſtantibus & alte radicatis habitibus proventuras, quæ cum ipſa ætate quaſi ſuccrescunt. 4. *Virtutes* illas non fore viles & vulgares, quaſi ex terra tantum natæ eſſent, quæ multum ſordium ſecum trahunt, & multis animi vitiis, ac falſis principiis & finibus, contaminatæ; quæ *umbrae* verius & *ſimulacra* virtutum ſunt, quam veræ virtutes, eo nomine dignæ, in quibus Deus acquiescere poteſt: ſed *virtutes* veras, cœleſtes & Divinas; quæ de *cœlo* venerunt, & imaginem Dei referunt. Quales ſunt, quæ ex pio & gloriæ Dei ſtudioſo animo, fide purificato, & per Spiritum Sanctum ſanctificato, proveniunt, & de cœleſti origine ſua teſtantur: ita ut *juſtitia de cœlo* proſpectare cenſeri queat. Quæ Chriſtianæ ſunt virtutes, & Deo in Chriſto ad æternam vitam placentes. Virtutes itaque divinæ, ex coelo demiſſæ, et ex *terra ortæ*. Quem ſenſum præfert phraſis, et *juſtitia* de

cœlo

cælo prospectabit; quam illustrat similis apud Jes. XLV: 8. *stillate cœli superne, & nubes tenues manent justitia: aperiat se terra —— & pariter proferat germen justitiæ.* 5. Denique virtutes illas illustrissimo plane modo, qui in omnium oculos incurreret, in populo Dei exerendas esse; ita ut ab omnibus quaquaversum conspicerentur, et celebrarentur: instar phænomeni alicujus cœlestis.

§. XLVII. 1. Secundus sensus, paulo specialior, ex emblematico *cœli* et *terræ* conspectu oritur: secundum quem *populus* gerit *terræ*, et proceres, seu praefecti, *coeli* imaginem; aptam satis et intellectu facilem, sive ad *populi* et *rectorum* conditionem, illius inferiorem, horum superiorem et excelsiorem, sive ad *præfectorum* et *subditorum* relationes ac officia, quibus illi in populum influunt, eum dirigunt, et multa bona conferunt, spectes. Quae latius non exsequor. Hoc conspectu, qui in Scriptura usitatus est, ut Jes. XXIV: 21. Hag. II: 6. Jes. LXV: 17. et alibi, *veritas* et *justitia* apte distribuuntur inter *rectores* et *cives*, et omnium civitatis ac Ecclesiae membrorum laudabiles adfectiones et actiones comprehendunt, quae civitatem et Ecclesiam felicem reddunt et prosperam. Quod non est in difficili positum. Ceterum *rectoria* haec justitia, alias *distributiva* dicta, 1. aptissima phrasi de *coelo spectare* dicitur, quatenus ad subditorum vitam et actiones adtendit, auctoritate sua fovet et tuetur, omnemque injustitiam reprimit et vindicat. Sic de Deo inspectore et judice usurpatur, Ps. XXXIV. 2. Cum superiore membro versus recte cohaeret; cum haec justitiae inspectio multum contribuat ad veritatem et virtutem in subditis et civibus fovendam, educendam et ab omni injuria defendendam; et sine ea *veritas* vel se occultare debeat, vel in multiplices fraudes vertatur, aut conculcetur.

§. XLVIII. 1. Specialissimum denique sensum alius pandit *terrae et cœli* conspectus, quo *terra* de hominibus, et *cœlum* de Deo intelligitur, secundum usitatissimum loquendi

modum in Script., et apud omnes gentes receptum. Qua ratione *veritas* ex *terra germinans* quascunque virtutes, quas homines haberent, et exsererent, quaecunque virtutum exercitia et opera bona, ab iis praestanda, comprehendet. *Justitia* vero *ex coelo prospiciens* 1. eam in genere virtutem Dei *rectoris* et *judicis* signabit, qua bonos inter et malos distinguit, et cuique rependit secundum opera, bonis bene, & malis male: sed *virtutem* eam testatissimam & omnibus notissimam, multis signis & effectis comprobatam & manifestam. 2. In specie virtutem Dei *redemtoris*, qua populum suum, in potestatem Satanæ & peccati redactum, cum clara justitiæ & sanctitatis demonstratione in sponsore, redimit, & in statum gratiæ & salutis adserit. Quo sensu *Justitia* nomine comprehenditur beneficium remissionis peccatorum, cum gratia spiritus illuminantis, & sanctificantis conjunctum; ut sæpe in N. T., ubi *justitia Dei*; & quæ ex *Deo* est, oppositе ad *nostram*, ex operibus & meritis nostris, celebratur: ita etiam Jes. XLV: 24. *In Jehova* sunt *justitiæ & robur*, Jer. XXIII. *Jehova justitia nostra*, & alibi. Hæc de *coelo* dicitur *prospectare*, cum clara, certa & publica, ejus est *manifestatio & demonstratio*, sicut est Rom. 1: 17. quod vers. 10. nostro Ps. dicitur *propinqua est salus ejus* &c. Justitia enim & salus sæpe hoc sensu conjunguntur, Jes. XLV. Jer. XXIII. &c.

§. XLIX. Hic si admittatur sensus, posterius membrum, ad prius relatum, continebit *a.* causam *moventem* & *producentem* veritatis e terra germinantis; & recte in præterito vertitur, ut hic occurrit, *etenim justitia de coelo prospexit*, justitia, tam rectoris ac judicis, cujus clara Deus dederat tempore Euangelii testimonia, quam *servatoris* in Christo, causa salutis, præsente & consummato. Quæ quemadmodum insigni vi pollebat animum ad virtutem flectendi, sic simul causa erat *meritoria* ac *effectrix* pietatis & virtutis. Cum hinc omnia Sp. S. dona profluant, quibus animus hominis fœcundatur, & ad bonam frugem proferendam aptus redditur,

ditur. *b.* Simul *conſequens* & *præmium* comprehendit ex virtutis ſtudio & exercitio, modo deſcripto, oriturum. Cum enim Deus juſtus ſit, & cum populo ſuo reconciliatus, fieri non poſſet, quin, virtutis ſtudio in populo vigente & florente, & in omnes bonos fructus exundante, Dei juſtitia de cœlo manifeſtaretur in *bonum* populi, quo teſtaretur ſe in populo acquiescere. Quod cum ſequenti verſu recte cohæret, ubi *benedictio* Dei, qua populus mactaretur, & ſtatus ejus prosperrimus fieret, proponitur.

§. L. 3. Verba ita ſonant, *Etiam Jehova dabit bonum, & terra noſtra edet proventum ſuum. Prius* membrum eſt *generalius*, & quævis *bona*, ad populum ornandum & beandum, comprehendit: quare *bonum*, & *bonum* cum articulo emphatico, qualecunque bonum, quod eo nomine dignum eſt, in genere adpellatur. Nec tamen alia *bona* intelligimus, ac quæ *civitatem* & Eccleſiam reddunt felicem, & prosperam; nec non de *favore* Dei teſtantur, & cum eo connexa ſunt. De ſpirituali enim & cœleſti ſalute ſupra actum erat, verſ. 10. hic aliquid ſpiritualibus bonis addendum proponitur, ut ex vocula *etiam*, & nexu liquet: de quo mox. Quævis itaque *bona* ad populum & ſocietatem in genere pertinentia intellexerim; ut ſunt libertatis, pacis, ſplendoris, amplitudinis, potentiæ, abundantiæ. *Poſterius* membrum eſt reſtrictius, & ad ea pertinet, quæ ad ſocietatem alendam & exhilarandam faciunt, quæ nomine proventus *terræ* veniunt: quo quicquid ad ſuſtentandum, amiciendum, tutandum & lætificandum, populum confert, comprehenditur. Quod hic tanquam prioris conſequens occurrit. *Deus dabit bonum, & terra noſtra edet*, h. e. Deus omni modo benedicet nobis, & ex ea benedictione in ſpecie abundantia omnium terræ proventuum exorietur. Quæ nihil habent difficultatis.

§. LI. De *nexu* & *ſcopo* hujus verſus paucis dicendum reſtat. Duo, ni fallor, ſignificantur, cum de populo, virtutibus florente, dicitur, *etiam dabit* &c. *a.* Bona temporalia & terreſtria non abhorrere a populo Dei ſub œconomia

mia Euangelica; ſed pro benedictione Jehovæ & nunc eſſe habenda. β. Cohærere ea cum pietatis & virtutis ſtudio ac exercitio. α. Bona terreſtria, ut adpellantur, quæ ad fœdus gratiæ, & ſingulos fideles, ſub N. T. relata, non principalium ſed acceſſoriorum bonorum conſpectum ferunt; de quo hic nunc non agam; duplici tamen nomine inter promiſſa & bona *Eccleſiæ* Chriſtianæ locum tenent, 1. quatenus Eccleſia *ſocietatem civilem*, vel *civitatem*, conſtituit. 2. Suo tempore, a Deo definito, hæreditatem terrae poſſeſſura eſt. 1. Priore reſpectu Eccleſia eandem habet, licet arctiorem, ad Deum relationem, quam *ſocietates* & *civitates* in genere; quae ad Deum tanquam rectorem & gubernatorem juſtum, aequum & bonum, respiciunt; cujus eſt, bona & mala, tanquam praemia virtutis, & pœnas peccatorum, dispenſare in hac vita. Etſi enim in ultimo judicio cuique ſecundum opera ſit tributurus, tanquam ſingulorum hominum judex: non tamen de *ſocietatibus* & *populis*, verum ſingulis hominibus judicium feret, adeoque *populos* in hac vita judicet neceſſe eſt; niſi quis omne tale judicium e medio ſublatum velit; quod perſonae Dei, tanquam rectoris, adverſatur. Accedit, peccata *clamantia*, quae vocantur, hanc Dei relationem clare adfirmare. Illud enim nomen nos ad juſtitiam Dei Rectoris, qua ſalva dimittere nequit enormia peccata impunita, manifeſte ducit. 2. Poſteriore respectu Eccleſia promiſſa habet florentis et prosperrimi ſtatus, ſuo tempore implenda, quo regna mundi futura ſunt *Dei*, in unum Dei regnum coalitura, ut ex Dan. II, VII. Pſ. XXXVII., multisque aliis prophetiis manifeſtum eſt, et nunc ſatis conſtat. Gaudebit itaque tunc Eccleſia Chriſti quibusvis bonis terreſtribus, quae populum, qua talem, reddere queunt quam feliciſſimnm. Quo hic directe respici autumaverim, ut mox obſervabo.

§. LII. β. De nexu inter haec bona et pietatem ac virtutem, quem vocula *etiam* involvit, multis dicam, opus non eſt. 1. Nihil eſt ex verbo Dei notius, nihil teſtatius; cum

cum omnes Prophetarum conciones, cuncta promiſſa & minae, eo collineent; ut omnium animis imprimatur id, quod Jeſ. XXXIII: 6. habetur, *& erit ſtabilitas temporis tui, poſſeſſio ſalutum, ſapientia & cognitio, reverentia Jehovæ* eſt *theſaurus ejus.* Conf. in primis Jeſ. XXXIII: 14. &c. Ez. XVIII. XXXIII. & ubique. Pſ. XXXVII. 2. Virtutes juſtitiæ & bonitatis, Deo naturales, quas in mundi gubernatione abnegare nequit, relationes ejus, qua Rectoris, ad homines, ratione & libertate præditos, idem in omnium oculos facile ingerunt. 3. Promiſſa ſpecialia de felici Eccleſiæ ſtatu ſub Meſſia, quæ ubique ſe offerunt, hæc ſemper copulant, ut in noſtro Pſ. & Jeſ. LX. ac ubique. 4. Ipſa denique experientia hoc confirmat. Nunquam populus ſine his virtutibus, vel earum ſimulacris, floruit; niſi forte ad tempus, ſive ex longanimitate Dei, ſive ut eo, tanquam inſtrumento, utatur in aliis puniendis, ſive ad alios fines. Vitia & crimina populos ſemper peſſum dederunt, & *juſtitia populum exaltavit*, ut Salomo teſtatur.

§. LIII. 4. Denique illuſtrem hanc pericopam concludit verſ. 14. his verbis. *Juſtitia coram ipſo gradietur, & ponet* in *viam greſſus ſuos.* h. e. Juſtitia ſeſe, Deo inſpectante & adprobante, tam clare, & frequenter, tantaque vehementia & eo gradu, manifeſtabit, ac exſeret, ut altiſſima ſit impreſſura ubique veſtigia, & poſt ſe relictura, quæ viam planam & tritam, & publicam, ſternent, qua omnes incedent. Verſionem ante illuſtremus, quam de *juſtitia* dicamus, & ſenſum ad ſubjectam materiam adplicemus. Comparatur Juſtitia cum illuſtri & magnifica perſona, quæ continua ſua itatione & gravi inceſſu viam aliquam calcando tritam reddit, vel alta poſt ſe relinquit veſtigia, omnium oculis expoſita, & ab omnibus facile ſequenda. 1. Verbum *ambulare*, & vi ſua, & forma conjugat., quæ hic occurrit, exprimit *frequentem* & *gravem* inceſſum. 2. Phraſis, *ambulare coram aliquo*, denotat, tum eo inſpiciente & adprobante, tum in ejus gratiam, & ad ejus ſervitium, am-

bulare, uti de *ſacerdotibus* coram Deo ambulantibus frequentatur, nec non 1 Sam. II: 35. 3. Poſterius membrum, *ponet in viam greſſus ſuos*, quod hic tanquam præcedentis conſequens occurrit, duplicem admittit ſenſum; *alterum*, quo dicit vire *alte imprimere greſſus*, ut veſtigia relinquantur, alta & ampla, nec delebilia; *altero* erit, *greſſibus ſuis viam ponere*, h. e. facere, dedicare, initiare. Utrumque phraſis recte admittit. Vox, *greſſus*, eſt a rad., quæ proprie dicit *tundere*, inprimis pede *obculcare*, unde *calcando* preſſit, *farſit*: adeoque *greſſus* ſignat, qui alte infixi ſunt, & veſtigia imprimunt profunda. Phraſis reddi poteſt, *imponere viæ greſſus*, ſeu alte imprimere, infigere, facere ut in via exiſtant, & maneant, vel etiam, *greſſus ponere in viam*, h. e. greſſibus facere viam, imo *dedicare* & *initiare* ut Pſ. L: 23. Sic *ponere* domum, ſtatuam &c.

§. LIV. Sententia, hoc verſu comprehenſa, eſt aliquo modo ambigua; quia *juſtitia*, a cujus ſenſu ſententia dependet, æque ad *Deum* ac *homines* referri poteſt, nec certum ſe offert criterium, quod eam definit. Sumamus utraque ratione, & rem ambiguam in ambiguo relinquamus. 1. De Deo, rectore & judice univerſi, intellecta *juſtitia*, ad impiorum punitiones, & piorum vindicationes ac remunerationes pertinebit, & hanc fundet ſententiam, Deum hujus ſuæ juſtitiæ quam clariſſima & certiſſima in publicum daturum indicia, & editurum effecta, quæ in omnium oculos incurrent, & ſemper manebunt recentia ac conſpicua, tum in hoſtibus & improbis veritatis ac pietatis conculcatoribus, ac piorum oppreſſoribus, exemplari pœna adficiendis, & exſcindendis, tum in pietatis & piorum cauſa agenda & vindicanda, & Eccleſia quam proſperrima reddenda. Quo ſenſu verſus & *antecedens*, & *cauſam effectricem*, felicis Eccleſiæ conditionis, præcedentibus verſibus depictæ, continebit. Qui nexus non eſt longe remotus: nec aut a verbo Prophetico, aut experientia & implemento abhorret. Eccleſiæ enim vindica-

vindicatio & inſtauratio, in primis quæ cum felici ejus conditione cohæret ſub Meſſia, cum illuſtri *juſtitiæ* Dei manifeſtatione eo, quo dixi, modo connexa eſt, ut ex Jeſ. XXXIII: 5. LIX: 16.— & aliis locis elucet. Phraſis, *juſtitia* ante *faciem* ejus *gradietur*, eam interpretationem recte admittit; cum idem dicere queat, ac Judex juſtitiam ſuam quaquaverſum *oſtentabit*, & *præmittet*; & quocunque iverit, clara & inſignia ejus dabit indicia & effecta. Occurrit enim *Juſtitia* hic per perſonæ fictionem, tanquam perſona, quæ Judicem præcedit, & ejus judicia exſequitur.

§. LV. 2. De *virtute* juſtitiæ, quæ omnem virtutem ambitu ſuo complectitur, in Eccleſia exercenda ſi verſus capiatur; ad florentis populi Dei ſtatus deſcriptionem pertinebit, & *nova* non tantum phraſi eam ob oculos ponet, ſed & novas *qualitates* exhibebit, eo tempore conſpicuas; virtutis nim. exercitium Deo fore gratum & acceptum, tanquam naturæ & voluntati ejus congruum, nec qualemcunque, ſed ſingularem & exemplarem tunc fore virtutis præſtationem, qua tum initiaretur illa via, tum etiam calcaretur in poſterum. Duo itaque adtributa ſtatus Eccleſiæ ſub Meſſia ſeſe hic offerunt. *a. Juſtitiam* coram *Deo* eſſe præſtandam; id eſt, convenienter Dei naturæ & voluntati, ipſo inſpectante & adprobante; adeoque ex principio Dei placendi, ſeſeque ad ejus exemplar conformandi, & ad gloriam ejus illuſtrandam. *b.* Illuſtria plane hujus virtutis fore *exempla*, cum in initio hujus ſtatus, tum in progreſſu; quibus hæc *juſtitiæ* via poneretur; & continuo commendaretur. Quod in phraſes exacte quadrat: ut ex dictis conſtat. Pertinebit itaque verſus ad auctores & propagatores virtutis in Eccleſia, & in ſpecie ad ipſum ſalutis auctorem, inter homines verſantem, ejusque *Apoſtolos*; quorum illuſtris & exemplaris fuit virtus tanquam legatorum & ſacerdotum Dei, qui viam hanc virtutis poſuerunt, & poſteris in-

cedendam reliquerunt. Huc nos ducit *a.* phrasis *coram ipso*, sc. *Jehova;* de quo versu præced. actum erat, quæ de ministris honoratioribus & intimioribus Dei usurpari solet. *b. gressus* inprimere viae & in viam *ponere:* de quo supra.

§. LVI. De *Implemento* illustris hujus pericopæ ut verbo dicam, facit haud exigua difficultas, quam historia Ecclesiæ Christi exhibet. Etsi enim ea sub cruce per *tria* fere secula, magis minusve, has virtutes, & ex iis nata officia, aliquo modo præstiterit: ex quo tamen *civitatem* constituere cœpit sec. IVto & seq., tantum abest, ut lineas hujus picturæ expresserit, ut, contra, vitia & crimina, cum multiplici superstitione, dominata & grassata sint; & variis Dei judiciis fuerit exercita, multis litibus, dissidiis & bellis, continuo agitata, a quibus malis ne per Reformationem quidem fuit liberata. Hoc ipso tempore qui populum Christianum, ubicunque etiam terrarum resideat, vel obiter inspexerit, nihil minus quam felicem hanc conditionem animadvertet. De quo mox. Accedit, dispersos Israelitas, qui hic loquuntur, ad Christianam societatem nondum fuisse adductos. Ubi itaque implementum?

§. LVII. Hunc nodum ut non secem, sed solvam, quod huic non tantum Ps., sed innumeris aliis prophetiis, de regno Messiæ eodem tenore loquentibus, illustrandis utile erit; *duo* nunc observasse sufficerit: quorum *alterum* est, Deum fidem suam liberasse, &, quod implemento deest, non Deo, sed hominum culpæ esse adtribuendum; *alterum* habet, exactum implementum suo tempore futurum. 1. Prius ut clariore in luce collocetur, sciendum est, *a.* salutem fuisse statuto tempore manifestatam, & gloriam habitasse in terra Israelis tempore Messiæ & Apostolorum. *b.* eam fuisse quaquaversum adnunciatam, & omnes populos ad eam invitatos. *c.* Ejus esse naturæ œconomiam novam, ut hæ virtutes, & hæc bona, sponte ex ea fluant. Hæc Deus præstare debebat, & præstitit abunde; quod vero successum non habuerint, quem debebant & poterant, hominum

vitio

vitio eſt adſcribendum. Prophetae autem Chriſti œconomiam in natura ſua & naturalibus effectis deſcribere ſolent, quae in veris Chriſtianis ſemper ſunt conſpicua. Hac ratione implementum habuerunt dicta prophetarum, qui ipſi non neglexerunt praedicere, multos manſuros incredulos, & futuros hypocritas.

§. LVIII. 2. Sed ſi hoc non ſufficiat, uti vere non ſufficit; addo, implementum ſuo tempore illuſtriore modo eſſe repraeſentandum; quando omnia regna erunt Dei & Chriſti: uti prænunciaverunt prophetae. De quo hic non agam latius. Verbo dixiſſe ſuffecerit, prophetas, intermedia fata ignorantes, de glorioſo Meſſiæ regno prophetaſſe in genere, tanquam cum Meſſia adventu connexo. De quo in Diſſ. ad Dan. fuſius expoſui.

F I N I S.

INDEX LOCORUM S. S.

QUÆ IN HOC COMMENTARIO ILLUSTRANTUR.

EXOD.

Cap.	Vers.	Pag.
XV.	2.	109.

NUM.

X.	36.	136.
XI.	33.	548.

DEUTER.

XVII.	8.	716.
XXIX.	20.	478.
XXXIII.	27.	195.

JUD.

VI.	37, 38.	317, 320.

1SAM.

XX.	7.	255.

2SAM.

VII.	23.	561.

2CHRON.

Cap.	Vers.	Pag.
XX.	1.	746.

JOB.

X.	1.	43.

PROV.

XXIII.	29.	631.

CANT.

V.	1.	651.

JES.

I.	22.	372.

EZECH.

XVII.	22, 23.	339.

HOS.

VI.	7.	725.

JOEL.

JOEL.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	12.	746.

MICH.

I.	11.	124.
IV.	10.	48.
VI.	9.	124.

TSEPH.

III.	1,	117, 120.

ZACH.

V.	1.	660.
IX.	8.	652.
XII.	1.	198.
XIII.	7.	251.

MATTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXIII.	2.	716.

LUC.

XXIII.	34.	254.

JOH.

X.	34—36.	719, 720—722.

ROM.

VI.	17.	45.

1JOH.

V.	16.	759.

INDEX VOCUM HEBRÆARUM,

AB EODEM, A QUO AD JEREMIAM, ERUDITE CONFECTUS, QUARUM GENUINA SIGNIFICATIO ET USUS IN HOC

COMMENTARIO

EXPLICANTUR:

OMISSIS IIS, QUÆ IN PRÆCED. TOMIS COMM. IN PS. JAM TACTÆ SUNT.

אבה Orig. habet in *curvatione flexa*: unde ad *pronum* adfectum & *deſiderium* tranſiit. Inde eſt — Pag. 685.

אביון propr. *incurvatus*; inde *pauper*, oppreſſus miſeria. — 265.

אדם ſpec. de *gentilibus* adhibetur. — 725.

אדר propr. *tumorem*, vel elationem tumidam; inde *magnificentiam* regalem, denotat. — 474.

אוד orig. habet in *æſtu*, *æſtuatione*: unde נאוד *æſtuabundus*. — ib.

אז aliq. eſt ſubſt. *æſtum bullientem* notans, a Rad. אז *fervescere*, *exæſtuare*. — 478.

אזר cogn.

אאר cogn. זור & זרר, propr. dicit *torſionem*, qua quid *nectitur* ac *ſubſtringitur*. - - Pag. 16.

אטר orig. habet in *torquendo*; unde *retorti*, *torquendo religati*, & *circumvincti*, ſignif. - 239.

אי *inſula*, propr. *flexio*, *flexus* litoris, a Rad. איי, ead. ac אוי, *flectere*. - - 328.

איכה *quomodo*; propr. *ubi hic*, ex אי *ubi*, & כה *hic*. 373.

אל pro *una cum*, *inter*. - 254.

—— —— *ſecundum*, *juxta*, ad modum; ut על פי. - ib.

—— aliq. uſum Artic. habet. - 265.

אמר cum לי conſtr. eſt *loqui de me*. - - 289.

—— adhibetur de bono *promiſſo*. - 103, 104.

—— *rem* ipſam, ſive *ſtatum* & *conditionem*, denotat. 104.

אנש propr. *quatere*, frangere ad ſummam usque debilitatem. - - - 244.

אסיר pecul. uſu dicit *bello captum*; & latius, dura ſervitute preſſum. - - - 589.

אף Partic. eſt a Rad. אפף *cumulare*. - 140.

אפס, ut & פסה, פסס, propr. *crepitu* ultimo & flatu facto *exſpirare*: inde deriv. אפס, propr. *exſpiratio*, hinc, *nihilum*. - ib. 337, 496.

ארה ſignif. habere videtur *colligendi*, in unum cogendi. - - - 651.

ארו convenit cum רוה *irriguus fuit*: hinc

אריה *leo*, q. maxime *irriguus*, h. e. medulloſus & fortis. - - ib.

Pag.

אֶרֶץ *inferioritatis* & *depreſſionis* ſignif. continet. 191.

אִשְׁכָּר *munus* remuneratorium, a Rad. שכר. - 329.

אַשְׁפֹּת *chytropodas* denotat, a Rad. שפת. - 113.

ב.

Pag.

בוא *venire* aliq. denotat, rem cum ſtudio adgredi. 292.

——— ——— de proventu adhibetur. - 547.

בוז propr. habet in *fiſſione*, & inde *diviſione*; unde ad diſtinctam intelligentiam tranſiit. - 384.

בוז orig. habet in *trahendo*, ſpec. *per terram*; inde *incurſare*, graviſſima adficere contumelia. 392.

בַּיִת *domus* ſubinde de *aula* regia uſurpatur. - 109.

בכה propr. *preſſit*, *compreſſit*, *expreſſit*; unde ad *lachrymas expreſſit* tranſiit. - - 233.

——— quomodo differant בכא & בכה, vid. - 782.

בָּרַךְ propr. *plicare*; unde ad *genuflexionem*, *reverentiam*, *benedictionem*, transfertur. - 43.

בְּרָכָה *benedictio*. Subinde de abundantiſſima pluvia adhibetur. - - - - 24.

בָּרַר propr. habet in *nitido*, & *raſili politura*. 336.

ג.

גאה, גוה, גיי, propr. habent in *eminendo per ſui extenſionem*; unde in bonum transf. ad ſummam potentiam & excellentiam; & in malum, ad faſtum & inſolentiam. - - 363, 587.

גבן propr.

Pag.

גבן propr. *coagulari*, *concrescere in grumos.* - 127.

גדר de iterata aratione. - - - 23.

גוי *promus condus*, a גוה. - - 284.

גז lanam *resectam*, crines *detonsos*, aut herbam *demessam*, denotat, ab ead Rad. - 317.

גוה propr. *secare*, *resecare metendo*; inde, *partiri*, subministrare cuique idonea. - ib. 284.

גם *etiam*; propr. *glomeratio*, a Rad. -

גמם propr. *glomerare*; inde, accedere numero aliorum. - - - - 543.

גער *crepare*, *increpare*, sine ב fortius est, quam cum ב constr. - - 184, 187.

ד.

דון propr. *premere*; inde *pendere*, *librare*; inde *decidere*, omnibus ponderatis, *judicare*. - 318.

דל de vilioris conditioni hominibus adhibetur; a Rad. - - 708.

דלל propr. *tendere*, *tendi*; inde per tensionem *adtenuari*, viribus s. opibus deficere &c. - 584.

דיור *palumbus*, columbæ sylvestris genus. 773.

ה.

היה sæpe firmam & fixam *existentiam* denotat. 339.

הלך propr. *volvere*, *revolvere*, reciprocare greſſum: ſpec. de *graſſationibus* & *latrociniis* adhibetur. Pag. 168, 367, 507.

הלם propr. *pangere*, *impingere*; inde *gravius ferire*, *confringere*: ſpec. ad *inebriationem* adplicatur. 370, 372, 426.

—— Partic. non tempus, ſed *locum* vel *rem* ſignat, *huc*; propr. *adpactum*, ita prope, ut quaſi *pangatur*. Denotare quoque poteſt *contuſionem*. 370.

המתופף *ad limen ſe tenere*, vel verſari. 790.

הרס propr. *minutatim concidere*; inde, *laniare*, *truncare*. 555.

הרע propr. *tremulum & fractum ſonum* continet; uſurpatur de *clangore* bellico & triumphali. 671.

ו

Pag.

ו ſæpe uſum finalem habet, *ut*. 10.

—— adhibetur pro *at*, *ſed*. 52.

—— diverſa ſubinde ſingulari emphaſi connectit. 374.

—— inſerit compaſationi & exæquationi, *ita*, vel *ſicut*. 400.

—— aliquando eſt paragogicum, emphaſeos cauſa adjunctum. 580.

ז

Pag.

זאת aliquando *rem ipſam*, *ejusve eſſentiam*, deſignat. 382.

Pag.

זה ſubinde *excellentiam* rei aut perſonæ exprimit. 92.

זמר involvit *canticum*, erudite & artificioſe compoſitum. - - 82.

זפת *pix* dicta a *tractu lentiori*, quæ vis eſt Rad. זוף. 318.

זרזיף, varias hujus vocis explicationes vid. 317—319, 321.

זרם orig. habet in *torrente æſtu*, vel igne *flagrante*: unde ad aquas ferventes & exæſtuantes transfertur. - - - 506.

ח.

Pag.

חגר orig. habet in *arctatione* undique *adſtricta*. 27.

—— inde habet ſignif. *ad incitas redigendi*, cum pudore & pavore. - - - 481.

חום propr. habet in *contractione* ac *reductione oculi*; unde ad *conniventiam* & indulgentiam tranſiit. 332.

חוש, חיח *clanxit*, adhibetur de ſtrepero ſonitu alarum, ſpec. aquilæ, in prædam irruentis; inde, *imminere*. - - - - 52.

חזק propr. *fidit*, *ſecuit*; unde, חזיז *fulgetrum fulmen*. - - - - 507.

חיה propr. eſt in *coagmentatione*, *conglobatione*; inde multitudinem hominum in unam ſocietatem *compactam* denotat. - - 101.

חמר propr. habet in *ſono ignis flagrantis*; unde ad flagrans *deſiderium* tranſiit. - - 130.

חמץ ſignif. involvit partim *aceti*, partim *fermenti*: unde ad *perverſum* & *corruptum*, ſimul ira & ex-

Pag.
acerbatione *tumidum*, transf. - 282, 394.

חגמל vox compoſ. de qua. - - - 555.

חסיל *locuſta*; a Rad. חסל propr. *limare*, limando minutatim deterere. - - 554.

חסן *robuſtum*, invicto robore pollentem, denotat. 84.

חצץ propr. *ſcindere*, *ſecare*; unde ad *ſagittam*, & inde ad *fulmina* transiit. - - 507.

חרוץ *aurum* dicit lectiſſimum, quod ſponte q. effinditur ex terra, & multo ſplendore pollet: a Rad.

חרץ propr. *findere acuminatim*, *cuspidare*. - 116.

חרצב ejus orig. & ſignifi. vid. - - 360, 361.

חשך orig. habet in *ſtrictione*. - - 249.

חשמנים (ab Arab. חשם, inſerto ן epenthet.) & *clientes* pudibundos, reverentes; & eorum *dominos*, reverenter habendos, denotare poteſt. - 190.

ט.

Pag.
טבע propr. habet in *pangendo*: inde, *infigere mergendo*; & *cudere monetam*; ac de *annulo*, digito adpacto, adhibetur. - - 216.

טוב ימב de *bonæ fragrantiæ* odore etiam adhibetur. 262.

טחורים ulcera *urentia*, a Rad. טחר propr. *exæſtuare*. 568.

י.

Pag.
י adf. *mihi* ſæpe cum inſigni emphaſi abundat. 111.

יגע propr.

Pag.

יגע propr. *biare*, *hiſcere;* inde, *fatiscere*, delaſſare. 219.

יה nomen Dei, vel *decorum* ſignificat, propr. *præciſum*, ſi derivetur a יהה ſive יאה, propr. *ſecare*, *præcidere*, unde ad *pulchrum*, harmonicum, tranſiit, per apocopen 3tiæ, quæ eſt quieſcens: vel potius *verendum*, a יהה cum ה mob. propr. *tremere;* unde de *religioſo tremore* uſurpatur. 84.

יוצע *innoteſcere*, pro, publica fama divulgari. 427, 587.

יונקות cum *teneros ramos*, tum *ſtolones*, ex radicibus ad truncos arborum enatos, denotat; a יונק *ſugere*. 646.

יכח propr. *candicavit:* inde Hiph. *fecit*, *ut candicaret* aliquid, h. e. clare demonſtravit, *arguit*. 376.

ילך aliquando heroicum *greſſum* denotat, & de expeditione militari adhibetur. 168, 610.

ינח propr. *calcavit*, *detruncavit;* inde, *eradicavit*, *debilitavit*, nervo remiſſo: teritur in violenta *oppreſſione*, nec non *defraudatione:* hinc quoque ad *columbam*, *enervem*, *imbellem*, tranſiit. 120, 428.

יצא pecul. uſu *pompam* & *lætitiam* præfert. 48, 93.

— a propr. *emicandi* poteſt, adſcivit uſum *excreſcendi*, ſparſim ejiciendi: hinc & pro *naſci* ſumitur. - - - 152, 153.

— de *boſtili ingreſſu* adhibetur. - - 674.

ירק, cui reſpondet ריק, orig. habet in *nitore* emicante; unde ad *virorem*, & *ſputum* tranſiit. Hinc

ירקרק rutilantem denotat *virorem;* & multitudinem *bracteārum*, ſ. laminarum, quibus aliquid obducitur.

Pag.
citur. - - - - 116.

ימין a Rad. ימם *ſplenduit nitidiſſime*, it. *ſideravit*, *ut* שכם, *deſertum* notat, ubi omnia æſtu ſunt glabra & *nitida*, *urens* & *ſiderans*. - - 93.

כ.

כבד propr. habet in *gravitate*; unde ad *copiam* & *numeroſitatem* tranſiit. - - - Pag. 794.

כחש propr. *delere*, *obliterare*: inde *mentiri*; it. *negare*, & ſpec. ſenſu recipr. *abnegare ſe* alicui. - 691.

כילפת *mallei*, *cunei*; a כלף propr. *impegit*, vel *impactus fuit cum ſonitu*: eſt ὀνοματοπ. - 426.

כל aliq. non eſt Nom. aut Partic. ſed Verb. præt. vel partic. a Rad. כול propr. *continere*, inde *menſurare*. - - - - 16, 379.

כמו elliptice pro כמו זאת, vel כמו תנה, *ſicut ſecundum hæc*, *hoc* כנה *ſurculus*, *ramus* obumbrans, *protegens*, a כנן. - - - 657.

כנור *citbara* in orig. *motum tremulum* & *vibrantem* continet. - - - - 301.

כנע propr. *contractis alis*, *digitisve*, *debilitari*: ſpec. in bello de *proſtrato* uſurpatur. - 690.

כנף *cingere*, ſepire, ſepto circumdatum includere; unde ad *alas* transiit. - - 115.

כסח propr. *verrere*, *converrere*: unde כסוחה *ſordes* notat *verrendo ejectas* & *aggeſtas*. - - 659.

כרים *regiones* denotare poteſt; alias ככרים pro כרכרים, propr. loca *orbiculata*: a Rad. כור *gyravit*,

ravit, unde ad *vicos*, *urbes*, a forma rotunda, & dein ad *regiones late patentes*, transf. Pag. 26.

כרסם *corrodere*, *conſumere*. - - 656.

כרע propr. in extremas corporis partes *cum niſu procumbere*; unde non *ingeniculationem*, ſed *totius corporis incurvationem* ſuper genibus denotat. 326.

כשל propr. *adpactus hæſit*: inde כשיל in gen. *impactor*, inde *ſecuris*, gravior *malleus*. - - 426.

כשר orig. habet in *apte nexo & conglobato*: unde כשרות dicit *conglobationem nexam*, cum ſocietatum, tum fortunarum. - - - 86.

ל.

Pag.

ל præf. ſubinde tempus rei ingruentis deſignat. 61.

לאה propr. *tortus*, *intortus fuit*, *adhæſit*: hinc, *deficere*, *defatigari*, cum alluſione ſæpe ad onus grave, quod torquet. - - 100.

לה, לוי propr. *implicari multis ſpiris & flexibus*: hinc frequentatur in familiariſſima conſuetudine. Hinc & ex תן ſyllaba ſerv. vel תן *draco*, compoſ. eſt 746.

לויתן draco *tortuoſus*. - - - 441.

לחם aliq. ſpec. *carnem* denotat. - - 542.

לעג orig. habet in *creberrima vibratione & contorſione naſi* & *labiorum*: unde tum ad *loquelæ barbariem*, tum ad *illuſionem* ſarcaſticam transfertur. 633.

מ.

		Pag.
מ	præf. Heemant. intendit ſignificationem.	15.
מבטח	*præſidium*, *ſecuritas* ſumma, *complanatiſſima.*	ib.
מרבץ	adhibetur de *loco patente*, paſtui apto, ubi pecora poſſunt *agi.*	25.
מדון	in gen. *contentionem* in judicio notat; ſpec. *jurgia* viliorum hominum, cum conviciis conjuncta: etiam *contemtum* forte.	631.
מוס	Part. Hoph. a זור, *averſationem* hoſtilem, cum tædio & faſtidio conjunctam, involvit.	229.
מחץ	propr. *ſtitulam immerſit*, & in puteo huc illuc agitavit, *aquam hauſturus:* unde ad profundam *cruentationem*, repetitis vicibus factam, tranſiit.	159, 164.
מי	*quis?* non tantum *perſonam*, ſed & *rem* aliquando comprehendit.	399.
מכאב	*plaga lurida.*	255.
מכך	propr. *exſuxit.*	233.
מלא	propr. *farcire*, *differcire* ad diſtenſionem rei refertæ: inde de ſummo rei gradu ac cumulo uſurpatur.	371.
מנח	habet vim *donandi liberalius* & largius.	329.
מסך	propr. *mixtura* aptiſſime temperata, ſpec. *veneni.*	465.
מעך	propr. *flexit vulſim*, flecti præ mollitie.	250.

Pag.

מעמד *locus ſtationis.* - - - 217.

מצר orig. habet, ut צור, in *unco, adunco, recurvo ad unguem:* unde transiit ad *cacumina* montium, rupium, prærupta, & inacceſſa. - 46.

מצודה & *arcem* præruptam, a מצר, & *rete* venatorium, a צור, denotat. - - ib.

מצולה *æſtum ſævientem* denotat. - - 216.

מצץ, ut & מוץ, מיץ, *fricare, effricare:* inde fricatione *exprimere:* ſpec. de *ſuctione* & *ſorbitione* uſurpatur. - - . - 372.

מרה propr. *ſtringere;* inde *pluere*, quod eſt *nubes ſtringere;* hinc Part. מורה *pluens.* - - 784.

משואה *locus deſolatus*, horridus; vel ſtatus fractus & miſer: a Rad. שאה; vel a נשא ſenſu *vaſtandi.* 386.

משכיות *figuræ* ſpectabiles, imagines, externæ, ſ. internæ in animo; a שכה. - - 365.

משכן latius ſubinde pro *ditione, dominatione, regno*, ſumitur. - - - - 564.

משלחת acies formidabiliter horrens telis armisque. 556.

משפתים *lapides focarii*, forma triangulari firmiter poſiti. - - - - 113.

מתנה propr. *tendentia;* inde *donum*, ad aliquem *tendens*, ſ. directum; a נתן. - - 139.

ג.

Pag.

נגע propr. habet in *adpactione*: transferri ſolet ad graviorem plagam, ſpec. lepram. - 361, 362.

נגר *bullire, ebullire.* - - 465, 490.

נדר ſpec. ad *expulſionem* cum opprobrio & conviciis refertur: hinc

נדה pro *anathemate.* - - - 107, 108.

נהג propr. *terere;* hinc *inſiſtere* in viam, quod eſt eam *terere;* unde *ducere* per viam tutam, *agere* more paſtoritio. - - 546, 559, 604.

נוה propr. *tendere, contendere*; unde transf. ad *hospitium* commodiſſimum, ad quod tenditur, tanquam meditullium. - - 109, 450.

נון vel נין propr. habere videtur in *foetatione, foetificatione;* unde deriv. non *filium*, ſed *prolem copioſam*, generationem, longe fuſam, denotat. 343.

נוח propr. dicit *languorem remolleſcentem;* inde primum gradum *ſomni* denotat. - - 476.

נוע propr. ut אנע, dicit *quatere*, & ita frangere ad ſummam usque debilitatem: ſpec. *ultro citroque motitari;* unde ad ſtatum animi anxium, & fere desperatum, transfertur. - 244, 245.

נסך in orig. dicit *eliquationem*, ſ. expreſſionem *liquoris ſincerioris & interioris:* inde, *ſtillare, ſtillatim fluere.* - - - 92.

נכרי *peregrinus*, alienigena; propr. *dispunctus* e genere noſtro. - - - 229.

נסע propr.

נסע propr. *vellere*, *trahere*, ut cum palus in terram defixus revellitur: hinc de vento, qui cum magno impetu fertur, adhibetur. Inde & notio *proficiscendi*, *caſtra movendi*, tentoriorum palis revulſis. - - - 546, 559, 637. Pag.

נער orig. habet in *agilitate excuſſa*, & in motum exprompta: hinc *puerilitiam*, ſ. omnem ætatem inter infantilem & virilem, denotat. - 283.

נפל *cadere* aliq. emphatice dicit, de loco & ſtatu ſublimi ruere præcipitem, *mori*. - 387.

נצח propr. habet in *puro puto*, *ſincero*, *mero* & *delibato*: hinc in Pih. *monuit*, ſ. curavit, ut aliquid pure ſine vitio conſtet, & ad *veritatem*, *ſinceritatem* puram putam, *perpetuitatem*, victoriam, *harmoniam* muſicam ſinceram, transfertur. 130, 596.

נשק orig. habet in *compactione firma*: unde *osculationis*, & *armaturæ*, quæ arcte adhæret corpori, uſus fluxit. - - - 535.

נשק & שק Arab. teritur in *denſitate fumi* omnia involvente; unde ad *vehementiorem ignem* tranſiit. 543.

נתיב *via eminens* & ſtrata, a Rad. Arab. נתב *eminuit*. 557.

נתן *dare*, ſenſu divite, pro, *concedere habendum*. 104.

— propr. *tendere*. - - - 139.

ס.

סור propr. *flectere*, *flectendo ſtringere*; inde, *discedere* cum niſu & contumacia, inſtar jumenti refractarii. - - - - 86. Pag.

סאה propr. *radere*, *everrere*, ſive novacula, ſive vento impetuoſo: unde ad violentam Spoliationem & vaſtationem transfertur. - - Pag. 388.

סרר propr. habet in *ſciſſione*, *fiſſione* cum acri ſonitu, unde fictum eſt Verb. hinc ad *refractarium*, *protervum*, & contumacem, transiit. - 42, 83, 533.

ע.

עד duplicem exſerit uſum, quo & *durationem* rei, & *terminum* ſignat; & pro *dum*, *durante* hoc, ſumitur. - - - Pag. 294.

עור ſpec. quoque transf. ad pluviam largiſſimam & fœcundantem. - - - 341.

עיה, ut עוה, propr. *intorſit*: hinc עי *intorſio*, inde *acervus ruderum*. - - - 579.

על pro *coram*. - - - 40.

— aliquando *excelſum*, *dominum*, *defenſorem*, denotat. - - - - 198.

— propr. *exſuperantiam* dicit. - - 440.

עקב על *ſuper veſtigio*, pro *ſtatim*. - - 278.

עמס propr. *ſubmergere*: inde in malum eſt, ſub onere *demerſit*, & in bonum, *cumulavit* bonis & donis. - - - - 149.

ענק propr. adhibetur in *collo altius erecto*, quod figurate, cum *libertatem*, tum *ferociam* & ſævitiam, denotat. - - - - 364.

עגש propr. *torquere* violenter, *extorquere;* inde *mulctare.* - - - - Pag. 47.

עגל *tumere, efferre se:* inde עגלים *tumores.* - 568.

עץ pro *arboreto,* nemore. - - 424.

ערב *muscæ caninæ.* - - - 554.

עשה *facere* aliquando oblationem denotat. - 50.

עשק summam denotat *injustitiam* & *insolentiam,* sese palam efferentem. - - 368.

עתק a *vetustate* transiit ad *durum,* intractabile, *rancidum;* unde ad verba *putida* & *insolentia* adplicatur. - - - 367, 462.

פ.

פאר propr. *tumuit, intumuit, bullivit:* unde transf. ad summum *decus,* & majestuosam *excellentiam.* Pag. 286.

פגש orig. habet in capitibus & frontibus *sibi invicem impactis:* unde tum ad *hostilem* impactionem, tum ad *amicam* cum mutuo amplexu, transfertur. - - - - 816.

פרה etiam usurpatur pro *emulgere,* facere ut *erumpat* lac: unde forte fluxit signif. *redemtionis,* cujus pretium olim, deficiente adhuc pecunia, potuit esse lac emulsum. - - 242.

פור propr. vehementer *bullire, æstuare:* unde פורה *torcular.* - - - 439.

פנה propr. teritur in *facie adversa,* unde *adspiciendi* signif.

ſignif., aliquando *faciem averſam* continet, unde *evaneſcendi* uſus fluxit. In Pih. eſt *facere*, *ut quis* vel *quid nativam ſuam faciem oſtentet*: quod varie transfertur. - - - Pag. 639.

פנים *facies* ſubinde majeſtatem venerandam exprimit. 589.

—— apud Orient. pro *parte interiore* uſurpatur. 640.

פסה a Rad. פסס, *exſpirans particula*, extremum, in quo exſpirat & evaneſcit res. - 337.

פקד *viſitavit* ſpec. ſumitur pro *effuſione imbrium*. 20, 341.

פרי propr. habet in *infractione per crenas* & *inciſuras*. - - - - 439, 806.

פרש duplicem habet uſum contrarium, et *expanſionis*, ſ. *diffuſionis*, et *diſſipationis*. - 121, 122.

צ.

צאן nomen myſticum Hieroſol. ex צין & צאן, ut ſit Tſion inſtar gregis refertiſſima. - 124.

צבא propr. *micuit*, *emicuit*: hinc *agminatim ivit*, *in aciem* prodiit, ſ. *emicuit*. Originem indicat deriv. - - - - 105.

צבי *decus*, *ſplendor*. - - - 105.

צוד orig. habet in *unco*, *adunco*: inde, *venari*, q. *inuncare* piscem ſ. feram. - - 46.

צול, unde מצולה, Arab. denotat *vehementiam æſtuantem*, furorem incitatum, *ferociam*. 162, 217.

צור propr. *ſtringere*, *arctare:* unde ſummas anguſtias denotat. - - - - Pag. 298.

צחח propr. *nituit*, *ſplenduit:* unde transf. ad terram, ſolis æſtui expoſitam, ad petram *glabram*, locum *aridum*. - - - - 87.

צלמון locus *umbroſus*, *umbraculum*, ſ. locus protectionis. - - - - 123.

צמם *plexuit*, *intorſit*, in fasciculum conſtrinxit: hinc מצמית pro *cincinno*. - - 221.

צפה propr. *ſplendere*, inde, *ſplendido oculo luſtrare*, *ſpeculari*, in bonum & malum. - 42.

צפור *avis*, ſpec. *paſſer*, a צפר *ſibilavit*. 773.

צרב propr. *percuſſit*, *verberavit:* inde *aduſſit*. 318.

ק.

קדד *per longum ſecuit;* unde קדקד *occiput*, ubi potiſſimum reſecatur capillus. - - 157.

קום *ſurgere* pro ſuccreſcere, & in lucem publicam venire; it. pro, aliquid cum impetu & ſtudio adgredi. - - - 532.

קטר propr. *ſtillare*, *guttatim fluere:* inde

קטרת *ſuffitus:* it. *nidor*, carnis adipoſæ *ſtillatio*. 50.

קנא propr. *intenſiſſime rubere:* unde ad *æmulationem* & *zelotypiam* transiit. - - 581.

קנה ejusmodi *acquiſitionem* dicit, qua quid poſſide-

tur ut peculium privum, omni cura cuſtodiendum. Pag. 561.

קפץ propr. *conſtringere.* 498.

קצר propr. *ſecuit, amputavit:* inde קציר part. paſſ. *ſectum*, inde, *meſſem, ſtolones, ramos* tenerrimos, denotat. 646.

קרב & intimiorem conjunctionem denotat, & rem mox futuram deſignat. 241.

קרדם *ſecuris:* forte ex קרץ *ſecuit*, & רום vel רמם *deſtruxit* ad ſolum usque. 424.

ר.

ראה orig. habet in *vibratione radiante:* inde, ac & intento oculo, etiam ad *ſplendentes radios, videre.* 169, 359.

ראש herba vel planta amariſſima; forte *centaurium minus.* 247.

— *caput* pro perſona ipſa: it. pro *præſtantiſſimo.* 440.

רבותים Plur. auctus a רבות a ſing. רבה, ingentem *myriadum* numerum videtur exprimere. 133.

רגם *jaculatus eſt lapides:* inde lapidibus obruit, ignominioſa adfecit nece: Hinc

רגמה *lapidatio*, ignominioſa occiſio. 175.

רדה orig. habet in *calcatione pedum:* unde *proſtrationis, ſubactionis* violentæ hoſtium, & *dominii* ſeveri, ſ. in bonum, ſ. in malum, uſus fluxerunt.

Pag.

runt. - - - 174, 175, 324.

רתם propr. *obturavit*, *obſtruxit*: unde Niph. altiſſimo ſopore, divinitus injecto, q. obſtructum jacere. 477.

רוה teritur in *irriguo*, & potu expleto. - 48.

רוח teritur in *flando*, *perflando*: unde ad *laxa* ſpatia, recreationem, & reſpirationem, transfertur. ib.

רחק aliquando *averruncare* denotat. - 403.

רטש propr. *vibrare*, cum vibratione *palpitare*: unde deriv. de eo dicitur, quod ſeſe huc illuc, ſpec. agiliter, movet. Adhibetur de piscibus non tantum, ſed & animantibus ac avibus. - 266.

רנן propr. *ſtridulum* & *tinnulum* ſonare; inde, *lætos* & *jubilos* edere ſonos; in Hithp. *ſe incitare ad jubilum*. Arab. etiam notat *vino ſuperari*: unde Hitph. poteſt eſſe, *gerere ſe*, tanquam *vino ſuperatum*. - - - - 567, 568.

רצד propr. *obſervare intentis oculis*: inde, *inſidiari*, & ex inſidiis captare. - - - 129.

רצץ propr. *contudit*, *tundendo contrivit*: hinc רץ non *fruſtum*, ſed *contritor*; quod tamen etiam a רוה derivari poteſt. - - - 186, 187.

רשף propr. habet in *tremulo* & *corusco vibramine*, i. *ardore vibrante*: unde ad vibrationes fulgurum transf. 473, 555.

רשש propr. *terendo attenuari*. - - - 708.

ש.

שאן contr. ex שלאנן, propr. *defoecate fuſum & liquidum*, inde *tranquillitatem* & *prosperitatem*, denotat. - - - Pag. 136.

שאר *omnes*, & שארית *univerſitatem* rei, ſubinde denotat. - - - 481.

שבח propr. *mulcere:* inde *celebrare*, & *compescere.* 17.

שבלת *laxus* & longe protenſus aquarum *fluxus*, a שבל. 217.

שבר calamitoſam *diffractionem* & ſubverſionem comprehendit. - - - 473.

שגא & שגה propr. habent in *implicatione.* - 375.

שדי Nomen Dei, *omniſufficientem*, uberi vena manantem, denotans: alluditur in eo ſubinde ad שדד *vaſtare.* - - - - 122.

שוב pleniſſimam *inſtaurationem*, & priſtinæ felicitatis *reſtitutionem* comprehendere ſolet. 160, 616.

שוח propr. *exſpatiari:* unde transf. ad animum, continuo & profundius *meditantem.* - 492.

שום *ponere*, pro *dedicare*, initiare, erigere monumentum. - - 36, 422.

שוק, cui respondet שקק, propr. *discurſare:* unde varii uſus, ut *exundandi.* - - - 22.

שחץ propr. *ſubtilius trivit;* inde ad *ſubtiliorem aethera* transf. - - - - 199.

שטף propr.

שפך propr. adhibetur de torrente, qui *exundat*, & *præceps fertur*, ac ſulcos poſt ſe relinquit. Pag. 217.

שי orig. habet in *copioſo lactis fluxu:* inde transf. ad *munus* largum & lautum, ſpec. *bonorarium*, quod ſuperiori offertur. - - 181.

שיח a propr. *ſubſidendi* poteſt. ad *moerorem* acerbiorem tranſiit; ut שוח, שחח cogn. - 631.

שיח etiam in malum ſumitur pro capere materiam exſpatiationis, unde oblectamentum captatur, Sycophantarum more. - - 236.

שכב propr. habet in *fundendo*, *profundendo:* unde ad *decubitum* quieturi, inde ad *mortem* & decubitum in ſepulchro, transiit. Sumitur varie in bonum & in malum. - - 113.

שכח *ſimilitudinem retulit obſcuram.* - - 365.

שכן uſu ſuo dicit, *habitare*, & in tentorio *diverſari*, *quieſcere;* etiam, *decumbere* ægrum, dormientem, mortuum. - - 87.

— aliq. in malum ſumitur de ſtatu miſero & abjecto. - - - - 139.

שכר potum qualemcunque *inebriantem* denotat. 236.

שכר a *mercede danda* transiit ad *celebrationem laudis*, propr. ob accepta beneficia, ſ. *gratiarum actionem;* quam continet Arab. שכר, unde אשכר. 329.

שלישׁ menſuræ genus. Propr. *ternarium* numerum dicit: inde transiit ad quamvis rem *excellentiorem* denotandam, etiam *heroa*, q. d. virum triplicatum. - - - - - 626, 627.

שלל propr. *extraxit* cum raptatione violenta: inde *ſpoliationem*, ſpec. ſapientiæ & animoſitatis privationem, notat. - - - Pag. 476.

שמ propr. *inſtar ſtercoris ejici & everi*: unde ad graviſſimam & ignominioſiſſimam *perditionem* transfertur. - - - - - - 748.

שמרות pro אשמרות, *vigiliæ*, de oculis, ſunt *oculi vigilantes*, non *palpebræ*. - - 493.

שנא & שנה propr. *flectere*; inde *iterare*, duplicare. Hinc

שנאן cum ן intenſ. denotat *iterationem multam*. Sed 139.

— varios admittit explicatus, prout varie derivetur. 146.

שנן propr. *polivit*, *acuit* poliendo, friando. ib.

— hinc transiit ad indignationem cruciantem, ſ. compunctionem. - - 395.

שפט *judicare* late ſe extendit ad totam gubernationem, & omnes ejus partes. - 64.

— denotat *benignus fuit*. - - - 311.

שפת propr. adhibetur de *olla in foco poſita*, adhibito ſuſtentaculo, chytropode vel tripode: unde שפתים & משפתים form. dual. *duæ lapidum focariorum ſtrues*. - - - - 113.

שקט propr. habet in fæcibus turbati liquoris *ſubſidentibus*: unde ad animum a curis liberum, ſerenum & *tranquillum*, transf. - - 737.

שרון regionis nom. pro ישרון, *planitiem magnam* denotans. - - - - - 26.

ת.

		Pag.
תחה	*limites ponere:* it. *ſignare*, figuras facere.	552.
תכן	propr. *librare*, *exigere ad libellam.*	460.
תלם	*ſulcus*, ab Arab. ثلم *frangere.*	23.
תנה	*mercedem dare*, inde *laudibus celebrare:* hinc אתנה.	329.
תן	*draco*, a Rad. תנן *vaſto hiatu ſorbſit.*	441.
תריץ	pro תאריץ ab ארץ, erit *ſubmiſſus*, *humilis:* ſed *ſtrenuus* ac *juſtus*, ſi ſit ab Arab. Rad. תרץ, quæ *firmum*, *compactum* ſignificat, dein *rectum*, & *libratum.*	191.

FINIS.